

Iste Liber cum alis 4. donatus est ad Bibliothecam
Academiae Crac. à Clarmo Dno ipso Authore, sub
Praepositura M. Christophori Sorinski A. D. 1678. 15. April.




SVB TVVM PRÆSIDIVM
PARS HIEMALIS
CONCIONVM
DOMINICALIVM
A prima Aduentus vsque ad Pentecosten
Auctore
M. SIMONE STANISLAO
MAKOWSKI
In Vniversitate Cracouiensi S. Theologiæ Professore, Canonico S. Floriani
Eccl: Cathedralis in Arce Cracouiensi Concionatore
S. Casimirus.
B. Ioan: Cantius
CRACOVIÆ
IN OFFICINA
ALBERTI SIEKIELOWIC
S.R.M. Typographi
Anno Dni M.DC.LXVIII
Ioan: Chrisost: Prossowski delineauit.
Ioan: Alex: Gorczyn

PARS HIEMALIS CONCIONVM DOMINICALIVM

A

PRIMA ADVENTVS

Vſque Ad


PENTECOSTEN.

AVCTORE

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI,
In Vniuerſitate Cracouienſi Sacræ Theol. Profeſſore,
Canonico Sancti FLORIANI,
Eccleſiæ Cathedralis in Arce
CRACOVIENSI
CONCIONATORE.



CRACOVIÆ,
In Officina Alberti Siekielowic, S. R. M. Typ.
Anno Dñi, M. DC. LXVIII.



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D O M I N O,

D. HIERONYMO

COMITI IN WISNICZ ET IAROSLAW

L V B O M I R S K I,

S. R. I. PRINCIPI,

ABBATIÆ TINECENSIS,

Perpetuo Administratori,

Humanam & Diuinam felicitatem Author precatur.

Vmmam felicitatem ſe nactum fuiſſe, iactabat olim Cyrillus Alexandrinus, quòd ſuis libris contra Iulianum editis, Patronum inueniſſet optimum Principem Theodoſium Secundum. Quia videlicet noſtri, qui Diuino fungimur Sacerdotio, muneris eſt, libros ad Diuinam potiſsimùm gloriam compoſitos, non alijs, niſi Principibus offerre, à quibus & Patria conſeruationem, & ſancta Eccleſia maximam defenſionem habet. Equidem mihi hodie non impar felicitas contigit. dum Te Illuſtriſsime & Rndiſsime Princeps ſortitus ſum, cui meas Conciones conſecrarem. Par enim Tibi cum Principibus & magnis Heroibus, tàm generis; quàm virtutis ſplendor. Auus Tuus STANISLAVS LVBOMIRSKI Palatinus Cracouienſis, pietatis Religioniſquè cultor celeberrimus, (quod teſtantur Templa duo Viſnicienſia, & Cracouienſe ad Præſepe Bernardinorum, LVBOMIRSCIANÆ munificentiæ æterna monumenta) Oſmani terror, & Scytarum fulmen, ad Chotinum Septingentis Turcarum millibus circumſeptus, Patris & Seruatoris Patriæ nomen meruit. Dùm indomitum illum tyrannum, qui feroci animo impotentiq; libidine, velut hiatu quodam, iam vniuerſam Poloniam deuorauerat, Arceſq; eius, Vrbes, ac Prouincias, tanquam indubitata ſpolia, ante victoriam inter Baſſas, libidinum ſuarum mancipia diuidebat; ita de illo faſtu ſuo deiecit, vt amiſsis propè Octuaginta militum millibus, nihil præter æternam ignomi-

niam,& non ampliùs delendam Othomanico Imperio maculam secum Constantinopolim asportaret. Quod Diuino forsan Spiritu præuiderat Respublica Polona, dùm cum imminente illo ferali bello Turcico CHODKIEVICII consortem, generalibus Comitijs declarasset. Et Inuictissimus VLADISLAVS IV. Optimi Parentis SIGISMVNDI III. vices obeundo, tunc in Castris Chotinensibus degens comprobauit, dùm mortuo CHODKIEVICIo, & Lithuanis legionibus VLADISLAI soliùs regimen affectantibus, tantus Princeps postposita sua Maiestate, publicè obtestaretur, se LVBOMIRSCIO parere velle. Videbat enim Virum rerum gestarum gloria, & rei militaris peritiâ insignem, in quo vigebat laboris, æstus, frigoris, inediæ tolerantia: in disponendis excubijs vigilantia, in mittendis exploratoribus sumptuosa solertia, in acie instruenda ea promptitudo, atque dexteritas, quæ cum summis veteris, & recentioris æui imperatoribus poterat æquari.

Quid de Illustrissimo Parente Tuo GEORGIO SEBASTIANO LVBOMIRSKI, Supremo Regni MARESCHALCO, & belli gerendi peritissimo exercituum Duce loquar? Qui cùm vndiq; Poloniæ tanta mala euenerint, quæ vel singula maximorum etiam Regnorum potentiam hebetarent, seruator omnium proclamatus est. Trahebatur coniuratis multorum viribus ferale bellum, inter Carolum Gustauum, & IOANNEM CASIMIRVM Poloniæ & Sueciæ Regem, tantaq; bellorum incendia exorta erant, quæ nullo deinceps populorum sanguine, nullo Vrbium, ac Prouinciarum excidio restingui possent. Omnibus tamen rebus iam desperatis, Excellentissimus Parens Tuus vnus suo consilio, ope, laboribus, ac vigilijs, ita omnes Reipublicæ Ciues emollijt, Castrorum disciplinam restituit, totumq; patrimonium, & hereditarias opes in militiæ sumptus impendit, vt Patriam ab hostibus vindicaret. Periclitabatur iam omnium salus, corruerat Thronus, perierat Regnum, exulabat diadema; omnia tamen Illustrissimus Parens Tuus mira celeritate & prudentia recuperauit & ne throno Rex, Regi regnum, Regno diadema deesset, Serenissimum REGEM in Patriam feliciter reduxit, tanquam optimus Maiestatis venerator. Cracouiam Vrbem totius Regni caput toto semestri ita arctissima obsidione tenuit, vt hostis tot primarijs bellatoribus in conflictu amissis, alijs dura fame, & intensissimo frigore in dies sine numero intereuntibus, deditionem cogitaret; nî Georgius Ragotzius, vana spe potiundæ Minoris Poloniæ à Suecis elusus, cum valido exercitu in subsidium aduentans hosti animum addidisset. Omnia quippe iam obsessis, tàm hostibus, quàm Ciuibus ad esum defierant, ita vt nedum vulgus, sed & præcipui equorum carnibus vltimam famem explerent.

Verùm & Ragotzius, non solùm tota Transyluanica nobilitate, sed etiam Valachis, Cosacis, Moldauis, Pannonibus, numerosoq; & ex multarum gentium lecto exercitu stipatus, in Regnum nostrum irrumpens, exiguo temporis spatio iustas sui ausus temerarij pænas dedit. Vt audiens Illustrissimum Parentem Tuum, mira celeritate cum fortissimo exercitu, velut alterum Scipionem, suas ditiones ingressum, cæde & sanguine madentes agros, flammâ ruinisque fu-

mantia oppida; ferro atq; armis coruscantes campos, suis se bonis priùs cecidisse recognosceret, qui aliena temerè concupiuerat. Quis tunc Parentem Tuum Virum ad belli, & pacis artes æquè factum, Africano parem, celeritate etiam maiorem, vel ipsis si adfuissent bellatricibus furijs metuendum non proclamasset? Qui illum insolentis Transyluanicæ fortunæ cursum citiùs inhibuit; quàm mens humana concipere posset.

Fertur obsidenti Kijouiam BOLESLAO ab Angelo Domini gladium cœlitùs oblatum fuisse, quo ad excidium impietatis vteretur. Quis obsecro non fatebitur gladium Parentis Tui quandam omnipotentiam cœlitus sibi communicatam habuisse, qua paratissimas hostium victorias euerteret, penè iam victis præsentissimam perniciem in triumphos commutaret, deijceret ardua, collapsa erigeret, & insolitum hostium apparatum, ludibrium terrarum Orbi faceret. Ita enim bellorum vices arbitrio suo flectere ac moderari consueuerat, vt cum dubij Martis imperium alij ferre cogantur, apud illum bellandi vincendiq; par esset potestas. Ibit in exemplum seræ posteritati prudentia, & dexteritas eius, qua in recuperanda tota Prussia vsus est. Sensit Torunium ingentes saxeas moles, quas in eius viscera inuictis Parens Tuus detonuit, quales nec Antiquitas cum suo Vulcano, nec Cyclopum robustæ manus versare possent. Quibus tàm publicas, quam priuatas ædes ad vltimam ruinam concutiendo, fregit obstinatos hostium animos, & obduratam Ciuitatem pedibus Serenissimi Regis gloriosè subiecit. Sensit Graudentum munitione validum, & contumaciâ rebellium Ciuium inexpugnabile, quod dùm benignis eius suasionibus acquiescere nollet, vltricibus tandem flammis succensum, & in cineres redactum, suæ rebellionis pœnas exoluit. Equidem putasset tunc non nemo Tunetanæ oppugnationi, aut Rupellanæ expugnationi se affuisse, vbi omnibus fermè elementis simul pugnatum est. Vnus duntaxat Pœnorum Imperator, Alpes nisu arduo ad gloriam patefecit? Tuus verò Illustrissimus Parens bella Domini Sabaoth pugnans, vim Numinis obtinuit, vt ipsi naturæ leges imponeret ad famam, & prodigium nouitatis.

An non Parentis Tui arbitrio belli pericula, pacisq; consilia tunc suberant, qui bellum fermè totius sæculi, anni vnius compendio finiuit, & velut alter rediuiuus Poloniæ Cato, duas potentissimas Nationes fœderibus pacis ad pristinam societatem reuocauit. Hinc statim ad reprimendam Moschorum potentiam in Vcrainam se contulit, vbi non cum sola hominum peruicacia, sed cum cælo ipso, rerumq; natura luctandum erat. Dum enim Poloni omnes suas vires ad depellenda arma Suetica conuertissent, Moschorum Dux armis Smolenscum, & Seueriam occupauerat, vtq; totam Russiam possideret, geminos exercitus in viscera Patriæ intromisit, Ducibus Seremeto, & Verselicio, antiquas Polonorum Regiones sub iuga Moschouitica trahere volens. Verselicius viginti fermè millium succinctus exercitu Polesiam irruperat, positisq; ad Medereciam castris, prædabundas legiones per confinia circumsparserat; cædibus, rapinis, incendijs cuncta miscens. Seremetus verò ingenti exercitu stipatus, peditatus Moschouitici habens duodecim millia, Equitum

Germanorum Loricatorum nouem millia, Nobilium & Baronum Publicæ expeditionis quatuor millia & trecentos, accitis insuper in societatem belli Cosacorum triginta millibus, non modo Tyram, & Borysthenem suis iam armis possederat? sed Vandalum, & mare Balticum, & quæ his longo spatio interiacent ora, vasta mente circumspiciebat, toti Poloniæ insolenti animo insultans Quippè homo tumidus, & imminuti Polonorum Exercitus fama inescatus, abreptusq; tumore suo, ac præsumptæ opinione victoriæ, recta in Poloniam pergere decreuerat, & genti liberæ ac semper inuictæ veluti iam profligatæ leges dicere, Leopolim, Lublinum, Cracouiam, Vrbes, Magno Moschorum Duci tributarias facere, & nouos vbiq; Palatinos arbitrio sui Ducis destinare. Festinabat ergo crudelis, & effrons hostis, ipsis periurijs & fide fracta ferocior, ad deuorandam Vcrainam, vbi illustrissimus Parens Tuus, Seremetum cum valido & prorsus innumero exercitu, velut in exitium totius Regni properantem, cæsis amplius triginta millibus, ita depressit, vt priùs reliquerit offam, quam deglutiret, prædasq; abactas venali suorum sanguine compensaret. Audiensq; breui, quomodò ferentem sibi suppetias Chmielnicium cum quadraginta millibus Cosacorum ad Oppidum Piantki, pari celeritate & fortuna ita domuit, vt non ampliùs manum contra Patriam efferre auderet, humilem deditionem obtulerit. Mira tunc erat Parentis Tui diurna nocturnaq; sine somno, sine cibo laborum tolerantia, constans in obsequia Reipublicæ fides. Nihil eius armis intentatum, inaccessumq; relictum est, qui non modò cum omni genere hostium manus conseruit; sed Martem ipsum inebriatis cruore Bellonæ campis in certamen elicuit.

Quid de motibus domesticis per ipsum sedatis? extremè tunc periclitabatur Patria, nulla erat legum obseruantia, nulla securitas pacis publicæ, nulla Magistratuum reuerentia. Parua hæc ab initio videbatur ruina multis, priuata potiùs, quam publica bona spectantibus: quia pauci sunt, qui securim ad radicem positam, & lethum præ foribus excubans aduertant. Sensim enim sine sensu pericula augentur, sed cum vires sumpserint, difficillimè illis prouidetur: dumq; proprijs homines inhiant commodis, omnium salutem periclitari necesse est. Nam publicum malum priuato nascitur lucro, & rursus bonum publicum priuato sustentatur incommodo. Solus Illustrissimus Tuus Parens velut centoculus Argus, euentura mala præuidens, prudentissimè in generalibus tunc comitijs suadebat, principijs obstandum esse, bene meritos spe exoluendorum præmiorum deliniendos, aut seditiosos motus celeriter opprimendos. Quoniam cunctationem trepidatio & pœnitudo comitatur, & quantò magis impunitas, tantò & peccandi studium crescit. Lecti igitur toties Senatûs Principes, qui pacificandæ seditionis curam susciperent, qui licet nihil intentatum in hoc negotio reliquerant; nihil tamen effecere. In solo LVBOMIRSCIO Parente Tuo vis tota ponebatur, qui & parta per tot victorias authoritate, & priuatis largitionibus, omnes illos motus feliciter composuit.

Sed quemadmodùm Parentem Tuum toga sagumq; extulit, de Tua pariter

riter egregia indole, Patria & Ecclesia magna sibi pollicentur. Nam quemadmodum Parens Tuus cum thorace librum, cum gladio calamum, velut alter Lucullus commutabat, Tu quoque à primis statim annis literarum pariter & virtutum studia coniunxisti. Vnde omnia illa virtutum decora, quæ in Excellentissimo Parente Tuo mirabiliter elucebant, in Te paribus illustrata coloribus exprimuntur Exteras enim nationes summa dexteritate lustrando, populorum mores, nationum ritus, Prouinciarum leges, Regnorum instituta, Antiquitatis Historias, ac denique omnia singularum gentium solemnia feliciter didicisti. Mitto innumera alia præclare facta. erunt alij, qui in gratiam posteritatis id faciant. Erunt, qui illustria Tua indissolubili nexu nunc Abbatis, sed breui, (quod ardentissimis votis omnes exoptamus) magnî in Ecclesia Domini Antistitis, & Principis colligata ornamenta eruditis Panegyricis enarrabunt Erunt, qui Illustrissimi Parentis Tui iustitiæ ac Religionis zelum, pietatem, prudentiam, fortitudinem, liberalitatem, Magnificentiam; qui labores eius exantlatos æternitati consecrabunt. Si enim Roma Iulium Cæsarem trecentis propè annis defleuit: si Epyrotas & Illyrios per tot sæcula nondum sui Scanderbergij cepit obliuio: si Hungari Coruinorum, Græci Palæologorum, & reliqui populi suorum Ducum ac Principum ad hæc vsque tempora non sunt obliti: quomodo Polonia sui LVBOMIRSCII, per quem toties recuperata, ac pristinæ libertati restituta est, obliuisci poterit. Equidem post extinctum Illustrissimum Parentem Tuum, nusquam lachrymas ab oculis suis sufficienter absterget, vel in illo solo omne suum bonum perijsse recognoscens.

Diuinis igitur & humanis felicitatibus augere optimè Princeps, vt tecum tota Polonia augeatur, meumq; hoc opusculum grato animo complectere, quod Tibi vni consecrandum esse censui.

FACVLTAS
MAGNIFICI DOMINI,
RECTORIS

M. ALBERTVS ŁANCVCKI, I. V. D. *& Professor, Archidiaconus Pilecensis, Cancellarius Ecclesiæ Collegiatæ, SS. Omnium, S. Michaelis in Arce Cracouień. Canonicus, Vniuersitatis Cracouień. Studij* GENERALIS RECTOR, *Partem Hiemalem concionum Dominicalium, Ab Adm. Rńdo SIMONE STANISLAO MAKOWSKI, elucubratam, & ab ijs, quibus à nostris Antecessoribus commissum erat, attentè visam, lectam, & approbatam Typis mandari facultatem impertimur. Anno* 1667.

M. ALBERTVS ŁANCVCKI, I. V. D. & Professor, Archidiaconus Pileceń. Cancellarius SS. Omnium, S. Michaelis in Arce Cracouień. Canonicus, Vniuersitatis Cracouień. Studij GENERALIS RECTOR.

CENSVRA.

M. IOACHIMVS SPERONIVS, *in Vniuersitate Cracouiensi S. Theologiæ Doctor & Professor; Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani, ad Cracouiam Decanus, SS. Omnium Præpositus. Curatus Corcineń. Solemnitatum Christi, &* B. V. MARIÆ *in Ecclesia Cathedrali Crac: Concionator, cùm ex commissione Magnifici Domini* RECTORIS. *Partem Hiemalem Concionum Dominicalium, Auctore Adm. Rńdo. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI, S. Theologiæ Professore, Canonico S. Floriani, Ecclesiæ Cathedralis in Arce Cracouień. Concionatore conscriptam, profundis conceptibus ex sacra Striptura, authoritatibus Conciliorum, Sanctorum Patrum, Magnorumq́; Doctorum testimonijs refertam legissem, nihil in ea, quod cum Christiana Religione pugnet, inueni: imò omnia præclara, legentibus mira, multa pariter etiam literatis rara, nulla fidei dissona, & moribus apta inueni. Dignum proinde opus censeo, quod in Commune bonum Typis mandetur. Anno,* 1661.

M. IOACHIMVS SPERONIVS, S. Theol. D. & Professor Eccl. Colleg. S. Floriani Decanus, SS, Omnium Præpositus, Curatus Corcineń. Solemnitatum Christi, & B. V. MARIÆ in Ecclesia Cathedr. Cracouiensi CONCIONATOR, mp.

DOMI-



DOMINICA I. ADVENTVS,
CONCIO PRIMA.
Erunt Signa in Sole, & Luna, & stellis. *Lucæ* 21.

Signa in Sole, & luna erunt horrenda obscuratio, & luminis subtractio, in stellis verò, quia cometæ, fulgura, ignes cadentes, & alia meteora inusitatæ magnitudinis in terram deijcientur.



MAgnorum moliminum opus, magnam & diuturnam præparationem requirit. Hinc Salomon gestationis suæ tempus in vtero materno describens, dicit: Sap. 7. *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis.* Vt quid tam longo tempore? cùm homines communiter nono mense à conceptione nascantur. Equidem, quia totius regni Israëlitici, populi illius multi, ac prorsus innumerabilis, Princeps ac gubernator futurus erat, vt censet Pineda lib. 1. de rebus Salomonis: vulgaribus itaquè hominibus tempus nouem mensium sufficit; at verò gestandis in vtero heroicis viris decem menses assignantur: quia magnis rebus edendis, sæpè longior debetur præparatio. Sic de diuinissimo agno Iesu S. Ioan. Apocal. 13. pronuntiat: *Qui occisus est ab origine mundi.* Quomodò obsecro ab origine mundi occisus dicitur, cùm in secunda mundi ætate, scilicet in decursu legis Mosaicæ eum occisum esse constat? Respondet Hugo cum alijs,

Sapient. 7.

Salomon cur decem mensibus in vtero matris gestatus.

Apoc. 13.

Christus cur ab origine mundi dicitur occisus.

A quia ab æterno occidi decretus, præscitus, & prædestinatus est a Deo. S. verò Ambros. Anselmus, Thomas, & alij, dicunt Agnum occisum esse ab origine mundi, non in se, sed in suis typis & figuris, puta sanctis Patriarchis, & Prophetis, qui fidei & pietatis causâ occisi sunt. Proinde Christus dicitur Agnus occisus ab origine mundi: quia præsignatus fuit. Primò, in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ouium, id est agnos, Domino; ac proinde DEO placens ipsemet, quasi agnus innocens factus est victima Deo, B cùm à parricida Cain occisus, primus extitit orbis Virgo & martyr. Secundò, in ariete siue agno masculo, quem pro Isaac substituit & immolauit Abraham. Genes: 22. *Leuauit Abraham oculos suos, viditq́; post tergum arietem inter vepres, hærentem cornibus, quem assumens obtulit, holocaustum pro filio.* Pariter enim in Christi passione, Iudæis & tortoribus pro deitate, surrogata, passa, & immolata est humanitas. Tertiò, in agno paschali, propter quod Ecclesia sancta Christum vocat Agnum, canens: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Agnus redemit*

Abel prim⁹ in mũdo virgo & martyr.

Genes. 22

demit oues, Chriſtus innocens Patri reconciliauit peccatores. Quartò, in iugi Sacrificio: quotidiè enim Hebræi ex lege Exodi. 29. *Hoc eſt, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum veſpere;* immolabant Deo tàm mane; quàm veſpere agnum. Et hoc eſt Sacrificium matutinum ac veſpertinum, quod ſæpè offert & refricat David in Pſalmis alijquè Prophetæ. Quintò, in alijs ouibus & agnis, qui ex lege DEI omni feſto offerendi erant. Sextò, quia Chriſtus paſſim in ſcriptura cōparatur agno, vt Iſaiæ 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Et Ieremiæ 11. Chriſtus de ſeipſo dicit: *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Quæ omnia eleganter perſtringit S. Paulinus. Epiſt: 27. ad Aprum: *Ab initio* inquit, *ſæculorum Chriſtus in ſuis patitur, & triumphat: in Abel occiſus eſt à fratre, in Noë, irriſus à filio: in Abraham, peregrinatus: in Iſaac, oblatus: in Iacob famulatus: in Ioſeph, venditus: in Moyſe expoſitus & fugatus: in Prophetis, lapidatus & ſectus: in Apoſtolis, terra mariq; iactatus: in Martyribus, toties & tàm variè occiſus.* Quid autem erat opus diuini Agni mortem tot ſæculis præſignari, & præparari? Reſpondet Tertull: lib. 3. in Marcion. quia mors Chriſti futura erat opus immenſum noſtræ redemptionis: eius quippè meritò omnes electi prædeſtinati, & ſcripti ſunt in libro vitæ: & illa vita ad quam deſtinantur electi, effectus & fructus eſt paſſionis ac mortis Chriſti, proinde multo ante eam præſignari & præparari neceſſum fuit. Vt præclarè ait citatus Tertull: *Vtiq; tantum opus, quod humanæ ſaluti parabatur, per ſubitam fidem non fuiſſet profuturum. In quantum enim credi habebat, vt prodeſſet, in tantum paraturam deſiderabat, ſubſtratamq; fundamentis diſpoſitionis, & prædicationibus.* Ita ſanè: quò maius eſt opus, eò præſtantius & ſalubrius, ac diuturniorem præparationem, elaborationemq; poſtulat. Hinc cauebat Dominus Exodi 12. *Decima die menſis huius, tollet vnuſquiſq; agnū per familias &c. & ſeruabitis eum vſq; ad quartam decimam diem menſis huius.* Quid eſt? ſi decima quarta menſis die immolandus erat agnus; quæ neceſſitas erat illum emendi decima die, & aſſeruari domi quatuor integris diebus? cur non ſufficeret, quòd emeretur illa ipſa die immolationis? ne miremini: Erat die illa immolationis, perficiendum magnum opus liberationis, quando Iſraëlitæ exituri erant de captiuitate Ægypti, ideò requirebat, vt multis ante diebus præpararentur. Sic cenſet Rupertus in citatum locum. *Vt quid verò tàm diu ante tolletis agnum, tanto tempore ſeruaturi? videlicet, vt dùm ille præſtò eſt, cauſa quoq; eius, corda veſtra ſolicitet, ne ſitis immemores vel imparati: quia tranſeundum eſt, dùm ille tot ante diebus de profectione parandâ vos admonet. Quoties enim ille ballatum emittit, toties quaſi tubæ ſonitus, exituras caſtrorum acies excitet.* Quaſi diceret: quia agni illius oblatio, futuram populi de Ægypto eductionem figurabat, ideò tantus exitus, non erat communiter agendus; ſed longo ante tempore, præparandi erant Iſraëlitæ, & diſponendi ad eum. Pari modo in hodierno Euangelio S. Matthæus, poſt tragicam illam ſub Antichriſto calamitatem, gradum facit ad prodigioſa funeſte ſigna, quæ tremendam ſupremi iudicij diem anteuertet, oſtendens magnum illud & inſolitum opus futurū. Conſiderabimus igitur, quomodò iſta ſigna in ſole, luna, & ſtellis fient, & quid nobis portendunt.

Exodi 29.

Sacrificiū veſpertinū quodnam fuerit in veteri lege

Iſaiæ 53.

Hierē. 11.

S. Palin⁹.

Tertulliā.

Exodi 12.

Agnus paſcalis apud Iudæos cur quatuor diebus ante ſolemnitatem emi iuſſus.

Tertulliā.

Licet S. Lucas in hodierno Euangelio non aperiat, qualia ſigna hæc erunt in ſole, luna, & ſtellis, quæ præibunt, & indicabunt inſtare extremum iudicium. Sanctus tamen Matthæus cap: 24. palam id ediſſerit: *Statim* inquit *poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cælorum commouebuntur.* An autem ſigna hæc ad literam vt ſonant, euentura ſint, num certè alio modò, variæ ſunt Doctorum & SS. Patrum ſententiæ.

Matth. 24.

Expoſitio

ſignorum myſtica.

Auguſtin⁹.

Sanctus enim Auguſtinus epiſt: 80. ad Heſychium, hæc ſigna myſticè accipit, pro perſecutione Antichriſti, ſicq; exponit: *Sol & luna,* id eſt, *Eccleſia, obſcurabitur: ſtellæ,* id eſt, *illuſtres ſancti à fide, & cōſequenter à cœlo & ſalute excident.* Sanctus verò Chryſoſth: Hieron: Beda in cap: 24. Matt: Euſebius, Emiſſenus, homil: in Dominicā 27. poſt Pentecoſt: S. Hilarius Can 26. in Matth. S. Tho: opuſculo 10. art. 36. putant hæc ſigna fore in ipſo die iudicij, proinde ſolem tunc non amiſſurum ſuum lumen; ſed tantùm propter nimium Chriſti aduenientis fulgorem, non appariturum: quia ſcilicet Chriſtus, tunc adueniens tanto lumine radiabit, ac totum orbem ſuis radijs perſtringet, vt ſua claritate obſcuret fulgorem ſolis, lunæ, & ſtellarum. Vnde concludit S. Tho: loco citato: *Non hoc diminutione luminis accidet, cum ſolem legamus ſeptuplum luminis habiturum; ſed comparatione veræ lucis, omnia viſui apparebunt tenebroſa.* In eandem ſententiam propendet D. Auguſt: Serm. 130. de tempore. Vbi hoc peculiariter tribuit fulgori crucis, qui tantus erit, vt ſolem occultet. Cæterùm, quia ſigna hæc erunt præuia iudicio extremo, & conſequenter ante aduentum Chriſti, vt clarè docet Ioël Propheta cap: 2. v. 10. & ſequentibus: *Sol* inquit *conuertetur in tenebras, antequàm veniat dies Domini,* ideò vlterior interpretatio horum verborum quærenda eſt. Rabanus igitur in cap. 24. Matth: putat, quia ſol, & conſequenter luna, aliaq; aſtra à Deo priuabuntur ſuâ luce intrinſecâ, & connaturali. Verùm ſtando in authoritate Euangelij ſancti, exiſtimo hanc obſcurationem cœleſtium illorum luminarium, ad literam, vt ſonat, accipiendam eſſe.

Sol in die iudicij nō amittet lumen ſuū.

S. Thom.

Ioël 2.

Rabanus.

In fine ergò mundi Deus ad vindictam peccatorum, Solem faciet nigrum, inſtar ſacci cilicini, qui niger eſt, ex nigris ſetis & pilis, ex quibus contegitur: Quod fiet partim ex denſitate nubium, quas Deus inter ſolem & terram interijciet, vt vult Ribera, & Dominicus Soto in 4. ſent: diſt: 46 quæſt: 2. art: 2. partim ex miraculoſis eclipſibus, vt vult Pererius, quæ prouenient ex inuſitatis motibus cœlorum, qui nunc tardiùs, nunc velociùs ſolito mouebuntur. Vnde Lactantius lib. 7. cap. 16. de ſole & luna ſic dicit: *Motus extraordinarios peragent, vt non ſit homini promptum, aut ſiderum curſus, aut rationem temporum agnoſcere. Fiet enim vel æſtas in hyeme, vel hiems in æſtate, tunc & annus breuiabitur, & menſis minuetur; & dies in anguſtum coarctabitur.* Suſpendet itaq; Deus tunc non lumen, ſed illuminationem ſolis, & aſtrorum, nimirum negando luci ſolis, & aſtrorum, concurſum: ſine quo non poteſt lumen ſuum ſpargere, & illuminare orbem. Vnde ex eo ſequentur denſiſſimæ & vniuerſales tenebræ per totum orbem, idquè facillimè, ac minima rerum & naturæ immutatione. *Luna non dabit lumen ſuum.* quod S. Ioann: in ſua Prophetica Apocalypſi exponit: *Luna tota facta eſt ſicut ſanguis.* Quod fiet per interpoſitionem nubis ita diſpoſitæ, vt per impreſſionem radiorum lunæ, ipſa videatur tota ſanguinea, ad ſignificandam diuini iudicij ſeueritatem. Nam rubicunda luna repræſentat cruorem, id eſt ſtragem impiorum, ob ſanguinem Chriſti ab ijs vel effuſum, vel neglectum & ſpretum; item ob effuſum ſanguinem Martyrum, præſertim Eliæ, & Enoch, aliorumq; fidelium ab Antichriſto & Antichriſtianis interfectorum.

Solis denigratio in fine mūdi vnde proueniet.

Ribera Dominic⁹ Soto.

Pererius.

Lactanti⁹.

Luna ſanguinea in die iudicij quid ſignificabit.

Vbi enim Antichriſtus in templo ſancto Dei abominationem fecerit, tunc ex diuina ordinatione venient Enoch, & Elias, ad conuertendum populum ab Antichriſto ſeductum, qui futura prophetabunt, euangelizabunt, & diſputabunt contra Antichriſtum, eiuſque propugnatores, iuxta illud Apoc: 11. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis:* hoc eſt menſibus 42. Facientq; tria miracula præcipua. Primum, quia inſerent ſe in cœtus hominum per pagos, & vrbes,

Enoch & Elias tempore Antichriſti ad quid venient.

Apoc. 11.

Enoch & Elias 42. mēſibus prædicabunt.

vrbes, imò in ipsam Ierusalem, & regiam Antichristi, ibiq; liberè & audacter prædicabunt Christum crucifixum, esse redemptorem totius mundi. Ad hoc enim vrgebit eos, tum Ecclesiæ necessitas, tum Antichristi impius zelus, tum incensus eorum amor in Christum & Christianos, qui eos faciet instar Pauli infatigabiles & igneos. Prædicabunt inquam singulis diebus, ostendentes Antichristum esse fictum Christum. Quocirca Magistratus & Duces Antichristo subditi, volent manus inijcere in Eliā & Enoch, eosque capere ac occidere: Sed illi mox imperabunt edicentque, veniat ignis de cœlo, & perdat hosce Antichristianos, sicut olim bis descendit in quinquagenarios Achabi 4. Reg. 1. & semel in illud sacrificium, quo certabatur contra Prophetas Baal 3. Reg. 18. statimq; ignis descendet & perdet eos. Alterum miraculum facient, quia suo imperio prohibebunt pluuiam, & cœlo quasi iustitium indicent, aut quasi claustrum inducent, proinde sterilitatem, famem, & pestem Antichristianis accersent, quemadmodùm olim fecerat Elias habitatoribus Galaad, vt scilicet per tres annos cum dimidio non plueret: 3. Reg. 17. *Et dixit Elias de habitatoribus Galaad ad Achab: viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Tertium miraculum facient, quia aquas conuertent in Sanguinem: nam eadem potestas dabitur tunc Eliæ & Henoch certantibus contra Antichristum, quæ olim data fuit Moysi certanti contra Pharaonem Antichristi præcursorem. Ita enim prophetica D. Ioann: Apocal: obloquitur cap. 11. *Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophatiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plagâ, quotiescunq; voluerint.* Erunt ergo velut thaumaturgi, vt ad libitum cælo, terræ, aëri, ventis, fulminibus,

Enoch & Elias tempore Antichristi tria miracula facient.

3. Reg. 17

Apoc. 11.

A imperent, indeque plagas quaslibet in impios euocent & emittant. Hos finita prædicatione per annos tres & medium, Antichristus Deo iam permittente interficiet, quorum corpora iacebunt in plateis Ierusalem per tres dies, & dimidium insepulta: quia Antichristus non sinet ea sepeliri, vt ijs insultet, & quasi victor de ijs triumphet. Vt habetur Apocalyp: 11. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de Abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* B *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.*

Enoch & Helias ab Antichristo interfecti sepultura carebunt.

Apoc. 11.

Fiet igitur tunc luna rubea, vt videatur quasi pudore vultus sui, de turpissimis & atrocibus hominum sceleribus, noctu præsertim, quando lucet luna, in lectis, & tenebris perpetratis erubescere. Visis namq; tot tamque enormibus hominum criminibus, ab initio mundi ad finem vsq; perpetratis, sol, luna, & stellæ. quasi C erubescent, quòd talibus dominis tam impijs seruierint, & ad eorum scelera lumen præbuerint. Sic olim in Martyrio Felicis Episcopi Africani, anno Christi 302. luna conuersa fuit in sanguinem, vt habent eius acta fidelia 24. Octobris, quæ citat & probat Baronius. quia sanguis est symbolum peccati: Vnde Oseæ 4. dicitur: *Sanguis sanguinem tetigit.* Et Isaiæ 1. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* id est peccati. Erit ergo tunc insuetata Solis. lunæ, & stellarum partim D rubricatio, partim obscuratio, & quasi deliquium, vt significetur, obscurari ac finiri iam gaudium impiorum. Tum quia Sol, & stellæ, quasi metu Christi iudicis venientis perculsa, splendorem suum retrahent; quemadmodùm homines in metu solent calorem & sanguinem in intima, ad cor confortandum retrahere, & nimium expallescere.

Astra in fine mundi erubescent propter scelera hominum.

Sanguis peccati symbolū.

Oseæ 4.

Isaiæ 1.

Necdum satis, sed & stellæ de cælo cadent, ait sacrum Euangelium. Quod quomodò fieri possit, respondet Origenes tract: 30. in Mat: quia

Stellæ quomodo de cœlo cadent.

stellæ lumen suum deficiente fomento amittent, & quod in eis terrestre remanserit, in terram decidet. Putat enim ipse ex sententia Platonis in Thimæo, cælos & astra ex elementis esse composita, & conflata; ac proinde egere nutrimento instar nostri ignis, vel lampadis: ideoque sensim deficiente alimento in fine mundi, astrorum quoque lucem, siue id, quod in eis igneum est, defecturum; quod verò terrestre est, ad sua elementa & terram relapsurum. Verùm hæc Origenis opinio duplici errore nititur: Primò, quia putat cælos esse elementares, quod apertè falsum est. Cùm cœlum nec sit ipsum elementū, & ideò ab Aristotele & Peripateticis appellatur quinta essentia, à quatuor elementis distincta, 1. Cœli tex: 5. Deinde, quia cœlum habet motum simplicem connaturalem sibi, diuersum a motibus omnium elementorum, proinde & essentiam diuersam ab iisdem habet. Nam ex motu naturali, qui alicui corpori simplici inest, colligimus naturam ipsius, tanquam ex proprietate & effectu, in ordine ad quem definitur. Non est etiam corpus ex elementis constitutum, vt falsò asseruit Empedocles, qui putabat cœlum esse tanquam crystallum, ex igne & aëre mistum, Tymæus verò ex igne & terrâ, a quorum vno splendorem, ab altero soliditatem haberet. Tum quia cœlum caret contrarijs qualitatibus, quæ elementis insunt, nec est in loco connaturaliter debito corporibus mistis, ratione alicuius elementi prædominantis, & sic elementum dici & esse nequit. Altero nititur errore, quia putat cœlum indigere alimento, quod est contra veritatem philosophicam, qui nonnisi corporibus animatis tribuunt alimentum; cœli autem & astra, non sunt animata, cùm nec viuant animâ vegetatiuâ: hæc enim importat nutritionem & augmentationem; cœlum autem nec est augmentabile ex 1. cœli tex: 71. neq; nutriri potest, vt potè incorruptibile. Vnde quod Ethnici teste Plutarcho 2.

Origenis sententia de cœlis & astris falsa.

Cœlum diuersam ab elementis naturam habet.

Astra non sunt animata.

A de Placitis Philosophorum fabulantur, cœlum vaporibus è terra & mari attractis ali, prorsus vanissimum est. Quia vapores ad cœlum non pertingunt, & iterum ad nos in pluuiam aut niuem conuersi redeunt, ex 2. Meteororum cap. 2. non sunt etiam astra animata anima sensitiua, tum, quia ad sensationem requiruntur certa organa; astra verò sunt corpora inorganica: requiruntur quoq; primæ qualitates, sine quibus ne quidem sensus tactus, qui omnium B sensuum est infimus & communissimus, exerceri potest. Non denique anima rationali, quia hæc non potest esse, quin sit vegetatiua & sensitiua, egetque phantasmatibus sensibilibus ad operationes suas, dum vnita est corpori, quæ in astris locum non habent. Imò eo ipso astra essent capacia meritorum & demeritorum, ipsiusq; beatitudinis, aut damnationis æternæ; quod tamen solis Angelis & hominibus conuenire fides docet.

C Ideò respondent Iansenius & Caietanus in cap: 24. Matth: *Stellæ de cælo cadent*: quia inquiunt retrahent lumen suum, & non videbuntur, ita vt videantur de cælo cecidisse, proinde cadent non à loco suo, sed à luce sua. Insuper Maldonatus censet, stellas propriè dictas in fine mundi de cœlo casuras. Verùm id rationi manifestè repugnat, cùm in his sublunaribus nullus locus vel vnius stellæ recipiendæ capax inueniatur. Si enim loquamur de stellis erraticis, D hoc est planetis, qui præter motum suæ principalis Sphæræ, alium proprium sibi vendicant, & ideò nunc magis, nunc minus distant à terra. Tunc inprimis Saturnus est maior terrâ vicibus 91. ½. Iupiter vicibus 95. ½. Mars vicibus 1. ½. Sol vicibus 166. ½. proinde nullus illorum a globo terrestri capi posset. Quod si de stellis fixis, quæ non mouentur nisi ad motum sui orbis, cui insunt, loqui velimus, quarum aliæ sunt primæ magnitudinis, quæ alias superant magnitudine & luce, numeranturq; 15. harum

Matth. 24 Iansenius. Caietan.

Maldonat.

Planetæ superiores quãta magnitudine terram superent.

Stellarum 1mæ 2dæ 3tiæ, 4tæ, 5tæ, 6tæ, magnitudinis, numerus & magnitudo.

rum quælibet eſt maior terrâ vicibus 107 ½. Aliæ ſecundæ magnitudinis, quæ ſunt numero 45. & harum quælibet eſt maior terrâ vicibus 90 ½. Aliæ tertiæ magnitudinis numero 208. & harum quælibet eſt maior terrâ vicibus 22 ½. Aliæ quartæ magnitudinis numero 474. & harum quælibet eſt maior terrâ vicibus 54. ½. Aliæ quintæ magnitudinis numero 217. & harum quælibet eſt maior terrâ vicibus 36 ½. Aliæ demùm Sextæ magnitudinis, & harum quælibet eſt maior terrâ vicibus 18 ½. Ergo manifeſtum eſt ſtellas firmamenti viſibiles, quæ omnes ſunt 1022. propriè in fine mundi non caſuras de cœlo, cum ne vlla earum à terra capi poſſit. Hac ratione victus Ribera, & Pererius, per ſtellas in hodierno Euangelio intelligunt cometas, fulgura, ignes cadentes, aliaq; meteora ignea inſtar ſtellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eaque nouæ & prodigioſæ magnitudinis, formæ, figuræ, motus, & lapſus. Deus enim illa, quaſi terribilia fulgetra, & tonitrua, iaculabitur, & deturbabit in terram, vt homines terrefaciat.

Stellæ firmamenti viſibiles ſũt 1022.

Sol, luna & ſtellæ tribus de cauſis creata.

Et quoniam ſol, luna, & ſtellæ tribus potiſſimùm de cauſis à Deo creata ſunt. Inprimis ad noſtram vtilitatem, vt nobis ſuo motu & lumine deſeruiant, ad omnes noſtras actiones, ſiquidem ceſſante motu cœli & aſtrorum, ceſſarent confeſtim omnes motus ſublunarium, & omnis actio per quam tranſmutatur materia, & ad quam ſequitur generatio & corruptio. Omnia quippè agentia ſublunaria purè corporea, ſubduntur cœlo in ſuis actionibus, & motibus, dependentq; per ſe ac iuxta ordinarium naturæ curſum ab eo, tanquàm agentia particularia corporea, ab agente vniuerſali corporeo. Ceſſante autem cauſâ vniuerſali, ceſſant particulares, quæ ab ea in agendo dependent. Deinde, quia ſol, luna, & alia aſtra influunt in hæc ſublunaria per lumen: vnde ſol ſuis radijs plantas alit, àërem illuſtrat, terram fouet. Hinc Ariſtoteles 1. de gener: ani-

Corpora ſublunaria in ſuo motu & actione à cœlo dependẽt.

A malium cap: 2. terram quaſi matrem ſtatuit rerum, cœlos verò, Solem, & alia aſtra nomine genitoris ac patris appellat. Idq; ex eo quia lux ſolis cauſat calorem, quo mediante terra germinat, arbores fructificant, vnde iuxta acceſſum & receſſum ſolis, cauſantur quatuor temporum ſtationes. Secundò, creauit Deus ſolem, lunam, & ſtellas ad ſeruandum debitum ordinem in communicatione luminis, vt ſcilicet ſol in die, luna in nocte lumen ſuum mundo lar- B giantur, iuxta præſcriptum ipſiuſmet Dei. Geneſ: 1. *Fiant luminaria in firmamento, & diuidant diem ac noctem.* Vbi ipſimet ſoli, licet eo fine producto, vt parens totius lucis eſſet, modus tamen lucendi ſingillatim eſt appoſitus, ne fines ſuos egreſſus, in alterius ditionem ſeſe intromitteret, dicente vate Pſalmo 18, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* In Hebræo legitur: *Soli poſuit tabernaculum ſuum.* Quæ verba iuxta mentem Agellij, & aliorum, eum ſenſum habent, ſo- C li à Deo tegmen noctis intra quod ſe abſcondat, aſſignatum eſſe, vt ſuus etiam lucendi ſplendor lunæ deferatur. Si ergo primario luminari, & qui lucis fons eſt, definitè interdicitur, ne lunæ regno, ſiue Sphæræ præiudicet. Quantò fortiori iure à ratione erit alienum, lunam in ſolem leges ferre, eiuſq; dominium & regimen ſibi vſurpare. Quod tamen his temporibus paſſim euenit, dùm mulier in ius mariti inuolat, & mulier caput viri eſſe vult, dùm ſæcu- D laris & prophanus Princeps, de fidei & religionis cauſa diſquirere, in ipſamq; Eccleſiam ac regale eius ſacerdotium, poteſtatem ſibi arrogare audet. Exiſtimans Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa; ad quod tamen reſpondet S. Ambr: epiſt: 33. *Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, ſed ſi vis diuinitùs imperare, eſto Deo ſubditus. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſia, publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.* Fecit

Genes. 1.

Pſalm. 18.

Vna res in alterius officium non debet ſe intrudere.

S. Ambr.

A cit quippè Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti. Quid autem hæc ſibi velint, audiamus S. Aelredo Serm. 10. vbi dicit: *Sunt & in ſancta Eccleſia firmamento à Domino creata duo magna luminaria, ſacerdotium, & regnum; Rex, & Epiſcopus Princeps & Clericus: dies ſpiritualia, nox ſignificat ſæcularia. Itaq; luminare maius ſacerdotium, vt præſit diei, id eſt ſpiritualibus; luminare minus regnum, vt præſit nocti, id eſt ſæcularibus.* B Hinc illud facilè quiuis inferet, prorsùs contra rationem, rerumq; naturam eſſe, vt luna diei; nocti verò ſol præſit, vt doctè pergit citatus Aelredo. *Contra naturam proinde eſt, ſi ſol nocti, ſi præſit luna diei, ſi princeps ad ſpiritualia, Sacramenta conficienda ſe inferat, ſi Sacerdos ſæcularium negotiorum tenebris conſcientiæ ſuæ Serenum obnubilet.* Vnde ſic pulchrè ſtatim exclamat: *O quam benè conueniebant hæc duo luminaria! quàm ſplendidè ex hoc ſpirituali firmamento lucebant? quàm optimè inter dies, & menſes, & tempora, & an-* C *nos diſtinguebant! Rex ſcilicet & Sacerdos, in ſuis ſe gradibus continentes.* Ergo ſi in ſuis gradibus ſe non contineant, & proprium deſerant ordinem, non lucere, ſed tenebras offundere, hoc eſt, non virtutem iuſtitiæ, & zelum ſecundùm ſcientiam habere, ſed in ipſam iuſtitiam peccare videbuntur.

S. Aelredo

Idem qui ſupra.

Tertiò tandem, creauit Solem, lunam, & ſtellas, inquit Moyſes Gen. 1. vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: hoc eſt, vt ab ipſis omne D deuoluatur tempus, eiuſq; ſpatia numerentur, & res euenturæ magni momenti cognoſcantur. Maximè tamen Deus per ſigna in ſole facta, ſtupenda, quæ euenire vult indicare ſolet. Sic ægrotante Ezechia Rege, ſol per decem gradus retroceſſerat 4. Reg. 20. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſquè ad mortem.* Percontemini, quibus diebus ægrotauit Ezechias, & videbitis quia tunc, quando incruenta victoriâ de hoſtibus ſuis triumphauit, quando centum &

Signa in ſole facta res ſtupendas portẽdunt.

A octoginta millia Aſſyriorum interfecta vidit propè muros Ieroſolymæ, tunc ſimul lethali ægritudine correptus eſt. Et cur obſecro clementiſſimus Deus, qui tàm ingentis victoriæ gloriam Regi Ezechiæ præbuit, ſimul & morbum lethalem intulit? nimirùm, quia nouit optimè Deus, quàm lethalior ſit temporalis felicitas in animo mortalium, & quàm eos faciat poſt vana ire, ideoq; ægritudinis frenum temporali gloriæ adhibuit. Sic cenſet D. B Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 283. *Quo tempore Ezechias trophæum aduerſus Perſas, tum omni admiratione maius, tum humano robore atq; humana ſpe ſublimius excitatum vidit; tunc nimirum morbo percuſſus eſt; quò animæ ſaltus freno compreſſi, non eum, vt extra decorum proſiliret, adigerent, victoriæq; materiam arrogantiæ bellum exciperet.* Cauit igitur Deus felicitatum impetum in Ezechia, qui vt plurimùm ſolet rapidiſſimè ferre mortalium animos in vana, & omnimodam obli- C uionem manus diuinæ. Rarum enim eſt, & magnæ virtutis indicium, quòd quiſpiam inter felicitates temporales Deum meminerit.

S. Iſidor.

Ægrotauit itaq; Ezechias vſq; ad mortem, cum hoſtium exercitus iacere videret: & meritò; quia tantum facinus ſibi attribuebat, vt docet Rabanus in hunc locum. *Eò quidem ait tempore mori merebatur, quia elatus Domino gratias pro inopinata victoria non reddidit; ſcilicet, quia iuſtitiæ & meritis deputauit.* Solent enim hoc homi- D nes facere, cùm valent, vt robori & virtuti ſuæ attribuant præclara geſta, ſed vbi ad infirmitatem, & ægritudinem, eorum ventum fuerit, tunc primùm oculi eorum aperiuntur, Infirmitas quippè in eam nos ſapientiam ducit, vt agnoſcamus nihil niſi à Deo exire poſſe, Efferebatur quondam ſupra humanæ conditionis ſortem Nabuchodonoſor. Daniel. 4. inquiens: *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Sed mox de regno eiectus,

Rabanus.

Daniel. 4.

& coactus

& coactus cum feris ambulare, victitare herbis, in quo miser septennium consumpsit, didicit, quomodò se homo coram Deo humiliare debeat, teste sacra pagina.

Ibidem.

Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sæcula laudaui. Quod Sapienter Theodoretus in persona eius his verbis exponit ·

Theodor.

Ille ego qui tanta olim arrogantia dixeram: Quis est Deus, qui eruat vos de manu mea? Qui somniaueram fore, vt in cœlum ascenderem, & super astra ponerem thronum meum: experientia doctus didici, quid deceat, meam seruitutem agnoui, idcirco oculos meos in cœlos sustuli. Docent proinde infirma humanas mentes, quòd non sit hominis, sed Dei, quòd magna in lucem procedant. Quod respiciens Dauid Psalm. 118. dicebat;

Psal. 118.

Bonum mihi quia humiliasti me. Et vnde obsecro humiliatio in bonum cedit? nisi quia nos perducit ad bonorum authorem Deum, teste S. Gregor, Nazianz. orat: 7.

S. Gregor, Nazianz.

Prudenter inquit *illi faciunt, qui calamitatibus erudiuntur.* Sic planè Ezechias infirmitate pressus, & ex ore prophetæ mortem sibi imminere audiens: *Orauit Dominum, & fleuit fletu magno*: moxq; sanitatem sibi promissam, & quindecem annos vitæ suæ addendos audiuit: *Die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecem annos.*

Imò quod magis mirandum, ne dubius promissi hæreret Ezechias, in salutis signum, solis cursus eius optioni relinquitur.

4. Reg. 20.

Vis vt ascendat vmbra 10. lineis, an vt reuertatur totidem gradibus. Quid verò ille maluit prudentissimus Rex, & verum solidè pœnitentium exemplar, diem occasu non intercipi, sed ad orientem redire, omnemq; admissam vmbram deterere. Neq; ait hoc volo, vt fiat, scilicet vt ascendat vmbra, sed vt reuertatur retrorsum 10. gradibus, voluit proinde, vt longior esset dies, vt lucis beneficium conferret mundo, non auferret; hinc rectissimè suam salutem augmentans, & dies suos Deum augmentaturum sperans. Quod pulchrè elucidat Nazianz. Orat: in funere patris: Deus inquit simul Regem gratia, & miraculo ornat, & diei augmento, dierum augmentum confirmat. Egregiè sanè: quia augmentaturus dies Regi erat Deus, ideò inconsonũ videbatur, vt Rex ab eo non diei suis augmentum exposceret, sed breuitatem. Ergo dum multiplicationem ipse appeteret suorum dierum, à Deo exposcebat simul etiam suis, intendebatq; omen suæ vitæ, beneficium ac gratiam esse in subditos. Vt hinc addiscant Reges, se tunc longissimè victuros, quando præbent, non quando auferunt; & tunc celeriter defecturos, quando potentiâ suos opprimunt, non secus ac miseri illi Ægyptij, qui dum persuasum haberent, se potentia opprimere posse pauperes, ipsi oppressi in tenebras inciderunt horrendas. Signum itaque illud retrocedentis solis per decem gradus, fuit euidens indicium felicitatis, & vitæ prolongandæ Regi Ezechiæ.

Alterum signum in sole apparuit pugnante Iosue contra Gabaonitas, quando sol & luna steterunt, donec totum illud cruentum prælium finiretur: *Steteruntq; sol & luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Iosue 10. Obstupescite: Sciebat optimè vir iste sapientissimus, magnus magni discipulus Moysis ratam hanc & constantem, diuinæ in Orbe toto administrando prouidentiæ legem, vt noctes & dies, sine vlla prorsus interruptione, sol & luna mundi plagas omnes assiduis volutationibus percurrerent, quomodò ergo petere contrarium ausus est? Cùm inprimis, si cœli, adeoq; sol & luna, secundùm Aristotelis sententiam considerentur, nullo naturali modo in ijs possit esse quies & statio. Hinc lib. 9. Metaph. cap. 4. tex: 17. dixit: pertimescendum haud esse, ne cœlestia corpora stent, cuius rei hanc causam assignat, quia illis non inest potentia contradictionis, vt videlicet moueantur, aut

non moueantur. Si considerentur ex parte motricium intelligentiarum, hoc est bonorum Angelorum, quibus munus à Deo est hoc commissum, vt cœlos & astra moueant; hi licet suaptè vi ac libertate à motu cœlorum causando desistere possent, nihilominùs qua sancti & beati iam sunt, nullo modo nisi iubente Deo id facere possunt. Quia Dei voluntatem & præcepta transgredi, suamq; ipsorum felicitatem amittere nequeunt, quod vtrumquè accideret, si demandatum sibi opus negligerent. Quod si demùm considerentur, ex parte potestatum àërearum, hoc est malorum Angelorum, quorum operâ multa interdum stupenda in hoc orbe sublunari fieri solent. Quam ob causam Lactantius lib. 7. cap. 17. Antichristo (qui operâ dæmonum miracula patrabit) vim sistendi solis tribuere videtur verbis his: *Iubebit ignem descendere de cœlo, & solem à suis cursibus stare.* Hinc Magi, incantatores, & sagæ, gloriari solent, quasi possint solem, & lunam, aliosq; mundi oculos, ac cœlestia corpora omnia retroagere, sistere, & impellere, quò velint, prout de quadam saga canit Tibullus lib. 1. eleg:

Hunc ego de cœlo ducentem sidera vidi
Fulminis hæc rapidi, carmine findit iter.

Et Petronius Arbiter cum variè portentosè gloriantem sagam introduxisset. hæc ei tandem tribuit.

Quid leuiora loquor? lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis: trepidusq; furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.

Verùm, nihil horum possunt infelices illi spiritus: falsa de his, nimiumq; pòëtica fama est: inanis & mendax magorum, sagarumq; tanta iactantia. Deniq; ipsius Antichristi prodigia omnia fucata, veriq; omnis expertia erunt, vt testatur Apostolus 2. Thess: 2.

2. ad Thessalon. 2.

Cuius inquit *est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus: & in omni seductione ijs, qui pereunt.*

Dæmon motũ cœlorum sistere non potest.

Cur autem dæmon non possit solis, lunæ, & stellarum inhibere cursus, licet ei de potestate & robore nihil detractũ sit, duas rationes assignant Doctores. Primò, quia ob peccatum, suppliciumquè, quod eis inflictum est, scelerati omnes bonis Angelis, omnibus & singulis, qui mouendis cœlis præsunt, licet viribus sint pares, & aliqui superiores, subiecti sunt, ita vt praua quidem voluntate illis reniti; re autẽ ipsa & efficaciter in rebus, quæ à libero cuiusquam arbitrio non pendent, & quæ contra communem naturæ cursum, non sunt, ne quidquam valeant. Secundò, quia rati cœlestium rerum ordines, ac motus, à diuina prouidentia constituti, & præfixi sunt, vt contra eos nulla vllius creaturæ vis, quicquam possit, nec eos immutare, nec impedire. Neq; etiam decet, vt dæmones ea in domo ac regione, vnde facinorum suorum causa, exturbati sunt, quidquam ampliùs possint. Quomodò igitur Iosue, vt rem tàm inusitatam, tàm orbi totius ordini repugnantem à Deo postularet, suum in animum induxit? Cæterùm vt video, rectè ista imperauit Iosue cœli sideribus, rectè ea postulauit à Domino Deo. Sciebat enim Deum, qui leges mundi gubernationis posuisset, posse præter & super eas aliquid facere: neq; vllam sibi ipsi hosce nunquam soluendi, & laxandi necessitatem imposuisse. Viderat tot & tanta in Ægypto, in quadragintannali per vastas solitudines itinere, in diffisso Iordanis amnis fluxu, in Hierichuntinorum, moenium deiectu, prodigia: totq; alia, & tam supra naturam posita, legendo & audiendo cognouerat. Dei omnipotentiam ita solidè, planeque à lege, & à Moyse didicerat: eam huius diuinæ omnipotentiæ omnibus demonstrandæ occasionem, eum summæ Domini gloriæ illustrandæ articulum, eam sternendorum hostium, populiq; Israëlitici saluandi, iuuandi, & amplificandi opportunitatem esse perspiciebat tunc, vt in eiusmodi preces, adeoq; inusitatum imperium prudentissimè & zelosissimè proruperit. Quippè hanc miraculorum fidem in rebus arduis, & à communi naturæ vsu remotis, ap-

Matth. 17

probat Redemptor noſter, Matt. 17. *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Sic Elias, ſic Moyſes, ſic Gregorius Thaumaturgus, ſic S. Martinus, S. Bernardus, & alij, qui miraculis clari fuerunt, fecère. Vnde dicit S. Hieron: in cap. 28. Iſaiæ. *Fiduciâ habitantis in ſe Dei, locutus eſt Ieſus, ſtet ſol. Et S. Ambr: lib. 1. offic. c. 40. Ieſus* inquit *Naue, cùm aduerſùm Gabaonitas ſurgeret prælium, & vereretur, ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis, & fidei clamauit, ſtet Sol, & ſtetit, dùm hæc victoria conſummaretur.*

S. Hieron.

S. Ambr.

Tertium ſignum in ſole apparuit, moriēte Chriſto in cruce ſancta, Marci 15. *Et factâ horâ ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram vſq; in horam nonam.* Quartum deniq; ſignum in ſole futurum eſt, circa conſummationem ſæculi, cuius mentionem facit, hodiernum Euangelium: *Erunt ſigna in Sole, & luna, & ſtellis.* Porrò hæc ſigna inchoabuntur, ante aduentum Antichriſti, perficientur verò & complebuntur poſt Antichriſtum; ita vt quædam ex ijs fiant ante, quædam, & quidem plura ac maiora poſt Antichriſtum. Cùm enim illa totius mundi deſolatio, & excidium futurum ſit vltimum, & maximum, idcirco Deus eminùs per plures annos antequàm accidat, idipſum comminari, & plagas ei præuias orbi immittere incipiet. Quemadmodùm fecit in excidio Hieroſolymæ, & aliarum vrbium, ac regnorum. Iudæos enim impios per Iſaiam, Oſee, Iòëlem, imò per Eliam, Eliſeum, alioſq; Prophetas per centum annos admonuit, & præmonuit de futuro excidio per Chaldæos, vt ab impietate ſua reſipiſcerent, ſicq; excidium euaderent. Idem fecit in diluuio: iuſſit enim Nòë anno quingenteſimo ætatis ſuæ fabricare arcam, vt per eam inſtans diluuium hominibus prænuntiaret, & comminaretur, cùm diluuium non niſi poſt centum annos elapſos induxerit, nimirùm anno ſexcenteſimo Nòë, tàm diuturnum tempus mundo concedens ad pœnitendum. Quidni idem, aut ſimile faciat in vltimo orbis excidio? cùm non aquæ, ſed ignis diluuio totus obruetur, & conflagrabit. Itaque ante Antichriſtum inundabit in orbe impietas, & impij, quibus Deus minabitur excidium, ideoq; ſigna hæc illi præuia, plagaſq; eius prænuntias immittere incipiet, puta inſolitos terræ motus, maris fremitus & exundationes, fulgetra, tonitrua, eclipſes, obſcurationes ſolis, lunæ, & ſtellarum, vt cœlum, terra, mare, & aër, in impios fremere, eiſq; necem & interitum minari videantur. Ex quibus conſequentur fames, peſtilentiæ, & bella, quæ Chriſtus tunc fore prædixit. Verùm quia illa contemnent impij, ideò Deus plagas plagis addet. Superueniet Antichriſtus, qui erit dux & anteſignanus impietatis, proinde Deus acriora in eum, & impios eius aſſeclas, ſupplicia è cœlo vibrabit, adigens eos in tartara. Inde cæteris impijs, & toti orbi indignabitur, eique mala extrema, ac inter alia Solis, lunæ, & ſtellarum, plenam obſcuritatem inducet; ac tandem diem vltimum mundo afferet per ignem conflagrationis.

Marci 15.

Lucæ 21.

Iudæi per 100 annos de futuro excidio Hieroſolymitano præmonebantur.

Signa ante Antichriſtum quæ præcedent.

Habetis itaq; futura ſigna, quæ vltimam mundi deſolationem antecedent, eaq; non apparenter, ſed verè in Sole, lunâ, & ſtellis, fieri videbuntur, quæ nobis horrendum illud mundi excidium portendunt, vt ſaltim his territi portentis ad pœnitentiam feſtinemus. Si enim poſt homicidium confectum, iuſſus eſt Ioab à Rege Dauide lugere defunctum, & funebri apparatu comitari ſepeliendum, 2. Reg. 3. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner.* Fururæ eæq; ſummæ lamentabiles totius mundi exequiæ, nobis in hodierno Euangelio proponuntur, vt præueniendo triſtem illam ſepulturam, dùm adhuc tempus nobis ſupereſt, Deo offenſo tempeſtiuè curemus reconciliari, ne nos inſperata dies præueniat, Amen.

2. Reg. 3.

EODEM

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis, *Lucæ 21.*

In extremo iudicio pugnabunt omnes creaturæ pro honore Dei contra impios, vbi quadruplex armorum genus proponitur ad reſiſtendum iræ Dei.

MVtatur orbis, & nouas in dies repetit portentorum geneſes, atq; inauditas & dictu horrendas induit metamorphoſes, Auditores, Nō iam poſt tribulationem oritur conſolatio, poſt luctum lætitia, poſt dolorem gaudium: ſed inuerſo quodam modò, mærorem inſequitur mæror, calamitatem calamitas, & maximo periculo extrema ſuperimponitur conturbatio. Nondùm enim abominationem deſolationis in hàc eleganti ſtructura vniuerſi, atque omnibus ſub ſole viuentibus futuram, quàm nuper auribus noſtris intonabat Euangelicus præco, ſatis defleuimus; & iam iterum claſſicum canunt cæli, atque mutuis ſe ſe terra cum aſtris, animalia cum elementis congreſſibus cupiunt adoriri. *Erunt* inquit *Euangelium ſigna in Sole, luna & ſtellis.* Signa inquam non clementiæ, ſed iræ Domini; non amicitiæ, ſed odij; non gratiæ, ſed indignationis; non beneficentiæ, ſed furoris: non pacis deniq; ſed belli. Obtegetur ſol clypeo Martis, vt non radios, lucis, ſed mortis ſagittas per totum àëra iaculetur. Aſſumet luna ſanguineæ bellonæ togam, vt non iam ſerenet terram, ſed cædibus repleat. & ſtellæ in ordine & curſu ſuo veluti caſtrorum acies benè diſpoſitæ pugnabunt aduerſùs hæc inferiora. Necdùm ſatis; verùm & in terris bellorum plena erunt omnia: intumeſcet mare vltra nubes, vt ſuis fluctibus omnem obruat animam viuentem; deſcendet ignis è ſubconcauo lunæ, & comburet ſyluas, nemora, atq; hortos amæniſſimos; rupes & ſaxa mutuis inſultibus allidentur, & in minutiſſimas atomos ſe ſe conterent. Et vt verbo omnia complectar. *Conturbatio ſuper conturbationem veniet.* Ezech. 7. ſeu vt *Septuaginta vertunt*, apud Hieronymum. *Væ ſuper væ erit.* At qrorſum hæc? me miſerum, in vnius peccatoris interitum. Ne quiſpiam impiorum putet, culpas ſuas temporarijs tantummodo ſupplicijs, in hac vita puniendas; ſed æternis quoq; ignibus, in futuro Dei iudicio adiudicandas. Vnde meritò iam omnes ad horum ſignorum auditionem iubemur vlulare, ad ſupremum iudicem addicendi Hieremiæ 25. *Vlulate paſtores* inquit *Propheta, & clamate, & aſpergite vos cinere optimates gregis, quia completi ſunt dies veſtri, vt interficiamini, & deſſipationes veſtræ, vt cadatis quaſi vaſa pretioſa.* O quantus tunc erit tremor? quæ caligo? quæ tenebræ? crimino ſos obruent: quandò tuba Angeli ad pugnandum pro Domino totum orbem commouebit, quandò omnia terroris plena erunt, quæ antea pietatis diuinæ ſigna fuerunt, non ſe tunc offèret arbor, ſub cuius frondibus ſe homo peccator abſcondat, ſicut olim nudus Adam in paradiſo: non patebunt vlla folia aut perizomata, quibus ſe impius ſecurè obtegere poſſit, quia dies talis adueniet, quo ſe cuiuſq; conſcientia prodet, & Deus omnia abſcondita reuelabit. Ad pugnam igitur totus concitabitur orbis, vt pugnet pro Domino contra inſenſatos; ad pugnam deſcendet ipſe Chriſtus, vt regnum ſuum æterna pace & tranquillitate ſtabiliat, reos iudicet; rebelles verò ac impios, trucidatos & captiuos ad inferos deducat Et nos quid? ſi cùm cœlo & terra bellare voluerimus, mors certiſſima: tantæ enim potentiæ quæ mortalium fragilitas reſiſtere poterit? ſi fugam meditabimur, æternum dedecus: quia in Chriſti militiam adſcripti ſumus omnes, ex qua ſemel profugus æternum infamis habetur. Verùm quia melius eſt incidere in creaturarum tormenta; quam in Dei iram. Sub his ſignis

Lucæ 21.

Ezech. 7.

Hierē. 25.

gnis in Sole, & luna, & ſtellis, vincendum nobis aut moriendum erit. Itaq; conſiderabimus quæ origo horrendæ iſtius omnium creaturarum aduersùs hominem pugnæ, quis finis, & quibus armis aduersùs iram Dei pugnandum nobis erit.

Bellorum quæ cauſa.

Bellorum omnium atq; diſſenſionum, ab orbe ſtatim condito cauſam extitiſſe MEVM & TVVM, nemo eſt qui dubitet. meum & tuum in ius citauit homines, & regna ad gladios compulit. Nam ſic propria cuiq; bona chara ſunt, vt pro illis defendendis ſanguinem fundere, & mortem ipſam oppetere nihili ducat. Hinc quamdiu ſua contenti ſorte viuerent homines, nec cædes, nec rixæ, nec vllæ hoſtium coniurationes audiebantur. Sed poſtquam inſatiabilis habendi cupiditas, amplas quærere poſſeſſiones cæpit: ſtatim etiam ferrum in mucrones; chlamydem in arma; duriora fuſilia metalla, in tormenta, in officina vulcani cudere cæpit: vt proindè propter miſera hæc inuenta, mortalium genus nuſquam ſecurum eſſe poſſit. Sed & magnarum poſſeſſionum Domini noctes inſomnes ducere debent, aut ad furtiuos hoſtium inſultus, aut ad clandeſtinos furum aduentus excubando, ne MEVM & TVVM in direptionem veniat. Si igitur mortalium contentio fit de meo & tuo, quid putamus? nonne & ipſum præpotentem Deum, MEVM & TVVM in pugnam aduersùs creaturam rationalem euocabit! Si quod Dei erat non appetijſſet reſolutus ille draco infernalis, ſed contentus eſſet ſumma illa ſuæ creationis felicitate, nunquam Duce Archangelo clamante. *Quis vt Deus*. Conflictus ille Angelorum fieret in cœlo, vbi turpiter victus rebellis Luciper, cum omnibus ſuis adhærentibus in Plutonis fumans antrum præcipitatus corruit. Si ingratus homo, inter paradiſi delicias conſtitutus, temerè DEI mandata tranſgrediens, ſuperbè ſibi non arrogaſſet indebitam boni & mali ſcientiam, Deus in ſciendo eſſe volens nuſquam dolenda maledictionis diuinæ, & peccati clades genus humanum occuparet. Sed quia nondum his malis cautum virus malitiæ humanæ quieſcit, verùm ruimus quotidié miſeri in vetita, & antiquis ſceleribus noua accumulamus crimina: idcircò in pugnam concitamus Deum, vt de MÆO & Tuo nobiſcum certet; hoc eſt vt de honore ſuo agat, & crimen læſæ maieſtatis ſuæ vindicet; Quid enim eſt MEVM Dei, niſi honor & gloria, quæ illi ab vniuerſa creatura debetur, quam ſi Deo negas, grauiter delinquis, & ad ſeueram Altiſſimum indignationem prouocas: Quid eſt TVVM miſer homo cum & ipſe totus, & tua omnia ſint Dei bona, ſola certè voluntas libera, quam ita propriam Deus eſſe tibi voluit, vt licet poſſit, cum ſit omnipotens, nuſquam tamen illam lædere vult, vt aut te ad bonum adigat, aut a malo violenter retrahat. Sed quoties hoc talento libertatis abuteris in malum, & tuam ipſius voluntatem liberam peccati iugo premis, etiam de hoc tuo tecum Deus, pugnare debet, vt quoniam libertate tibi conceſsa ingratus eras, te in æterna ſeruitute captiuum cruciet.

Hanc certè Dei aduersùs impios pugnam inculcat nobis ſcriptura. Num. 10. *Dominum* inquit *formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cælis tonabit*. Et qui ſunt iſti aduerſarij Domini? Iudæi inquit D. Gregorius, qui in illo tremendo & extremo omnium creaturarum bello, præcipua quadam ratione terrebuntur ab eo ipſo, quem ad mortem temporariam iudicarunt ad æternam mox ab eodem iudicandi: ſed iſtine tantùm ſunt *aduerſarij* Dei? minimè: Nam verba hæc *aduerſarij*, Pagninus ex Hebræo tranſfert, *rixantes eius*, hoc eſt peccatores omnes, qui perpetuò ſuis malefactis cum Deo litigant, contendunt, & rixantur; & quidem tàm improbè, importuné, & contumaciter, vt non tàm rixantes; quàm ipſæ rixæ eſſe videantur. Hi igitur Dominum formidabunt vt potè aduerſarij, non amici, ſerui, non filij; quia non amantem; ſed tonantem: non vocantem, ſed minantem exhorreſcent; Non tunc in fortitudine ſua roborabitur vir, quia tria illa humanæ præſumptionis & gloriationis fundamenta, ſcilicet; ſapientia, potentia, & opulentia eneruabuntur & ruent. 1. Corint. 1. *Perdā ſapientiam ſapientū, & prudentiam prudentiū reprobabo*. Multa ſæpè inflati vanâ ſapientiâ tùm aduersùs Deum, tùm aduersùs ſeruos eius moliuntur. Sed hæc ipſa eorum ſapientia, aut potiùs inſipientia vertitur in perniciem. Teſtis eſt huius veritatis Pharao Exodi 1. qui conſilium de infantibus Hebræorum demergendis prudentiſſimum eſſe ratus, ad regnum conſeruandum, tandem expertus eſt aptiſſimum fuiſſe ad perdendum, & inde ſuam irritam aſtutiam deprehendit, vnde præſumptam ſapientiam magnoperè valituram ſperauit. Nam quâ viâ curauit, vt Moyſes deijceretur in flumen; eadem effecit, vt admitteretur in palatium, & vbi Moyſi interitum machinatus, ibi auſpicatus eſt eius imperium. Teſtes & Iudæi, qui prudenter ſibi videbantur conſultare, de occidendo Chriſto, ne Romanis ſubijcerentur, & tamen eo ipſo quia occiderunt; in ſeruitutem omnium gentium diſperſi ſunt. Ioann. 11.

Num. 10.

S. Gregor.

Pagninus.

1. Cor. 1.

Exodi 1.

Ioann. 11.

Mirabile eſt, quare illa virga Moyſis proiecta in terram, coram Pharaone, verſa fuit in draconem, Ægyptios dracones deuorantem, Exod. 7 Cur potiùs non in baſiliſcum, aut ſcorpionem, aut alium quempiam venenoſum ſerpentem. Reſpondet Origines Homil. 4. ad eum locum, quia draco ille Moſaicus Chriſti crucem, dracones autem Ægyptij, profanam mundi ſapientiam repræſentabant. *Crux ergo Chriſti* inquit Origenes, *cuius prædicatio ſtultitia videbatur, poſtquàm in terram proiecta eſt, hoc eſt poſtquàm ad crudelitatem perſecutorum fidei venit, conuerſa eſt in ſapientiam, & quidem tantam, vt omnium Ægyptiorum, id eſt omnem iſtius mundi ſapientiam deuoraret*. Quia ergo mundi ſapientia ſtulta eſt, ideò corruet, cùm Dominus pugnabit contra impios; quia Crux Chriſti deuorabit eam.

Exodi 7.

Origenes. Moyſis virga cur in draconem verſa.

Corruet tunc potentia mundi, quia non erit tàm potens, qui DEO pugnanti reſiſtere valeat. Vbi ergo tunc erit potentia veſtra, potentes huius mundi? vbi erit veſtrum robur, oppreſſores pauperum: Cùm dicat Chaldæus. *Improbi transgreſſores ducti ſunt ingehennam, in tenebris iudicabuntur, ád oſtendendum, quòd non quiſquam, quid ſit in eo fortitudo puritatis ad diem iudicij*, Vbi ſignificat tantum fore diuini prælij rigorem, vt non ſolus impius; ſed etiam iuſtus quantumuis puritate emineat, impar futurus ſit ad reddendam rationem.

Chaldæus

Si enim Abimelech filius Gedeonis, qui Septuaginta fratres ſuos occiderat, vt ſuam potentiam oſtentaret Iudic. 9. pro tanto facinore, à viliſſima fæmina occiſus eſt, quæ illius infirmitatem teſtaretur. Quid vobiſcum fiet, qui ad oſtentandam veſtram potentiam, ſubditos ipſis canibus viliùs tractatis; hoc certè, quia vos ira Dei interficiet, vt veſtra infirmitas toti mundo pateat. Nam de vobis dicit S. Bonau. Serm. 2, de dedicatione Eccleſiæ. *Hi viri* inquit *interficientur in iudicio, & eorum colla à pauperibus conculcabuntur*. Sed & omnis mundi potentum opulentia peribit tunc, cùm Dominus ad expugandum mundum venerit. Quia quid aliud eſt diuitum gloria, vt loquitur D. Baſilius, *Niſi phantaſma quouis ſomno inanius, & ſplendorem habens nocturnis ſpectris vaniorem*. Nonne Ezechias, cùm ſuas opes venditauit, oſtentauitq; Babylonijs legatis, miſeram ſubijt omnium iacturam, 4. Regum 20. Nonne Nabuchodonoſor, cùm de opulentia regni ſui nimiùm inſoleſceret, illud meruit, vt non ſolùm regis purpurâ; ſed etiam hominis figurâ exueretur. Dan. 4. Nonne diues ille Euangelicus, cùm de horreis ſuis dilatandis cogitaret. adeò ſuâ ſpe falſus ac deluſus manſit, vt ſtatim ad ſepulchri anguſtias repoſceretur. Lucæ 12. quantò magis pugnante irâ Dei, aduersùs mundum, oberit vobis, ô potentes, veſtra ſuperbia, & diuitiarum iactantia. quando ſuper

Iudic. 9.

S. Bonau.

4. Reg. 20

Dániel. 4.

Lucæ 12.

do super vos de cælis tonabit Dominus fulminibus & tonitruis, iuxta illud Sapient. 5. *Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquàm à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.* Imò vt docet Author imperfectus in Matth. Hom. 44. Ante ipsum pro candelabris fulgura viua præcedent, & pro tubis horrenda tonitrua.

Nam quemadmodùm primus Christi Domini aduentus fuit, cùm quietum silentium tenerent omnia : Sic secundus eius aduentus erit, quandò commouebuntur omnia. *Deus manifestè veniet, & non silebit.* Psalm. 49. In primo aduentu sine strepitu descendit Dei filius. Psalm. 71. *Sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Psalm. 71. in secundò autem cum magno fragore veniet. Psal. 49. *Quia ignis in conspetu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Psalm. 49. In primo aduentu in sibilo auræ tenuis in terras venit, in secundò in turbine & in lapide grandinis procedet. Isaiæ 30. Isaiæ 30. In primo aduentu vagijt infans in præsepio, in secundo tonabit de cælo. quia ibi aduentus erat pacis: hic belli futurus est ; ibi venerat Deus, vt saluum faceret, quod perierat ; hic veniet, vt perdat, quod inuenerat.

Tonitrua ante mundi iudiciũ cur fient.

Sed quorsum tonitrua faciem eius præcedent? Duplicem video ob causam. Primò, ad terrendos peccatores, qui aliquandò mansuetissimas DEI voces contempserunt. æquum enim est, vt qui Deum misericorditer vocantem non curabant, terribiliter tonantem formident : sciantq; in Deo non tantùm misericordiam esse ad condonandum, sed etiam iustitiam ad puniendum. Deinde, vt incautos homines non præcipitanter in gehennam, sed præmonitos ad pœnitentiam deducat, iuxta illud. Psal. 59. Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Et hæc certè est summa Dei erga homines clementia, quòd non subitus vltor insiliat, sed beneuolus monitor præcurrat. Dabit itaq; Dominus tonitrua, per A quæ possit mundus culpam suam agnoscere. Alij tamen vocem hanc *tonabit*, exponunt de tonitruis mysticis, *scilicet*, de accusationibus, & obiurgationibus, & exprobrationibus, quæ ab Apostolis & alijs iustis, imò etiam ab ipso Domino in reprobos egredientur, iuxta illud Psalm. 2. Psal. 2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Quid enim leuius ferent reprobi illas iustorum irrisiones & increpationes, quàm si obtundantur tonitruis, & fulminibus feriantur. B Cùm enim Martyres suis tortoribus obsistent ; cùm virgines suis insidiatoribus illudent ; cùm pauperes suis oppressoribus insurrexerint ; cùm innocẽtes suos calumniatores arguent; cùm mites suos aggressores contempserint, cùm humiles suos contemptores despexerint ; cùm simplices suis irrisoribus illuserint, cùm deniq; iusti omnes, peccatoribus omnibus exprobrauerint, & insultauerint, quid nisi tonare, & fulminare in eos videbuntur. De his potissimum fulminiC bus Greg. Rupertus, Angelom & alij Gregori. Rupertus. Angelom. locum hunc interpretantur. Tonabit itaque Dominus de cœlo, quia voce sua omnes peccatores terrefaciet. Quantò igitur terrore ac tremore impij formidabunt, quando his è Christo Domino tonitruis, & fulminibus quatientur.

Quando olim vidit Rex Baltasar vnam hominis manum, tria verba in pariete scribentem, haud dici potest quantoperè expalluit, & expauit. Daniel. 5. Daniel. 5. in quem locum Theodor. Sic D argumentatut. Theodor. *Si* inquit *digitorum scribentium species ita perterruit eum, qui maximum administrabat regnum, vt etiam articulorum compages præ metu dissoluerẽtur, & artus tremore occupati concuterentur.* Quid non sustinuisset Deo infestus, si præsteres, si phalaricas, si fulmina conspexisset ? aut Angelos toruè intuentes, & nouo figuræ habitu deterrentes, quorum conspectum ne magnus quidem Daniel absq; metu ferre potuit. Quid non sustinuisset, si non arguentes homines, si non accusantes Angelos, si non fulminantes

nantes cœlos, sed ipsum etiam Deum, mille fulmina iaculantem conspexisset ? Nonne & vos formidabitis Dominum, qui toties admoniti, necdùm tamen de pessimis sceleribus, aut expergefacti iam surgitis, aut ad terrorem imminentis prælij vultis euigilare ; sed scitote quia nulli ex hoc prælio fuga concedetur, quia & nos qui viuimus, rapiemur simul cum mortuis in àera obuiam Christo prælianti. Quòd si mitissimus olim Christus Iesus, quando prodijt suis aduersarijs obuiam, cum illa Ioann. 18. mansuetissima voce. *Ego sum.* Ioan. 18 & tamen ita perterruit armatos milites, vt omnes ad illius sonum, retrorsùm acti terræ allidercntur : quid faciet iudicaturus, qui iudicandus hoc fecit ? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit. Si illa vox mitissima: *Ego sum,* non minùs ; quàm tonitruum terrefecit, quid tandem illa Matth. 25. vox terribilissima. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matt. 25. terroris non incutiet : Sic argumenS. August. tatur August: tract: 212 in Ioann.

Et quis tandem finis erit horrendi istius prælij : quod vniuersæ creaturæ aduersus impium hominem, pro Dei honore suscipient. Innuit profectò illud, Euangelium sanctum, inquiens. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate* hic : ergò finis erit impiorum, qui suis sceleribus assiduò cum Deo litigant, aduentùs Christi : Notum est puto omnibus cruenta bella in Martijs campis, duobus tantùm modis dirimi, duellis scilicet & tractatibus ; & Deus pariter præpotens, turpitudinis prælia omnium delinquentium, sceleratissimis suis criminibus, veluti armis quibusdam, ad lædendam iterùm Christi maiestatem insurgentium, hoc duplici motiuo dirimet. duella primò imittet, vt omnia elementa mutuis se conflictibus interimant ; tandem ad tractatus cum resistente sibi homine descendet. At, quæ tunc pacis compositio, quæ fæderis incundæ conditiones ? Tremendum Catholici mei iu A dicium Dei, in quo neq; ignorantia iudicis, neque amicorum intercessio, neque testium defectus, impios consolari poterunt. Sed reuelabunt cœli iniquitatem eorum, & terra ipsa consurget aduersùs eos, Crucifixi liuores, notæ peccatorum nostrorum, & maculæ libidinũ proferentur. Hoc Dei iudicium inculcat nobis scriptura, Numer. 10. Num. 10. *Dominus* inquit *iudicabit fines terræ*, vt nihil impunitum, nihil irremuneratum à diuina iustitia relinquatur. Iudicabit itaq; Do B minus extrema terræ, id est ; extrema hominis opera, vt exponunt. Augustin. Rupertus. S. Isidorus. Angelom. Glossa. Augustinus, Rupertus, Angelom, Glossa & alij. Sed quid ? Solas ne extrema peccatorum actiones iudicaturus est Deus ? Absit, iudicabit quidem & omnia anteacta hominis opera, & illa in quibus tunc miser peccator fuerit deprehensus ; sola tamen extrema opera commemorat Scriptura sacra, ne aut iustus de prioribus bonis confidat, aut impius propter priora mala desperet, sed vterque extre C mum vitæ finem sollicitus attendat. Peccator quidem sperando meliora; iustus verò peiora formidando ; de quibus vterq; iudicabitur. Sic docet D. Gregor. in posteriori huius loci commentario. *Quia* inquit *fines terræ Dominus iudicabit, conuersus peccator priora sua media non expauescat : & iustus inchoatâ iustitiâ non præsumat.* Quærunt hic Doctores, ad quid tremendum illud, Dei iudicium futurum est, quoniam in fine mortalis huius vitæ, vnusquisq; iudicatur; iuxta illud Mat D thæi. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Verùm, quia iudicium illud in fine mortis est imperfectum & particulare, quia in illo vna tantùm pars hominis, scilicet ; anima iudicatur, corpus verò non, Anima peccatrix iudicata ad gehennæ carcerem rapitur, caro in terram absconditur, & velut vmbra fugit. idcircò congruum est diuinæ iustitiæ, vt in illo generali iudicio, corpus simul cum anima iudicetur, vt omnia eius scelera in occulto patrata pateant toti orbi :

quem-

quemadmodùm docet Apoſtolus. A
2. Cor. 5. 2. Corin: 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.* Patebunt tunc iuſtorum virtutes, patebunt & impiorum vitia ; Accipient boni condignam ſuorum meritorum remunerationem, accipient ſimul & iniqui iuſtam delictorum punitionem, vt di-
Iſaiæ 50. citur Iſaiæ 50. *Ambulate* inquit *in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis*, quaſi diceret Scriptura. Hunc æternum ignem, in quem ruitis ô miſeri præcipites, non Domini vobis ſeueritas parauit, ſed veſtra vobis improbitas ſuccendit. Veſtrum eſt hoc incendium, quod veſtra peccata nutriunt, ſemper vobis in pænam duraturum, quia nunquam peccata ſubtrahere voluiſtis.

Si igitur tam arctum erit illud Dei iudicium, vt ne minimum hominis opus infinitam iudicis ſapientiam latere poſſit. Si tam ſeuerum, vt non iam amplius Diuina miſericordia peccatoribus opitulari valeat ; ſi tam horrendum, vt Angeli ſancti, & Beati omnes, non leui timore concutiantur. Quò ſe tunc impij vertent, vbi ebrioſi, vbi maledicti ſe recognoſcent ? vbi amatores luxuriæ, vbi raptores, vbi ſuperbi, & inuidi apparebunt ? Quid infelices pro ſua defenſione dicturi ſunt, cum ad illam Archangeli tubam omni buccinâ clariorem, totus ſimul cœperit mugire
Iob. 14. orbis ? Si iuſtus Iob iudicium hoc cogitans loquebatur ad Deum. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei.* Iob. 14. Si inquam cogitans : preſſuræ magnitudinem, quæ in extremo iudicij die ſuperueniet orbi vniuerſo ; elegit potiùs in inferno abſcondi, quàm conſpectui irati iudicis præſentari, quaſi minus malum exiſtimaret horrorem inferni, quàm furorem Dei. Quid facient illi, qui ſola libidinum putredine ſcatent, quibus nulla iam pietas, nulla virtus, ſed effrænata viuendi licentia arridet. Quid Antichriſti præcurſores, qui veſtram potentiam hic in excoriandis planè ſubditis ſupra modum oſtentatis, qui in opprimendis pauperibus, in diripiendis Eccleſiæ bonis, in rapinis & prædationibus veſtram totam tranſigitis militiam ? Quid inquam facietis tunc, cùm horrendis peccatis obnoxij videbitis iam appropinquare iudicem iratum, & furore plenum. Quæ tunc veſtra erit expectatio ? quis vos locus excipiet ? quæ ſors mane-
B bit ? velletis puto, ſi Dominus de cœlo tonaret, & viuis fulminibus concuteret vos ; Eligeretis potiùs in inferno ſepeliri, donec pertranſiret ira Dei. Sed nequaquam : ſiſtendum vobis erit priùs in tribunali Chriſti, & ibi de ſingulis ſceleribus directè reſpondendum : vbi pro miſericordia, Diuina iuſtitia contra vos inſurget : pro pœnitentia, æterna pæna fulminabit : & vnicuique exprobrabit illam ſapientis ſententiam Prouerb. 22. Prou. 22.
Non facias violentiam pauperi quia pau-
C *per eſt, neq; conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Sed dicet aliquis, hoc tantùm ad terrorem dici, nam Deus vnumquemq; ab æterno prædeſtinauit ſaluandum, & vnumquemq; pariter reprobauit damnandum, vnde tantundem eſt, viuere prout cuique placet, quia Diuina prædeſtinatio, & reprobatio, non eſt mutabilis. proinde ſi prædeſtinatus es, cœlum te continget : ſi reprobatus, iam ab inferno non aberrabis.
D Verùm, infelix quiſquis hac opinione nititur. Nam diuina quidem prædeſtinatio mutari non poteſt, quia câuſam non habet niſi beneplacitum, quod cum ſit idem cum Deo mutationi obnoxium eſſe non poteſt ; cæterùm reprobatio, cùm habeat ſui cauſam, eamq; contingentem, ſcilicet iniquitatem ex libera hominis voluntate procedentem, de facto mutari poteſt, ſi & ipſa voluntas cùm ſit libera, mutet peccandi affectum. *Deus enim* inquit *Auguſt. no-* S. Auguſt.
uit mutare Sententiam, ſi tu noueris mu-
tare

tare propoſitum. Cuius manifeſtum allegat exemplum de quodam S. Patre, qui duos habebat diſcipulos, & ecce illi reuelatum erat alterum, quoad apparentiam meliorem, damnandum. Sed cognito hoc ille diſcipulus, humilians ſe coram Deo, & plorans dixit. *Placet mihi Domine quod & tibi, quoniam iuſtus es, & rectum iudicium tuum : hoc vnum tamen poſtulo, vt quoad mihi ſuperſtes vita fuerit, ſeruiam tibi Domine Deus meus.* Vbi quia voluntatem ſuam à peccato retraxit, & Devs pariter ſententiam reprobationis mutauit : quia illicò eidem Sancto Patri reuelatum erat, eundem diſcipulum, pro illa humiliatione iterùm fore ſaluandum. Licet igitur principem ſuperbiæ Luciferum Deus ab æterno reprobauit, licet Caimum ab æterno abiecit, licet miſerum Eſau ab æterno contempſit, òbduratum Pharaonem deſpexit, perfidum Iudam deſeruit ; hoc tamen fecit propter grauiſſima ſcelera præuiſa, & futurum cor eorum impænitens, quibus tamen nunquàm veniam negaſſet, ſi pænitentiam egiſſent. Proinde & vos ô ſuperbi, auari, luxurioſi, vitijs omnibus & libidinibus dediti, ne propter veſtra enormia ſcelera, diuina reprobatio in vos cadat, fugite peccata, excludite omnem malitiam, & ſi prædeſtinati non eſtis, curate, vt prædeſtinemini, pænitentiam ante tempus agendo. Itaq; licet adeo tremendum vniuerſo mundo imminet iudicium Dei, nemo tamen deſperet, ne in illo tremendo tribunali, vbi iuſtus vix erit ſecurus, æterno lapſu cadat. Sed ſtandum eſt fortiter nobis omnibus in acie, & ſtrenuè pugnandum cum ira Dei, quadruplici potiſſimùm armorum genere ; Primò Prudentia : hæc enim eſt regina virtutum omnium, quæ non tantùm actiones humanas vt lux ad beatitudinem dirigit & illuminat, ſed etiam vt fulcrum quoddam aut columna, omnem perfectionis ſtructuram, ne ruat, in homine ſuſtentat ; Nam vt
Ariſtoteles optimè docet Ariſtoteles 2. Magnorum Moralium, *Nullam virtutem repe-*
A *riri ſine prudentia, ſed vnamquamq; ſine illa in vitium degenerare.* Sic planè Chriſtó Domino nihil in homine placere poteſt ſine prudentia. Quid enim excellentius eſſe poteſt, atque Angelis, & ipſi Deo propinquius, caſtitate ? & tamen & hæc reprehenditur à Chriſto in virginibus fatuis, propterea ſolùm quia non fuit decorata prudentiâ ? Quid præſtantius obedientiâ ? Et hæc tamen non ita placuit Deo in Abraham, quàm prudentia illa ſumma, quòd de nocte ad immo-
B landum Deo Iſaac iuerit, licet illi hoc Deus non præceperat, ne ſcilicet cum Sara planctu & lacrymis in ſacrificando impediret. Quid illuſtrius pietate, ad quam ſolam pertinet ſacrificare Deo ? Sed & hæc illi diſplicet ſine prudentia, iuxta illud Leu. 2.
In omni ſacrificio meo offeres Sal. Vbi Leuit. 2.
nomine ſalis, prudentiam tanquàm optimum ſacrificij condimentum intelligit: Quid laudabilius patientiâ, quam magnis encomijs ornat Apoſtolus Iacobi 1. *Patientia* inquit *opus*
C *perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, & in nullo deficientes.* Sed & hæc ſine prudentia eſſe nequit : vt enim quis patiens ſit, oportet plurima diſſimulare, quod prudentia ſola docet. Quid deniq; ſublimius humilitate ? ſed & hæc a ſapientia dependet. *Sapientiam* inquit *Salomon iunge humilitati, & exaltabit te, humilitatem prudentiæ, & extollet te.* Hac igitur prima virtute pugnandum eſt cum ira Dei, quia vincit illam ; prudentia enim Abrahæ gladium in manu eius cohi-
D buit, ne virtutibus omnibus conſpicuum Iſaac interficeret. Prudentia quoq; noſtra, ſi noſtras, actiones rectè direxerit, & in Dei obſequium ordinauerit, etiam in illo tremendo Dei iudicio iram eius à nobis auertet, iuxta illud Sapientis conſilium Prou. 2.
Prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via Prouer. 2.
mala. Triplices Philoſophus Prudentiæ partes aſſignat, Subiectiuas, potentiales, & integrales partes. Partes Subiectiuæ Chriſtianæ prudentiæ vos ipſi eſtis, in fide Chriſti viuentes, vt ſubijciamini Sanctæ Matri Eccleſiæ,

omnia eius præcepta ad vnguem seruando. Nam hoc principale signum desolationis sæculi est, cùm Ecclesiastica potestas venit in contemptum. Nam ex hoc facilè sequitur, vt etiam in regimine politico quisque iugum Subiectionis excutere velit, nemineq; prohibente superbiat impius, pauper incendatur. Partes potentiales sunt intellectus, & voluntas credentium, vt lumini prudentiæ non recalcitrent, sed in obsequium fidei, licet in hac via obscuræ captiuentur. Partes integrales sunt vnitas, concordia, & amor Christianorum. Hæc si in cordibus vestris vigebunt, facilè iram Dei superabitis.

Alter gladius, quo contra iram Dei pugnare debetis, est fortitudo; quæ triplex est iuxta Philosophum. Prima, quæ consistit in robore corporis, vt docet Philosophus 2. Ethicor. quæ nascitur ex multò cibo, vt ibidem docetur. Altera, quæ denominatur ab habitu fortitudinis disponente subiectum, ad ardua quæq; vel aggredienda, vel sustinenda vt Philosophus 3. Ethicorum philosophatur. Tertia, quæ fundatur in potentia ad aliquid operandum. In nobis porrò sola fortitudo habitualis desideratur, quæ nos corroboret ad tribulationes fortiter sustinendas, & ad Deum ipsum piè ac humiliter placandum, quæ non ex esu & potu nimio augeatur; sed ex frequentatis virtutum actibus. Talem fortitudinem habuit Iacob ille Patriarcha, quâ luctando cum Deo in persona Angeli, fortiter illum tenuit, nec priùs dimisit, donec illi benediceret. Talem habuit Moyses in mõte pro populo orans, ideoq; Dei furorem à vindicta retardauit. Exodi 32. *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Talem etiam nos si habuerimus, dubio procul omnem Dei indignationem auertemus à nobis.

Aristotel.

Leuit. 2.

Tertium scutum, quo contra iram Dei pugnare debemus, est iustitia, quæ consistit in reddendo vnicuiq; quod suum est, vt scilicet quæ sunt alieni iuris, nostra esse non reputemus, neq; negligamus ea, quæ Dei sunt, iustè in hoc sæculo viuendo, & seuerum Dei iudicem iustè etiam pariter omnes timendo. Nec enim solis pauperibus, sed & potentibus & diuitibus timor extremi iudicij incumbit, neq; peccatoribus tantùm, sed iustus etiam. Inter omnia elementa soli terræ tremorem, seu motum trepidationis tribuunt Philosophi; inter Sphæras etiam cœlestes, Sphæram firmamenti trepidare docent Mathematici. Cum igitur pauper. & diues, circa terram occupentur, & de illa sint formati, atq; nutriantur, connaturale illis esse dicitur timere, & trepidare. Et quoniam etiam firmamentum est symbolum hominis iusti, quia quemadmodùm in firmamento immensam stellarum multitudinem cernimus: ita in homine iusto plurimas circumspiciamus virtutes, quibus anima illius exornatur. Si igitur cælum, quod stellas amittere non potest, motu trepidationis exagitatur; quantò magis homo iustus qui ornamento animæ, scilicet; virtutibus & gratiâ facilè spoliari potest, ttemere debet, memor verborum Prophetiæ Psalm. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius.*

Psalm. 33.

Quartum tandem propugnaculum, quo aduersùs Dei iram vti debemus, est temperantia, vt in hoc sacro aduentus Domini tempore, mens nostra non superfluis & exquisitis oneretur cibis; sed desiderio potiùs saluatoris repleatur, hæc tamen temperantia non tantùm in ciborum paucitate, sed etiam in frænando appetitu adhiberi debet. Vt docet D. Ambrosius in oratione 2. Præparatoria ad missam. *Mortiferum* inquit *intemperantiæ virus, tunc vtcunq; vacuatur, cum non qualitas, sed libido in escis præcauetur.* Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed sola pomi delectatione mortem mundo induxit. Genes 13. Et certè si Christus Dominus natus in hunc mundum, prima die tota à sugendo lacte Virginis abstinuit, cuius rationem assignat Carthagena l. 3. 1mi. tomi Hom. 9. *Vt* inquit *ingluuiem primi parentis ablueret & antequàm nutriretur, sacrificium abstinentiæ offerret Deo Patri, in compensationem immoderati cibi, quem primus parens contra diuinum præceptum comedit.* Et nos profectò æquum est, vt ab hac prima die, qua Dominum aduenire postulamus, temperantiam innouemus, non tam à cibis sumendis; quàm potiùs à vitijs abstinendo, vt saltim hoc sacrum tempus sit ita felix, vt nos non turpitudini peccatorum, sed pietati & ardori virtutum vacantes videat.

D. Ambr.

Genes. 3.

Ecce igitur habemus futura in cœlis signa horrendi prælij, quod vniuersæ creaturæ gerent contra nos omnes, propter delictá nostra, quibus Dei maiestatem & honorem grauiter læsimus. Ecce habemus finem istius concertationis tremendum Dei iudicium, vbi boni beatitudinis præmia; mali æterna supplicia recipient. Ecce insuper habemus quatuor propugnacula, quibus cum Deo irato possumus luctari, nimirùm prudentiam, fortitudinem, iustitiam, & temperantiam. Igitur tremendo DEI iudicio perterrefacti, ne nos dies ille Domini inopinatus inuadat, euigilemus tandem, & præoccupemus faciem Domini in pœnitentiæ amaritudine, vt si pænitenti Dauid pepercit Deus, si Petro lachrymanti culpam periurij & abnegationis dimisit, si dolenti Paulo persecutionem condonauit, & nobis pariter in illa die iræ calamitatis, & miseriæ, pænitentibus paternum vultum ostendat. Et si tunc nostra nos merita deficient, tu ipsa Alma redemptoris Mater, monstra te esse matrem, quæ teste Brochardo in descriptione terræ Sanctæ, propterea à S. Angelis in valle Iosaphat sepulta eras, vt ibi, vbi extremum iudicium futurum est, omnibus ad tribunal Christi vocatis patrocineris. Monstra inquam te esse matrem, vt tuo patrocinio de pænis inferni quas promeruimus erepti, tibi tanquam Reginæ Christianorum potentissimæ, & Filio tuo Iesu Christo, æternùm in illa beatitudinis sede famulemur.

Brochardus.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superueniet vniuerso orbi. *Lucæ 21.*

Ostenditur mundum iam agonizare, & signa eius agonisationis iam præcessisse in intellectu, ac voluntate, & quinq; externis sensibus demonstratur.

NEminem mulcet timor, sed ad celeriùs fugiendum addit alas. Neminem aduersi casus, aut extrema penè incurrentia mala lætificant; sed cor palpitare, & genua cuipiam tremere faciunt. Neminem horrenda solantur spectacula; sed plerosque animo cadere iubent, & sensibus penitùs destitutos reddunt. Testem istius veritatis in medium euoco, dilectum Christi discipulum S. Ioannem Euangelistam, vidit illum quondam mundi Saluatorem specie formidabili, & vltra consuetudinem horribili, quo insolito portento adeò perterrefactus erat, vt exanimis penitùs ad pedes eius prolaberetur. Apocal. 1. n. 17. *Cùm vidissem* inquit *eum, cecidi ad pedes eius tanquàm mortuus.* Quid tunc obsecro in diuino illo magistro comparuit, quod tantum horrorem dilecti discipuli generoso pectori potuit incutere: Quid illi sic omnem fregit & ademit animum, vt tanquam vitâ ac sensibus destitutus, coram eo, quem loquentem audiebat, corruerit. Profectò enim non modica tanti terroris causa debuit extitisse. Num forsan præferentem manu dura flagella spectauit, vt propterea, violentum eius rigorem formidaret? Absit tale quicquam cogitare. Quid ergo habebat in manibus redemptor noster, quòd tam vehementi metu Ioannem perculserit? Duplicem vt video istius trepidationis causam ipsemet affert in sua Apocalypsi. Primam, dùm inquit: *Et habebat in dextera sua stellas septem.* ibidem v. 16. Sed itane quòd stellas in manu

Apocal. 1.

Ibidem n. 16.

in manu eius vidiſſet, contremuit? ſi vidiſſet vtiq; vibrantem ardentes ſagittas, ſtringentem gladios, proijcientem fulmina, aut minas intentantem; haud mirarer. At verò in ſtellis fulgentiſſimis, non video quidpiam, quod illum tam potenter terreret. Reſpondet Lauretus Antonius Ricciardus, Petrus Bercorius, Ioannes à S. Geminiano, ſtellas eſſe ſymbolum gratiarum, quibus Deus animum hominis exornat; proinde meritò expauiſſe S. Ioannem ob ſtellarum intuitum, quia ſeruos Dei nihil magis affligere poteſt: quàm immenſa Dei beneficia liberaliter ſibi erogata, dùm ſecum toto animo reuoluunt, ſtrictiſſimas eorum beneficiorum rationes, in horrendo Dei tribunali reddendas. Alteram ſuæ iſtius exanimationis cauſam allegat ibidem S. Ioan. dùm dicit. *Et de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat.* Vbi Petrus Damianus & B. Zenon Veronenſis, Spiritum ſanctum illo gladio adumbratum putant. Nam ſic dicit Damianus. *Gladium ex ore Chriſti vtraq; parte acutum exeuntem, Spiritum S. intelligere poſſumus, qui à Patre filioq; procedit.* Pro Deum immortalem! Ergone diuiniſſimus ille ſpiritus, gladius eſt? & quidem vtraq; parte acutus, vt quaque illum vertas, ferire, cædere, demutilare aptus. Cui ſapientiſſimus Salomon, inauditam clementiam ſubſcribit, Sap. 7. num. 22. *Suauis* inquit, *amans bonum, beneficiens, humanus, benignus.* Vt proinde non potuerit ſe Rex ille Sapientiſſimus continere, quin exclamaret *O quam bonus, & ſuauis eſt, Domine Spiritus tuus in omnibus.* Sap 12. n. 1. quem Eccleſia Catholica ſuorum fidelium conſolatorem profitetur. *Conſolator* inquit *optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.* At ſi ita eſt: quomodò S. Ioanni viſus eſt idem Spiritus ſimilis gladio ancipiti, qui in quamcunque partem vertatur, cædem infert; Myſterium hoc ſuo portento Deus voluit oſtendere, quòd homini ingrato, & beneficiorum cælitùs acceptorum immemori, cùm pro ſummò tribunali æquiſſimus Iudex Chriſtus ſederit, gratiæ quibus malè vſus fuit, vertentur in pœnas, dona in tormenta, diuina munera in dira ſupplicia. Atque propterea Spiritus ſanctus qui nunc merum ſaccharum eſt, tunc ijs, qui beneficiorum acceptorum iuſtam rationem non reddiderint, nil niſi rigor, & amaritudo, & gladius vtrinq; acutus erit, quo feriantur, & mactentur. Audijt nuper mundus appropinquantem ſibi vltimam diem, totoq; animo concidit, audit iterum hodiè Chriſtum ad vltimum tribunal venturum, ſtellis è cœlo cadentibus vaſtaturum orbem, ex ore eius minarum & furoris pleno, ancipitem gladium proditurum, quo impietas humana, & ſcelus nefandum caſtigetur, quo & rationis expertes animantes, & inſenſibiles creaturæ plectantur, & prorsùs conſumantur. Audit hæc mundus: ſed quid ad tam horrendum rumorem animi retinet? concidit penitus, tanquàm mortuus. Quem ego vobis iam iam agoniſantem, & breui expiraturum producam.

Lauretus Antonius Bercorius

Petrus Damianus.

Sap. 7.

Ibidē. 12.

Magnarum molium raró derepente fit mutatio, niſi præuijs quibuſdam alterationibus. Vltimi totius rerum vniuerſitatis occaſûs, ſigna quædam Deus voluit præcurrere, ne forſan inopinato labentis mundi impetu corruens peccator, iniquitatum ſuarum excuſationem audeat prætendere, quaſi illi tempus reſipiſcendi defuerit. Duplicia autem ſigna Deus imminentis mundi ruinæ, præmittere voluit. quædam communia, vt ſeditionem populi, & regnorum commotionem. Marci 16. *Surget* inquit *gens cōtra gentem, & regnū aduersùs regnum.* Verum, ſignum hoc quoniam commune, non poteſt determinatè mundi deſtructionem portendere. Pridem enim iam funditur humanus ſanguis in orbe ferro hoſtili. Nam antequam Romanum diffunderetur imperium, non ſolùm ſingularum vrbium reges àduerſum ſe præliabantur,

Marci. 16.

ſed etiam ipſi Romani bellis frequenter ciuilibus atterebantur. Pugnauit Marius aduersùs Cinnam: in vtraq; parte Romanus fuſus eſt ſanguis. Sylla ſurrexit, & Marco victori rursùs ciuilia bella commouit. Lepidus Settotiuſq; rebelles ſe Romano imperio præbuerunt. Cæſar Pompeium eſt perſecutus, & Galliarum furorem excitauit aduersùs arma Romana: Deuicto Seniore Pompeio, iuniorem in Hiſpaniarum partibus debellauit. Quid Triumuiros loquar? ex hoſtibus amicos, ex amicis rursùs in hoſtiles tumultus progreſſos. Maria quoque Actiaco bello infecta ſanguine Romanorum: vnde factum eſt, vt cædio bellorum ciuilium, Iulio Auguſto Romanum deferretur imperium, quo regnante prælia inteſtina ſedata ſunt. Nequè propter hæc ſigna cruenta deſijt eſſe mundus. Conſurgit & nunc ſubditus aduerſus Dominum, barbarus contra fidelem, ſeruus contra principem; ſed nondùm ſtatim finis, clamat Dominus. Quinimò dicit: *Oportet hæc fieri.* Scilicet; vt Chriſtianitas in perpetua perſecutione, vſq, ad mundi conſummationem verſetur, ad maiora electorum merita. Alterum quoq; ſignum interituri mundi commune voluit eſſe Deus, infeliciſſimi aduentum Antichriſti, qui vt conceptu ſuo; ita & moribus Chriſto in omnibus aduerſabitur. Naſcetur enim ex populo Iudæorum, ex tribu Dan. iuxta prophetiam Scripturæ Genes. 49. *Fiat Dan. coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Sicut enim ſerpens in via ſedebit, & in ſemita erit, vt eos qui per ſemitas iuſtitiæ ambulant, feriat, & veneno ſuæ malitiæ occidat. Naſcetúr quidem ex copulatione Patris & matris, quemadmodùm alij homines: ſed totus in peccato concipietur, in peccato generabitur, & in peccato naſcetur. In primò inſtanti conceptionis, diabolus ſimul introibit in ventrem matris eius, & ex virtute diaboli confouebitur & contutabitur. Et ſicut in Matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Spiritus S. venit, & eam ſua virtute obumbrauit, & diuinitate repleuit, vt de ſancto Spiritu conciperet, vt quod naſceretur, diuinum eſſet, & ſanctum. Ita quoque diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, & totam eam replebit, totam circumdabit, totam interius atq; exterius poſſidebit, vt diabolo hominem cooperante concipiat, & quod natum fuerit, totum ſit iniquum, totum perditum. Saluator noſter humilem ciuitatem Bethlehem ſibi præuidit, vt ibi pro nobis humanitatem aſſumeret, & naſci dignaretur, Filius perditionis Antichriſtus, ciuitatem Babyloniæ, vnde radix omnium malorum profluxit, ex inſtinctu diaboli ſibi eliget. In hac ergo ciuitate, quæ quondam inclyta & glorioſa vrbs gentium, & caput regni Perſarum erat, Antichriſtus naſcetur, & in ciuitatibus Bethſaida, & Corozaim nutrietur. Propter quod forſan Chriſtus D. iſtis ciuitatibus omnia mala imprecatur. Lucæ 10. *Væ tibi Bethſaida, væ tibi Corozaim.* Duces eius, & ſocij, atq; comites indiuiſi erunt maligni ſpiritus, famulatus totus conſtabit magis, maleficis, diuinis, incantatoribus, quibus ille ſtipatus Hieroſolymam veniens, omnes Chriſtianos, quos ad ſe non poterit conuertere, per varia tormenta iugulabit, & ſuam ſedem in templo ſancto ponet. Templum quoque Sanctum, quod Salomon Deo ædificauit, in priſtinam formam eriget, & ſe filium Omnipotentis eſſe mentietur. Primùm verò reges & principes ad ſe conuertet; deinde per illos cæteros populos. Loca ſacratiſſimis Chriſti plantis conſecrata priùs deſtruet, & poſtmodùm in vniuerſum orbem mittet ſuos prædicatores. Cuius prædicatio, & poteſtas protendetur a mari vſq; ad mare, & ab oriente ad occidentem. Facietq; ſigna multa, magna, & prorsùs inaudita: ſcilicet arbores ſubitò florere, & areſcere, mare commoueri, & extemplò tranquillari, naturas in diuerſas figuras mutari, agitari aéra ventis, & cætera innumerabilia, atq; ſtupenda: mortuos in conſpectu hominum ſuſcitari, ita vt in errorem etiam fa-

Genes. 49.

Lucæ 10.

am facilè inducantur electi, niſi Deus ſpeciali ſuo concurſu eos iuuaret; Nam viſis tot portentis, dubitabit non nemo, vtrum ipſe ſit Chriſtus, qui in fine mundi venturus eſt ſecundùm ſcripturas, necne. Verùm hæc omnia miracula falſa erunt, vt pote per incantationes diabolicas facta; peccatoribus tamen, & incredulis videbuntur eſſe vera. Tribus itaq; modis ſe contra omnes Chriſtianos, & fideles eriget Antichriſtus. Nimirum; terrore, muneribus, & miraculis; Dabit enim credentibus in ſe abundantiam auri & argenti. Quos verò non poterit decipere muneribus, ſuperabit terrore: & quos terrore non poterit vincere, ſignis atq; miraculis tentabit; tunc omnis Chriſtianus, qui inuentus fuerit, aut Deum negabit, aut ſiue per ferrum, ſiue per ignem, ſiue per ſerpentes, ſiue per beſtias, ſiue per aliud quodpiam genus tormenti, interire debebit, ſi in fide permanſerit. Quæ terribilis atq; tremeda tribulatio, tribus annis & medio durabit. Expaueſcit, hæc audiendo mundus; nondùm tamen moritur: quia ſignum hoc commune eſt, neq; tempus venturi Antichriſti certò homini præ oculis ponit. Quamuis illud Apoſtolus clarè videatur inſinuare 2. Theſſal. 2 inquiens: *Rogamus vos fratres, ne facile moueamini à ſenſu veſtro, neq; conturbemini, quaſi inſtet dies Domini &c. quoniam niſi venerit defectio primùm, & reuelatus fuerit homo ille peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur, ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe ipſum quaſi ſit Deus.* Vbi apertiſſime indicat Antichriſtum non priùs venturus in mundum; quàm omnia regna à Romano imperio ſeſe auellant. Neque ergo bella & ſeditiones, inter omnes iam mundi gentes commotæ, ſigna ſunt finis mundi, quoniam hæc ad maiorem fidelium probationem permittuntur, vt fides diuina in aduerſis magis eluceſcat. Neq; aduentus Antichriſti eſt vltimatum vltimi iudicij ſignum. Quia multi Doctores probabiliſſimè tenent, etiam poſt Antichriſtum fulminibus è cælo percuſſum, orbem adhuc duraturum aliquantum, vt fides diuina penitùs collapſa, iterùm reuiuiſcat, & ab ijs qui fugientes crudelitatem latebant in occultò, iterum reſarciatur.

2. Theſſ. 2

Signa ergo infallibilia ſui aduentus, & mundi deſolationis voluit eſſe Deus, ſcilicet ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Quid hoc eſt, num forſan eclipſis ſolis, & lunæ, ſtellarumq; ſanguineus aſpectus mundum pauere & emori faciet? minimè ſanè: Nam & nunc fiunt hæc portenta in cælo; neque tamen vltima mundi deſolatio apparet. Signa hæc Catholici mei myſticum habent ſenſum. Sol humanum intellectum, luna voluntatem, Stellæ externos ſenſus denotant. Cùm ergo ſigna hæc euenient, hoc eſt cùm homo intellectu & voluntate errare incipiet, & ſenſibus deſtitui, certiſſimum mundi poſt breue interuallum expiraturi indicium erit. Verùm quod iam ſigna hæc fiant, perſpicite. Aberrauit mundus intellectu: quia & contra ipſum filium Dei ſacrilego auſu bella mouit offenſiua. Cùm eum venientem in terras vltro repulit, & latronem illi Barabbam temerè antepoſuit, vociferans: *Non hunc ſed Barabbam, erat autem Barabbas latro.* Ioan. 18 num. 40. vbi D. Cyrillus Alexandr. Lib. 12. in Ioann. Cap. 26. *Reſilijt* inquit *apertè ab amicitia Dei populus, & reliquit Deum qui ipſum genuit, & Domini auxiliatoris eius recordatus non eſt.* Ad quod immane facinus alluſiſſe videtur Ieremias, cùm impiòs viuentes, ipſis etiam Ethnicis & idololatris poſtponit. Propterea quòd hi deos licet falſos ita colant, vt ad alios non facilè tranſmutentur, cùm tamen perverſi catholici à ſuo Deo, quem religioſiùs colere debent, per ſua execranda ſcelera ſæpiùs recedant, quod vehementer propheta deplorat Ierem. 2. n. 10. *Tranſite* inquit *ad inſulas Cethim, ac videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer: & videte. Si factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dij: populus verò meus, mutauit gloriam ſuam in ido-*

Ioan. 18.

Cyrillus Alexandr.

Hierem. 2.

in idolum. Ecce ſigna in intellectu; ecce error? aberraſtis à Domino Deo, ita vt in ueſtris mentibus non habeat iam ſuam manſionem, Lucæ 2. n. 7. *Non erat ei locus in diuerſorio.* Ad quam impietatem reſpexit Diuus Bernardus Serm. 6. in vigilia natalis Domini. *Et tu quidem ait impia ſynagoga, hunc nobis filium peperiſti; officio quidem matris, ſed non matris affectu: Excuſſiſti enim de ſinu tuo extra ciuitatem eijciens, & eleuans ſuper terram.*

Lucæ 2.

S. Bernar.

Sed eheu! grande malum! Deum veſtrum reiecistis de cordibus Catholici, en & ipſi iam ab eo reiecti eſtis, vt teſtatur Eccleſiaſtæ. 1. cap. 6. Sapiens. *Sol* inquit *tranſiens, gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem.* Quem locum S. Amb. Serm. 12. in Pſal. 111. de Chriſto Domino, qui per gratiam ſuam, quaſi renaſcitur in hominis animo, ab omni macula peccati purificato, ſed vbi homo in turpe ſcelus relabitur, gyrat renatus Dei filius de impuro corde ſecedens (*ipſe* inquit *Ambroſius ſol nempe Chriſtus*) *oriens populo pœnitentium, ad auſtrum iuit, ad molliorem populum, luxuria magis feruentis corporis lubricum; quàm immanitatis impietate prædurum: aut certè ad nobiliorem plebem, quæ erat genus electum, vendicans ſibi patriarcharum proſapiam.* Pergitq; vlterius ad perſtringendum magis delinquentē populum. S. Ambroſius. *Sed quia perſeuerabat in vitijs, nec emendabat errorem, ideò ſol iuſtitiæ gyrauit ad gentes, quæ ante eloquijs cœleſtibus defraudatæ immanes & ignobiles habebantur. Aquilo enim grauis ventus eſt, vt populi nationum. Sed qui erant graues ante in perfidia, nunc ſuper aquilas leuiores ſunt facti, fide atq; pietate.* En ſigna in intellectu, & voluntate? peccatis, ſciendo Deum veſtrum talibus factis offendi; ecce error & eclipſis in intellectu? Perſeueratis poſt patratum ſcelus in turpi propoſito; ecce voluntatis obſtinatio? læſa igitur ſunt iam duo nobiliſſima luminaria in paruo mundo, ſcilicet in homine. Verùm ad ſtellas, nimirum; ad ſenſus externos deſcendamus. Præcipuus è ſenſibus externis numeratur auditus. Sed ex hoc iam mundus grauiter laborat, dùm aures ſuas auertit à veritate, & ad fabulas inclinat: obturat ad Sancta eloquia, ad turpes cantilenas aperit, & penitùs ad diuinas reuelationes obſurdeſcit: quia inutiles nugas velociter audit. Præcipua, quæ homini catholico ad audiendum propoſita ſunt, habentur lex, & prophetiæ ſacræ: ideò enim Deus vt primum condidit hominem, ſtatim ei mandata ſua propoſuit, ne de ligno vetito comederet, vt homini inſinuaret, quòd nihil magis; quam legem Dei audire & ſeruare debuerit. Verùm hebetatus eſt iam iſte ſenſus, conculcauit mundus diuina mandata, & legem eius ſeruare non vult, ſed omnia aduerſa Deo molitur. Vt optimè S. Chryſoſt: Orat. 1. aduersùs Iudæos notauit. *Semper* inquit *ea faciunt quæ Dei placitis aduerſantur, etenim cùm illos volebat ieiunare, tunc incraſſabantur, dilatabanturq;. Rurſus vbi non vult eos ieiunare, mordicus tenent ieiunium, Cùm vellet illos victimas offerre, ad ſimulachra propendebant. Cùm non vult illos celebrare feſtum diem, ſtudio feſtum diem agunt.* Scilicet; eò iam diſſolutus mundus propendet, vt ſemper bene volenti & ſuadenti Deo reſiſtat: vt docet S. Chryſoſt: *In hoc* inquit *ſolùm incubuiſtis, vt quæcunq; Deus præceperit: ijs contraria faciatis:* Neque ſolam Dei legem ſpreuit homo, ſed & prophetias omnes amiſit: hæ enim ſicut cum lege floruerunt, ita ſimul cum lege aruerunt, Lucæ 16. n. 16. *Lex, & prophetæ vſq; ad Ioannem.*

Eccles. 1.

S. Ambr.

S. Chryſ.

Lucæ 1.6

Vbi nunc ô miſeri mortales veſtri prophetæ? qui vos etiam in captiuitatem abductos ſequebantur: vbi Ezechiel, vbi Daniel, vbi Aggæus: Zacharias vbi? qui vos etiam Babylone exulantes demulcebant, & ad laborum tolerantiam animabant. Perierunt omnes. Qua de re eleganter S. Chryſoſt. Serm. 1. de Helia. *Glorioſus* inquit *olim prophetarum profeſſione erat Iudæorum populus, ſed plaudite. Gloriatio hæc nunc ab eis in Eccleſiam tranſlata eſt. Neq; enim congruit, vt prophetas agricolas adhuc habeat ſterilis ille*

ille populus. Neq; decet, vt apud illos ſeruentur prophetæ, qui eum, quem iſti prædixerunt, crucifixere : pro mortuis, quos apud illos excitauit : pro cæcis, quos apud illos viſu donauit : pro eſurientibus, quos apud illos pauit. Quaſi diceret : Duplici de cauſa illi prophetæ populo neceſſarij erant. Primùm, vt eius mores excolerent ; verùm, cùm ſceleratiſſimus populus nullam culturam pateretur ; meritò omnes ab eo prophetæ ſeceſſerunt. Sicut enim opus non eſt, vt terra ſterilis aretur, & ſeratur : ne in ea colenda fruſtra laboretur : ita opus non eſt, vt ille populus, qui prophetarum oraculis obſurduerat, iterum à prophetis admoneatur, ne irritus in ea exhortatione labor collocetur. Deinde, vt de ſuo eum Meſſia venturo inſtruerent, & quantâ eum ſuſcipi reuerentia oporteret, adhortarentur. Verùm, cùm Meſſias iam venerit, & in eum præſentem populꝰ deſæuierit, & quò amplioribꝰ ab eo beneficijs obrutus fuit, eò maioribus eum opprobrijs obruerit : æquum erat, vt omnia apud eum populum prophetarum oracula clauderentur.

Sed ne ſuccenſeas immunde munde, ne indignè feras ingrate popule, tuos tibi prophetas à Deo ereptos eſſe, quos tu priùs à te procul eieciſti Amos. 2. n. 11. *Suſcitaui* inquit *Dominus de filijs veſtris in prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazaræos. Nunquid non ita eſt filij Iſraël dicit Dominus. Et propinabatis Nazaræis vinum : & prophetis mandabatis dicentes, ne prophetetis.* quaſi dicere vellet. Ego vobis propoſui Nazaræos ad exemplum, & prophetas ad doctrinam. Vos autem quid ? vtroſq; non ſolùm repudiaſtis, ſed etiam deprauare voluiſtis. Nazaræos quidem ad vinum contra eorum legem prouocando : Prophetas autem ad ſilentium contra diuini Spiritus afflatum impellendo. Nonne etiam hiſce temporibus talia ſcelera fiunt ? viuitis Catholici contra omne ius & æquum, audetis prouocare ſacras religiones ad aulicas vitas, minitamini paſtoribus Eccleſiæ Sanctæ, ne audeant verum fari ; adeò vt propter veſtram hanc arrogantem malitiam, non ſit qui in oculos ſcelus alicui obiiciat, ſed nolens volens quiſpiam ſcelera, & vitia collaudare, virtutes verò & Sanctam viuendi normam vituperare cogatur. Sed non mirum : quia iam propheta in mundo euanuit, qui verũ enunciet ; & lex collapſa eſt, quæ ſtringat, & delinquẽtes coërceat.

Amos. 2. num. 11.

Quis obſecro veſtræ huius inſolentiæ finis erit ? Prophetarum clamores audire noluiſtis, admonitiones paſtorum Eccleſiæ ſanctæ contempſiſtis : proinde plauſtrorum ſub fæni pondere laborantium ſtridores mox mox audietis. Hoc iratus Deus mundo impio minitatur ſupplicium. Amos 2. num. 13. *Ecce ego* inquit *ſtridebo ſuper vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fæno.* Hoc eſt, faciam vos gemere, & conqueri, & ſtridere ſub peccatorum atq; ſuppliciorum veſtrorum pondere, vt quemadmodùm hæc ingrato ſono, quocunque pergunt, offendunt aures, & ſuas ſarcinas produnt ; ita vos vbique gentium diſſipati, gementes & eiulantes, & in multas querimonias defluentes, veſtras diſſimulare miſerias non poſſitis ; ſed in maiorem pudorem veſtrum, omnium auribus ingeratis. Abierunt iam procul à vobis diuina illa oracula, de cælo olim tonantia : & importuna plauſtra de terra ſtridentia ſucceſſere. Nullas nunc de cælo auditis voces, quæ vos conſolentur ; plurima verò de terrenis iurgia ſuſcitari videtis, quæ pati debebitis. Fiunt ſigna in viſu : cæcutit enim iam mundus, nec videt merita hominum ; ſed totus factionibus laborat.

Ibidem. num. 13.

Quærunt Doctores, cur Iſaac Patriarcha, Iacobo minori natu contulerit benedictionem, cùm tamen vocem eius, non vocem Eſau ; ſed vocem Iacob fuiſſe ipſe faſſus eſt. *Vox quidem* inquit *vox Iacob manus autem ſunt manus Eſau.* Et Reſpondent facilè, quia externis ſignis ſcilicet veſtibus, quibus indutus erat Iacob, deceptus erat. Eodem planè modo nunc caligauerunt oculi mundo, non ſpectat ille iam perſonas ; ſed veſtium apparatum : non ſeruat iuſtitiam diſtributi-

Genes. 27.

uam

uam in conferendis honoribus ; ſed & merita, & labores poſtponit, minus verò dignis præmia tribuit ; cùm tamen in aula Dei non annis, ſed meritis præmia deſignentur, non antiquitatis ; ſed laborum magnitudinis : non temporis ; ſed ſtudiorum ; quo diligenti exercitatione laudabiliter & fructuoſe exactum, habetur ratio. Hinc & in domibus religioſis videmus, quantum moderni ſæpè antecellant veteranos, in quibus ſi ſola vocarentur in conſiderationem annorum ſpatia, malè cum ijs ageretur, qui paruo tempore magnos profectus faciunt. Ex imitatione ergo Dei, non ætatis ; ſed vitæ anteactæ habenda eſt ratio. Scriptura Sacra, cùm Samuelis primam ſanctitatem, & quàm ſtudioſè etiam officium ſuum, dum adhuc puer eſſet paragebat, recenſet, ſic ait : *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.* 1. Reg. 2. num. 18. Mouet hic ſubtilem quæſtionem Theodoretus, cur Samuel cùm eſſet leuita, vſus fuerit Ephod, cùm id ſoli ſacerdoti eſſet attributum. Reſpondetq; q. 8. *Eſt* inquit *veriſimile, quòd Heli cùm in eo florentem vidiſſet diuinam gratiam, etiam admodùm iuuenem eo honore impertijt, quaſi diceret.* Quanquam in tenerrimam illam Samuelis adhuc pueri ætatem ; non cadebat veſtis ſacerdotalis, non obfuit tamen, quin Heli illum indumento ſacerdotali donaret : tametſi enim Samuel puer eſſet corpore, induebatur tamen vt gigas, ideò quòd alijs pro temporum, hoc illi pro morum & meritorum ratione dabatur.

1. Reg. 2.

Theodoretus.

O miſer munde ! quàm frequenter ab hac æquitatis ſemita recedis, & quàm grauiter erras, dùm eos in honorum ſubſellia effers, quorum vtilitas nulla ; dùm eos ad publicâ negotia aſſumis, quorum prudentia iuuenilis : dùm eos ad profitenda literarum ſtudia vocas, qui nec ore, nec calamo quicquam poſſunt. Conſidera errabunde munde, nonne tibi hoc ipſo perniciem ſtruis, dùm ſenij, non ſcientiæ, dùm factionis, non virtutis ; dùm diu ſordeſcentium ; non verò meritorum & ſerio laborantium reſpectu duceris. Num fortè quinque ſenes barbati ; quàm viri duo literati plus tibi proderunt. Recogita obſecro, nonne Daniel adhuc infans, decrepitos ſenes, qui innocentem Suſannam ex falſis adulterorum allegatis ad mortem condemnauerant, veram docuit ſapientiam. Nonne Ioſeph patriarcha puer adhuc in Ægyptum venundatus, omnes Pharaonis Principes, & canitie decoratos ſatrapas prudentiam docuit, teſte ſacra pagina. *Couſtituit eum* inquit *Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret ſenes, & principes eius prudentiam doceret ſicut ſemetipſum.* Modò verò mundus exiſtimat, quòd ſapientia non in capite ; ſed in barba ; non in cerebro, ſed in canitie hæreat : Planè ſicut quondam faciebant Areopagitæ, & Athenienſes. Apud Areopagos enim non licebat iudicandis litigantium cauſis aſſidere, niſi canum. Apud Athenienſes pariter non licebat, in auguſtiſſimo illo literarum ſacrario publicas lectiones prælegere, niſi decrepitum ſenem. Vir quidam mediæ ætatis, auidus nimium laboris, vt poſſet & iudicem Areopagi, & profeſſorem Athenis agere, canam barbam faciei, & ſimiles capiti pilos applicari curauit, ſicq; ficto ſenio & inter Areopagitas iudex, & inter Athenienſes profeſſor factus eſt. Quod vbi in notitiam magnatum, extranearumq; venit nationum, mox & Athenæ nobiliſſima illa ſcientiarum emporia corruerunt, & celeberrima Areopagitarum tribunalia, meriſſimum omnibus ludibrium facta ſunt, propterea quòd non ingenia, ſed ſenia amauerint.

Pſal. 104.

Et profectò, ſi laurus ſoli antiquitati tribuenda eſt ; ſi corona his præ omnibus, qui alios tempore præcedunt. *Quis tenebras ; quis animalia bruta ferre queat ?* inquit Achatius : cùm illæ lucem origine præuerterint ; hæc ante homines creata fuerint, teſte ſacra pagina Gen. 1. n. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Dixitq; Deus fiat*

Achatius.

Genes. 1.

us fiat lux, & facta eſt lux. Vbi Achatius ſuper hæc verba ſic diſcurrit. Declarat inquit tenebras lucem præceſſiſſe. Neq; mirum : nam & rationis expertia hominem ratione præditum, in rerum creatione præceſſerunt. Quid igitur? Hincne fit tenebras eſſe præſtantiores luce, aut brutas pecudes nobiliores homine? nequaquam. Nobilitas enim, & claritas, & dignitas, non in antiquitate; ſed in meritis, vigilantiâ, ſtudij aſſiduitate poſita eſt, & qui in Repub. ſeu profana, ſeu religioſa, magis ſtrenuè laborat, pertinaciuſq; deſudat & vigilat, is præmia meretur ampliora. Nonne Andreas fratrem ſuum Petrum adduxit ad agnitionem Chriſti. Quid hoc certius? cùm palam loquatur Euangelium ſanctum Ioann. 1. 4. *Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei : Inuenimus Meſſiam, & adduxit eum ad Ieſum.* Et tamen S. Petrus dignitatis amplitudine prior fuit fratre ſuo Andrea, quamuis poſterior ad Chriſtum acceſſerit. *Quid magis ſtupeas* (inquit Petrus Damianus, Serm. 1. de S. Andrea) *in fide primus Andreas factus eſt, ordinis dignitate ſecundus.* Cur ita diſpoſuit Chriſtus? ſcilicet; vt intelligeremus dignitatem, ius, actionemq; præmij, non ad priora hominum; ſed ad maiora merita pertinere. Petrus enim qui poſterior venit, prior dignitatem adiuit. Imò quod longè mirabilius : vocauit Chriſtus D. Petrum & Andream fratres, nominauitq; Apoſtolos Matth. 4. n. 21. *Et procedens inde vidit alios duos fratres. Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua, & vocauit eos.* Gloſſa interlin. miratur, quòd Chriſtus prætermiſſo patre grandæuo, filios iuuenes in ſuum contubernium adſciuerit. Nonne ſatius ac decentius fuiſſet, ſi patrem ſenem cum filijs, aut præ illis etiam conſortem Apoſtolici honoris feciſſet, qui ſacro illi collegio, veneranda ſua canitie, multum conferre ſplendoris & honoris potuiſſet. Cur ergo neglectâ decorâ ſenectute, vocauit infantiam. Reſpondet Gloſſa.

Ioann. 1.

Damian.

Matth. 4. num. 21.

A *Oſtendit* inquit *perſonas non eſſe accipiendas, non attendenda corporis lineamenta exteriora, non reuerendam canitiei ſpeciem, non dierum antiquitatem; ſed meritorum magnitudinem, & virtutis profectum ſpectandum.* In domo quippè Dei, ad lucem præſtantiorum virtutum examinatur dignitas perſonarum. Conſideret ergo mundus, quantum iam caligauerit oculis, qui ſola ſenij; non virtutum & laborum ratione ducitur! Fateor quidem bilem id alijs mouere, quando paucorum annorum B miles, licet ſtrenuè certans, alijs veteranis quanquam ignauis præficitur? nam diligentiſſimus hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ſcriptor Baronius, refert etiam, nunquam à Chriſto honoratos Apoſtolos Iacobum & Ioannem, quin id cæteris ſtomachum mouerit. Accedebat mater filiorum, & primas curules filijs ſuis imprecabatur, *& indignati ſunt de duobus fratribus inquit S. Matthæus* 20. 24. In vltima cæna recumbebat Ioannes in pectore Ieſu. *Et facta eſt contentio inter di*- C *ſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior.* Lucæ 22. n. 24. Fortè quòd annis obſtrictas dignitates, tempori alligata præmia exiſtimauerint. Quam vt illis Chriſtus Dominus adimeret opinionem, hos quorum erat inferior ætas, maioribus beneficijs cumulabat, & ſupra cæteros ornabat honoribus : quia in illis repererat merita potiora, propter quæ maiori præmio digni erant. Nolite ergo obſoletam allegare conſuetudinem, quòd & patres veſtri eos tantùm vocauerint, qui diu- D tiùs deliteſcebant. Sed cùm iam & tempora, & ſtatus omnes mutentur, mutate hoc quod vobis pernicioſum eſt, & facite quod magis conſeruandæ communitati expedit.

Gloſſa Interlinearis

Matth. 20. num. 24.

Lucæ 24.

Laborat adhuc mundus ex guſtu : ſenſus hic potiſſimùm datus eſt homini ad maſticandos cibos, nutriendæ vitæ neceſſarios, vt ex illis ſaporem percipiat lingua, & cùm quadam iucunditate ad ſumendum alliciat. Vbi Philoſophi Octo ſaporis ſpecies numerant. Primò dulcem, vti eſt melle : ſecundò amarum, vti in abſinthio.

thio. Tertiò pinguem, vti in butiro. Quartò ſalſum. Quintò acrem, vt in pipere. Sextò acerbum, vt in pomis immaturis. Septimò acidum, vt in acetoſis. Octauò acutum, vt in raphano. Mundus ergo in tanta iam ſaporum multiplicitate deficit, quia iam nouos quoſdam turpiter luxuriando quotidiè excogitat. Nec ſola corpora tædium in ciborum ſaporibus patiuntur; ſed & anima, cui cibus inappretiabilis, corpus ſcilicet Chriſti Domini, datus eſt, nauſeat in deguſtanda cibi iſtius ſacri ſuauitate, mauultq; homo iam ad cauponam; quàm ad magnam æterni Regis cænam venire: & plus videtur ſibi dulcedinis ſentire in carnis voluptatibus; quàm in iſtius diuini epuli delicijs : quia ad hoc vix ſemel in anno accedit; illis toto vitæ ſuæ curſu immergitur.

Laborat mundus ex quarto ſenſu, ſcilicet ex tactu : huius enim obiectum ſunt ſolæ qualitates primæ ſenſibiles, & cæteræ ex his ortæ. At nunc quantum iam mundus iſto ſenſu abutitur, qui cùm ſit materialis, & ſola materialia tangere debeat, etiam in ipſos Spiritus & ſanctos Dei manum ſuam audet attollere, forſan allectus illo ſacrilego colapho, quod olim armata militis dextera Chriſto impegerat. Mundus profanus eſt, ſola profana contingere debet, nunc verò etiam ſacra conculcare, ædes Deo dicatas polluere, perſonas Eccleſiaſticas in opprobrium deducere, parum eſt? Antea ſacerdotium munus erat regale, nunc ruſticale : antea paſtoribus ſpiritualibus dabantur verba cum honore; nunc dantur verbera cum ſcandalo, pro Deum immortalem! Eccleſia ſancta quæ antea erat domina gentium, nunc facta eſt ſerua ſubditorum : cedit authoritas pontificia, arrogantiæ nebulonũ, & legi diuinæ lex humana prædominatur.

Laborat iam mundus ex vltimo ſenſu, ſcilicet ex odoratu. Ad odorandum Deus homini non aromata; quia peruerſa eſt hæc conſuetudo, vt vnguentis atq; odoramentis homines vtantur, vt docet Clemens Alexan-

Clemens. Alexander

A drinus lib. 2. Pædagogi cap. 8. Oportet inquit viros imprimis apud nos vnguenta non olere, ſed vitæ probitatem : ſpiret autem fæmina Chriſtum, qui eſt regalis vnctio; non vnguenta, ſed ſeipſum Chriſtus propoſuit ad odorandum Cantico 1. n. 2. *Oleum* inquit *effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te, trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Quaſi diceret : ſicut olim virginum chorus cum myrothecijs, & alabaſtris vnguentorum plenis, ſuos B reges ſequebantur; ita & te ſanctarum animarum cætus proſequetur. Non ergo odoramentis; ſed virtutibus homo Chriſtum recreat, illum ſequendo : ad quod reſpexit Propheta Pſal. 44. n. 9. *Myrrha* inquit *& gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Quaſi diceret : ſicut olim Hebræorum filiæ ſuos reges aromatibus & vnguentis deliniebant; ita & regum filiæ, hoc eſt iuſtorum animæ, te ſuarum virtu- C tum odoribus oblectabunt. Sed receſſit mundus ab hac pia conſuetudine, & nimiùm inſoleſcendo in vnguentis & aromatib9 totus debacchatur. Eſſet fateor in bonam partem acceptus vnguentorum vſus, ſi parcè adhiberetur. Sic quondam Iudith. *Lauit caput ſuum, & vnxit ſe myro optimo.* Iudith 10. n. 3. Sic olim Suſanna, ancillas allocuta. *Afferte* inquit *mihi oleum & ſmigmata : oſtia pomarij claudite, vt lauer.* Dan. 13. n. 17. Sic cœleſtis ſponſa, *Manus* inquit *meæ ſtillaue*- D *runt myrrham.* Sic demùm Chriſtus Dominus ad ieiunantem; *Vnge* inquit *caput tuum.* Matth. 6. n. 17. At verò in malam partem vertitur vnguentorum vſus, quando nimius & intempeſtiuus adhibetur. Sicut his temporibus, vbi turpe eſt, non vnguentis oblitum, aut floribus vndiq; ſtipatum incedere : in quos acriùs inuehitur D. Chryſoſth. Concione 1. de Lazaro. *Te* inquit *non oportet olere vnguentum; ſed ſpirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim & veſtium fragran*-

Cantic. 1.

Pſal. 44. num 9.

Iudith. 10.

Daniel. 13.

Matth. 6.

S. Chryſoſthomus.

fragrantia, arguit intus latere animum graueolentem & immundum. Cùm enim diabolus aggreſſus delitias, euirauerit animam omniq; vitiorum genere compleuerit: tum in corpore ſuæ corruptionis lectum oblinit vnguentis. Mundum ergo agoniſantem vobis produxi Catholici: ſigna agoniſationis eius oſtendi, iam præcurrere, in ſole, & luna, & ſtellis, hoc eſt; in intellectu, qui velut ſol hominem illuminare debet; in voluntate, quæ velut luna cæca potentia eſt: & intellectus enim iam in cognoſcendo Deo errauit, & voluntas in amando. Signa in ſtellis, hoc eſt, in quinq; ſenſibus, quibus iam penitùs deſtituitur mundus, mutus enim factus eſt ad excipiendum DEI verbum, cæcutijt ad cognoſcendam veritatem, nauſeat ſuper cibo, tangit illicita, & odoratur voluptates. Igitur agoniſanti lucernam contritionis accendite.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVARTA.

Videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate.

In nouiſſimo die iudicij penes ſolam Dei iuſtitiam totum regimen erit.

IVſtitia & miſericordia Dei, ita ſecum arctiſſimo nexu copulantur, vt vnam ſine altera reperiri prorsùs impoſſibile cenſeatur, ſed vtramq; in omnibus Dei operibus inueniri neceſſe ſit. cuius rei euidentem rationem aſſignat D. Tho: in quarto ſentent: diſt: 46. quæſt: 2. art. 2. quia operatio Dei eſt quaſi medium inter Deum operantem, & ipſum opus operatum; omne autem medium participat aliquomodò cum vtroq; extremorum, proinde in operatione Dei, oportet aliquid inueniri ex parte ipſius Dei operantis, & aliquid ex parte ipſius operis operati, ad quod operatio Dei terminatur. Nam ex parte Dei operantis exigitur, vt ſit ſuperabundantia in collatione bonorum, & in diminutione malorum, ſiquidem Deus ipſe eſt excellentiſſimus operator: & in hoc conſiſtit diuina miſericordia, quæ ſuperabundanter effluit in omnes, & largiſſimè diſtribuit ſua bona; mala verò diminuit. Ex parte autem operis operati requiritur receptio, quæ ſit ſecundùm proportionem recipientis, & in hoc ratio iuſtitiæ conſiſtit: quoniam iuſtitia reſpicit proportionem, & merita ipſius creaturæ. Ex quibus manifeſtè conſtat, quòd in omni opere Dei, aliquid miſericordiæ, & aliquid iuſtitiæ inueniatur: miſericordiæ inquam, quæ ſe teneat ex parte Dei operantis, & iuſtitiæ, quæ ſe teneat ex parte ipſius creaturæ, vt ſic bona, quæ miſericordia Dei confert, ſint proportionata ipſi creaturæ. Verùm vt res magis clara fiat, percurrite ſi lubet ſingula, & rem ita ſe omninò habere deprehendetis. Creauit Deus pulcherrimam hanc mundi machinam, quatuor elementis repletam, cœlorum lationibus adornatam, Angelis, hominibus, animalibus, alijſq; reb⁹ innumeris plenam. Ecce miſericordia in opere creationis, quia maximum defectum Deus creando remouit, ſcilicet non eſſe, quod ex gratuita voluntate ſua facit, non aliquo debito conſtrictus. Quia verò terminum poſuit mari, res omnes in bonum ordinauit, creaturis ratione vtentibus leges conſcripſit, quas transgredi nefas eſſet, ideò per hoc iuſtitiam ſuam demonſtrauit. Iuſtum quippè eſt, vt vna quæquæ res hoc modo habeat eſſe, quomodò præordinatum eſt à diuina ſapientia, & eo modo viuat, quomodò à ſupremo legiſlatore præſcriptum habet. Eiecit de paradiſo Deus primum parentem ob eius præuaricationem, in quo ſuam iuſtitiam oſtendit; ſed quia homo in frigora, & tempeſtates, in àëris intemperiem, & omnem cœli inclementiam expellebatur, ne tunc miſericordia deeſſet, fecit ei de pellibus veſtimentum, & nudum corpus protexit. *Fecit quoq; Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Res ſtupenda! Adam poſt commiſſum peccatum nuditatem ſuam agnoſcens, ſentibus cuſpidibuſq; impetendus, ſeipſum folijs leuiſſimis veſtiuit: *Cumq; cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Deus autem pellibus durioribus corpus eius muniuit: quia nimirùm ficulnea folia malè eluderent tribulorum ictus, & cuſpidum morſus? benè verò pellis durior ac ſolidior. Adam itaq; poſtquam ſibi conſulere ſtuduit, caſſum munimen elaborauit; Deus autem etiam inter iras miſericordiæ recordatus, quem damnabat ſæculo, ſentium morſibus adurendum, pellibus curauit armandum: quo diuini amoris mireris flammam, qui licet offenſus, ita humanam præmuniuit naturam. Terminos ſupergreſſa hominum exundans malitia diuinam iram coëgit, vt cataclyſmi confuſis voluminibus libidinis reſtingueret flammam, & nouam mundo faciem induceret, cœli aperiendo cataractas, vt diluuium improbitatis, fluctuum diluuij vorticibus detereretur. Ecce diuina iuſtitia, quæ ſcelera impunita relinquere non ſolet. Verùm cùm Deus vel in ipſa furoris indignatione, ſibi innatam nequeat non recordari pietatem, arcam iuſſit compingi, in illaq; Nòë, & familiam eius, ac de vniuerſis animantibus includi: *Ingreſſus eſt Noe, & filij eius, Vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuij. De animantibus quoq; mundis & immundis, & de volucribus, & de omni quod mouetur ſuper terram, duo & duo ingreſſa ſunt.* Genes 7. Inſuper clauſit Dominus oſtium de foris, ne vllum detrimentum eueniret, per quod magnam miſericordiam impertijt. Miſit Deus Filium ſuum in mundum, pallio humanitatis noſtræ eum veſtiuit, vt ſic per illum homo à delictis emundatus liberaretur ab omnibus ſuis miſerijs, ſubleuareturq; ad ſummam dignitatem, nempè vnionem Dei hypoſtaticam. En quanta miſericordia! vt meritò S. Paulus ad Titum tertio proclamet: *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Simul tamen voluit Incarnationem opus eſſe ſummæ iuſtitiæ; quia per illam facta eſt ſatisfactio pro dedito peccati, de toto rigore iuſtitiæ, ita quòd Deus ſi eſſet capax obligationis, teneretur acceptare ſatisfactionem factam a Chriſto, pro peccatis noſtris: quoniam fuit infiniti valoris, & meriti, & ſoluit plus, quàm debebatur. Elegit quoſdam ad gloriam, quoſdam repudiauit in æternam confuſionem; ſed in hoc vtroque miſericordiam pariter ac iuſtitiam ſeruauit, vt docet S. Auguſt: lib. 2. de bono perſeuerantiæ, cap. 11. *Miſericordiam eius in his, qui liberantur, & iuſtitiam in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus:* Et reuera, cùm omnibus hominibus, ex merito proprij peccati debeatur pæna æterna, ideò quòd aliquos eligat, ſciens benè vſuros ſuâ gratiâ, iuſtè & benignè facit: condecens enim eſt diuinæ ſapientiæ, vt Deus illi det gratiam, quem ſcit eâ benè vſurum. Et ſi aliquos reprobet, iuſtè quoq; ac miſericorditer facit, cùm non ex corde eos abijciat, vt habetur Thren: 3. *Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.* Glorificat beatos Deus in illa cœleſti patria, en miſericordiam: quia præmiat vltra condignum? quia conſeruat beatas animas in ſua gloria: ſimul tamen ſeruat iuſtitiam, quia ad menſuram meritorum tribuit gloriam. Paucis multa? quocunq; oculos noſtros conuerterimus, ſiue cœlos ſubtili diſcurſu tranſcendere voluerimus, ſiue cogitatione inferni ſecretiora rimabimur, vbiq; miſericordiam Dei cum iuſtitia apparere videbimus. Proinde & in illo extremo ac vniuerſali iudicio; ſed vtra illarum tunc præualebit, hodiè diſcutiemus.

Primatum in illo horrendo totius mundi iudicio, diuinæ miſericordiæ non nemo tribuere vellet, tum ipſiuſmet Scripturæ Sacræ authoritatibus motus; vbique enim in Scriptura Sacra miſericordia ponitur, ante iuſtiam. Vt Pſal. 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Et Pſal. 84. *Miſeri-*

Diuina miſericordia conſiſtit in ſuperabundanti erogatione bonorum.

In omni opere Dei aliquid iuſtitiæ & miſericordiæ reperitur.

Genes. 3.

Genes. 7.

Ad Titū 3.

Chriſt⁹ pro peccatis ſatis fecit de rigore iuſtitiæ.

S. Auguſt.

Thren. 3.

Pſalm. 24.

Pſal. 84.

Pſal. 100.

Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. Et Pſal. 100. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Tum ex his rationibus, quia ſecundum noſtrum modum intelligendi, miſericordia prior ac principalior videtur eſſe in Deo; quàm iuſtitia; vt probat S. Tho: in 4. Sentent: diſt: 46. quæſt: 2. quæſtiuncula 3. in primis ex eo, quia miſericordia ſe tenet ex parte Dei, iuſtitia verò ex parte creaturæ. Sed prius & principalius eſt id, quod ſe tenet ex parte agentis; quam illud, quod ſe tenet ex parte recipientis, ergo miſericordia videtur eſſe principalior in Deo, quàm iuſtitia. Deinde quia miſericordia eſt fundamentum, & prima radix operum iuſtitiæ: quoniam iuſtitia reſpicit debitum creaturæ; omne autem debitum procedit ex diuina bonitate, quæ eſt radix omnium bonorum, quæ creaturis conferuntur: cùm ergo diuinæ bonitati approprietur miſericordia, hinc ſequitur illam eſſe primam radicem iuſtitiæ, & conſequenter priorem ac principaliorem in Deo, quàm iuſtitiam. Tandem, quia vt docet idem S. Doctor 2. 2dæ. quæſt: 30. art. 4. Miſericordia ſecundùm ſe, eſt maxima omnium virtutum, cùm duo dicat, videlicet immunitatem ab omni miſeria, & poteſtatem ſubleuandi omnium miſerias, quod ſoli Deo poteſt conuenire: nam ſolus ipſe eſt immunis ab omni miſeria, poteſtq; omnem miſeriam ſubleuare. Si ergo miſericordia eſt maxima omnium virtutum, quis inficiabitur, eam eſſe maiorem & principaliorem, quàm iuſtitiam? & conſequenter in illo tremendo iudicio, regimen illi deferendum.

Verùm oleum & operam perdit, quiſquis in illo vniuerſali iudicio miſericordiæ primas ſubſcribere ſatagit: licet enim miſericordia noſtro modo intelligendi ſit prior & principalior in Deo, quàm iuſtitia propriè ſumpta, quatenus reſpicit merita vel demerita humana: nihilominùs tamen iuſtitia, communiter & largè accepta, eſt prior & principalior in Deo; quàm miſericordia. Quia prius eſt debitum,

Iuſtitia qua ratione prior in Deo quã miſericordia.

A quod debetur bonitati diuinæ, quàm quod debetur meritò creaturæ. Nam diuinæ bonitati debetur, vt omnia fiant, quæ ſunt condecentia ſuæ bonitati; & hoc modo iuſtitia, quæ dicit condecentiam diuinæ bonitatis, eſt prior, quam miſericordia largè ſumpta, quæ tantùm dicit voluntatem faciendi benè alicui: Et quia diuina voluntas nihil facit, niſi quod decet ſuam bonitatem, ideò iuſtitia hoc modo ſumpta, dicitur eſſe prior, quam miſericordia. In extremo itaquè iu- B dicio, totum regimen penes implacabilem Dei iuſtitiam manebit: quia ex mente Heſychij in Pſal. 100. diuinum illud iudicium miſericordiæ exors erit. Neque enim tunc erit inuocandi tempus, quando, *nemini* proximus erit *Deus,* ait S. Bernard. Serm. 3. de Quadrageſ: Cuius ſufficientem rationem reddit S. Auguſt: lib. 3. de ſymb. quia ſolum tempus præſens eſt miſericordiæ deſtinatum; illud verò futurum, non niſi rigoris & ſeueritatis. *Ille* inquit *iudex nec gratiâ præuenitur,* C *nec miſericordiâ iam flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec ſatisfactione, nec pœnitentiâ mitigatur. Hic dùm tempus habet, agat anima pro ſe, quamdiu locus eſt miſericordiæ: quia ibi erit locus iuſtitiæ.* Ita vt ad miſericordiam locus refugiendi tunc non pateat, ſed ad ſolam iuſtitiam, quam homo in hac vita totis viribus refugit. Pulchram iſtius veritatis figuram reperio in veteri teſtamento, Ioſue 10. quando Gabaonitæ dura obſidione preſſi, vicinorum ſuorum tela fugientes, ad D Iſraëlitas confugiebant, qui notiſſimi hoſtes omnium Chananæorum habebantur: ait enim ſacer textus. *Habitatores Gabaon Vrbis obſeſſæ, miſerunt ad Ioſue: ne trahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum, aſcende citò, & libera nos, ferq; præſidium.* Res ſtupenda: Chananæi homines, ad notiſſimos Chananæorum hoſtes confugiunt, ab illiſq; auxilium & præſidium expectant; ſocios autem ſuos, & finitimos ſuos, & vicinos ſuos, prorsùs pauent. Vnde quæſo Gabaonitæ Chananæi ſperant de ſuis hoſtibus auxilium?

Iudicium extremum abſq; miſericordia.

S. Bernar.

S. Auguſt.

Ioſue 10.

um? equidem ex arcta obſidione, quæ ſic illos fecit ſapere, vt vicinos hoſtes putarent; communes verò hoſtes, auxiliatores acclamarent. Ita deducit Gloſſa ex Ioſepho lib. 5. c. 1. Vbi dicit: *Gabaonitæ videntes ſe peti, & hoſtes ad oppugnationem expediri, Ieſum in auxilium aduocant. Ad hoc enim ventum erat, vt à ſuis quidem perimi ſe putarent, & ab eis, qui in interitum Chananæorum venerant, ſaluari ſe exiſtimarent.* En, quò arcta illa obſidione deducti erant, vt in amicis mortem viderent ſuam, in communibus autem hoſtibus vitam, ſalutem, & plenam incolumitatem, Deus bone, quantò magis hoc omnibus hominibus accidet in ſeuero illo ac vltimo tribunali, quando ſe in arcto poſitos videbunt, & iam iam à diuinæ iuſtitiæ militibus cinctos. Tunc ſanè eò deuenient, vt à ſuis perimi putent, hoc eſt à rebus ſibi amicis, cum quibus vixerant, quas in proximo amabant, tanquàm à veris hoſtibus timeant, & fugiant; ab eis verò, quæ in interitum hominum veniſſe putabantur, ſeruari ſe exiſtimabunt, Quid magis homini in præſenti vita hoſtile, quàm mortificatio, quàm ieiunium, quàm clamores pauperum? Quid magis amicum, quàm diuitiæ, quam voluptas, quàm conuiuia, quàm dignitates? Hæc modò quæruntur, coluntur, vt amica ſeruantur; illa verò timentur, reijciuntur. Sed heu cùm in conſpectu tremendi iudicis ſtandum erit, cùm vndiq; videbit homo ſtrictos diuinæ iuſtitiæ gladios, quàm verè recognoſcet ſe à ſuis perimi, à proximis carnis deſiderijs necari, illaq; deteſtabitur; vocabit autem ieiunium, pœnitentiam, pauperes, quæ in perniciem data cenſebantur, & in ijs veras diuitias, veram ſalutem poſitam clamabit.

Gloſſa.

Sic quondam diues ille purpuratus, qui epulabatur quotidiè, nec iacentem videbat Lazarum, cùm obſeſſus à ſatellitibus diuinæ iuſtitiæ eſſet. Lucæ 16. clamabat: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret* A *linguam meam.* Quid mirabilius? Qui inter pretioſiſſima pocula nutritus fuerat, qui fulgentibus vndiq; miniſtris cingebatur, ſordidos, tabidoſq; pauperes fugiebat, & Lazarum præcipuè aſpernabatur; modò non vina pretioſa, non ditia pocula meminit, non comptulum, cincinnatum miniſtrum vocat; ſed vnum pauperem Lazarum, pauperiuſq; aquæ poculum, ſibi clamat in refrigerium dari. Cur bone purpurate reſiduum aliquid vinorum tuorum non magis petis? cur non ad B refrigerij miniſterium comptulum aliquem, ex miniſtris tibi poſtulas dari? cur magis recurris ad Lazarum? ad vilem potum aquæ? Equidem vbi diuinæ iuſtitiæ, gladijs cingebatut, eò ventum erat, vt verè à ſuis ſe perimi putaret, & ab eis, quæ in interitum ſuum fuiſſe crediderat, ſaluari ſe exiſtimaret. Hinc meritò dicebat S. Zeno Serm. de Reſurrectione. *Ardoribus ſuis implorando refrigerium, Lazarum verum diuitem ſerò cognoſcit,* hoc eſt: Qui in faſtidium, & penuriam, & cru- C cem ſuam natus credebatur, tandem agnoſcitur veri refrigerij fons, verarum diuitiarum radix: & deteſtans fugienſque ſua vocat, pro illo in auxilium clamat: Quod præclarè tetigit Iob cap. 33. inquiens: *Increpat quoq; per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit. Abominabilis ei ſit in vita ſua panis: & animæ illius cibus antea deſiderabilis.* Quibus verbis præſignat hominem in vltimis conſtitutum, morborum ſatellitibus circumdatum, cui iam imminet telum diuini D iudicij; huic enim quæ in præſenti vita amabilia fuerunt, iam terrori & horrori eſſe incipiunt. Quantò magis in illo vniuerſali iudicio, vbi nullus iam ad Dei clementiam recurſus patebit, ſed vndique horror, vndiq; tremor, & ſui abominatio, ita vt homo, qui ſeueram Dei iuſtitiam in hac vita faſtidiebat, in illa duntaxat omne ſuum deſperatum auxilium poſiturus ſit.

Lucæ 16.

Zeno.

Iob. 33.

Et hoc puto S. Euangeliſta voluit innuere, dùm Chriſtum in ſpecie ſua venturum pronuntiaret: *Tunc videbunt filium hominis venientem.* Ediſſerat quæſo

Lucæ 21.

Chriſtus cur in ſpecie hominis ad extremum iudicium venturus ſit.

quæſo ſubtilis Theologus, cur Euangeliſta non ponat filium Dei, ſed filium hominis? ſi enim ad illud extremum iudicium venturus eſt cum poteſtate, hanc dubio procul multò maiorem oſtenderet, ſi in forma Dei, & Domini exercituum deſcenderet; & tamen Euangeliſta dicit: *Videbunt filium hominis*, non filium Dei. Reſponſio Theologica eſt, quia Chriſtus ad extremum iudicium veniet in ea forma, in qua Dominus noſter factus eſt, iuxta illud Pſal. 49. *Deus noſter manifeſtè veniet, & non ſilebit.* hoc eſt in ea forma, in qua nos è diaboli poteſtate redemit, regnique ſui poſſeſſionem accepit, hæc autem forma non diuina, ſed humana fuit. Addo ego, veniet in forma humana, & non diuinâ, quia ſic requirit conditio damnatorum, quibus proprium eſt in perpetua miſeria, & infelicitate verſari, nec vllo vnquam ſolatio gaudere. Cùm enim in ſententia Theologorum, vera beatitudo in contemplatione diuinitatis ſummi Dei conſiſtat, vt docet S. Auguſt: illis verbis: *Viſio eſt tota merces.* Ideò ſi Chriſtus in forma Dei ad iudicandum veniret, poſſet etiam reprobus, diuinitatem eius intueri, & ſic non ampliùs miſer, ſed beatus foret, quod repugnat Scripturæ Sacræ: nam Iſaiæ 26. dicitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Ne ergo damnati hoc aſpectu fruantur, expedit ſummum iudicem, non in diuina, ſed in humana forma venire. Inſuper venturus eſt Chriſtus in forma humana, & non diuina, quia tunc in totum hominem quatenus animâ & corpore conſtat, iudicium excercebitur: proinde condecens erit, vt iudicandi iudicem ſuum videant. Reprobi quidem ad maiorem cruciatum, & confuſionem; electi verò ad maiorem gloriam, & conſolationem. Vnde ſi iudex in diuina appareret forma, ab hominibus conſpici non poſſet, quoniam oculus corporeus, non eſt tantæ perſpicacitatis, vt diuinitatem, quæ ſpiritus eſt, cernere queat. At verò in humana forma venientem omnes videre poterunt, iuſti pariter, & iniuſti: hi quidem ad maius tormentum, & confuſionem; illi verò ad maius gaudium, & conſolationem.

Pſal. 49.

S. Auguſt.

Iſaiæ 36.

Perpendite quæſo, quis cruciatus, & quæ confuſio Iudæorum animos in illa die peruadet, quando videbunt illum Iudicem ſuum eſſe conſtitutum, quem illi aliquando vt nocentem, iniuſtè condemnarunt? Quando illũ quem quondã ſpinis coronatum, conſputum, flagellatum, & indignis modis à ſe tractatum conſpexerunt, tunc gloria ineffabili circumdatum, militia cœleſti ſtipatum, atq; ad vltionem de ipſis ſumendam venientem proſpectabunt. Quando ſacratiſſima illa vulnera, quæ clauis, ac lanceâ ſanctiſſimo corpori eius inflixerunt, inſtar radiantium gemmarum intuebuntur. Quando eorundem vulnerum, quæ corona, quam ex aculeatis ſpinis contexuerant, capiti eius impreſſit, cicatrices conſpicient? *Videbunt enim ait Propheta in quem pupugerunt.* Quando ad extremum, vt verbo omnia complectar, tremendum illum iudicem, implacabile in eoſdem iudicium exercentem, atq; ad externos cruciatus condemnantem, cernent, quem aliquando iniuſtè nulla commoti commiſeratione morti adiudicârunt? Nam vt concludit S. Auguſt: *Iudicabit veros reos, qui fuit falſus reus.* Quid verò de Ethnicis loquar? exiguuſne cruciatus eos terrebit? qui naturalibus ac vanis rationibus innitentes, ſtultitiam reputârunt hominem crucifixum, tanquam verum Deum colere, & adorare; quem tamen tunc æq; ſeuerum, ac ſapientem, & æquum iudicem experientur. Quid de Chriſtianis ediſſeram? quantus tunc illorum erit dolor, quanta confuſio, qui dùm vitam hanc mortalem agerent, magis mundum, & eius vanitates, quàm Deum; magis voluptates momentaneas, quàm cœleſtes illas in æternum duraturas delicias amârunt. Quando ſacratiſſima illa vulnera, Chriſti corpori infixa, è quibus ſanguis vbertim in redemptionem hominum profluxit, aſpicient, & ſe propter ſuam ingratitudinem ad æterna

Iudæi in extremo iudicio viſo Chriſto confundẽtur.

S. Auguſt.

Mali Chriſtiani quã tam confuſionem habebunt.

gehen-

gehennæ tormenta pergere animaduertent. Flebunt equidem mœrore & confuſione pleni, & deplorabunt infelicitatem ſuam, coram tremendo, & ſeuero illo iudice omnes iſti, tam Iudæi, quam gentiles, & mali Chriſtiani, vt ingenioſè diſcurrit S. Chryſoſth: *Plangent ait Iudæi videntes viuentem, & iudicantem; quem quaſi mortuum exiſtimabant. Plangent gentiles, qui vanis diſputationibus decepti, ſtultitiam putauerunt, Deum colere crucifixum. Plangent Chriſtiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quàm Deum.* E contra verò, electi ſummo gaudio geſtient, quia conſpicient iudicem ſibi propitium, qui pro eorum ſalute ſanguinem abundiſſimè fudit. Quia videbunt humanam naturam ita exaltatam, atq; ad tantam gloriam ſublimatam, vt ea generalis iudicij officio defungatur. Hac itaq; ratione motus Euangeliſta, non dixit *Deum, ſed filium hominis* ad iudicium mundi venturum: vt nimirum omnes homines probi, & improbi, iuſti & peccatores, iudicem ſuum intueri poſſint; illi ad ſuam conſolationem, hi verò ad maius tormentum, & confuſionem.

S. Chryſoſthomus.

Ne verò id à me temerè vobis proponi exiſtimetis, ſiſtite veſtris obtutibus grauitatem peccati mortalis, contra charitatem proximi commiſſi, & ſeriò indagate, quantum malum ſit, lædere proximum in fama, vitâ, bonis fortunæ, animi, aut corporis. Si enim ſubtiles Theologos conſulueritis, ad quos maximè ſpectat modum viuendi, & rectè agendi proponere; hi facilè reſpondebunt, in eiuſmodi peccato duplicem offenſam contineri, nimirum Dei, & proximi. Nam per quamlibet proximi offenſam, peculiari etiam ratione diuino Spiritui eandem inferri, proclamat Salomon Sapientiæ I. *Benignus* inquit *eſt Spiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ eius auditor.* Oſtendens, etiam verbum licet ſubobſcurè in proximi iniuriam iactum, à diuino Spiritu æmulatore & zelatore audiri, vt illud poſtmodùm ſeuerè puniat. Et ideò ſtatim hoc ſalubre monitum tradit: *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.* Vt ſcilicet homines à maledicentia, ſeu detractione etiam obſcurè facta abducat, ea potiſſimùm ratione, quòd licet ad aures læſi hominis non accedat; oculos tamen & aures Dei nequaquam effugiet, cùm diuinus ſpiritus orbem terrarum impleat, & cuiuſuis vocis ſcientiam poſſidens, arrectas habeat aures, ne quod factum, aut verbum in alios iniurioſè prolatum prætervolare poſſit, quin ab eo audiatur. Ferte ergo iam iudicium, quidnam ex his duobus grauius, offenſane Dei, an proximi? ſi cum Theologo Chriſtiano res ageretur, facilè reſponderet. Dei offenſam grauiorem eſſe, vt potè ſummi & infiniti boni, proinde talis offenſa ex parte obiecti infinita cenſetur. At verò ſi cum politico mundano expoſtulauerimus, quodnam ex his duobus malis tanquam minus eligere velit, Deumne offendere, an proximum iniuriare? reſponderet ſine dubio, in Deum potiùs, quam in hominem ſe peccare malle. Quia licet peccatum in hominem ſit leuius, quàm in Deum; Deus tamen licet multoties offenſus, vbi peccatoris cor contritum & humiliatum viderit, ſubitò placatur, omniumq; iniuriarum prorsùs obliuiſcitur, prout ipſemet ſpopondit. *Quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Homo autem ſemel offenſus, licet neſcio quibus modis reconcilietur, ſemper tamen auerſum gerit animum, iuxta illud prouerbium: *Homo homini lupus.* Non abnuo ita ſe rem habere: quoniam miſerationum Domini non eſt numerus.

In peccato cõtra charitatẽ proximi commiſſo duplex offenſa continetur.

Sapien. I.

Ibidem.

Offẽſa Dei ex parte obiecti eſt infinita.

Expoſtulabat aliquando ſeueram in genus humanum vltionem diuina iuſtitia, in illo cœleſti conſiſtorio, dùm in omne vitiorum genus effuſos homines, diuites, florentes, in ſua opinione vnde quaque beatos, & nullis laboribus obnoxios ſpectaret Ieremiæ 12.

Ierem. 12.

miæ 12. *Quare via impiorum proſperatur? benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt? plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum.* Ac ſi diceret: omnia ipſorum cumulantur ex votis, nihilq; ad felicitatem reliqui eſſe videtur. Et licet Deus ad primam iſtius querelæ auditionem, non leuiter indignatus reſponderit: *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis,* hoc eſt: video quidem peccatores dulci rerum ſucceſſu fortunatè frui, & ſæculi bonis ſaginari, quòd ſicut greges, qui in paſcuis opimis, & quaſi in ſagina ſunt, deſtinantur macello; ita feliciſſimi, quos nihil triſte tangit, & quibus corporis ſumma cura, virtutis ſumma incuria eſt, ad gladium ſegregati ſunt. Quemadmodùm egregiè diſcurrit D. Auguſt: Epiſt: 5. *Sed peruerſa ait, & aduerſa mortalium, felices res humanas putant, cùm tectorum ſplendor attenditur, & labes non attenditur animorum; cùm theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum; cùm glorioſa eſt effuſionis inſania, & opera miſericordiæ deridentur; cùm ex his, quæ diuitibus abundant, luxuriantur hiſtriones, & neceſſaria non habent pauperes. Hæc ſi Deus pollere permittat, indignatur grauiùs. Hæc ſi Deus impunita dimittat, tunc punit infeſtiùs.* Quia tamen illicò comparuit miſericordia in illo tribunali, ſuadens, ne Deus ad vindictam propenderet: *Quomodò* inquit *dabo te Ephraim, & diſperdam Iſraël.* Oſee 11. Quaſi apertiùs loqueretur miſericordia: quomodò poſſibile eſt Deus meus, vt manus tuas clementia & benignitate plenas, extendere velis ad puniendum, cùm per hoc reputatio, quam mundus de te habet, abſque dubio periclitaretur. Statim enim filij hominum, in quibus non eſt veritas, dicent, quòd nolis hominem trahere ad te, niſi in ira, & furore. Idcircò poſtpoſitâ iuſtitiâ, miſericordiæ annuit, reſpondens: *Conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ.* Ibidem. Quaſi diceret: recedat iuſtitiæ rigor, non poſſum ad

Ibidem.

S. Auguſt.

Oſee. 11.

Ibidem.

A hoc induci, vt de execrandis hominum ſceleribus vltionem ſumã, & manus meas ſanguine eorum cruentem. Vrget iuſtitia: quid cauſæ, quòd malè agentibus Deus conniueat? Reſpondet ille: *Quoniam Deus ego, & non homo.* Hoc eſt: ego ſum Deus benignus, & non homo crudelis? ego ſum Deus miſericors, non homo iracundus: proinde non conuertar, vt diſperdam Ephraim. Non eſt mihi cor truculentum, vt filijs hominum, quia Deus ego, & non homo. Ergo B faciliùs eſt homini Deum placatum ſibi reddere, quàm proximum, vel leuiter offenſum reconciliare.

Atque hanc ob cauſam, vt ſanctus Euangeliſta ſummum vltimi illius iudicij rigorem nobis ante oculos poneret, non filium Dei, ſed filium hominis ad iudicandum proclamauit venturum. Cùm homo iratus, crudelior, ferocior, & truculentior eſſe ſoleat; quàm Deus, licet millies noſtris peccatis offenſus. Propter maiorem igitur noſtrum cruciatum, & confu- C ſionem, veniet non vt filius Dei, ſed vt filius hominis. O bone Deus! cùm in illa die iræ, ſedebis pro tribunali, cùm in cathedra tremendi iudicij comparebis, mallem tunc videre te in forma Dei; quàm in forma hominis. Quia in hac forma ſeueriùs multò in delicta hominum animaduertes, quàm Deus punire ſolet, qui nuſquàm ſine miſericordia punit. Puniuit olim vniuerſum mundum diluuio, ſed quia vt Deus, miſericordiam adhibuit, octo animas hominum, cum omnium ani- D mantium, reptilium, & volatilium ſpeciebus conſeruando. Puniuit Sodomam igne, & ſulphure de cœlo cadente, vt fædam eius libidinem, etiam contra naturæ vitia limites excedentem, penitùs eradicaret, ſed quia vt Deus, non ſine comite miſericordiâ: quoniam innocentem Loth cum filiabus illæſum ſeruauit. Sed quando puniuit Pharaonem, abſq; omni miſericordia: omnem ei exercitum in profundo maris demerſit, ita vt ne vnus remanſerit, qui tantam cladem nunciaret: Cauſam reddit Moyſes: quia hoc

hoc fecit vt homo: *Dominus* inquit *quaſi vir pugnator omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi Principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro.* Exodi 15. Ita pariter quia Chriſtus ad illud vltimum iudicium veniet, non vt Dei, ſed vt hominis filius, ideò ſine vlla miſericordia, iuxta legum rigorem iudicabit, & ſententia irreuocabili ac irremediabili feriet mundum, ita vt nulla amplius peccatoribus ſpes conſequendæ ſalutis poſſit ſupereſſe. Tria enim præcipua remedia, quibus ſalutem conſequantur homines, ordinata ſunt, nimirum ſanguis Chriſti, pœnitentia, & ſanctorum interuentio. Vt ſi quando peccator iram Dei velit ſubterfugere, & ſuæ ſaluti conſulere, ad Chriſti ſanguinem recurrat, atq; illum ſibi ſacramentis mediantibus applicet: auſteram pro ſceleribus admiſſis pœnitentiam ſubeat: ad ſanctos confugiat, eorumq; preces imploret, vt pro eo apud Dominum intercedant. Verùm, quia in fine mundi non erit vltra tempus miſericordiæ, ſed iuſtitiæ; non ſalutis, ſed damnationis, idcircò omnia hæc remedia peccatoribus auferentur, ne ad illa confugere, & iuſtitiam eius impedire valeant.

Exodi 15.

Cõſequẽdæ ſalutis tria remedia.

Dignum conſideratione cenſetur, quod refert Scriptura Sacra Genes 45. Quando Ioſeph venditus in Ægyptum, & poſtea primus in regno conſtitutus, excepit ſibi iniurios fratres, ab illis minimè agnitus, vt primùm eos vidit, ſtatim induit ſeueritatem, quaſi exploratores tractauit, iuſſit in vinculis detineri Simeonem, dedit operam, vt furti rei detinerentur. Tandem poſt multam afflictionem, illorum ſeſe manifeſtauit fratrem. *Ego ſum Ioſeph frater veſter.* Vbi ita obſtupuerunt, Vt ne mutire quidem poſſent. *Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti.* Alia verſio legit: *proni ceciderunt in terram, & ampliùs non poterant loqui.* Vnde obſecro tantus timor eos inuaſit? ſi irâ ſuccenſus eos fuiſſet allocutus, ſi ad arma proſilijſſet, ſi toruo aſpexiſſet o-

Genes 45.

A culo, ſi exprobraſſet illas inuidias, & maleuola facta, quæ in eum patrauerant. Si vincula aut mortem intentaſſet, non mirum; ſed cùm lachrymis perfuſus in ſignum amoris oſcula eis daret, clementer affatus: *Nolite pauere,* quid tantæ cauſa perturbationis? Illud profectò: quia ad hanc vocem: *Ego ſum Ioſeph frater veſter.* Statim eis in mentem recurrebant omnes iniuriæ in eum commiſſæ. Quomodò illum immiſericorditer tractabant, alij occidere volentes innocentem: *Ecce* B *ſomniator venit, venite occidamus eum.* Alij ſuffocare aquis cupientes! *Mittamus in ciſternam veterem.* Alij deniquè venundare in duram ſeruitutem. *Melius eſt vt venundetur Iſmaelitis.* Genes 37. Ideò videntes ſe in manu eius eſſe, vt facilè omnes iniurias ſeuerâ vltione vindicare poſſet, præ nimio timore obſtupuerunt, vt ampliùs loqui non poſſent. Quid cenſetis futurum in tremendo illo iudicio, vbi implacabilis iudex, in forma hominis pro tribunali ſedens, vniuerſam ho- C minum multitudinem per Angelos congregatam, horrendâ illâ voce, ad quam olim in horto ſatellitum turba retrorſum ceciderat, alloquetur: *Ego ſum Ieſus*: eritne qui tunc muti inſtar ſaxi non hæreat?

Genes 37.

Audient hæc Imperatores, Reges, Principes, Duces, quibus vrbium & orbis moderandi cura incumbebat. Qui diuini numinis, cœleſtis regni, animarum, & ſalutis ſuæ obliti, in ſuis Imperijs, atq; dominijs rectam iuſtitiam non adminiſtrant, oppreſ- D ſiones bonorum, ſcelera improborum humiliationes benè meritorum, & exaltationes flagitioſorum hominum æquo animo ſuſtinent, ſubditos exactionibus, & tributis nimijs premunt, ac quoad fieri poteſt exhauriunt. Qui debitam induſtriam non adhibent ad intelligendas miniſtrorum, ac officialium regni fraudes, iniuſtitias, rapinas, crudelitates, tyrannidem atq; ſæuitiam: nec in eos, cum in hiſce ſceleribus inuenti fuerint, eâ quâ par eſt ſeueritate animaduertunt. Quid facient infelices, in illa die iræ, qua ſummus

Reges & Principes in die iudicij ſeuerè arguentur.

mus Imperator, Rex, Princeps, Dux, atque moderator vniuersi orbis, qui omni dignitate ac potestate humanâ superior, & in immensum maior est, commoto vultu his verbis eos alloquetur. Ego sum Iesus, qui iudico iniustitias vestras, hæc fecistis potestate de super vobis commissâ abutentes, & tacui. Hæc & illa scelera commisistis, tolerastis, fouistis, nunc igitur, asperè vos increpabo, arguam, multoq; asperiùs puniam. Et statuam contra faciem vestram, statutum illud : *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Matth. 25. Quid ad hæc Imperatores, Reges, Principes, Duces ? Equidem malletis tunc alijs paruisse ; quàm imperasse ; seruiuisse, quàm dominatos esse priuatam duxisse vitam, quàm regnasse. Sed frustra, quia non erit iam tempus pœnitentiæ, & misericordiæ, verùm rigoris & iustitiæ : Et quando Deus rapiet, non erit qui eripiat.

Matt. 25.

Audient hæc Marchiones, Comites, Barones, alijq; Domini feudatarij, qui diuini numinis, regni cælorum, animæ & propriæ salutis suæ, immemores, subditos suos tyrannicum in morem tractant, atq; exactionibus immoderatis emungunt. Quibus non sufficiunt opes immensæ, nisi modicum etiam, quod subditi illorum, in agris, vineis, domibus, armentis possident, eis auferant, sibiq; vsurpent. Imò nonnunquàm in eas illos angustias redigunt, vt etiam animalia vomeri, aratro, agriculturæ destinata, quibus vtcunq; pauperem familiam sustentare solent, vendere cogantur. Bone Deus quæ ista proportio aut æqualitas est, vt domini in omnium rerum copia ac vbertate vitam transigant ; subditi verò eorum vento duntaxat & aere pascantur ? vt domini omnia possideant, & subditis nihil penitùs relinquant ? vt domini seruorum stipendia, operariorum mercedes, pauperum sudores, penes se retineant, his quibus obstricti sunt, nihil reddant ; & ab his, qui illis obstricti non sunt, exigant, nec vnquàm alienis bonis satientur ? An certè putatis Deum ista non videre, non notare, eò quòd ad has vestras oppressiones silere videatur ? sed fallimini toto cœlo, imò nunc silet, vt postea seueriùs puniat. Veniet aliquando tempus, quo abrupto silentio ampliùs non tacebit, sed in faciem vobis scelera vestra exprobrabit, dicetque : Ego sum Iesus, qui tacui dùm hæc fecistis : dissimulaui, dùm innumera scelera admisistis. Nunc verò quoniam patientiâ meâ abusi estis. Arguam vos, & multò asperioribus supplicijs in vos animaduertam. Eheu qui nunc vos felicissimos esse reputatis, quomodò tunc in amarum planctum vestra felicitas commutabitur, atque vtinam non annumeremini illis, quibus æternus ignis paratus est. Optaretis profectò tunc vos nulli vnquam dominio præfectos, sed semper subditos extitisse ; hæc tamen sera pœnitentia nihil proderit, quia non erit locus misericordiæ, sed iustitiæ.

Domini huius mūdi ob subditorum oppressiones in extremo iudicio seuerè punientur.

Audient hæc Gubernatores, consiliarij, officiales, & vicariæ potestates, qui post tergum reiecto Deo, cœlesti regno, animâ, & salute sua, summa cum animorum anxietate, admirandis artibus & astutiis, regimina, dignitates, officia ambiunt, vt rapere, spoliare, auferre per fas & nefas inferiorum opes valeant. Vt ciues Reipublicæ & bono communi vtiles opprimant, omnia susq; deq; euertant, dùm modò suis pessimis intentis, & in perniciem vt plurimum vergentibus satisfaciant. Hinc Gubernatores, Consiliarios, Officiales, & alias vicarias potestates rectè quispiam appellauit. PESTEM RERVM PVBLICARVM. Non tantoperè enim segetes comburit ignis in agro succensus, aut nimius & diuturnus solis æstus, non tàm magnum adferunt detrimentum grandines, atq; tempestates æstiuæ frumentis, & vitibus, quantum nocent mali Gubernatores, Consiliarij, Ministri, & officiales peruersæ mentis, ac desperatæ conscientiæ, regnis, prouincijs, vrbibus, castellis, totiq; Reipublicæ. O quanti nocumenti, quantæ ruinæ

Mali Consiliarij, & officiales, peste Reipublicæ.

ruinæ solet esse auctoritas hæc malè vsurpata, pauperibus & miseris talium regnorum incolis, vt propterea plerumq; in regnis non sit nisi confusio, nisi motus & intestina bella, nisi sanguinis innocentis copiosa effusio, nisi pauperum vltima emunctio, nisi demum vbiq; vastitas, & abominationis desolatio. O miseri ! absconditis nunc malis artibus & astutijs iniquitates, & scelera vestra, adeoq; merita supplicia effugitis. Cæterùm supremum illum Iudicem, qui scrutatur corda & cogitationes, nihil horum latebit, aderit tandem vltima dies vobis infortunata, qua iustus iudex, in conspectu & præsentia totius mundi, omnes vestras fraudes, astutias, machinationes, & iniquitates exprobrabit, dicens : Ego sum Iesus, quem vos vendidistis, in ruinam & perniciem regnorum meorum, Ecclesiarum, populorum conspirantes, & apertas proditiones pharisaica simulatione tegentes. Tunc primum dolebitis ô infelices homines, quòd aliquando officia & magistratus ambiueritis, quòd dignitates concupitas obtinueritis, & administraueritis. Quia ad sinistram Iudicis consistentes, audietis illam ineuitabilem sententiam : *Ite maledicti in ignem æternum.*

Audient hæc procuratores & Aduocati ad quæuis tribunalia commorantes, qui Dei obliti, regni cœlestis & propriæ salutis immemores, bina simul mala comedere solent, nimirum ab vtraq; litigantium parte hauriendo commoda, causas omnes indiscriminatim siue iustas, siue iniustas suscipiendo. Et quòd grauius, eam litem, quam dictante conscientiâ, iniustam esse aduertunt, & quàm ne vt homines quidem politici defendere possent, ac deberent, defendendam sumunt. Die noctuq; leges, statuta, Canones, glossas, argumenta, sophismata conquirendo, quibus falsitatem sustentent, veritatem opprimant, rectam causam impugnent, iudices in errorem inducant, vt contra candorem & puritatem legum iudicent : dùm deficientibus veris probationibus, vt manifestis periurijs innocentes conuincant, plerosq; blanda persuasione, ac pecuniâ corrumpunt, & licet reluctante eorum conscientiâ, mille artibus ad deponenda falsa iuramenta inducunt. Bone Deus, potestne maius crimen esse, quàm eo fine quempiam legum studijs incumbere, vt contra bonas leges armetur, & iudices ad sententiam contra leges ferendam inducat ? O deploratæ animæ ! estne licitum in tàm grauem Dei offensam, & irreparabile innocentum damnum legum notitiâ abuti ? A causis ad defendendum sibi commissis plura sine intermissione exigere, & si pauca offerantur, lentè & oscitanter in causis procedere, lites quantum fieri potest protrahere, suam inde aucupando vtilitatem : non priùs controuersijs finem imponere, quàm crumena fuerit exhausta litigantis. O venales animas, veniet tandem vltimus dies, in qua toti mundo horum malitia reuelabitur, & acrioribus pœnis vindicabitur. Tunc certè pleni dolore, angustiâ, & confusione, optabunt se nunquàm legi operam dedisse, Bartholum aspexisse, Baldum euoluisse, Iasonem legisse, foras in publicum prodijsse, curiam & aulas Principum frequentasse ; sed vanus erit dolor, quia iam non erit tempus misericordiæ, sed rigidæ iustitiæ.

Aduocatorum quàm grauia delicta.

Audient hæc mercatores, Aromatarij, Pharmacopæi, qui propriæ salutis obliti, proximorum circumuentores ac fraudatores facti sunt, habentes in domibus, in officinis suis, bina pondera, binas lances, binas mensuras : vnam videlicet ad dandum ; alteram ad accipiendum : quarum illa parca, hæc superflua est : illa minor, hæc iusto maior. Qui miras in mercibus fraudes exercent, bonas improbis permiscendo, pessima pro optimis diuendendo. Aromata & res medicinales, inueteratas, aridas, vermibus exesas, carnem sentientes, atq; omnis virtutis & efficaciæ expertes, pro integris atque perfectis obtrudendo. Pannos crassos, pro subtilibus, oleum mixtum pro puro, frumentum corru-

Mercatorum fraudes.

corruptum pro ſano, vinum aquâ temperatum, pro generoſo & impermixto: paucis multa? merces varijs modis adulteratas, pro ſinceris diſtrahendo, optimaſque eſſe iactitando. Hinc non mirum, quòd officinas ſuas linteis ingentibus ante fores expanſis, aut periſtyliis foras prominentibus obſcurent, lucemq; liberam præpediant. Quia nimirum hac arte volunt fraudes ſuas latere: *Qui enim malè agit, odit lucem.* Id ergò faciunt, quia peſſimè agere intendunt? vt ſic iſta obſcuritate oculos ementis fallant, eiq; vnum pro alio vendant. O peruerſas & contaminatas conſcientias! quod maius peccatum eſſe poteſt, quàm idem pretium, quo ſubtilia æſtimantur, pro craſſis; quo pulchra venduntur, pro deformibus; quo optima & excellentiſſima diſtrahuntur, pro peſſimis & abiectis mercibus accipere. Quod ſcelus grauius, quàm mercatorum nomen ſibi aſſumere, & eſſe impoſtores, circumuentores, deceptores. An non hoc eſt latrones, & fures eſſe, crumenaſque proximorum quotidiè exhaurire? Quoties enim res pluris diuenditur, quàm conſtat, furtum committitur: quoties merces malæ & vitioſæ pro bonis obtruduntur, furtum committitur. Bone Deus, qua audacia hi nomen Chriſtianorum ſibi aſſumere, ſeq; illis annumerare ſolent, qui legem à Chriſto latam violant? Lex Chriſti obligat ad reſtitutionem omnium, quæ per fraudem auertuntur, aut quæ vltra iuſtam rerum æſtimationem accipiuntur. Quotuſquiſq; autem mercatorum eſt, qui hæc reſtituat? quorum artes ac impoſturæ, conſpicuæ ac notæ ſunt omnibus, ſed reſtitutiones non videntur. Cùm tamen aliter ſalutem æternam conſequi ſit impoſſibile: quia teſte D. Auguſt: Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Eheu miſeros & infortunatos homines, quando aderit dies illa iræ, in qua cunctæ fraudes, fallaciæ, & mendacia palam in totius mundi conſpectum proferentur, atq; à Chriſto iudice ſeueris verbis, ſeuerioribuſq; ſupplicijs vindicabuntur. Quomodò tunc optabunt ſe nunquàm mercaturam exercuiſſe, officinam aperuiſſe, merces aſpexiſſe ac diſtraxiſſe, quia ſiniſtram ſummi Iudicis ſe tenere aduertent, cum illis, quibus dicturus eſt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.*

Mercatores cur ante ſuas officinas lintea expandunt.

Audient hæc ad extremum diuites, auari, vſurarij, gulæ & crapulæ dediti, ſuperbi, iracundi, & cæteri quiq; in vniuerſum peruersè agentes, qui omnes cælo carebunt, & æternis gehennæ incendijs deputabuntur, niſi vitam ſeriò corrigant, peccata deſerant, pro admiſſis ſceleribus arctam pœnitentiam agant, malè ablata, & acquiſita reſtituant, damna proximis irrogata reſarciant.

Vidiſtis ergò iam in illo extremo iudicio, totum regimen penes ſeueram Dei iuſtitiam manſurum, quæ iuxta omnem legum rigorem, ſcelera in omnipotentis maieſtatem commiſſa vindicabit. Proinde nihil vobis aliud reſtat, niſi vt præueniendo triſte illud tempus, vitam in melius commutetis, ita viuendo, quaſi iam apud Deum non ſit miſericordia, cùm nihil ſit periculoſius, quàm de diuina miſericordia nimiùm præſumere, & in ſola totam ſpem collocare. Quodſi feceritis, iudicem illum non ſeuerum, ſed clementem experiemini, Amen.

)(✠)(



DOMINICA II. ADVENTVS.

CONCIO I.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. *Matth. 11.*

Producuntur quatuor modi, quibus in humanis iudicijs ſententia lata ab executione ſuſpenditur, nulluſq; eorum contra irreuocabilem Chriſti Iudicis ſententiam, quidquam in extremo iudicio profuturus oſtenditur.



Identes olim Prophetæ ſancti, quòd impij vt plurimùm in hoc mundo floreant, honorentur, & æſtimentur; probi verò premantur, irrideantur; & exhonorentur. Quòd Deus bonos affligi, & in tribulationibus ac ærumnis vitam tranſigere; malos verò in omni rerum affluentia, & proſperitate viuere ſuſtineat; in grauiſſimas erumpebant querelas. Sic Ieremias clamabat ad Dominum. *Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt;* Ieremiæ 12. Lamentabatur Iob: *Quare impij viuunt, ſublimati ſunt, confortatiq; diuitijs.* Iob 21. Querulabatur Abacuc: *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Neq; mirum, quòd enim bonis reddantur mala, & malis bona, videtur diuinæ prouidentiæ multum derogare, cùm diuina prouidentia poſtulet, vt regimen vniuerſi ſit ſapientiſſimè diſpoſitum; magis autem conforme diuinæ ſapientiæ, & bonitati videtur eſſe, vt innocentes non affligantur, & mali caſtigentur. Verùm hæc omnia eſſe ordinatiſſima, & à diuina prouidentia procedere, omnes Theologi vnanimiter fatentur. Nam quòd bonis eueniant mala, hoc ad probationem illorum, & ad maius meritum cedit. Vt palam docet ſacra pagina. Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Domino, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te* Et hoc voluit indicare Boëtius lib. de conſolatione, illis verbis: *Deus quoſdam iuſtos aduerſis agitari patitur, vt virtutes animi potentiæ vſu atq; exercitio confirmentur: ſed alijs nunquam infert mala, etiamſi ſint iuſti, ne forſitan deſerant innocentiam: quia non poterunt ſuſtinere aduerſam formam.* Quod totum tali diſcurſu illuſtrat: ſicut inquit miraculum videtur eſſe neſcienti, cur ſanis his quædam dulcia; illis verò quædam amara conueniant, cur ægri quidam etiam leuibus medicinis; quidam verò acerbis curentur: at hoc medicus quidem, qui ſanitatis ipſius atq; ægritudinis modum, temperamentumq; dignoſcit, minimè miratur. Eodem modo nos quidem miramur, quòd bonis tum aduerſa, tum proſpera; malis etiam tum optata, tum odioſa contingant; ſed tamen rector ille atque mediator mentium Deus, non miratur: quia cùm ex alta prouidentiæ ſuæ ſpecula reſpiciat omnia, quid vnicuique conueniat, agnoſcit; & quod conuenire cognouit, accommodat. Dat igitur aliquando Deus malis proſpera, vt per hoc reuocentur à ſuis malis: quemadmodùm docet Boëtius loco citato dicens: *quòd aliquando proſpera fortuna mutat mores: ac quia fortunam proſperum metuit amittere, nequitiam dereliquit.* Quòd ſi etiam permaneant in ſuis malis impij, cùm illis proſperitatibus; Deus tamen dat illis bona: quia aliquando redeunt ipſa bona ad vſus, &

Ierem. 12.

Iob 21.

Cur bonis mala eueniunt, & malis bona.

Tobiæ 12.

Boëtius.

Boëtius.

profectus bonorum, ita vt boni fruantur diuitijs acquisitis per laborem, & sudorem peccatorum, vt docet rectus Iob cap. 27. de impio loquens: *Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta, præparabit quidem: sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet.* Verùm non dissimiles audio querelas Petri Chrysologi, qui pro sancto Ioanne virtutum scholâ, Magisterio vitæ, sanctitatis formâ, normâ iustitiæ, virginitatis speculo, & singulari pudicitiæ titulo, alligato, & in vinculis detento, piâ audaciâ zelans, Herodem sicarium in ciues, in nobiles latronem, populatorem in socios, in domesticos prædonem, occisorem filiorum, homicidam in extraneos, in proprios parricidam, inebriantem cruore terram, & in siti sanguinis permanentem, ita arguit Serm. 121. *Herodes tu adulterium facis, & in carcerem vadit Ioannes, sic iudicas sedens in loco iudicis reus, in loco vindicis innocentiæ persecutor? Rogo vbi rerum facies? vbi fama? vbi pudor? vbi existimatio publici cognitoris? vbi Deus? vbi homo? vbi fas? vbi lex? vbi ipsius iura naturæ? simul omnia sunt Herodes te agente, te iudicante, te iubente, confusa.* Equidem meritò tunc innocens Ioannes alligatus, & in carcerem detrusus dicere potuit Herodi, cur ita facis? vbi rerum facies? vbi pudor? vbi Deus? Quando in illo generali iudicio, comparebit homo peccator ante tribunal supremi Iudicis, & districtiùs ab illo iudicabitur, non audebit dicere: cur ita facis? quia iustitiæ in nullo derogari videbit, vt potè multorum criminum reus. Sed potiùs humiliter dicet: *Funes peccatorum circumplexi sunt me:* potiùs humiliter illud canticum repetet: *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Tu es Deus virtutum, ego autem compendium vitiorum.* At verò in humanis iudicijs, à quibus interdum omnis iustitia exulat, & innocentia pro rea condemnatur, insontes coguntur dicere: cur hoc facis? vbi rerum facies? vbi pudor? vbi Deus? secus in vniuersali illo iudicio, vbi & ipsa Virgo Deipara erubescet, inaudita hominum scelera patefacta videns: & Angeli rubore suffundentur, qui tot enormissimos peccatores in sua custodia multorum annorum spatio fouebant; & ipsa elementa confundentur, quòd magnis peccatoribus ad vsus eorum præstò fuerint. Considerabimus itaque an in illo strictissimo & generali iudicio, audita Christi iudicis sententia: *Ite maledicti in ignem æternum,* possit aliquis modus inueniri, vt suspendatur, vel ad executionem non deducatur.

Iob. 27. — Chrysologus.

Quatuor modis executio sententiæ latæ impeditur.

Quatuor potissimùm modos Iurisconsulti adinuenerunt, quibus impediri possit decretum à iudice latum, ne ad executionem deueniat. primò, per integram restitutionem, vt si quispiam ob debita contracta à suo creditore citatus, sententiâ iudicis stringatur ad soluendum inter certos dies, sub pœna incarcerationis, obuiam eundo, ne incarceretur, soluit integrum, quod debet, tunc anticipata solutione ante præfixum terminum, dicitur impedire executionem, latæ sententiæ. Cuius rei euidentissimum testimonium habemus 2. Reg. 12. Quando post fœdum cum Bethsabee adulterium, vriæ sanguine fœdius cruentatum, toto anno perstitit Rex Dauid. Quin vel cognato conscientiæ corrosu viscera morsicante, vel sapientum amicorum vrbano admonitu, geminati sceleris conscientiâ inquietaretur ad pœnitentiam: nimiùm enim pacatè tranquilla sunt Principum scelera. Misit ad eum Dominus Nathan Prophetam, qui inopinatò adueniens perpetrati flagitij durus obiurgator, sub idonea ouiculæ parabola, & scelus prodidit, & sceleris supplicium intimauit. *Dixit autem Nathan ad Dauid: tu es ille vir, qui vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius in vxorem accepisti tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum.* Quid verò ille? culpam agnouit, & suspirijs largissimis deflere cœpit, respondens: *peccaui Domi-*

Rex Dauid toto anno in peccato adulterij mansit. — 2 Reg. 12.

Domino. Videte Regem delicijs innutritum, purpurâ splendescentem, monitu Prophetæ statim pœnitentiam corripuisse, & peccatorum vberrimis lachrymis purgasse. Sed quia Deus verè pœnitentium consolator est, de venia peccati obtenta, cum per Nathan certiorem fecit: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris.* Quasi diceret: decretum quod in te Deus exequi debuit, amara tuâ pœnitentiâ placatus, tanquàm iustus iudex super te ad executionem non deducet. Illud tamen me non leuiter mouet, quare Propheta non dixit, Dominus abstulit peccatum tuum; sed transtulit. Equidem causam conijcio: quia Deus pœnam illi indictam pro peccato, in aliam mutauerat, quod frequentissimum est in peccatoribus, quibus rarò aufertur omnis pœna, sed mutari solet in aliam; vt licet ille moriturus esset, iam non ipse, sed filius eius moreretur. Et ideò addidit Nathan Propheta: *Verùm tamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Quod pulchrè elucidat Eucherius in Glossa sic loquens: *Dauid post confessionem audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum; & tamen multis post cruciatibus afflictus effugiens reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet Deus temporali afflictione tergere, quas in eis perpetuò non vult videre.* A felicibus itaq; peccatoribus tollit Deus culpam, & relinquit pœnam: quia pœnam æternam mutat in temporalem, vt obseruat Saluianus lib. 2. de prouidentia. *Et tamen ait Rex tanti nominis, sanctitate maior, quàm potestate, prærogatiuis meritorum antecedentium supereminens, cum tanto habitu supplicet, non euadit. Et hic tantus, tam grandis fructus pœnitentiæ est, quòd æternis quidem piaculis non additur, sed in præsenti tamen veniam non meretur.* Si tam iustus rex non ab omni liberatus est pœnâ, sed eius pœna in aliam translata, quid nobiscum fiet? qui de grauissimis etiam peccatis, vix modicam, imò nullam etiam interdùm pœnitentiam agimus.

Ibidem. — Eucherius. — Saluian.

Mirantur hic Doctores sancti, quando Deus creauit Protoparentem nostrum, statim illi præceptum, seu legem de non comedendo fructu arboris prohibitæ, posuit: *In quacunquè hora comederis ex ea, morte morieris.* Genes 2. Quæ lex non tantùm comminationem; sed pœnæ simul etiam prædictionem continebat: quia Deus ita semper hominem suæ præuenire solet ruinæ, vt si quando signa aliqua externa desint, ipsâ vtatur natura: sic vt nullo præsagiente, nullo dicente, nullo exteriùs admonente; nescio quid ex se aliqui sentiant, quasi futuri infortunij præsagium. Aut enim melancholici fiunt, aut molesti & graues, aut horrorem concipiunt, & cætera similia, quod postea ex euentu cernitur præsagium fuisse calamitatis. Vnde impius Apelles Hæreticus, irridens prædictionem mortis à Domino Deo Adamo factam, stultè argumentabatur in hunc modum, Auctore D. Ambrosio lib de paradiso. cap. 5. Si homo non gustauerat mortem, vtrique quam non gustauerat, scire non poterat, ergo si non gustauerat, nesciebat; si nesciebat, timere non poterat: ergo frustra Deus mortem pro terrore obiecit, quam homines non timebant. Quod S. Ambr: in hunc modum dissoluit loco citato: *Est enim naturâ insitum omnibus, vt etiam quæ nondum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident. Vnde enim columbæ in ipso ortus sui visu terror accipitris? vnde lupi ouibus formidabiles? pullis milui? quod si in his quæ irrationabilia sunt animantia, quidam de aduerso genere animantium naturalis est terror, vt etiam irrationabilia sensum fugiendæ mortis accipiant; quantò magis in primo homine rationis vtiq; plenissimo, naturalis quædam opinio mortis debuit esse vitandæ.* Naturaliter itaq; Adamus mortem timebat, reformidabat, etsi nondum mortem gustasset nec vidisset. Vnde quia ex inobedientia in illam esset certissimè incursurus, Deus eam comminando prædixit, quam si vellet, vitare studuisset. Mirantur inquam Doctores

Genes 2. — Mens præsaga futuri mali. — S. Ambr: — Adam ante peccatum naturaliter mortem timebat.

Cur Deus legẽ mortis in homines ſemel latam non mutauit.

ctores ſancti, quòd cùm Deus decretum ſuum contra Dauidem latum mutauerit, legem mortis in primos parentes ſemel ſtatutam, non ampliùs retractaſſe in Scriptura Sacra legatur? Reſpondet Lyranus: quia Dauid pro ſuo delicto ſatisfecit per pœnitentiam Deo, idcirco Deus ſuſpendit decretum, mutauit ſententiam. At verò primi parentes noſtri, tantum abeſt, vt pœnitentiam poſt crimen commiſſum agerent, vt potiùs illud omnibus modis excuſarent. Poſtquàm enim Adamum ipſa oris turbatione, palloreq́; ſcelus prodentem Deus interrogauit: *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti.* Statim Adamus in Auctorem ipſum ſalutis, criminis occaſionem retorſit, dumque niteretur excuſare delicta, cumulatiùs grauauit peccata: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Equidem ſociam dediſſe Deum, eiuſq; imperio ſubdidiſſe mulierem, culpam Adami adaugebat, quandoquidem tenebatur ſtudioſè attendere, & attentè vigilare, ne mulier in paradiſo diuagaretur, & cum ſerpente colloquia miſceret: quòd dùm non præſtitit, culpam ſuam auxit. Vt præclarè diſcurrit Gregor: apud Lippomanum: *Imputare ſibi Adam peccatum ſuum noluit, quando culpam ſuam in creatorem refudit, dicens: Mulier quam dediſti mihi ſociam.* Cui conſonat Eucherius: *Ad cumulum* inquit *peccati ſui ſuperbè reſpondit, non humiliter, quaſi querimoniam in Deum dirigeret, cur ei talem dediſſet ſociam. Vnde ei occaſio peccati eſſet.*

Genes. 3.

Ibidem.

S. Gregor.

Eucheri[9].

Hinc S. Chryſoſth. hanc Adami excuſationem, meritò putat non potuiſſe immunem eſſe à ſupplicio homil: de patientia Iob. *Ille* inquit *reſpondens Deo ait: Mulier dedit mihi, & comedi. O reſponſum indulgentiam non habens; Illa* inquit, *comede: Deus dixit, ne comedas, quare ergo mulieri obſecundas, & Deum ſpernis?* Nam poſt Dei oſtenſam & agnitam voluntatem, quòd Adam ſe creaturis ſubmiſerit, vt earum placitis gubernaretur, id ſolùm faciendum proponens, quòd vole-

S. Chryſo.

A bant illæ, piaculum erat dignum ſupplicio. Et quòd ita ſe res habeat, ex ipſa ſacra pagina diſcite veritatem. Venerat Dominus Deus ad Balaam, dixeratq́; illi, ne deſcenderet cum legatis Madianitis, ad maledicendos Iſraëlitas, annuit ille, dimiſitq́; legatos, & noluit ire cum illis: Reuerſi iterùm legati enixè petierunt, vt ſecum deſcenderet: quibus Balaam reſpondit: *Obſecro vt hic maneatis etiam hac nocte, vt ſcire queam, quid mihi rurſùs reſpondeat Dominus: Venit ergo Do-*
B *minus ad Balaam nocte, & ait ei: ſi vocare te venerint homines illi, ſurge & vade cum eis, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias.* Surrexit Balaam mane, & ſtratâ aſinâ ſuâ profectus eſt cum eis. Et iratus eſt Deus, ſtetitque Angelus Domini in via contra Balaam. Numer: 22. Quid obſecro cauſæ, quoniam Deus præceperat ire vatem cum legatis, cur iraſcitur illi? cur Angelum percuſſorem obijcit in via? Reſpondet ipſemet illis verbis: *Obſecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, vt*
C *ſcire queam, quid mihi rursùs reſpondeat Dominus.* Quibus verbis oſtendit homo veneficus, ſe illâ nocte rediturum ad artes ſuas, dæmoneſque dominos ſuos euocaturum, vt ſciret ex eis, an ire deberet; quod non potuit eſſe non illi ad ſupplicium, cùm hæc faceret poſt verum Deum auditum negantem viam. Quis enim poſt Deum auditum, euocans creaturas, quarum ſequatur nutum, à ſupplicio liber eſſe poteſt? Ait Origenes homil. 13 in Numer: *Moleſtus eſt Balaam Deo, &*
D *extorquet propemodùm permitti ſibi, vt eat maledicere filijs Iſraël, & vt inuocet dæmones, ad quem iam venerat Deus. Petenti ergo ire conceditur, in via conteritur ab aſina.* Quia itaq; Dauid poſt commiſſum peccatum, ſincerè doluit, fleuit, miſericordiam Dei inuocauit, ideò Deus mutauit ſententiam contra illum latam; at verò primi parentes, quia non egerunt pœnitentiam, ſed potiùs culpam excuſabant, Adam in mulierem, mulier in ſerpentem crimen refundendo, ideò Dei ſententia immota ſtetit. Et quidem hic error in poſte-

Num. 22.

Ibidem.

Origenes.

Error peccata propria excuſandi

in poſteros transfuſus ab Adamo eſt.

in poſteros Adæ latè graſſatur tranſfuſus, nam cum vna eademq́; ratio nos & alios tangat, ſolummodò conſideramus, quâ alios grauat, non qua parte nos ipſos onerat,

Iam ergo habemus, quòd decretum Iudicis poſſit ad executionem non deduci, ſi reus fecit reſtitutionem, & ſatisfecerit. Videamus iam an etiam in illo extremo iudicio, hic modus peccatoribus ſuccedet? minimè equidem: dicit enim S. Auguſt: *Cùm venerit temp[u]s iudicij, non erit locus correctionis, ſed campus æternæ damnationis.* Et hoc voluit exprimere Propheta Domini, de nouiſſimo iudicij die loquens Sophon. 1. *Dies illa dies tribulationis, & anguſtiæ, ſuper ciuitates munitas.* O verba digniſſima, quæ aſſiduò memoriâ circumferantur. Ponderemus diligenter ſingula. *Dies* inquit *tribulationis, & anguſtiæ.* Equidem noſtri dies in præſenti vita, licet tribulationibus, & aduerſitatibus pleni ſint; rectè tamen dies tribulationis, & anguſtiæ appellari non poſſunt, cùm tales non omnib[9] generatim hominibus eueniant. Quippè vno in afflictionibus exiſtente, alium gaudio efferri: vno afflicto, alium læto animo eſſe: vno tribulato, alium conſolationibus terrenis affluere videmus. At non ſic erit in extremo die iudicij: nam omnibus generatim improbis hominibus, erit illa dies calamitatis, & anguſtiæ, ne vnus quidem inter ipſos erit, qui animo ſit hilari, & iucundo: tunc enim omne illorum gaudium, omnis voluptas, omne ſolatium finem accipiet, & æternum ipſorum væ initium capiet. Imò & homines probi, ac iuſti, viſâ totius mundi ruina, & vniuerſi terrarum orbis deflagratione, non poterunt hilari eſſe animo: neque ita conſtantes, vt ſine omni mentis turbatione, atq́; cordis commotione futuri ſint. Nec temerè Propheta Sophonias addidit: *Super ciuitates munitas.* Vt nimirum indicaret, tunc ad effugiendam tremendi iudicij iram, nihil profuturam fugam in caſtella, Vrbes, & arces munitiſſimas, eò quòd aſſidui terræ motus, omnia mœnia,

S. Auguſt.

Sophon. 1.

Dies iudicij improbis erit luctuoſa.

In die iudicij terræ motus omnia ſubuertent.

A turres, munitiones, atq́; omnia cuiuſcunq́; roboris ædificia ſubuerſuri, & ſolo æquaturi ſint. Imò Eccleſia ſancta in officio defunctorum addit: *Dies Domini magna, & amara valde*: quia omnes dies vſq́; ad nouiſſimum iudicij diem, noſtri ſunt, nobis collati à Domino, vt bonis, ac præclaris actionibus inſudemus, vt animæ ſalutem operemur, vt cœleſte regnum lucrifaciamus, hortante Apoſtolo: *dùm tempus habemus, operemur bonum.* At in nouiſſimo iudicij die, nemo ne-
B que iuſtus, neq́; peccator, opus aliquod bonum aut malum facere poterit: quia tunc ceſſabunt omnes hominum actiones, qui coram ſummo iudice pauidi, ac trementes conſiſtent, vt iuxta operum ſuorum bonorum, vel malorum merita, præmium aut pœnam recipiant. Et Deus in illa die ſolus operabitur, quia ſolus omnes iudicabit, & ſententiam feret, non ampliùs immutandam, ſed ſtatim executioni mandandam.

In die iudicij ceſſabunt omẽs hominum actiones.

Secundò, ſententiæ latæ executio
C impeditur per falſam querelam: aſſerendo videlicet, quòd forum ſit incompetens, accuſationes nullius momenti, teſtimonia falſa, ſcripta adulterata, quodq́; Iudex in ferenda tali ſententia lapſus ſit. Nam vt docet S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono, non pauci iudicium huius mundi, licet veritatem & iuſtitiæ cauſam optimè perſpectam habeant, contrariam tamen ſententiam ferunt. Vel quia muneribus deliniti ſunt, nihil veriti diuinam illam comminationem,
D quam Deus per Iſaiam Prophetam illis intentat, cap. 5. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.* Et per ſapientem Prouerb: 17. *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij.* Vel quia amore magis vnius partis; quàm alterius ducuntur, immemores illius dicti Salomonis. Prouerb: 24. *Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Vel quia odio contrariæ partis incenſi ſunt, non attendentes, quid eis D. Iacobus in ſua Epiſtola cap. 1. dicat. *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Vel

Falſa querela iudicis ſententiã ſuſpendit.

Iſaiæ 5.

Munera amor, odiũ, metus, iudices ſæculares peruertunt.

Prou. 17.

Ibidẽ. 24.

Iacobi. 1.

Vel deniq; quia potentes, & locupletes homines offendere metuunt, non conſiderantes illud, quod ſcripſit ſapiens Eccleſiaſt: 7. [Ecclef. 7.] *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas perumpere iniquitatem.* His quatuor de cauſis, apud iudices ſæculares, plerumque innocens damnatur; nocens verò iudicum ſententiâ abſoluitur: facultates ſæpè proprio domino auferuntur, & ei, ad quem non pertinent, iudicum ſententijs adiudicantur. Propter quod innumera iudicum turba ad infernalem regionem pergit. At verò in illo extremo iudicio, æquiſſimus ac ſummus iudex, nullo horum modorum circumueniri poterit, Non muneribus, quoniam iuſtiſſimus eſt, noſtrarum opum minimè indigens, vt docet Regius Vates Pſal. 15 [Pſal. 15.] *Bonorum noſtrorum non eget.* Non amore; quia æquitatem magis, quàm amorem reſpicit Pſal. 48. [Pſal. 48.] *Frater non redimit, redimet homo.* Non inuidiâ: quia nullam ſuarum creaturarum odit, Sapientiæ 10. [Sapien. 10.] *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Non deniq; metu: quoniam omnibus potentior eſt, ita vt neminem formidare poſſit. Iob. 22. [Iob, 22.] *Nunquid timens arguet te, & veniet tecum in iudicium.* De quo pulchrè S. Bernardus diſſerit. [S. Bernar.] *Veniet* inquit *dies illa, in qua plus valebunt pura corda; quàm aſtuta verba; conſcientia bona, quàm marſupia plena. Quandoquidem iudex ille, non fallebur verbis, non flectetur muneribus.*

Non poterit igitur tunc ſententia lata immutari, per falſam querelam: quia iudex erit ipſemet Chriſtus, qui falli non poteſt, teſte D. Auguſt: [S. Auguſt.] Serm. 34. *In iudicio Dei non poteſt aliquis mentiri, nec decipere Deum.* Rationem iſtius reddit Iob cap. 12. [Iob 12.] *quia nouit decipientem, & eum qui decipitur.* Nam ipſe intuetur omnia, ſcit omnia, cognoſcit omnia Hebr. 4. [Hebr. 4.] *Omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius.* Imò etiam ſecretiſſima, & occultiſſima, quæque ſingulorum hominum, in illo iudicio deteget, vt proteſtatur ipſemet Nahum 3. [Nahum 3.] *Reuelabo* inquit *pudenda tua, in faciem tuam, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Perpende miſer peccator verba hæc, & attentè conſidera, quomodò in illis minatur tibi Deus, ſe in die iudicij ignominiam tuam, publicè coram vniuerſo mundo patefacturum, potiſſimùm quoad tria. Primò, quoad actus laſciuos & carnales, quando ait: *Reuelabo pudenda tua, in faciem tuam.* [Deus tria potiſſimū peccata hominum in iudicio reuelabit.] Hæc enim quæ tu in occulto feciſti, coram omnibus tibi obijciet, & exprobrabit.

Secundò, quoad occulta, & ſecreta flagitia. quandò dicit: *Et oſtendam gentibus nuditatem tuam.* Nam tunc omnia illa velamina reuelabit, omneſque illas artes, & aſtutias tuas, quibus ea contegere, & occultare ſolebas, deteget, vt omnibus gentibus ſcelera, & fraudes tuæ conſpicuæ fiant. 3tio, quoad diſſolutam, & flagitioſam vitam tuam, quando addit: *& regnis ignominiam tuam.* Quia illam omnibus Angelis, hominibus, & dæmonibus, ad tria diuerſa regna, cœlum. Videlicet, terram, & infernum pertinentibus patefaciet. Recordare ô peccator magnæ huius confuſionis, & infamiæ: multum enim tibi proderit ad vitam corrigendam, & mores in meliùs mutandos, vt ſic cum probis, ac iuſtis, æternæ vitæ præmium, atque immortales honores conſequaris; non verò cum malis, & reis æterna ſupplicia, ac perpetuam infamiam patiaris. Vide quia tunc difficilè erit accuſationes impugnare, teſtimonia falſa obijcere impoſſibile: quia præcipuus teſtium erit, propria vniuſcuiuſq; conſcientia, quæ peccatorem intrinſeco remorſu pallidum, & exanimato ſimilem prorsùs conſtituet, atque externis hiſce indicijs, ſcelera intùs latentia prodet. Sic teſtatur Diuus Paulus Rom. 2. [Rom. 2.] *Teſtimonium* inquit *reddente illis, conſcientiâ ipſorum.* Auaro enim verbi gratia, teſtis & accuſator erit, auri atq; argenti cumulati, & ſcrinijs incluſi rubigo, ne lucem aſpiceret, neue ex eo pauperibus & neceſſitatem patientibus ſuccurreretur. [In iudicio propria vniuſcuiuſq; conſcientia, teſtis actionum eius erit.] Veſtes item multiplices ciſtis incluſæ, magis vt à tineis, & vermibus conſumerentur; quàm vt pauperes inde

inde veſtirentur. Ipſæ præterea tineæ, veſtium conſumptrices, teſtimonium ferent, & vindictam clamabunt contra auarum, quòd maluerit mendicum frigore enecari; quàm veſtimenta è ciſtis depromere. Necdùm ſatis, ſed inſuper producentur libri, in quibus omnia ſingulorum ſcelera, omnes peruerſæ actiones, omnes noxiæ cogitationes, deſcriptæ erunt, & ſecundùm ea, quæ in libris reperta fuerint, quiſq; iudicabitur. Vt teſtatur S. Ioannes in ſua Apocalypſi cap. 20. [Apoc. 20.] *Libri* inquit *aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris.* Libri inquam tres, vnus eſt æterna Dei memoria, [Iudicium ex tribus libris fiet.] in qua ipſe omnia ſingulorum peccata deſcribit. Alter eſt propria vniuſcuiuſq; conſcientia, in qua peccata ſua commiſſa quilibet exarat. Tertius eſt Chriſtus: is enim quoad vitam ſuam eſt liber exemplaris totius vitæ noſtræ, Vt teſtatur ipſemet Ioann: 13. [Ioann. 13.] *Exemplum dedi vobis, vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis.* Ex his libris vita vniuſcuiuſque examinabitur, & ſententia immutabilis proferetur.

Tertio modo impeditur executio ſententiæ latæ, per appellationem: [Appellationis effect⁹.] cuius effectus eſt, quòd reprobatis inferiorum iudicum ſententijs, omnia quoq; quæ ex illis ſecuta ſunt, reuocetur, vt ſatisfiat illi receptæ iuris regulæ: *pendente appellatione nihil innouandum.* Porrò vt appellatio ſit legitima, debet à iuriſdictione inferiori, ad ſuperiorem idq; iure deſtinatam interponi, alias ſententia, à qua non fuerit legitimè appellatum, tranſibit in rem iudicatam. Sic quondam vir egregius Machæta dictus, ad tribunal Philippi Regis Macedonum euocatus, & iniuſtè condemnatus, appellatione interpoſita liber euaſit. Cùm enim Philippus Macedo ſedens pro tribunali, eius cauſam cognoſceret, ſed [Machætas ab eodem iudice ad eundē appellauit.] dormitabundus nec ſatis attentus ad iuris æquitatem, ſententiam aduersûs Machætam innocentem ferret, exclamauit Machætas, ſe ab ea ſententia appellare. Rex iratus (nam appellandi verbum monarchis inuiſum) dixit: Ad quem: Reſpondit Machætas, ad teipſum o Rex, vt expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam. [Licitū eſt à iudice inferiore ad ſuperiorē appellare.] Tunc poſteaquàm Rex cauſam apud ſe meliùs perpendiſſet, intelligeretq; Machætæ factam iniuriam, iudicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam, quâ damnatus fuerat Machætas, ipſe perſoluit, vt refert Plutarchus in Apophtegmatis regum. Licitum itaque eſt in iudicijs humanis, à iudice inferiore ad ſuperiorem appellare, dùm ſe quiſpiam grauatum ſentit. Sic frequenter videmus à Caſtrenſibus iudicijs, ad tribunalitia Regni appellationes interponi. Imò quod magis mirandum, interdum etiam ad ipſum Deum, dùm alius modus probandæ, & defendendæ innocentiæ non conceditur. Cùm Magiſter Teutonicorum ordinis, prætenſo falſo crimine, ſciens prudenſq; per indignationem, ſuſpendio quendam perimeret innocens ille ad ſupplicium ductus, ad tribunal Dei Magiſtrum citauit pro tertia decima die, inquiens: [Appellatio ad Deum interpoſita formidabilis.] *ad diuinum iudicium appello, tecum inter tredecim dierum curriculum diſceptaturus, vt iuſti iudicis examen ſentias.* Qui adueniente ea die occubuit. Quod accidit in Liuonia circa annum Domini 1407. Vt refert Crant. lib. 11. Fulgoſius quoque baptiſta ſcribit; Equitem Neapolitanum, cum reliquis Templarijs confratribus ſuis, ad ſupplicium raptum. CLEMENTEM VI. & PHILIPPVM Pulchrum Franciæ Regem, quorum iuſſu omnes necabantur, de feneſtra proſpectantem ita allocutum fuiſſe. [Clemens. VI. Pontifex appellatione ad Chriſtum euocatus.] *Quando inter homines nullus ſupereſt, ad quem appellem, ad iuſtum iudicem Chriſtum, qui nos redemit, appello, vt ante eius tribunal intra annum & diem vos ſiſtatis, vbi cauſam meam exponam.* Res mira: intra annum vterque de excidio illius ordinis, Deo rationem redditurus, extinctus fuit.

At verò, in extremo illo iudicio, modus hic non ſuccedet: licet enim in præſenti vita, frequenter à ſeuera Dei iuſtitia, ad eius miſericordiam prouocare nobis liceat, quamdiu lex gratiæ, & clementiæ Chriſti viget; in illo

in illo tamen nouiſſimo iudicij die appellare à Deo irato, ad eundem propitium haud licet. Quia tunc vt docet S. Hieronymus epiſtola ad Heliodorum: *Amor læſus vertetur in furorem:* Proinde miſericordiæ locus amplius non erit. Non licebit appellare ad altius tribunal; quia nullus inuenitur iudex, qui Chriſto ſuperior ſit: iuxta illud: *Pater omne iudicium dedit filio.* Ioann: 5. Dedit ſanè Pater omne iudicium Filio, vt filius leges ſtatuat, obedientiam ſubditorum faciat. Cur autem id pater non faciat, ſed filius? ratio in promptu: quia ſolus filius legibus paruit, ideoq; ille ſolus leges præſcribit, quibus obediant ſubditi. Sic cenſet Iobius Monachus lib. 3. de Chriſto incarnato, apud Photium in Biblioth: aiens: *Quare Pater non iudicat quempiam, ſed omne iudicium dedit filio. Qui creaturam perſemet refigens, & primus legem implens, exemplum nobis degendæ vitæ ſeipſum præſcribit, quam vitam facilè eſt rectè inſtituere, ſi modo in Principem, & manuducentem reſpiciamus. Optimus quippè legiſlator ille, qui non verbis modò, quid agendum; ſed actione ipſa potiùs præit.* Ergo à ſeuero iudice Chriſto, in iudicio illo extremo, non ampliùs appellationi locus erit. Ad hæc inter Iuriſconſultos proclamatum eſt: *In criminibus notorijs non admittitur appellatio.* In illo autem generali iudicio vniuerſa & ſingula hominum ſcelera, ita erunt omnibus creaturis nota, & manifeſta, vt ea quilibet tam homo, quàm Angelus, viſurus ſit, in conſcientijs illorum, non aliter atq; in politiſſima tabulâ deſcripta Auctore D. Hieron: ad Oceanum ita ſcribente: *Aderit dies illa, in qua omnia facta hominis, quaſi in quadam tabulâ, picta demonſtrabuntur.* Id ipſum docet S. Baſilius in tract: de virginitate, his verbis: *Omnia facta noſtra non ſummatim & indigeſtè cernentur; ſed omnia veluti in tabula, per partes diligenter expreſſa, intuebuntur.* Imò addit vlterius in eodem loco iſte S. Doctor, non ſolùm vniuſcuiuſq; peccata in die iudicij, tanquam in tabula deſcripta eſſent, omnibus conſpicua futura, ſed etiam modum, viam, & media, quibus quiſque in illis perpetrandis vſus fuit. Verbi gratia adulteri alicuius, aut fornicarij, non ſolùm patebit toti mundo adulterium, ſeu fornicatio: ſed etiam quomodò de nocte ſurrexerit, quo habitu ſe veſtierit, ne agnoſceretur: per quas plateas, latibula, & quibus paſſibus inceſſerit, qua via concubinæ ædes intrauerit, qua arte vt eam ad peruerſæ voluntati ſuæ conſentiendum induceret, vſus fuerit. *Quomodò* inquit *Magnus Baſilius, ad patrandum adulterium quiſq; properans è lecto ſurrexerit, quibus paſſibus incedere viſus eſt: quo motu corporis, lentiore, an concitatiore: quem habitum, dùm progrederetur, aſſumpſit: & qua ex parte irrumpens, alienam vxorem violauit: quo item ordine huic mulier ad opus nefarium ſe ſubſtrauit, hæc omnia velut in tabula expreſſa cernentur.* Quod idem de omnibus alijs ſceleribus ſentiendum eſt. O quanta tunc erit confuſio, quantus pudor, quanta infamia hominis peccatoris, cum in conſpectu atque præſentia totius mundi, omnia & ſingula eius crimina, etiam occultiſſima, modumq; & rationem in ijs admittendis ſeruatam, in publicam lucem proferri, ac manifeſtari conſpiciet. Reuoluite quæſo ſæpiùs vobiſcum hanc intolerabilem confuſionem, & ſcelera veſtra ſanctis pœnitentiæ operibus, ac firmo eadem vitandi propoſito, eluere ſatagite: alioqui tantum vobis afferent dedecus, atq; ignominiam, vt potiùs viui terrâ obrui; quàm tantam infamiam ſuſtinere malletis.

S. Hieron. | Ioann. 5. | Iobius. | S. Hieron. | S. Baſilius. | Idem qui ſupra.

Diceret forſan quiſpiam, vt quid in nouiſſimo die iudicij, omnia & ſingula peccata hominum detegentur, cum pro illis homo in ipſo vitæ egreſſu iam ſit iudicatus, & ſufficienter punitus? res autem ſemel iudicata, bis non debet iudicari. Quod maximè de Deo intelligendum eſt, ex illo Nahum 5. *Non conſurget duplex tribulatio,* Interpretes vertunt: *Deus non iudicat bis in idipſum.* Fateor omnes animas, tàm malorum quàm bonorum in inſtanti mortis iudicari, nec ſecundò iudicandas eſſe. At verò in iudicio vniuerſali, non anima, ſed homo iudicabitur, vt notat S. Tho: lib. 4. Sent: diſt. 7. Quia ergo anima ſeiuncta à corpore, non eſt totus homo, ſed ſpiritus, & pars hominis; corpus quoq; ſeparatum ab anima, non eſt homo, ſed cadauer, & pars hominis. Anima verò & corpus ſecum vnita, integrum hominem conſtituunt, ideò ſumma Dei iuſtitia exigit, vt veniat aliquando vna dies, qua totus homo vel puniatur, vel remuneretur. totus inquam in corpore ſimul & anima. Vnde manifeſtè conſtat, hominem ſemel tantùm, non bis iudicatum iri, cum in morte ſola anima iudicetur, quæ eſt pars hominis.

Nahum 5. | In inſtanti mortis ſola anima iudicatur; in iudicio autem vniuerſali totus homo iudicabitur.

Et quoniam plurimi reperiuntur inter homines, qui ad oculum videntur eſſe ſancti, iuſti, timorati; qui tamen occultè ſceleratiſſimè viuunt, & enormiſſimis vitijs Deum offendunt, idcircò ad ſummam & perfectiſſimam Dei iuſtitiam pertinet, in nouiſſimo die iudicij, occulta eorum ſcelera detegere, vt conſtet toti mundo non tales fuiſſe, quales putabantur. Neq; tamen hinc inferre licet, ſi omnia peccatorum ſcelera in extremo iudicij die manifeſtabuntur, ad illorum dedecus & infamiam, ergo pariter multa iuſtorum crimina patefieri debebunt, ad eorum opprobrium. Eò quòd non pauci ex hominibus iuſtis, & ſanctis, qui dexteram iudicis tenebunt, dùm inter viuos degerent, grauiſſimis ſceleribus implicati fuerint. Quales extitêre Dauid, Petrus, Paulus, Matthæus Publicanus, Latro, Euangelica Samaritana, Magdalena, Maria Ægyptiaca, & alij innumeri ante conuerſionem ſuam grauiſſimè Deum offendentes. Proinde & illi aliquam ſuſtinere debebunt confuſionem, ex admiſſorum ſcelerum intuitu. Quia licet etiam mala iuſtorum opera, in illo iudicio cunctis conſpicua, & manifeſta erunt; non tamen ad infamiam ipſorum, ſed potiùs ad honorem & gloriam. Quod ſic concipite: Si videretis aliquando veſtem pretioſam, claui alicuius fortuitâ inhœſione diſcindi, aut a tinea perforari, quàm ingenioſus ſartor videns, reſarciretq; & priſtino decori reſtituere volens, manum acui applicaret, fila aurea, vel ſerica aſſumeret, & docta manu foramen, aut ſciſſionis locum, venuſto aliquo emblemate, ſeu artificio obduceret, & venuſtiſſimis margaretis atq; gemmis aptè inſertis, ita contegeret, vt foramen, ſeu ſciſſio illa, veſti non modò nullam adderet deformitatem; verum etiam maiorem adiungeret pulchritudinem, & ornatum. Profectò veſtem illam non flocci pendendam, ſed magni æſtimandam cenſeretis: Ad eum planè modum, corda & conſcientiæ noſtræ inſtar protioſarum veſtium ſe habent, quas peccati clauus diſcindit, & iniquitatis tinea erodit. Omne enim crimen quod admittimus, foramen ſiue ſciſſio eſt, quâ cor & conſcientiam noſtram ſauciamus. Iuſti ergo qui ad dexteram Iudicis in tremendo illo iudicio conſiſtent, licet in hac vita degentes, plurimis ſe ſcelerib⁹ obſtrinxerint; quia tamen dùm viuerent, tanquàm prudentes & induſtrij artifices, filis aureis & ſericis, id eſt, charitate, pœnitentiâ, atq; aculeatæ contritionis acu, eadem foramina & ſciſſuras conſcientiarum ſuarum, eleganti opere obduxerunt, pretioſaſq; diuinæ gratiæ gemmas, eiſdem inſeruerunt, ideò non modò nullam ex eis contrahent deformitatem, ſed potiùs maiorem decorem, & venuſtatem. Proinde peccata per pœnitentiam expiata, magis cedent illis ad laudem, & gloriam; quàm ad vituperium, & confuſionem: eò quòd illa tàm accuratè contegere, & expolire nouerint.

Iuſtorum mala opera in die iudicij nô ad côfuſionē, ſed ad gloriam & honorē ipſorum manifeſtabuntur

Ingenioſè hoc tetigit S. Paulus ad Rom. 8. Vbi ita ſcribit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quid agis magne Doctor gentium Paule? poteſtne ignauia fulcire ſtudium? poteſtne linguæ lapſus virtuti afferre incrementum? Et quando vel leuis morbus non aduerſetur ſanitati, ſed militet ſoſpitati? *Omnia* inquit *cooperantur in bonum*: quia gratiæ auxilio potentiam Rom. 8.

tentiam numinis æmulantes, lumen faciunt de tenebris ſplendeſcere, ipſaque vitia virtutibus inſeruire. Nam leuis culpa, interdùm eſt profundiſſimæ humilitatis materia, & quæ videbatur virtuti attuliſſe detrimentum, pendit profundiſſimæ humilitati tributum. Ita reſoluit S. Anſelmus in hunc locum: *Dilectoribus* inquit *Dei omnia cooperantur, id eſt, ſimul fiunt cuncta in bonum: quia in bonum vertuntur illis omnia, quæcunq; ipſis accidunt, non ſolùm illa, quæ appetuntur, vt moleſta vſq; adeò prorsùs omnia, vt etiamſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis proficiat in bonum: quia humiliores reddunt, atq; cautiùs poſt inſiſtunt bonis actibus.* Eadem eſt mens S. Auguſtini, qui citatum Apoſtoli locum ita exponit: *Diligentibus Deum cooperantur in bonum, etiam peccata: quia illa per pœnitentiam ſanctam, ardentem charitatem, & diuinam gratiam obducunt, atq; exornant.* In tremendo itaq; illo die iudicij, tota infamia & confuſio in ſolos reprobos cadet: quia eorum ſcelera omnia, nullis ornamentis conueſtita; ſed nuda & manifeſtà totius mundi oculis exponentur. Atq; hinc fiet, quòd ſententiæ in eos latæ executio, per appellationem impediri non poterit: quia in criminibus notorijs nulla admittitur appellatio.

S. Anſel.

S. Auguſt.

Vltimo tandem modo, ſententiæ latæ executio ſuſpenditur per ſupplicationem, quando apud Iudicem multæ, eæq; graues perſonæ pro reo condemnato intercedunt. Verùm in die iudicij modus iſte non ſuffragabitur peccatoribus: licet enim tunc ipſa B. Virgo, omneſque Angeli, & ſancti, cum ea humiles ſupplicationes pro reprobis offerrent; minimè tamen eum à rigore dimouere poſſent: quia non erit ampliùs miſericordiæ locus; quæ ſolùm in hac vita hominibus promiſſa eſt. Sicut enim in veteri teſtamento tria erant refugia, in quibus homines ſaluabantur, nimirum arca, montes, & templum. In arca quippè Noë diluuium euaſit: in monte Loth, ab incendio ſaluatus eſt: in templo Iſraëlitæ, admiſſo aliquo crimine, vitam tuebantur. Ita pariter in lege gratiæ, tria hæc refugia, myſticè nobis conceſſit Deus, vt ab ira eius peccatis grauati protegamur. Arca eſt ſacratiſſima Chriſti humanitas, ad quam dùm peccator confugit, inuenit in ea ſanctiſſima illa vulnera, quæ patentibus cicatricibus ſuis, pro eo has voces ad Deum emittunt, *dimitte homini ſcelera eius, propter quæ clauis, & lancea, mihi inflicta fuerunt.* Montes altiſſimi, ſunt ſancti Dei propter virtutes & merita ſua, de quibus locutus eſt Dauid Pſal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Templum illudq; nobiliſſimum, quia ipſiuſmet Spiritus ſancti, eſt Beatiſſima Virgo: ad hoc ſacratiſſimum templum, tutiſſimum omnibus peccatoribus patet refugium. Virgini enim Auguſtæ nulla negatur gratia; ſed quidquid à Domino poſtulat, impetrat. At in nouiſſimo illo iudicij vltimi die, nihil peccatoribus proderit, ad ſanctiſſimam Chriſti humanitatem recurrere: quia Chriſtus non erit vltra eorum aduocatus, ſed iudex ſeuerus. Nihil eis proderit refugere ad Beatiſſimam Virginem, quia hæc negabit illis ſuam protectionem. Nihil eis proderit Sanctorum opem implorare: quia, hi non erunt ampliùs peccatorum interceſſores; ſed iuſtæ iudicis ſententiæ in peccatores latæ approbatores, iuxta illud Sapientiæ 5. *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduersùs eos, qui ſe anguſtiauerunt,*

In die iudicij, peccatoribus nec Beata Virgo, nec Sancti patrocinari poterunt.

In veteri teſtamento tria refugij loca.

Pſal. 120.

Sapien. 5.

Quod pulchrè figuratum agnoſco in Scriptura Sacra Apocal. 6. vbi vidit S. Ioannes, Agnum accepiſſe de dextera ſedentis librum, ſeptem ſigillis ſignatum, qui poſtquàm quinque ſigilla aperuiſſet, vbi ad ſextum reſerandum venit, cœperunt ſtellæ cadere, & cælum recedere: *Et vidi* inquit, *cùm aperuiſſet ſigillum ſextum, ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram, & cœlum receſſit, ſicut liber inuolutus.* Quid hoc loco intelligatur per ſtellas, optimè præ alijs reſoluit Haymo, intelligens ſanctos: *Stellæ* inquit *cœli, ſancti ſunt, qui in tenebris iſtius vitæ lucent, veluti in firma-*

Apoc. 6.

Haymo.

in firmamento ſtellæ, qui tunc vtiq; de cœlo cadent, quando ſub illa perſecutione validiſſima, à fide recedent, qui priùs fide recta videbantur lucere. Per cœlum verò S. Epiphanius de laudibus virginis intelligit B. Virginem: *Appellabo* inquit *te thronum, cœlum, ſimul & crucem.* Hugo verò in Pſal. 39. librum vitæ eam vocat. In illo ergo tremendo iudicio, ſtellæ de cœlo cadent, id eſt ſancti, qui non ampliùs pro peccatoribus feruentiſſimas preces fundent, quemadmodùm antea faciebant, quorum ſupplicationibus Deus placatus, eorum ſceleribus facilè veniam dabat. Recedet cœlum, id eſt, Virgo ſanctiſſima, quæ tunc non aderit præſens, quando illa ſententia irreuocabilis aduersùs impios promulgabitur. Rationem affert S. Bernardus: *quia ſi eſſet ibi Maria, exaudiretur pro ſua reuerentia.* Et Chriſtus nolens contriſtare ſuam genitricem, pœnam impijs promeritam condonaret, quod tunc perfectiſſimæ eius iuſtitiæ repugnare videbitur.

S. Epiph.

Beata Virgo in extremo iudicio non aderit præſens.

S. Bernar.

Audite hæc infelices hypocritæ, qui ſub humilitatis pallio crimina veſtra diabolica abſconditis. Audite auari, qui ſub pallio humanæ prudentiæ, impia ſcelera veſtra occultatis. Audite vindictæ cupidi, qui pallio honoris mundani, flagitia veſtra belluina circumtegitis, nihil intentatum relinquentes, donec innocenti ſanguine, ſitis veſtra infernalis extinguatur. Audite fures, & latrones, qui pallio neceſſitatis, furta, & rapinas veſtras obuelatis, quaſi alius honeſtè viuendi modus non ſuppeteret, de labore manuum quotidianam ſuſtentationem procurando. Audite mulieres, quæ ſimulatæ honeſtatis, aut indigentiæ pallium, laſciuis & carnalibus vitijs obtenditis. Audite penes quos terrena dominia, & ſumma regnandi poteſtas eſt, qui ſub ementito pallio ſtatus veſtri, omnem tyrannidem, omnem contemptum, omnem oppreſſionem, in ſubditos exercetis, omnia ad libitum vobis licita eſſe cenſentes. Audite emptores, & venditores, qui pallio prudentiæ, & acuminis, veſtras artes & impoſturas obducitis. Audite officiales, & miniſtri, qui pallio extrinſecæ deuotionis, roſarij lectione, horarum canonicarum, aut officij Beatæ Virginis recitatione, miſſarum auditione, iniuſtitias, rapacitates, & violentias veſtras operitis. Paucis multa? Audite in vniuerſum omnes, qui mundanæ aſtutiæ pallio, flagitia veſtra immania conueſtitis, quia in tremendo illo iudicio, ſententia contra vos lata, erit irreuocabilis, & in momento executioni demandata, & de corrigenda, ac in melius mutandà vità, ſeriò cogitate.

En habetis ſententiam ſupremi iudicis, in illo vniuerſali iudicio futuram irreuocabilem. Non proderit tunc reſtitutio, non querela falſi, non appellatio, non denique ſupplicatio: non erit qui patrocinetur, nec qui intercedat. Igitur quoniam deploratis hiſce temporibus, omnes fermè poſt tergum, huius iudicij memoriam reijciunt, atq; ita vitam inſtituunt, quaſi nunquàm de malis actionibus ſuis æquiſſimo Iudici Deo, rationem reddituri ſint, idcirco ad omnes gradus, ſtatus, cuiuſcunq; conditionis homines, clamat hodiè de vinculis S. Ioannes: pœnitentiam agite: quia appropinquauit in vos regnum Dei. Clamo quoque & ego, præoccupate in omni præparatione diem furoris domini, ne horribilem illam audiatis ſententiam; ite maledicti in ignem æternum, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. *Matthæi 11.*

Ratio cognoſcendi Chriſtum, & ſigna eius aduentus recenſentur.

BEnè eſt Catholici: erumpit iam aurora in noſtro hemiſphærio, & poſt depulſas tenebras, nouus ſol ſuos apparet profundens radios. Dum qua diuturnis feſſi deſiderijs, qua cœleſtibus territi ſignis, venturum iam

Chriſti aduentum incipimus contemplari ; nec mirum : quia ſi rectè diſcurrit Ariſtoteles Ethicor. 1. *bonum eſſe, quod omnia appetunt*, totus profectò mundus æquiori iure ſummè in Chriſtum venturum fertur deſiderio, quia cum illo nobis pariter omnia bona ventura ſunt. Ille etenim quia eſt ſpecioſus formâ præ filijs hominum, mundum peccati labe turpiter deformatum mundabit. Ille quia eſt finis, votorum noſtrorum magnitudinem adimplebit, & pium ſatiabit appetitum, vt docet D. Ambroſius in Pſal. 40. *Quia ipſe* inquit *finis eſt ſpei noſtræ, ideò ad ipſum ſtudia noſtra dirigimus ; ad ipſum vota noſtra conferimus, quia ipſe eſt plenitudo, ipſe conſummatio vniuerſorum, ipſe omnium ſumma virtutum.* Quod ſi verùm eſt illud de Salomone oraculum 3. Reg. 10. *Vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis,* quomodò vultum Saluatoris totus orbis non deſiderabit ? de quo dicit Euangeliſta Matth. 12. *Ecce pluſquàm Salomon hic,* in quo nihil eſt, quod deſiderari non poſſit, teſte Petro Damiano opuſc. 50. cap. 4. *Totus* inquit *deſiderabilis, quia humanitatis eius myſterium omne deſiderium accendit in mentibus electorum.* Vt eos videlicet non modò reſurrectionis gloriâ prouocet, ſed ad imitationis exemplum, ipſa quoque ignominiâ paſſionis inuitet. Agnouit optimè hanc Chriſti venturi fælicitatem, vir ille ſanctitate fulgens Iacob Patriarcha, qui Geneſeos 49. vltimam concludens vitæ ſuæ periodum, in hæc prorupit deſiderio æſtuans verba ; *Sperabo ſalutare tuum Domine,* quaſi diceret ; En iam vita mea ſucciditur : nihilominùs tamen Saluatoris aduentûs, quouſq; in mundum venerit, in me viua ſeruabitur ſpes, ad quæ verba Chaldæus Paraphraſtres pulchrum addit commentum. Non expectabo inquit Saluatorem Gedeon Filij Ioas, quæ eſt ſalus temporalis : nec ſalutare Samſon Filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed exſpectabo redemptionem Chriſti Filij Dauid. Deſiderabat hunc Saluatoris aduentum Propheta Iſaiæ 16. Illud ad Patrem æternum dirigens eloquium. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem Filiæ Sion, & erit quaſi auis fugiens in tranſcenſu Arnon,* nec certè in ſanctis illis tantùm Patribus efferbuit aduentus Chriſti deſiderium ; ſed in omnes etiam diffundebatur homines cupiditas, Deum viſibili ſub ſpecie videndi, atq; palpandi : quia eſt *deſideratus cunctis gentibus.* Aggæi 2. Sed difficultatem nobis cauſat illud Axioma Philoſophicum, *nil volitum niſi cognitun* : quo facto verus Meſſias ab omnibus gentibus potuit deſiderari, qui à nullis ferè cognoſcebatur, vt dicit Apoſtolus Ephes. 2. *Eratis gentes in carne ſine Chriſto promiſſionis ſpem non habentes.* Sed reſpondent ad hæc Doctores dupliciter. Primò, quòd aduentus Saluatoris fuerit omnibus gentibus deſideratus implicitè, quatenùs ſaltem omnes gentes deſiderabant, propriam ſalutem, & conſequenter remedium aliquod ad illam obtinendam. Quod cùm nullum eſſet aliud præter Chriſtum, ideò omnes illũ venturũ implicitè deſiderabant. Ita D. Th. 22. q. 2. ar. 7. & ad 3. in corp: philoſophatur, quod deducit ex illo Iſaiæ 42. *legem eius Inſulæ expectabunt*, ſcilicet homines, veluti ſaxa in peccatis hærentes : quamuis Chriſti Domini legem non agnoſcerent; quatenùs tamẽ aliquam in qua ſaluarentur deſiderabant, eo ipſo legem Chriſti implicitè deſiderare cenſebantur, cùm non eſſet alia lex ad ſalutem proficua ; quàm Chriſti 2do. reſpondent aliqui, Chriſti aduentum omnibus gentibus fuiſſe deſideratum, quia reuera Deus in omnibus gentibus habebat aliquos, quibus myſterium Incarnationis, in remedium ſalutis humanæ futurum reuelauerat ; qui proindè magno illius deſiderio accendebantur. Et hæc eſt ſententia Richardi victorini 1. p. lib. de Incarnat: verbi cap. 8. Vbi ſic dicit : *Multi non ſolùm ex Iudæis, verùm & ex gentibus Chriſti aduentum prænouerant, & cum magno deſiderio expectabant.* iuxta illud : *Ecce veniet deſideratus cunctis gentibus.* Si ergò iuſti omnes, & Prophetæ, reges, & Angeli aduentum Chriſti ardentiſſimò affectu deſiderabant, meritò & ſancta Mater Eccleſia, videndi Saluatoris cupida, ille ne iam eſt, quem hoc tempore ſacro venire exoptat, inclamat. *Rorate cœli de ſuper & nubes pluant iuſtum.* Quocirca & nos duo in hodierna concione eliciemus. Primum, quomodò debemus interrogare Chriſtum, an ille ſit, & non alius, Alterum verò, quomodò ſit ad nos venturus.

Ariſtoteles 1. Ethicor. — S. Ambr. — 3. Reg. 10. — Matth. 12. — Petrꝰ Damianus. — Genes. 49. — Iſaiæ 15. — Aggæi 2. — Ephes. 2. — D. Thom. — Iſaiæ 42. — Richardus Victorinꝰ.

Dupliciter aliqua veritas inueſtigari poteſt : Primò, viâ naturali per diſcurſum, quemadmodùm docet Ariſtoteles in Methaphyſicis. *Quærentes* ait *Veritatem ſine diſputatione, ſimiles ſunt, quò ire ignorantibus.* Etenim experientiâ ipsa compertum eſt, argumentorum viuacitate veritatem meliùs indagari, & cognitionem alicuius rei faciliùs comparari, propoſitis argumentis ex vtraque parte, vt docet, Philoſophus 1mo Elenchorum. Secundò in lumine fidei, ſcilicet per reuelationem factam à Deo alicui, quemadmodùm omnia myſteria cognita ſunt. hac duplici viâ mundus cognoſcere voluit Chriſtum : ſed quia myſterium Incarnationis, eſt ſacramentum abſconditum à ſæculis in Deo, Ad Epheſ. 3. Nam vt dicit Cyrillus Alexandrinus de Incarnatione Vnigeniti cap. 3. *Adunatio verbi cum carne, omni cognitione hominum ſuperior eſt, & omninò inueſtigabilis ex tribus rationibus.* Primò, quia non poteſt vllus intellectus creatus euidenter cognoſcere omne id, quod eſt Deo poſſibile, alioqui enim comprehenderet omnipotentiam diuinam, & capacitatem obedientialem omnium creaturarum, proinde etiam non poteſt cognoſcere id, quod eſt inter Dei opera maximum, & miraculoſiſſimum, vti eſt Incarnatio. Secundò, quia myſterium Incarnationis eſt omninò in re ſupernaturale, neq; continetur vllo modo in principijs, cauſis, & effectibus naturalibus : quocirca creatus Intellectus naturæ relictus, non habet vllum medium, per quod illud cognoſcat. Tertiò, quia naturaliter maxima apparet coniunctio, inter naturam creatam & propriam eius ſubſiſtentiam ? proindè intellectus creatus, nullatenùs potuit cognoſcere ſubſiſtentiæ creatæ à natura ſeparationem, & conſequenter diuinæ illi vnionem.

Idcircò quiſquis hoc modo naturali Chriſtum cognoſcere voluit, grauiter hallucinatus eſt. Lapſus eſt hic turpiter Arrius, dùm naturaliter venturum Dei filium cognoſcere vellet, aſſerens eo ipſo, quia Dei filius venturus eſt, illum non eſſe Patri coæternum, ac proindè tempus fuiſſe, cui non coëxſtitit verbum, illud crebriùs impijs inſultans buccis, *Erat, quando non erat*, pernicioſiſſimus certè hic error fuit, cùm à Chriſto Domino verbi conſubſtantialitatem, quod omnium excellentiſſimum eſt, in illo, auſu ſacrilego auferre tentaret, quem tantoperè deteſtans, teſtimonio ſcripturæ iugulat Chriſtus, Iſaiæ 43. *Vos teſtes mei dicit Dominus, vt credatis mihi, & intelligatis, quia ego ipſe ſum : ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non eſt Saluator.* Ex quo loco pro verbi æternitate argumentum tale eruit Ambr. ſcribens in hunc modum. *Vel hæc ſcilicet ſunt verba Patris, vel Filij : & quidquid libuerit elegeris, colliges hanc quam nitimur probare æternitatem. Si enim Patris eſt ſermo iſte, ante me non eſt formatus Deus, veriſſima eſt aſſertio : Quid enim Patre antiquiùs ? Quid illo vetuſtius ? Qui principium, origo & fons eſt cæterarum perſonarum. Quodſi verba hæc filius dicit, adhuc euidentius illius cum Patre æternitas liquet : nam cum aſſerat ante ipſum non fuiſſe alium Deum, nec alium ipſo duratione poſteriorem, erit profectò ipſe Patri coæuus & coæternus.* Quia igitur peſſimus Arrius venturum in hunc mundum Meſſiam, naturali diſcurſu indagare voluit, ideò in grauiſſimum lapſus eſt errorem, aſſerens Saluatorem quoad diuinitatem non fuiſſe aliquando cum Patre, ex eo, quòd venturus eſſet in mundum : quia atteſtante Ioanne *erat in principio*, id eſt, in Patre æterno, non per vllam inceptionem nouam, ſed per ineffabilem generationem ſempiternam.

Ariſtotel. — Cyrillus. — Iſaiæ 43. — S. Ambr.

Satagebat impuriſſimus Sabellius naturali, ſed valdè fallibili modo venturum in terram Dei filium dignoſcere, ſed turpiùs adhuc Arrio corruit, aſſerens, ex eo, quòd ſit venturus Saluator, illum nondùm eſſe, quod enim venturum eſt, nondum eſt, atq; hinc ſequi vnam tantùm in deitate perſonam eſſe, quæ varijs illis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti inſignitur nominibus; quaſi ex eo denominetur Pater, quòd ſit ab æterno, & creauerit omnia, ex eo Filius, quòd venturus in mundum: ex eo Spiritus ſanctus, quòd corda hominum penetret, & illuminet; ſed ecce occurrit huic errori ipſemet Chriſtus Ioannis 11. inquiens.

Ioann. 2.

Iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater, in quibus verbis triceps Sabellij monſtrum manifeſtê confoditur. Si enim Filius dicit ſe non eſſe ſolum, igitur non vna eſt in natura deitatis perſona; ſed plures, idem enim ſibimetipſi, comes eſſe non poteſt; ſi dicit ſe à Patre venturum; igitur diſtincta eſt ab ipſo Patre perſona; ſicut enim nemo ſeipſum mittit, ita etiam nemo à ſeipſo venire poteſt, ſed ab alio.

Voluit blaſphemus Photinus humano, conijcere modo an Chriſtus verus ille eſſet Meſſias, qui venturus erat. ſed velut malè ebrius vacillauit, qui mortali & fædato peccatis oculo, incomprehenſam eius deitatem attingere non valens, neſcio magiſne imprudenter quam temerè, Chriſto Domino naturam negauit diuinam, quaſi verbum hoc, *venturus es*, diuinæ præſtantiæ & Maieſtati omninò derogaret, & plurimum detrahere videatur. Siquidem futuritionem quandam & imperfectionem præſefert, atq; fallibilitatem. Nam quemadmodùm docet Philoſophus, illud quod futurum eſt, nihil impedire, quominùs nunquàm fiat; ita etiam quod venturum eſt, poteſt nunquam venire, verum vox iſta, *venturus eſt*, ita exiſtentiam ſignificat futuram, vt & præteritam, & præſentem ſimul ſignificet, nec permanentem excludat. Hanc eandem veritatem Paulus ad Hebræos ſcribens docuit. *Ieſus Chriſtus* inquit, *heri & hodiè & ipſe in ſæcula*, quod adhuc euidentiùs gloſſat, Greg: Nazianz: oratione de natiuitate Chriſti,

Gregorius Nazianz.

Deus inquit *& erat ſemper, & eſt, & erit, vel vt veriùs loquar, ſemper eſt, nam erat & erit, huius noſtri temporis, figmenta ſunt: ille autem ſemper eſt, atq; hoc modo ſeipſum nominat Ego ſum qui ſum.* Et certè Chriſtum eſſe verum Deum, luculenter adeò inſinuauit Apoſtolus Rom. 1. inquiens; *Paulus Chriſti ſeruus ego ſum*. & in eadem Epiſtola, docet maledictum eſſe, qui creaturæ ſeruit. Ergo ſi inter Creatorem & creaturam nullum omninò medium datur, Chriſtum verum eſſe Deum ſuppoſuit, cui qui ſeruit, benedictus eſt.

Rom. 1.

Altero modo mundus Chriſtum cognoſcere voluit per lumen fidei, non iam naturali rationi incumbendo, ſed diuinæ potiùs inſpirationi inſiſtendo firmiter, quæ de venturo Meſſia per Prophetas euidentiſſimis oraculis in Scriptura Sacra expreſſa eſt. Sic illum iuſtus ille ſenex Simeon cognoſcere deſiderabat, qui cùm non ſolùm vitæ integritate, ſed etiam doctrinæ ſinceritate conſpicuus eſſet, & in ſacris literis apprimè verſatus non aliundè, niſi ex diuinis eloquijs prænoſcebat, iam iam aduentum Chriſti Domini appropinquare, videbat enim regale ſceptrum ablatum, & illud vaticinium Iacobi adimpletum Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt*, iam autem tunc temporis Herodes alienigena Idumæus regnabat.

Genes. 49.

Legerat inſuper in Daniele ſeptuaginta annorum hebdomadas, hoc eſt 490. annos à ſecundo anno Darij Artaxerxis Longimani, vſq; ad aduentum Chriſti, quæ futuræ erant, elabi, ideoque hac ſacrorum voluminum authoritate conijciebat iam tempus præ foribus eſſe Meſſiæ. Et ecce pro tàm pio videndi Chriſti deſiderio, meruit reſponſum accipere à Spiritu ſancto, ſe non viſurum mortem, antequàm videret Chriſtum Dominum, Lucæ 2. Hoc de illo teſtatur Thimotheus Presbyter Hieroſolymitanus,

Thimothæus Presbiter Hieroſolymitanus.

dùm in Homilia de Propheta Simeone inquit: *Cùm Simeon meditabundus domi ſederet, Deumq; apud ſe rogaret, vt quod acceperat oraculum, exitum aliquando ſortiretur, Spiritus ſanctus Simeonem eiuſmodi oratione ſolatus eſt. Surge ſenex quid dormis, tempus eſt quo oraculum expleri debet, matura citò: præſto eſt enim qui te abſoluat.* Vbi Simeon quaſi ætate innouatus, animiq; deſiderio, perindè, ac alis quibuſdam vehementer excitatus, atq; à Spiritu ſancto impulſus, celerrimè eucurrit, & templum ingreſſus iuxta ædis ſacra, infantulum Ieſum in vlnas ſuas de manibus Ioſephi, & Matris Mariæ ſuſcipiens, præ gaudio exclamauit.

Lucæ 2.

Nunc dimittis ſeruum tuum domine, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorū. Super quæ verba Origenes Hom: 2. de Purificatione Beatæ Virginis ſic diſcurrit.

Origenes.

Quid ei profuit, vt videret Chriſtum vtrum hic tantùm in promiſſione habuit vt videret illum, nihilq; ex viſu eius conſequeretur vtilitatis. Verum ſi fimbriam veſtimenti Ieſu mulier tangens ſanata eſt: ſi ad extremam partem veſtimenti inclinata, tantùm emolumenti ſuſcepit; Maius certe commodum ſuſcepit Simeon, quia non tantùm vidit, ſed etiam plenè cognouit, quod ille verus eſſet, qui venturus erat.

Non igitur naturali voce, quærendum eſt ex Chriſto. *Tu ne es, qui venturus es, an alium expectamus.* Sed lumine fidei credendo indubitanter hunc in ſalutem omnium gentium deſcendiſſe, quem prædixit Simeon, quem Eccleſia ſancta veneratur, quem mundus impiè & crudeliter tractauit. quod admiratur Propheta Pſ. 2.

Pſal. 2.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania; aſtiterunt reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Quaſi diceret? quid cauſæ, quòd Pilatus & Herodes, atq; omnes Iudæi aduersùs Chriſtum Dominum conſpirauerunt, vt eum morti traderent? nunquid quia ſanabat eorum cæcos? quia curabat Paralyticos, quia medebatur leproſis, quia curabat hydropicos, & alios malè habentes? nunquid quia dæmonia è corporibus illis obſeſſis imperio ſuo expellebat, nunquid quia mortuos eorum ad vitam reuocabat, nunquid quia Euangelicæ doctrinæ ſacra arcana eis explanabat? nunquid quia peccata dimittebat? nunquid quia penè innumera ſatis miranda prodigia patrabat. Quare ergo fremuerūt gentes aduersùs Chriſtum. Cauſa eſt vnica, quia non per fidem diuinam, ſed per naturalem inquiſitionem verum Meſſiam volebant coniectari, ſi enim attentiùs perpendiſſent Chriſti vitam, ſi diligentiùs trutinaſſent eius miracula; ſi conſideraſſent quomodò eum tanto laudum præconio extollebant Angeli adorabant Archangeli, tremebāt poteſtates, efferebant in gloriam virtutes; quomodò ei omnes ſeruiebant Cherubim: quomodò illum eſſe Deum prædicabant Seraphim: quomodò illi obſequium præſtabat ſol, cultum & miniſterium deferebat luna, obſequium dabant elementa, ſubdebantur venti, & flumina: quomodò illum complicatæ inferorum portæ, diſtractæ diſſiluerunt; nuſquam eò dementiæ eorum impietas proceſſiſſet, vt violentas manus in Saluatorem inijcerent.

Si verò illos eluſit dilatio Meſſiæ aduentûs, quòd videtur innuere Propheta Pſal. 88. *Exprobrauerunt* inquit *commutationem Chriſti tui*, quod alij vertunt. *Exprobrauerunt tarditatem pedum tuorum.*

Pſal. 88.

Quaſi diceret ſtupebant quam iacturam Primi Adam, reſarcire venturus Meſſias, & genus mortalium, à tyrannica Sathanæ ſeruitute erepturus, fermè per quinq; millia annorum diſtulerit; cùm reuera prouidentis medici ſit, graſſanti morbo citiſſimè mederi: maximè verò Dei; quem neq; difficultas negotij deterrere potuit, cùm apud Deum non ſit impoſſibile omne verbum? nec notitia ac limpida cognitio, quâ ſe humili atq; abiecti ſtabuli hoſpitio recipiendum fore præuidebat, animum eius auocare potuit. Cùm videamus eo tempore conſultò illum veniſſe, quo pauperibus propter multitudinem aduentantium (vt tradit D. Lucas)

cas) difficiliùs eſſet, hoſpitij receptaculum aliquod inuenire. Verùm hæc tarditas non debuit in mentibus illorum errorem cauſare, quia vt docet D. Auguſt: tracta 31. in Ioannem: S. Auguſt. *ad Dei maieſtatem ſpectabat per longiſſima temporum interualla felicem Chriſti aduentum diſtuliſſe.* Vt ſic ampliùs diuulgatus, feruentiùs deſideraretur, atque pretioſior & clarior haberetur apud homines. Iam verò D. Leo Papa Serm: 3. de natiuit. Exiſtimat Chriſtum, aduentum ſuum in carne diſtuliſſe, vt copioſius tempus mundo ſuppeteret, ad præparanda, quæ tanto Principi conſentanea forent: aptiorq; & capacior tanti beneficij, & in Prophetarum oraculis illum prænuntiantibus inſtructior mundus redderetur. Leo Papa. *Hac ſalutiferi* inquit *operis morâ capaciores nos ſuæ vocationis effecit, vt quod multis ſignis, multis vocibus, multiſq; myſterijs, per tot fuerat ſæcula prænũtiatum, in his diebus Euangelij non eſſet ambiguum.* Cùm enim profundiſſima myſteria, & maximè Dei, in carne abditiſſimum Sacramentũ, naturæ capacitatẽ longè excellat, oportuit mentẽ humanam, paulatim ac pedetentim, diuina opitulante gratia rei difficultatem ſuperare. quod pulchrè expreſſit Caietan. Cardinalis Caiet: 3. p. q. 1. art. 5. *Initiabar* inquit *genus humanũ, ad futurum illud in ara crucis ſacrificium*; quaſi diceret, mundus quaſi ad diuina capeſſenda hebetis ingenij, oportuit vt diu edoceretur & fidei ſcholam per plures frequentaret annos, vt mortalis naturæ aſſumptionem, ad hypoſtaſim verbi diuini ſibi faciliùs perſuaderet.

Sed veriorem ego crediderim rationem, quare Chriſtus Dominus non venit tunc, quando totus orbis grauiſſimis peccatis repletus, aquarum inundatione debuit deleri. Neque tunc, quando iterum poſt diluuium, probroſus gentiliſmus cœpit augeri, & Dæmones ſua vbiq; erigerent idola ac ſimulachra; vt impijs illis idololatris iuſtum daretur tempus, ad pœnitentiam agendam. Propter quod egregiè illi ſeruit cognomen illud, quod teſte Pierio libr. 30. fol. 277. Pierius. impoſitum fuit cuidam duci Muricæ nomine, quem cognominauerunt *Remoram* ſalutarem, ſumpta methaphorâ, à piſce maris. Remora nominato, de quo Plinius refert libr. 31. cap. 1. quod tametſi quantitate ſit Plinius. paruus; virtutis tamen tantæ eſt, vt nauim celerrimè propulſam ventis, facilè ſiſtere queat. Ratio autem propter quam illo honorifico titulo ducem illum donârunt, hæc erat, quòd cùm ille miſſus eſſet à Rege in ciuitatem Gnedo, ad iuuenes Eunuchos reddendos (quo facto citius gens illa tota penitus extingueretur) ipſe verò quantum potuit in itinere morabatur. Vt ſufficiens eis ſupperet tempus ad placandum Regem, & ſententiæ reuocationem obtinendam. Quod cùm ſic eueniſſet, ideò ſalutarem Remoram illum vocitabant. Vt pote qui ſine mora eorum vitæ & ſalutis auctor extitiſſet. Cùm ergo pariter & Chriſti aduentûs, dilatio, iuxta diuinum decretum nobis proficua fuerit, & in noſtram ceſſerit ſalutem, potiori iure *Remoram* ſalutarem illum compellabimus: iam enim iſta Remora vertetur in celeritatem, vt docet Apoſtolus Hebr. 10. *veniens veniet & non tardabit.* quaſi diceret: propè eſt iam locupletiſſima Mariæ nauis, & breui iam portum attinget ex qua in terras proſiliet gloriæ Dominus. Ergo iam quomodo ſit ad nos venturus, pijs animis contepleмur.

Tripliciter ad nos Chriſtus Dominùs venturus eſt. Primùm ſecundùm tempus præteritum per carnis noſtræ aſſumptionem; deindè ſecundùm tempus præſens per gratiæ infuſionem; tandem tertiò ſecundùm tempus futurum per iudicij diſtrictionem. Et quia iam vidimus, quomodo ſit venturus ad tremendum illud, & extremum iudicium, ideò hic tantum cognoſcendum reſtat, quomodo ſit venturus per carnis aſſumptionem, & gratiæ ſuæ infuſionem. Veniet itaq; per carnis aſſumptionem ad hos, qui corpus eius ſacratiſſimum cum decenti præparatione ſuſcepturi ſunt, vt illos per ſui præſen-

præſentiã transformet in corporis ſui ſimilitudinem, & immortalitatem, vt docet Apoſtolus. *Expectamus illum qui reformabit corpus humanitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Signa autem ſui aduentus in carne ſex Matth. 11. præmiſit Chriſtus, reſpondens: *euntes renunciate Ioanni; quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, Pauperes euangelizantur.*

Sed quid eſt: Ergo ne iam ex his ſignis poſſumus certò cognoſcerè Chriſtum, & dicere. *Tu es qui venturus es.* Quoniam hæc non ſunt ſingularia eius omnipotentiæ documenta: quia multa eiuſmodi prodigia ante ipſum notauerunt Prophetæ atque Archangeli Raphaël enim Tobiæ viſum reſtituit, Petrus, à natiuitate claudum in baſes erexit, & in templum Hieroſolymitanum introduxit, Eliſæus Naaman Principem à lepra mundauit, totque alij ſancti plurimos è morte ad vitam reuocârunt. Quomodò ergo ex his ſignis, Dei Filius ſe verum hominem factum eſſe, demonſtrare voluit. Verùm ex his indicijs indubitanter Chriſti aduentus conijcitur: quia Prophetæ omnes, & ſancti Dei; operati quidem ſunt talia miracula, ſed tantùm in corpore humano, Chriſtus autem in anima omnium credentium ea facit. Excæcata erat omnium mortalium anima per ſuperbiam, & vanam gloriam: ſed poſtquam Saluatoris natiuitas in terris audita eſt, viſum protinùs recepit, quo ſuum Sponſum cognoſceret. quia cùm non detur medium inter ſummum bonum, qualis eſt Deus; & inter ſummum malum, qualis eſt, per ſummam obſtinationem Diabolus, idcircò cum recedit à Diabolo & eius tenebris, Deum amplectitur: qui quoniam eſt lux illuminans omnem creaturam, impoſſibile eſt, vt eius radijs illuſtrata, ſalutare ſuum non videat, vnde meritò dicit Auguſtinus de doctrina Chri- S. Auguſt. ſtiana. *O anima Chriſtiana euigila, & domini hæc imitare veſtigia, conſidera quot millia martyrum tantam tibi fecerint viam: tranſierunt virgines, tranſierunt Martyres, & te decet illum ſequi, qui eſt viâ non errans; vita non deficiens, veritas non fallens.* Et reuera quemadmodùm ſolius diuinæ potẽtiæ erat creare animam; ſolius quoq; eſt eandem à cæcitate eripere. Multa ſigna & prodigia fecerat Moyſes in conſpectu Pharaonis; & tamen in animo excæcatus ſuperbè reſpondit. *Quis eſt Dominus* Exodi 5. num. 2. *veſter, vt audiam illum: Deum veſtrum neſcio, & populum non dimittam.* Ecce quo non vertit ſuperbia linguam, oculos, manum, dùm excæcat animam. Non priùs in ſua impietate obduratus Pharao, veritatem videre potuit; quàm à Deo per tribulationes illuſtraretur: cùm enim multis plagis attritus eſſet, cum vniuerſo regno, tunc primùm redijt ad humilitatem, & dixit. *Peccaui coram Domino Deo veſtro,* Exodi 8. num. 3. *vos tamen rogate vt mihi indulgeat,* hoc ergo primùm eſt Chriſti aduentãtis in carne ſignum, quando tenebræ errorum, & perfidiæ caligo, procul abſcedit ab homine, & mens ad ſalutis veritatem amplectendam prona inclinatur.

Alterum Chriſti aduentûs ſignum, quia claudis reſtituit greſſum: & qui ſunt iſti claudi? non illi quibus caſus, aut natura greſſum negauit; ſed quibus amentia aditum ad Deum præcluſit, vt docet ſapiens 2. Regum 4. 2. Reg. 4. *Auaritia claudos facit, charitas greſſum recuperat.* Hinc dicit ſapiens Eccleſiaſtici 10. Eccleſ. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius.* Cuius rationem reddit Salomon Prouerbiorum 15: Prou. 15. *Quia conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam.* Nam auari hominis oculi, proni ſunt ad innocentem ſanguinem fundendum, & calumniam, & cauſam mali operis Hieremiæ 22. Hier. 22. qui igitur animo claudus eſt ad Deum, is venientem Saluatorem recipere non poteſt, vt pulchrè diſcurrit Gregorius homil. 33. ſuper S. Gregor. Euangelium, inquiens: *Bonorum auctori aliter inhærere non poſſumus, niſi cupiditatem à nobis quæ omnium malorum radix eſt, abſcindamus.* Nam auaritia Deo detinet debita, proximo denegat neceſſaria ſibi ſubtrahit opportuna, & Deo ingratus ſimul & proximo impius, &

us, & ſibi crudelis; hanc igitur clauditatem in animo hominis curat aduentus Saluatoris; quia efficit hoc, vt poſtpoſitis rebus terrenis, cœleſtia homo toto animo amplectatur.

Tertiam Chriſti aduentus vtilitatem nobis adfert, quia leproſos mundat, ſcilicet illos, quos luxuria occupauit: hæc enim fœdam, turpem & leproſam reddit animam, vt docet S. Auguſt. Auguſt: de doctrina Chriſtiana. *Luxuria* inquit *eſt inimica Deo, inimica virtutibus.* Quod adhuc magis declarat S.Gregor. Gregorius in Moralibus. *Ex quo* inquit *luxuria mentem alicuius ſemel occupauerit, vix eum bona cogitare permittit.* Nam parturit deſideria vitioſa, in quibus ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectus, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex peccati defenſione gloriatio, ex gloriatione æterna damnatio. Quod ingenioſè tetigit Genes. 15. ſcriptura Geneſeos 15. *Cùm occubuiſſet ſol, facta eſt tenebroſa caligo, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens per diuiſiones cadauerum.* Quaſi diceret ſacra pagina, poſtquàm ex anima ſol Chriſtus recedit, ſtatim caligo occupat rationem, fumant turpiſſima deſideria, accenditur caro, moritur anima, fitq; veluti cadauer per libidinem & luxuriam. Nam fœtet Deo, & Angelis ſanctis, fœdiùs leprâ homo luxurioſus; vnde quia extrema eſt libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem effœminat, ſed etiam corpus eneruat, animam maculat, & perſonam fœdat; Quod eleganter Valerius Maximus lib. 9. exaggerat, in Annibale. Valerius. Maximus. *Quid* ait *his fœdius? quid damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, & animi pariter atq; corporis vires expugnantur.* Idcirco ad ſanandum hunc grauiſſimum morbum, diuina virtute opus eſt, vt ipſemet Dei filius, in præſentia ſuæ carnis deſcendat, vt carnem quoq; noſtram contingendo mundet, & deitate ſimul animam mouendo viuificet.

Quartò Chriſti verus aduentus ex eo probatur euidenter, quia ſurdæ animæ, auditum reſtituit. Obturauerat enim mortalium aures mundi vanitas & Dæmonum aſtutia, ita vt nihil penitùs de vero Deo audire poſſent, licet prophetarum oraculis, ſæpiùs edocerentur, iuxta illud Iſaiæ 42. Iſaiæ 42. *Quis ſurdus niſi ad quem miſi prædicare nuntios meos, & eos audire recuſat.* Hoc immedicabile malum ſolꝰ curat Chriſtus, dùm ad cor hominis veluti delicias quaſdam habiturus deſcendit, iuxta illud Matth. 7. Matth. 7. *Vos gaudium meum eſtis.*

Quintum documentum Chriſti aduentus eſt mortuorum reſuſcitatio: & licet reuocare ad vitam corporalem, etiam ſanctis fuit à Deo virtus communicata; ad vitam tamen ſpiritualem, quæ eſt per gratiam, reducere, ſolius eſt omnipotentiæ pignus, Chriſtus itaq; de venia deſperatos reſuſcitat, per ſpem miſericordiæ, quia eſt vita, in qua omnes viuimus, quia eſt veluti aura tenuis & ſpiritus vitalis, in quo omnes mouemur & ſumus. Vnde dicit Auguſt: in Pſal. 50. S. Augu. *Nemo diffidat nemo veterum conſcius peccatorum præmia diuina deſperet, nouit Dominus mutare ſententiam ſi tu noueris emendare delictum.* Quod confirmat, in lib. de vtilitate, pœnitentiæ, *nemo* inquit *deſperet. Nam & Iudam proditorem non tàm ſcelus, quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitùs interire.* Ecce venturus eſt Dei filius, vt medicinam deſperatis porrigat, ne ſe quiſpiam etiam in grauiſſimo peccato ad deſperationem inclinet, ſed potiùs ad pœnitentiam conuertatur: vt inquã, nemo cum maledicto Caim loquatur ad Dominum. Geneſ. 4. num. 13. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*: Sed potiùs firma ſpe erectus, ſcio domine quia tu veniſti, vt omnes per te vitam habeamus, igitùr & ego licet iam veneno peccati ſim obrutus, ad te tamen toto animo recurram, vt tu deleas iniquitatem meam, & à peccato meo munda me, atq; vitalem gratiæ ſpiritum mihi inſpires, quo recreata anima mea & veluti è ſomno expergefacta reuiuiſcat.

Sex-

Sextum Chriſti venturi indicium, quia pauperes Euangelizare facit. Ecce iam Prophetæ omnes vaticinium de illo perhibent: quia veniet Dominus, & non tardabit. Ecce egeni piſcatores teſtimonium de illo perhibent: ecce præcurſor, clamat. *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt.* Ioann. 1. Ioann. 1. Non quoad humanitatem, iam enim Chriſtum priùs ſex menſibus in vtero matris formatus, Angelico id ad Virginem teſtante eloquio præceſſerat. *Et hic menſis ſextus eſt illi.* Non quoad diuinitatem, quia genitum ab æterno ex patre, non autem factum eſſe credimus; ſed quoad dignitatem & excellentiam, in qua Chriſtꝰ longè antecellebat Joannem; vel etiam dicit factum ante ſe, quia adhuc ante ſuam natiuitatem, Dei filium in vtero virginis latitantem vidit, & exultauit ſic exponit Origenes Origenes. homilia 2. in diuerſos, vbi ait, *illa verba non ſignificare fuiſſe efformatum hominem, antequàm Ioannes, ſed quòd ante ipſum Ioannem Chriſtus in vtero virginis deliteſcens ab illo fuerit viſus, Elizabeth adhuc viſceribus incluſo.* Chriſti igitur aduentum pauperes Euangelizant, etiam ipſi Paſtores, vt veluti ad pauperem vndiq; mortalium paupertas ad illum confluat. Sed & ſub terra quandoq; latet aurum, & ſub vmbra nonnunquàm occultatur radius, & in humana Chriſti paupertate latent theſauri omnes, & diuitiæ, quia venturus eſt ad nos per gratiam, quâ nihil pretioſius. Hoc certè exprimere voluit Angelus ad Virginem loquens, *quod naſcetur ex te ſanctum.* Sanctus profectò eſt Chriſti aduentus, quia omnes ad quos deſcendit, ſanctificat, illos velut membra vniens ſibi, & viuificans gratia ſanctificante.

Quod ſi rectè docent Theologi, nullam de facto dari gratiam, niſi ex meritis Chriſti, quia ipſe eſt a Deo Patre conſtitutus, caput omnium creaturarum, meritò profectò per gratiam ad nos venturus eſt, vt veluti quondam ex capite Iouis Rhodonei naſcente pallade aureæ guttæ ſtillabant; etiam ex illius aduentu aureus ros gratiæ in animas peccatorum decidat, & eaſdem in virtutibus fæcundet. Ecce igitur habemus Chriſtum ad nos venturum, & per carnis aſſumptionem, & per gratiæ infuſionem, igitur ad hoc fælix nuntium recreati, ea quâ par, ad tanti principis aduentum corda noſtra præparemus deuotione, & venientem ad nos Chriſtum interrogemus, *Tu ne es, qui venturus es*, quem Matth. 11. mundus impius non agnouit, & ſui non receperunt. Te profectò & non alium ſacris edocti oraculis agnoſcimus, & quem ignoranter lædere contigit, iam cognitum deprecamur, vt ignoſcas miſeris, parcas fragilibus, diſſimules pænitentibus. Atq; vt tanti criminis veniam aſſequamur, te iam præſtolamur omnes, veni Domine, & noli tardare, & relaxa facinora plebis tuæ, veni inquam, & per humanitatis aſſumptionem, vt te dignè recipere valeamus: & per gratiæ infuſionem, vt per te creati, per te quoq; iuſtificati viuamus in æternum.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. *Matth. 11.*

Chriſtus quia eſt veritas, & veritatem docet, ab hominibus non agnoſcitur.

SEnio iam confectus orbis terrarum, licet ad occaſum inclinet; necdùm tamen omnimodam, de ſuo Saluatore certitudinem aſſequi poteſt, ſed in diuerſas propemodùm abit ſententias. Cùm Ethnicis illum penitus non agnoſcit: iſti enim cùm innumeros planè colant Deos, in tanta deaſtrorum multitudine, ad vnius veri Dei aſſecutionem, & cognitionem peruenire nequaquam poſſunt. Nam ſi rectè dicit Philoſophus, quòd pluribus intentus, minor ſit ad ſingula ſenſus, ſic qui multis ſeruit, aut plures colit, nemini ad placitum ſatisfacit. Cùm Iudæis verò negat mundus veniſſe Meſſiam, deceptus illo Aggæi 2.

H

Veniet

Aggæi 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus*, quaſi
verbum hoc futurum adimpleri non
debeat, niſi elapſis præteritis, & præ-
ſentibus annis, proindè niſi ante ipſã
mundi conſummationem adimplen-
dum ſit. Cum pleriſque Hæreticis,
Chriſtum quidem venire aſſerit; ſed
Deum eſſe negat : propterea, quòd
minimè eum decuerit ignominioſam
crucis mortẽ ſubire. Quorum errorem
Scriptura ſacra manifeſtè confutat
Pſal. 2. Pſal. 2. vbi dicitur de Chriſto : *Appre-
hendite diſciplinam, ne quando iraſcatur
dominus de via iuſta, cùm exarſerit in
breui ira eius, beati qui confidunt in eum.*
Quod ex Hebræo legitur in hunc mo-
bum : *Oſculamini filium*; id eſt; *adora-
te eum, & eius precibus me placate.* Con-
futat hunc errorem & ipſemet Chri-
Ioann. 8. ſtus, Ioannis 8. vbi de ſe ipſo ſic ait:
Antequàm Abraham fieret, ego ſum. Quod
non poteſt propriè conuenire Chri-
ſto vt homini, quia ante Abrahamum
humanitatem nequaquam aſſumpſe-
rat. Sed ſolùm illi conuenit, quâ De-
us eſt : ſiquidem ratione immenſæ di-
uinitatis ſuæ, nec loco capitur, nec
circumſcribitur tempore; ſed omni-
bus in ſua æternitate præit creaturis,
cum Patre omnimodam tenens æqua-
litatem. Ioannis 10. *Ego & Pater v-*
Ioann. 10. *num ſumus.* Sed quid mirum : quòd
mundus caligine errorum circumſe-
ptus, incarnatum Dei filium agnoſce-
re nequeat, cùm verbi illius æterni,
cum carne humana prodigioſa adu-
natio, non ſolùm hominibus, ſed eti-
am ſupremis illis ſpiritibus, vltra
omnia fidei myſteria, ſit maximè oc-
culta. Licet enim omnia fidei Catho-
licæ arcana, humano ingenio ſint ab-
ſcondita, quorundã tamen cõſequitur
poſſibilitatem. Fateor obſcurum eſſe
Fidei arcanum, accidentia panis &
vini in ſacramento Eucharſtiæ care-
re ſubiecto; nihilominùs tamen eius
poſſibilitatem antiqui philoſophi non
negarent; cùm fuerint nonnulli, qui
ſeparatas dimenſiones admiſerint.
Abſtruſum eſt reſurrectionis myſteri-
um, quò defuncta corpora vitam re-
cuperatura docemur, id tamen fieri
poſſe lumine naturæ cognoſcimus,
A propter animæ immortalitatem. Nam
ſi Deus ex nihilo aliquid facere poteſt,
quod in animæ creatione præſtat, fa-
ciliùs poterit extinctum hominem,
materiâ primâ, & anima præexiſten-
te, ad ſpiritum & vitam reuocare. At
verò ſacratiſſimum incarnationis ar-
canum ita latet; vt vniuerſa naturæ
facultas, quomodò id fieri poſſit, in-
telligere nequeat. Imò plurima ab
eius cognitione retardant hominem.
Nam quot ſunt naturæ integræ ſub-
ſtantiales, tot illis reſpondere hypo-
B ſtaſes lumen naturæ dictat; ſuper-
naturale autem fidei, vnicam verbi
diuini hypoſtaſim, naturam duplicem
ſuppoſitare nos docet. Experimen-
to docemur, periculoſius eſſe oceani
freta peruadere, quam eiuſdem trana-
re ſinus altiſſimos : ibi enim naufra-
gium non ita frequens, & rarior tem-
peſtas exoritur. Aſt cum vortices aut
maris anguſtias ingredimur, tunc ma-
ris æſtus certior, ſcylla & charybdis
periculoſior, & colliſi fluctus, com-
preſſi in breuia vndarum vertices, non
C ſolùm metum, ſed mortem etiam in-
tentant. Non aliter in hac abbreuia-
ti verbi cognitione accidit noſtro in-
tellectui : ille namq; dùm per medi-
um diuinitatis oceanum vela pandit
ſecurus, non pauca cognoſcit. At ſi
diuinitatis eandem immenſitatem &
pelagus infinitum intra aluum Virgi-
nis, verbum incluſum, & vt dicit A-
poſtolus *abbreuiatum* cognoſcere ten-
tet, diſcrimen illi certum, error peri-
culoſus, & miſerabile mentis noſtræ
naufragium adeſt, niſi fidei anchora
D firmet aurem fluctuantem. Conſide-
rabimus igitur, cur ſanctus Ioannes
quæſierit ex Chriſto, an ille eſſet, qui
venturus erat, & quòd nos omnes, licet
iam ex fide conſtet Chriſtum veniſſe,
ignoremus tamen vtrum venerit.

Videtur ſibi glorioſus Chriſti præ-
curſor, magna ex parte contradicere,
dùm ſciſcitatur ex Chriſto, an ſit ve-
rus Meſſias, cùm iam antea eum ſuf-
ficienter prædicaſſet, *ipſe eſt, qui poſt me
venturus eſt, qui ante me factus eſt.* Si
ergo fatetur hunc Chriſtum qui ex Ma-
ria Virgine natus eſt, verum eſſe hu-
manæ

manæ ſalutis auctorem, cur poſtea de
hac veritate interrogat? quaſi de prio-
ri confeſſione dubitans, adeò vt per-
uerſi hæretici, ex his Euangeliſtæ ver-
bis anſam ſumpſerint, Chriſti æterni-
tatem impugnandi, talem formando
diſcurſum. Vel loquitur præcurſor de
Chriſto vt homine, & ſic falſum eſt,
quod dicit. *Ante me factus eſt*, quia
conſtat ex Euangelio, ſanctum Ioan-
nem ſex menſibus ante Chriſtum in
vtero materno fuiſſe efformatum, An-
gelico ad Virginem teſtante eloquio.
Lucæ. 1. *Hic menſis eſt ſextus illi.* Lucæ 1. Vel
inquiunt ſermonem facit de Chriſto,
vt naturâ conſtat diuinâ, & ſic iam in
hæreticorum prolabitur errorem, qui
verbum creaturam eſſe, atq; facturam
Dei impiè promulgabant. Contra
quorum impietatem firmiſſimum ſta-
biliuit decretum concilium Nicænum
in ſuo ſymbolo, appellans genitum,
non factum. Nam ex hoc errore hæ-
reticorum facilè adhuc inferri poſſet,
nec eſſe æternum Dei verbum, cùm
nulla creatura ab æterno extiterit. Ve-
Chryſolo. rùm Diuus Ioannes Chryſologus ho-
Gregori9. milia 6. in Ioannem, & Diuus Gre-
Ambroſi9. gorius homilia 7. in Euangelia, Am-
Auguſtin9 broſius libro 9. de Fide, capite 9. Au-
guſtinus tractatu 4. in Ioannem vin-
dicant Ioannis innocentiam, aſſeren-
tes verba hæc *ante me factus eſt*, æqui-
ualere his : *qui mihi prælatus eſt, ad di-
gnitatem & excellentiam illa referentes.*
Conſonat huic expoſitioni Græca
Origenes. verſio ex Origene homilia 2. in diuer-
ſos. Vbi ait illa verba, non ſignifica-
re *fuiſſe efformatum hominem antequàm
Ioannes*; ſed quòd ante ipſum Ioan-
nem, ſeu coram ipſo, Chriſtus in vte-
ro Virginis deliteſcens, ab ipſo fuerit
Ioanne Elizabeth induto viſceribus
Lyranus. cognitus Lyranus pauló aliter, verba
hæc exponit dicens : hæc ſancti Io-
annis verba. *Qui ante me factus eſt,*
Verificari in hoc, quòd Chriſtus Do-
minus fuerit formatus homo, infuſaq;
ſibi fuerit anima, in ipſo conceptio-
nis inſtanti; At verò Ioannis, eo mo-
do ordinario, quo in aliorum infan-
tium euenit generatione, corpus for-
matum fuit.

A Verùm, ſi Sanctus Ioannes, adhuc
in vtero materno vidit Chriſtum in-
carnatum, & præ gaudio illius deſide-
ratiſſimæ viſionis exultauit, quomo-
dò obſecro auſus eſt poſtea quærere
ex Chriſto, num ipſe eſſet, myſteri-
um audite : mundi perſonam geſſit
Diuus Ioannes, proinde non in per-
ſona ſua, ſed in perſona mundi dubi-
tantis quæſiuit, an Chriſtus verè ille
Meſſias eſſet, qui ad redimendum ge-
nus humanum venturus erat. Vacillat
enim mundus in cognoſcendo Chri-
B ſto, non ideò quòd ſit Dominus, mul-
ta enim ſunt, quæ ad Domini naturam
& cognitionem ſpectant, quæ homi-
nis ratio coniectet, teſte Apoſtolo.
Romanorum 1. *Inuiſibilia Dei à crea-* Roman. 1.
tura mundi intellecta conſpiciuntur. Nam
præter miracula quæ ſunt diuinæ
omnipotentiæ indicia, omnes crea-
turæ etiamſi inanimes, ſuum teſtan-
tur auctorem. Vt de ipſis cælis fate-
tur Rex Dauid Pſalmo 18. *Cæli enar-* Pſal. 18.
*rant gloriam Dei, & opera manuum eius
annunciat firmamentum.* Sed ideò dif-
C ficilis eſt mundo cognitu Chriſtus,
quia eſt veritas, vt ipſemet de ſe te-
ſtatur : *Ego ſum via, veritas, & vita, qui* Ioann. 13.
credit in me ſaluus erit. Veritas verbo
fideli ſtabilitur, verbum æternum *caro
factum eſt*; ecce veritatem; vt ſcilicet
caro magiſterio æterni verbi faciliùs
in veritatis cognitionem deueniat.
Sed quid obſecro cauſæ, cur verbum
illud æternum caro factum eſt, qua-
re potiùs non dicit ſanctum Euange-
lium Homo factum, aut anima factum
eſt; ſiquidem anima nobiliſſima ho-
D minis portio, denominatio autem à
præſtantiori ſumenda. Vultis rationẽ
audire Catholici? Anima habuit con-
ſanguinitatem cum Deo in ratione
immortalitatis, vt potè ſpiritus, caro
autem nullam; quia mortalis, ad im-
mortale, terreni ad cœleſte, corru-
ptibilis ad incorruptibile, quæ propor-
tio; Deus ergo vt excluderet ſangui-
nis reſpectum, non anima, ſed homo,
ſeu caro fieri voluit, ne forſan excel-
lentiæ ſuæ aliquid tribueret anima, ſi
ſola ad vnionem cum Deo incundam
vocata eſſet.

Ecce Catholici venit Saluator veſter, ſed quia venit vt veritatem doceret, non agnoſcitis eum : quia plurimi inter vos ſanguinis reſpectu ducuntur, ad præeminentias Eccleſiaſticas, ſuos efferendo conſanguineos, ſolam in eis ſpectando generis nobilitatem ; non verò ad dignam tanti muneris adminiſtrationem, aptitudinem. Nondum ex ephebis exceſſit puer, adhuc in cunabulis vagit infans, & iam quæritur modus, quomodò in auorum, patruorum, aliorumq; conſanguineorum præeminentias ſit introducendus : dumq; nedum ſibi prodeſſe poteſt, ecce coadiutoris vices ſuſcipit. Titulus hic priſtinis ſæculis, laboris indicium fuit, vt ſeneſcentes in promouendo Dei cultu, coadiutores iuuarent : nunc verò eſt ſignum auaritiæ, vt vix exſpirante prædeceſſore, ſucceſſor relictum beneficium rapiat, vt meritò dixerit Euangeliſta : [Matth. 11.] *regnum cælorum vim patitur* - ſcitis optimè nomine regni cœleſtis in Sacra Scriptura venire Eccleſiam militantem, non verò illam ſupernam beatorum ſedem, quia ibi nulla pugna, nulla violentia, ſed ſumma pax & concordia regnat. Eccleſia ergo ſancta, hic in terris vim patitur, & violenti rapiunt illam, quando non ex Spiritu ſancto ; ſed ex fauore munia Eccleſiaſtica conferuntur, nec eo fine poſtulantur, vt augmentum deuotionis & religionis fiat in Eccleſia ; ſed vt opulenti prouentus cedant in ſplendorem accipientium, & ditandos conſanguineos : Eccleſia verò ſancta, propter hanc Iudaicam ſucceſſionem, vim patitur : quia orbata Dei cultu manet, nec tam fidelium & Deum laudantium, ſed paſſerum habitaculum fit. Ecce quomodò ignoratis Meſſiam verum, quomodò neſcitis verbum incarnatum veniſſe ad nos. Deus homo, caro, non anima, factus eſt, vt excluderet omnem reſpectum ; & ſanguinis, aut affinitatis titulum ; ſed vilem aſſumpſit carnem vt benefaceret his, qui ſuam recognoſcentes abiectionem, illum cum humilitate & reuerentia amplectuntur. Quod ſi perpenderet mundus, magis humiles, rectos, & idoneos, Eccleſiaſticis honoribus præficeret ; quàm conſanguineos, affines, aulicos ; quorum tota intentio verſa eſt, ad colligendum nummos, ſplendidè victitandum, & pomposè incedendum, non verò ad laborandum, fidelibus ſeruiendum, & nomen Dei propagandum.

Sed difficile eſt hanc veritatem cognoſcere, quia eſt filia Dei, teſte ipſamet incarnata Dei ſapientia. Ioan. 6. *Ego ſum veritas*. Sicq; omnis veritas eodem nomine gaudere, & de tam illuſtri ſtirpe deſcendere videtur : *Nam omnis homo mendax, ſolus autem Deus verax*. Verùm ſi filia Dei eſt veritas, quid eſt, quòd regius Propheta illam de terra ortam eſſe proclamet, Pſalmo 84. *Veritas* inquit *de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit*, [Pſalm. 84.] Si de terra, quomodò ex Deo, cum Dei Sedes in cælis ? ſi de terra, quomodò non ex homine, cùm iſte ſit præcipuus terreni orbis incola. Beatus Auguſtinus : *Veritas de terra orta eſt*. [S. Auguſt.] ſcilicet *Chriſtus de fæmina natus eſt*. Veritas, de terra orta eſt : nimirùm ; *Filius Dei de carne proceſſit*. En habetis quid ſit veritas, Filius Dei ; quid terra, caro : Interroga ergo vnde natus eſt Chriſtus, & videbis, quia veritas de terra orta eſt ; ſed hæc veritas quæ orta eſt dè terra, ſcilicet Chriſtus de fæmina natus eſt, fuit ante terram, & per ipſam factum eſt cælum & terra. Ad quid ? ſcilicet ; vt iuſtitia de cælo proſpiceret, id eſt ; vt iuſtificarentur homines gratiâ diuinâ. Veritas nata eſt de Virgine Maria, vt poſſit pro mortalibus offerri ſacrificium, paſſionis, ſacrificium crucis. Vnde enim Chriſtus ſacrificium offerret pro nobis ? niſi moreretur : vnde autem moreretur : niſi à nobis acciperet, vnde moreretur ? niſi à nobis ſumeret carnem mortalem, Chriſtus mori non poſſet : quia verbum non moritur, diuinitas non moritur, veritas & ſapientia Dei non moritur. Veritas ergo de terra orta eſt, hoc eſt Dei filius humanam naturam induit, vt terram,

ſcilicet ;

ſcilicet ; omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminaret.

Sed perſcrutemur altiùs, quid miſticè hæc verba, *veritas de terra orta eſt*, ſignificent : profectò non aliud ; quàm confeſſionem ab homine factam. Homo enim de humo formatus, peccator eſt, terra eſt, qui poſtquàm peccauit, audiuit : *Terra es, & in terram reuerteris* ; oriatur ergo de hac terra veritas, vt reſpiciat de cælo Iuſtitia. Sed quomodò orietur à te veritas ? cùm tu peccator ſis, cùm tu iniquus ſis : confitere peccata tua, & orietur de te iuſtitia : ſi enim cùm ſis iniquus, putas te eſſe iuſtum, quomodò à te orietur veritas. Si autem cùm ſis iniquus confiteris te eſſe iniquum, veritas de te oritur. Intende illum publicanum longè à Phariſæo in templo orantem, qui neq; oculos ad cælum audebat leuare, ſed percutiebat [Lucæ 18.] pectus ſuum dicens : *Domine propitius eſto mihi peccatori*. Lucæ 18. Et ecce veritas de terra orta, quia confeſſio peccatorum ab homine facta eſt. Nam ſtatim ſequitur. *Amen Dico vobis, quia deſcendit iuſtificatus publicanus magis ; quàm Phariſæus*, quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Orta eſt veritas de terra in confeſſione peccatorum, & mox iuſtitia de cælo proſpexit, vt deſcenderet magis iuſtificatus publicanus, præ Phariſæo ; Nam ſi vultis noſſe, quòd veritas pertineat ad confeſſionem peccatorum : Audite ſanctum Ioannem Euangeliſtam Ioannis 1. *Si* [Ioann. 1] *dixerimus* inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Quomodò autem veritas de terra oriatur, & quomodò iuſtitia de cælo proſpiciat : audi quid vlterius addat ; *Si* inquit *confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate*. Veritas ergo de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Quæ iuſtitia de cælo proſpexit ? Dei profectò dicentis. Parcamus huic homini, quia ipſe ſibi non pepercit : ignoſcamus, quia ille peccatum ſuum agnoſcit ; conuerſus eſt ad puniendum peccatum ſuum, conuertar & ego ad eum liberandum ; vbi ergo veritas de terra oritur ; ſtatim quoque iuſtitia de cælo proſpicit. Vt primum confeſſio peccatorum fit ab homine, protinùs gratiam ſuam pænitenti Deus non vult negare, vt agnoſcat impius, pium ſe fieri non poſſe, niſi ille fecerit cui confitetur, credendo in eum, qui iuſtificat impium ; & quidem credendo charitatiuè, hoc eſt ; non ſolum fidem Ieſu Chriſti amplectendo, ſed eam quoq; bonis operibus implendo. Proinde homo ſeipſum debet reſpicere, etſi nihil in ſe inuenerit niſi peccata, odiat peccata, & deſideret iuſtitiam : cùm enim cæperimus odiſſe peccata, iam ipſum odium peccatorum, ſimiles nos incipiet facere Deo ; quia hoc odimus, quod odit Deus. Grauè eſt fateor prauam deſiſtere conſuetudinem : nam cùm incipis odiſſe peccata, & confiteri Deo, tunc te delectationes illicitæ rapient, & ducent ad ea, quæ tibi non proſunt.

Sed tu ingemiſce ad Deum, & confitere illi peccata tua ; mereberis ab illo delectationem, & ſuauitatem iuſtitiæ faciendæ, dabit tibi, vt incipiat te delectare iuſtitia, quem primò delectabat iniquitas ; vt qui primò gaudebas in ebrietate, gaudeas in ſobrietate ; & qui gaudebas primò de furtis, vt tolleres homini, quod non habebas, quæras donare non habenti quod habes. Et quem delectabat rapere, delectet donare : quem delectabat ſpectare, delectet orare. Quem delectabant cantica nugatoria, & adulteria, delectet hymnū dicere Deo, currere ad Eccleſiam, qui primò currebas ad theatrum, hoc eſt ; agnoſcere veritatem : hoc eſt Dei filium noſſe : ſed quàm multi ab hac veritate aberrant, & falluntur in illa cognoſcenda, propterea quòd homines à peſteriori primò in rerum cognitionē venire velint, hoc eſt ; ab effectis ; vnde vbi effectus cauſæ diſſimiles vident, facilè illam ignorant, ſic euenit in cognoſcenda veritate : cùm enim pulcherrima, & venuſtiſſima ſit,

ita vt

ita vt illa nec formoſiorem, nec pul-
chriorem liceat cogitare ; fædas ta-
men & deformes edit ſoboles, pro-
pter quod à multis ignoratur.
Videamus, quos illa in lucem fili-
os progenerat, & reſpondet vetuſtiſſi-
mum adagium *veritas odiũ parit.* Quid
obſecro magis ferum ac fætidum ?
quàm odium, inuidia, ira, offenſio ?
Quid tàm monſtroſum ; quàm ex ve-
nuſtiſſima matre, tàm atros Æthyo-
pes odij, rancoris, ſimultatum oriri
atque naſci. Magno animo, & gratiali
forma protomartyr Stephanus annun-
tiabat proteruis Iudæis veritatem E-
uangelicam : & quàm ingrati benefici-
js Dei fuerint maiores eorum, expro-
Actor. 7. brabat, inquiens : *Durà ceruice, & in-*
circumciſis cordibus vos ſemper Spiritui
ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri ita &
vos. Quem Prophetarum non ſunt perſe-
cuti patres veſtri & occiderunt eos, qui
prænuntiabant de aduentu iuſti, cuius vos
nunc proditores & homicidæ fuiſtis. San-
ctus Auguſtinus hunc imperterritum
fidei pugilem, talia ſpicula in Iudæ-
os intorquentem, & veritatis gladio,
tàm potenter aduersùs eos pugnan-
tem, animo conſiderans, ſic eum allo-
S. Auguſt. quitur. *O inclyte iuuenis, quàm te ſilen-*
tem, quàm auidum certæ mortis video.
Cùm enim nudam luculentamq; verita-
tem hominibus in os dicis, mori vis, feſti-
nas lapidari, ardes coronari. Vnde quæ-
ſo magnus iſte doctor agnouit Bea-
tum Stephanum mortis ſitientem eſ-
ſe ? vtique non dixit ; *irruite in me, &*
interficite me. Soluit nodum Auguſti-
nus, *Quia* inquit *illis veritatem loqueba-*
tur, quia illos de ſuis ſceleribus obiurga-
bat, quia peccatorum vlcera acri verbo-
rum Sale confricabat, mortem appetijt.
Quid aliud enuntiatio veritatis affer-
re poteſt ; quàm odium ? quis ab ea
partus expectandus ; quàm inimicitiæ,
& implacabiles offenſiones. Vultis
noſſe, quòd tales ſoboles veritas pe-
perit Beato Stephano : Audite ſan-
ctum Lucam. Actorum 7. verſu 54.
Actor. 7. quid dicat, *diſſecabantur* inquit *cordi-*
bus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum:
quaſi dicere vellet, tanquàm in rabi-
em acti canes, tanquàm famelici lupi,

A tanquàm efferati leones, vnguibus &
dentibus illum inuadere & diſcerpe-
re volebant : nec valentes ferre odi-
um, cùm iam furore viſcera eorum
dilaniarentur, *eijcientes extra ciuitatem,* Ibidem.
lapidabant. Ibidem verſu 57. Ecce
partum veritatis. Talia offerri præ-
mia, talia inferri ſupplicia veritatis
præconibus ſolent, vt qui ſunt Ste-
phani, qui veritatis nuntij, feriantur
lapidibus, exturbentur ciuitatibus, &
ex conſortio hominum expellantur,
atq; penitus è viuis auferantur. Re-
B ctè ergo ſanctus Auguſtinus intulit,
ex veritatis annuntiatione, vitæ quaſi
pertæſum ad mortem contendiſſe,
quia veritas etiam optimo odium pa-
rit, & vitam adimere contendit. Ec-
ce quomodò pulcherrima mater, ſæ-
uum pariat filium, odium interneci-
uum. Præuidit hoc Saluator noſter,
qui mittẽs ſuos diſcipulos ad promul-
gandum Euangelium per totum or-
bem, *Euntes in vniuerſum mundum do-* Matth. 28.
cete omnes gentes, moxq; ſubiunxit, *&*
quod gratis accepiſtis, gratis date.
C Quæſtio naſcitur inter Doctores,
quidnam Chriſtus voluerit ab Apo-
ſtolis, gratis dari, aut fieri ? nam vide-
tur Chtiſtus, non ſatis aperuiſſe men-
tem ſuam, quia abſolutè pronuntia-
uit, *gratis accepiſtis, gratis date,* non
ſpecificando quid, veritatiſne nunti-
um, aut beneficium ſanitatis. Reſpon-
det Abulenſis, Chrictum inſinuaſſe his
verbis vt gratis facerent miracula, Abulenſis.
gratis ſanarent infirmos, gratis ſuſcita-
rent mortuos, gratis mundarent lepro-
ſos, gratis exonerarent dæmoniacos
D vno verbo ? omnia quæ ſalutem æter-
nam concernunt, gratis ab ijſdem fieri
voluit, quia cùm hæc auidiſſimè expe-
tantur ab hominibus, ſi pro ijſdem
mercedem aliquam accipere permiſ-
ſum eſſet, facilè infinitum pecuniæ
patratores miraculorũ contraherent.
Quod apertè indicãt verba Chriſti Do-
mini : Matthæi 8. Numero 7. *Euntes* Matth. 8.
inquit *prædicate, infirmos curate, mor-*
tuos ſuſcitate, leprosos mundate, dæmo-
nes eijcite. Quaſi apertiùs diceret ;
agite diſcipuli mei, & ad prædican-
dum Euangelium vos comparate,
quos

quos fugandis è mundo errorum te-
nebris deſtinabo, muneris veſtri par-
tes hæ erunt, vt lolium culparum ab
humanis cordibus exirpetis, quo di-
uinæ virtutum ſementi aptentur vt ve-
rò ſuam habeat, quam prædicabitis
doctrina authoritatem, ampliſſimam
poteſtatem in morbos, mortem, or-
cum, do vobis gratiam, facio, vt cura-
re ægros, mundare leproſos, reuocare
in vitam mortuos, exigere corpori-
bus dæmones poſſitis. Et quare Chri-
ſtus nõ præcepit, vt gratis prædicarẽt,
ſeu vt pro doctrina nihil acciperent,
poterat hoc ſanè imperare inquit A-
bulenſis, verùm ſciebat, quòd pro do-
ctrina nemo eis daret pecuniam, ſi
gratis prædicare nollent, quia prædi-
cationis vox, non erat aliquid dele-
ctabile hominibus, pro quo pecuni-
am darent ; proindè ſuperuacuum vi-
debatur, mandare diſcipulis, ne quam
pro prædicationis officio gratiam aut
remunerationem acciperent, quia
profectò niſi gratis prædicaſſent, ne-
mo vel obolo oblato, eos ad prædi-
candum inuitaſſet, aut conduxiſſet.
Nam vt annuntiaturi erant, quæ in-
grata guſtui, repugnantia corpori, ad-
uerſa cuiuſq; appetitui, & prauæ incli-
nationi, vt producturi erant ſigna, &
illaturi bella carni, & ſanguini, omni-
que corporali voluntati, ſic nemo eis
pro doctrina quidquam daret ; imò
quid dico daret ? Gratuitò oblatam
vix vnus aut alter amplexi ſunt, quia
omnes homines ex natura fugiunt ve-
ritatem, quia odium parit, & res eſt
talis, cui plenè omnes, quantùm nul-
li alteri ſunt infenſiſſimi.
Hinc peccatorum aures in ſcriptu-
Eccl. 12. ra, *filiæ carminis appellantur. Obſurde-*
ſcent inquit ſapiens omnes filiæ carminis.
Eccleſiaſt. 12. numero 4. quia ſcili-
cet peccatorum aures carminibus ad-
dictæ ſunt, cantilenas libenter audi-
unt, adulationes auidiſſimè auſcul-
tant, at verò monitiones faſtidiunt,
conſilia ſana non attendunt, ad ob-
iurgationes penitùs obſurdeſcunt.
Hinc rectè Zacharias inuehitur, in
omnem populum terræ, & in impro-
bos ſacerdotes, qui cum terreno po-

A pulo pariter inuoluuntur, Zachariæ 7.
num: 21. *Aures* inquit *ſuas aggrauaue-* Zachar. 7.
runt, ne audirent, & cor ſuum poſuerunt,
vt adamantem, ne audirent legem. Ap-
poſitè profectò animos ad ſalutaria
monita audienda difficiles, & ad re-
ſiſtendum diuinis conſilijs obfirma-
tos, comparat adamanti, quia vt docet
Rupertus, in illum locum : *De ada-* Rupertus.
mante inquit illud mirandum, quòd cùm
tantæ ſit duritiæ ſolo perfuſus hirci ſan-
guine, quod animal libidinoſum eſt, ſta-
tim diſſoluitur. Vnde congrua ſimili-
B tudo eſt valdè, *cor ſuum poſuerunt vt*
adamantem ; quia cùm duriſſimæ cer-
uicis & cordis indomabilis eſſent,
contra Deum ; mobiliſſimi erant in
omnium libidinum fluxum, vt meritò
in illos conſtet Iſaiam dixiſſe : *Au-* Iſaiæ 1.
dite verbum Domini Principes Sodomo-
rum Iſaiæ 1. num. 10. videtis ergò,
vt impiorum aures ad delicias, & ille-
cebras liqueſcant, & diſſoluantur ; ad
monitiones verò & increpationes
obrigeſcant & obfirmentur. Permit-
tunt ſe facilè a ſirenibus dulcibus ſeu
C fraudulentis excantari, iuxta illud Iſa-
iæ 13. num. 22. *Reſpondebunt ibi vlu-* Ibidem 13.
læ in ædibus eius, ſirenæ in delubris vo-
luptatis. Quaſi improbi homines vo-
luptati, quam vt Deum venerabantur,
templa erigerent, in quibus colere-
tur. Nec minori alacritate, profana
ſirenum blandimenta, ex lupanari-
bus ; quàm ſacra Prophetarum orà-
cula, è templis auſcultarent. Tales
ſcilicet impij peccatores, in quos acri-
ter inuehitur Iſaias cap. 30. Num. 10.
Qui dicunt, videntibus nolite videre, & Ibidẽ 30.
D *aſpicientibus nolite aſpicere, nobis ea quæ*
recta ſunt : loquimini nobis placentia vos.
Et quæ iam poteſt par impietas
excogitari, non ſolùm veras moni-
tiones faſtidiunt ; ſed etiam falſas adu-
lationes extorquent. *Loquimini nobis*
placentia ; imò volunt ipſum prophe-
ticum lumen, ſi fieri poſſit, obſcura-
re. *Nolite inquiunt aſpicere quæ recta*
ſunt, ne ipſi è ſuis voluptatum tene-
bris exire compellantur. Volunt in-
ſuper veritatem propheticam (quod
fieri nequit) à verò aberrare. Vide-
te inquiunt nobis errores, ne ipſi è
ſuis

suis scelerum erroribus per Propheticas monitiones extrahantur. Non ergo agnoscunt homines Dei filium venisse in mundum, quia veritatem non recipiunt; quo facto statim filium Dei contemnunt. Potissimùm verò illi; quos fortuna aliquantùm subleuat: hi enim omne medicamentum salubris admonitionis respuunt. Talis fuit imperator ille Caius, qui humili adhuc in loco constitutus, beneuolas suis monitoribus aures dabat: at vbi ad imperatoriam dignitatem peruenit, superbas & iracundas. Talis obstinatus Pharao, qui Moysen & Aaronem leniter monentes respuebat; suos verò magos crudeliter adulantes auscultabat. Sed qui apes salubriter pungentes abegit, in coruos immaniter laniantes incurrit, iuxta illud Prophetæ Psalmo 37.
Psal. 37. num: 14. *Dedisti eum escam populis Æthyopum*; hoc est; vt exponit
Lyranus. Lyranus *coruis* eum deuorandum tradidisti.

Præuiderat hoc optimè Moyses, quàm graue & periculosum esset, apud veritatis osores vera loqui. Nam cùm Deus illum ad Pharaonem mittere
Exodi 6. vellet, Respondit. *Ecce ego gracili voce sum, & quomodò me audiet Pharao.* Exodi 6. Numero 12. Sed quò spectat hæc excusatio? Nam quando ad totum populum alloquendum mittebatur, Moyses, non incusabat gracilitatem vocis; cùm tamen ea tunc inutilior videbatur: neque enim poterat nisi ingens clamor, & ferrea vox, ad tantæ multitudinis aures prolabi. Cùm verò ad vnum Pharaonem legatus mittitur, se à legationis munere propter vocis gracilitatem subtrahere conatur. Quid hoc est? si existimas ô Moyses, vnum regem inconditis ita moribus adeundum! Quæ tua hæc erit vrbanitas? Qui in regia à puero enutritus, ignorare non potes, cùm rege potius humili & submissa voce; quàm elata & incomposita agendum. Sed meritò vt video Moyses gracilitatem suæ vocis obijcit, quia nouerat optimè, quòd cùm Pharao, ad salubres obiurgationes & monitiones audiendas surditate laboraret, necesse esset, vt magnis clamoribus pulsaretur: in quos cùm ille nō posset erumpere, propter vocis gracilitatē, ineptus sibi ad eam legationem videbatur. Sed & aliud argumentum non postremum in suam allegat excusationem. *Ecce* inquit *filij Israël non audiunt me, & quomodò audiet Pharao,* quasi in hunc modum argumentaretur, si priuati homines, qui solent esse ad priuata monita capessenda promores, me non audiunt; Rex qui bonis consilijs frequentius reluctatur, quomodò mihi acquiescet? Nouit scilicet prudentissimus Patriarcha, regum ingenium ad audiendas adulationes procliuè, ab auscultandis verò monitionibus alienum.

O quam rectè modernis temporibus hoc ipsum quadrare posset: vbi & Rex, & populus, & Principes, veritatem execrantur. Quam optimè possemus ingeminare illa Prophetæ: verba Isaiæ 59. Numero 14. *Corruit* Isaiæ 59.
in platea veritas Quod Ferrerius ex Hebræo transtulit. *Impingit in plateis veritas.* quasi diceret, obit compita, non secus ac pauper, isque infirmus solet; qui cùm à nemine sub tectum admittatur, fit vt præ virium ægrarum imbecillitate collabascat, & in parietes irruat; sic planè his temporibus, extremè iam infirmatur veritas, imò facta est iam in auersionem, non est qui non defugiat eam; omnibus male olet, omnes aut pleriq; toruo oculo eam aspiciunt, aures qui eam vbiq; commorari audiunt, obstruunt; planè sicut illi, qui Stephanum prædicantem audiebant. *Continuerunt aures suas* Actorum 7. Numero 56. textus autem syrus legit: *obturauerunt aures* Actor. 7.
suas. Loquere nunc veritatem regi, Rex ne aggraues nimiùm regnum tuum, nonne tibi respondebit, sicut insanus quondam Amasia Rex Iuda, Prophetæ rectè admonenti responderat Paralipp. 25. Numero 16. *Num* Paralip. 25.
inquit *consiliarius, Regis es, Quiesce, ne interficiam te.* Loquere Domino, ne opprimat subditos; diuiti, ne contemnat pauperes: erudito, ne despiciat imperitos? nonne omnes obsurdescunt

scunt ad sonitum veritatis, teste sancto Hieronymo: *Difficilè* inquit *homines potentes, & nobiles & diuites. & multò his difficiliùs eloquentes, credunt Deo:* obcæcatur enim mens eorum diuitijs, & opibus, atque luxuriâ, circumdati vitijs, non possunt videre virtutes, simplicitatemq; Scripturæ sanctæ, non ex maiestate sensuum; sed ex verborum iudicant vtilitate Loquere militi, ne se nimiùm prædâ pauperum oneret, quid ad hoc respondebit? quomodò inquit aulicorum famulatum, tot equorum numerum sustentare possum. Loquere demum cuilibet, ne faciat, quod in se malum est, quid ab illo audies? naturæ inquit ille hæc est inclinatio meæ, sub mala constellatione natus sum, viuere aliter non possum, quasi naturam acceperit, & non ipse fecerit malam, quasi constellatio necessitare possit liberam voluntatem; quæ tamen in solum corpus influentiam transmittere potest Hæc sunt figmenta humanæ industriæ, hæc commenta effrænatæ malitiæ. Allegamus causas varias, vitia tegendo, sed non est Deus vt homo, vt secundum falsa allegata nostra iudicet, cor ille intuetur, & secundùm occultas cuiusque cogitationes iudicabit impium. Ecce quomodò omnes terrigenæ non cognoscunt veritatem, ecce quomodò dubitant num Christus venerit.

Creditis Catholici natum de Virgine purissima Iesum, colitis & obseruatis eum tanquam Dei filium; sed sciscitemini hodie ex illo. *Tu es qui venturus es:* hoc est; vtrum hic Iesus qui venit in mundum saluare nos, venerit etiam in cor nostrum? Et agnoscetis plurimi, quòd nondum venerit. Auaritiæ immersus es, Dei filium nondum possides in animo tuo, quia vt docet Gregorius, homilia 33. *Super Euangelia. Bonorum authori aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus.* Luxuriæ deditus es, Deum in corde tuo non habes, quia vt docet Diuus Augustinus, de doctrina Christiana *Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus.* Vanitatem sectaris; Deum mente non retines, quia in aula Dei, sola virtus, & labor, non vanitas, & otium locum habent. Immersus fædis voluptatibus, pœnitentiam procrastinas; in corde tuo non est Deus; quia vt dicit Hugo de sancto victore, libro 2. de sacrament. *Difficilè est vt in articulo mortis, vera sit pœnitentia, quando tàm sera venit.*

S. Hieron. S. Gregor. S. August. Hugo.

Veritatem igitur Catholici vobis in medium proposui, scilicet Christum Iesum de Virgine Maria natum: quòd hanc veritatem ignoretis, ostendi: quia dùm veritatem respuitis, ipsum Dei filium negatis. Quocirca cùm iam non dubiteris Christum venisse, per carnis nostræ assumptionem, cum sancto Ioanne quærite hodiè ex illo, & postulate, vt etiam per gratiam suam ad cor nostrum descendat, impuras mentes sanctificet, ad audiendam veritatem alliciat, cuius aduentus certum habebitis indicium, si constanter in timore & charitate Dei perseueraueritis, & renuntiantes mundi mendacio, ad veritatem inclinaueritis aurem vestram.

DOMINICA III. ADVENTVS.

CONCIO I.

Ego vox clamantis. *Ioan. 1.*

Tribus ex causis vox Christi Iudicis in extremo Iudicio terribilis futura ostenditur.


Emosthenes Princeps Atticæ facundiæ, cùm voce exigua, minimeque firmis lateribus esset, quodam tempore in magna senatus, & totius Græciæ frequentiâ, vrgens vocem vltra vires, inter concio-

concionandum defecit ob multitudinis fremitum. Id verò alijs culpantibus, & obijcientibus, ita respondit: Histriones è voce iudicare par est, Oratorem è mente, Histrio enim seruit populo, Orator consulit: ille delectat, hic prodest; ad benè autem consulendum non refert, quàm sis vocalis, sed quàm opportuna suadeas. Actori voce opus est, quæ vincat multitudinis fragorem; Orator verò talis esse debet, vt populus ipsum vltrò tacitus, & attentus auscultet.

Demosthenis prudens responsum.

At verò magnus ille pœnitentium antesignanus S. Ioannes, qui vitam prorsus Angelicam in terris ducebat, vt fatetur S. Chrysosth. homil. 10. in Matth. *Ab ipsis* inquit *incunabulis in eremo semper habitauit, & Angelicam quandam vitam mortali in carne præ se tulit.* Qui austeritate, & sanctitate omnes excedebat, adeò vt S. Basilius Concione 1. de ieiunio, vitam Ioannis perpetuum fuisse affirmet ieiunium: *Ioannis* inquit *Baptistæ vita, quid aliud erat, quàm vnicum & perpetuum ieiunium;* Cuius pœnitentia ita magna fuit, vt nec imaginatione quis eam percipere queat.

S. Chrys.

S. Basil.

Extendat enim suas humanus discursus, quantum vult vires, figuret abstinentiam, vltra herbas non se extendet; at Ioannes locustas inuenit: pensitet vestitus austeritatem, non vltra cilicium cogitabit; at Ioannes Camelorum pilis vsus: formet solitudinem, certè primus Paulus Eremita à 15. ætatis suæ anno eremum coluit; at Ioannes ab anno & dimidio, vt scribit Nicephor. libr. 1. Histor: cap. 14. & Cedrenus in compendio histor; Herodianam enim fugiens mater sancti Ioannis crudelitatem, in eremum secesserat, quæ delitescens, in spelunca quadam ibi obijt: Affirmatq; Cedrenus Angelum curam suscepisse pueri, in qua solitudine sic constanter ac perenniter mansit Ioannes, vt omnium hominum penitùs euitaret conuictum, & quod magis stupendum, nec ipsum videret Saluatorem.

S Ioannes Baptista ab anno & dimidio eremiticã vitam gessit.

Quod ipsum docet S. August. lib. 7. de Ciuit: c. 24. dum affirmat Ioannem Prophetam fuisse, quia Christum demonstrauit, etsi facie ipsi ignotum. *Nouissimus* inquit *Propheta fuit Ioannes, qui iuuenis iam iuuenem Christum, non quidem futurum prædixit, sed incognitum.* (id est facie) *Prophetica cognitione monstrauit.* Et palam hoc ipsemet de se fatetur, cap. 1. illis verbis: *Et ego nesciebam eum,* id est facie, & conuersatione, vt communiter omnes interpretes exponunt, & potissimùm S. Chrysosth. tom. 3. homil. 16. Vbi dicit: *Vt autem non videatur, ex amicitia propter cognationem ei testimonium perhibere, quia cognatus est secundùm carnem, propterea dicit: Ego nesciebam eum, & secundùm rationem hoc contingit; etenim in deserto conuersatus est* Ioannes

S. August.

Ioann. 1.

S. Chrysos.

Formet deniq; cogitatio hominem pœnitentem, semper aliquid carnis in eo reperiet; at in Ioanne nil prorsùs, nisi tantum ossa: *In terris ait Chrysosth. quasi in cœlis versabatur, & carnis in eo nisi visio sola.* Hinc eius Deo holocausta medullata, non ex carnibus, sed ex ossibus: quia carnes non habens, medullas offerebat, quod genus sacrificii altissimum, iuxta illud Dauidis Psal. 65. *Holocausta medullata offeram tibi,* ex quo planè in Angelum euasit S. Ioannes, vt ait D. Ambros: homil. 10. in Matth. *Quia vitæ humanæ possibilitatem continentiâ, supergressus fuerat, non homo, sed Angelus appellatus est.*

Psalm. 65.

S. Ambr.

Et nihilominùs, cùm tantus esset Ioannes, è voce se iudicari vult: *Ego vox clamantis in deserto.* Vnde obsecro vox clamantis in deserto? nunquid ob arbores, & animalia venerat, vt illis clamaret; minimè: hominibus quippè ad prædicandam pœnitentiam missus fuerat. Sed ideò potiùs, quia cùm Christi præcursor esset, & verbi incarnati nuntius, vocem illam Christi, quæ in vltimo tribunali vniuersas creaturas perterrefaciet, significabat. Illa profectò erit vox ferrea, vox adamantina, vox plena iusti furoris. O sententiam iudicis tremendam! exclamat quidam contemplatiuista, ô vocem horribilem! Audietis tunc Catholici vocem Christi iudicis clamantis, sed vocem horribilem,

S. Ioannes quare vox clamantis dictus.

lem, ipsa viscera commouentem: audietis sententiam rigidam, sed iustam. Considerabimus itaque, quare in illo extremo iudicio, vox Christi iudicis erit terribilis.

Existimassem ego Christum, vocem suam nunquàm fuisse, nec fore immutaturum, etiam in illo vniuersali iudicio; sed suaui & blanda voce allocuturum homines; eò quòd sit Agnus, cui hoc singulare priuilegium natura concessit, vt vocem suam nusquàm mutet. Hinc quidam inter sua emblemata pinxit agnum; apposita inscriptione: *voce semper eadem.* Sed non mirum: quia Christus est agnus diuinissimus, cuius vox non magis suauitatem, quàm horribilem potentiam in se continet. Quod pulchrè adumbratum reperio Iosue 8. quando Deus ad expugnandam, & funditùs euertendam vrbem Hierichuntinam, non argenteas, nec æreas bellorum tubas sonare mandauit, sed eas, quæ in anno iubilei sonabant, *Tollant* inquit *septem buccinas, quarum vsus est in iubileo.* Quæ tubæ erant corneæ, de arietinis cornibus factæ, proinde per has iam tunc Deus ad cornua diuinissimi agni alludebat, de quo dicit Apostolus Apocal. 5. *Ecce in medio throni, agnum stantem tanquàm occisum, habentem cornua septem.*

Iosue 8.

Apocal. 5.

Euidenter ostendens ad perterrefaciendam, & expugnandam mundi impietatem, nihil efficacius esse, quàm agni diuinissimi balatum. Si enim de Elizeo D. Aldhelmus lib. de Virgin: cap. 10. aiebat: *Elizeus verò eiusdem Eliæ duplo ditatus spiritu, & geminâ præditus gratiâ, in cuius exortu aurea quadrupes, in Galgalis bombosæ vocis roboasse describitur, significans idololatriæ lapsum; & simulachrorum cerimonias explodendas.* Si inquam, vt primùm sub Elizei exortu, aureæ quadrupedis mugitus, seu balatus erat auditus, illicò simulachrorum, & idololatriæ ruina præsignata comparuit; cur diuinissimi agni sonitus, seu vox, per septem corneas tubas sub Iosue figurata, ruinam mundi scelerum non trahet? Credite mihi, vbicunque vox cœlestis illius agni sonuerit, non manebit vllum munimentum peccati, quod non cadat.

Aldhelm.

Hinc S. Ioannes Baptista, videns Iesum clamabat: *Ecce Agnus Dei.* Certè non sine causa omittens Regis, & triumphatoris titulum, agnum nominauit: quia sicut agnus in macellum descendit, vt moriatur, non venit in arenam vt triumphos agat; ita Christus venit in mundum tanquàm in macellum, vt sanguinem in pretium nostræ redemptionis funderet, ac moreretur. Ait D. Tho: in cat: ex Augustino: *Singulariter hic est agnus Dei, quia singulariter huius agni sanguine solo, homines redimi potuerunt.* Agnum nominauit, quia omnibus impijs, & peruersis est maximè formidabilis, addit citatus S. Doctor. *Hic est agnus quem lupi timent, qui leonem occisus occidit.* Nam & leones, & lupi pereunt, vbi auditur vox agni diuinissimi, cuius fortitudini non est, qui resistat.

Christus cur agnus nominatur.

S Thomas

Dicebat Isaias cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Quis ita leonem, & vrsum, & lupum confregit, vt abiecta feritate pascerentur cum ouibus simul, nisi agnus ille noster, qui abstulit peccata mundi. Quemadmodùm ingeniosè resoluit Cyrill. Alexandr: ibidem: *Vitulo* inquit *& tauro, leonem adiungit, vt intelligas fide iustificatos, & sceptro Christi subiectos, non ex solis mundis esse; & sanctis, sed etiam ex agrestibus, videlicet ex gentibus, conglutinante eos, & ad concordiam animorum componente, omnium nostrûm seruatore.* Quippè vbi agnus iste noster apparuit, omnis cessit feritas, & in illo mansuefacti ferallissimi quiq; extiterunt.

Isaiæ 11.

S. Cyrill. Alexandr.

Genesis 22. ait Scriptura sacra: *Leuauit Abraham oculos suos, viditq; arietem inter vepres hærentem cornibus.* Circa quæ D. Ambr. lib. de Abraham, cap. 8. ita discurrit: *Demonstrat etiam genus passionis, cùm suspensum ostendit cornibus arietem, virgultum illud, patibulum crucis est. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus, omnia traxit ad se.* Profectò nulla vnquàm

Genes. 22.

S. Ambr.

Pſal. 71.

S. Hieron.

quàm tuba ita rapuit animos audientium, ſicut vox diuini agni è cruce pendentis, vniuerſa ad ſe traxit, ſibi ſubijciens, quidquid erat in mundo rebelle. Vt meritò dicat Regius Vates Pſal. 71. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba, dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ.* Super quæ verba S. Hieronym: ait: *Quibus quidem totum hunc mundum ſua paſſione, & cruce acquiſitum, atquè ſubiectum Chriſto Domino, omneq; mundiale imperium, honores, ordines, ad eum accedere, eiq; colla ſubmittere, propheta pronuntiat.* Quid enim mundiale non ſe ſubmittit voci agni diuini, pro nobis occiſi? Si ergo vox cœleſtis illius agni è cruce pendentis, ita fuit valida, vt totum ſuæ poteſtati ſubiugaret mundum, quid cenſemus, quàm potens, quàm terribilis erit in extremo iudicio? Quando innatam ſuam manſuetudinem, & affabilitatem, conuertet in furorem: *O vocem horribilem!* Quando ſuauitatem dulciſſimæ vocis conuertet in amaritudinem intolerabilem: *O tremendam iudicis ſententiam!* Et quem obſecro non perterrefaciet illa vox, de ore irâ & indignatione perciti Iudicis egrediens? Eruperat quondam colluuies illa Iudæorum, de latebris Ieroſolymæ, vt Chriſtum in monte Olìueti ad Deum Patrem prolixiùs orantem, comprehenderet. Vbi verò audaciores aliqui in hortum Gethſemani irruêre, diſcurrebant huc, & illuc, luſtrabant, quærebant: & ecce Chriſtus allocutus eſt eos: *Quid quæritis?* At illi dixerunt: *Ieſum Nazarenum.* Reſpondit Chriſtus: *Ego ſum.* Vbi ad prolationem iſtorum verborum, velut temulenti protinùs cecidère. Quid cauſæ? itane duo Chriſti verba, reſolutis illis nebùlonibus timorem incutere poterant, vt non ſecùs, quàm ad validiſſimum fulminis impetum ſubſiſtere non poſſent, quin corruerent. Reſpondet D. Hieron. *Quia fulgor diuinitatis Chriſti, in facie humana relucebat:* & ideò non mirum, quòd ad hanc Chriſti vocem proſternerentur. D. verò Auguſtinus, ad vltimum illud iudicium alludens, dicit: *Cadunt ad vocem Chriſti morituri, quid facient ad vocem iudicaturi?* Quaſi diceret: ſi in horto blanda illa Chriſti vox, quaſi agni balantis, ita milites illos perterruit, quid facient in extremo iudicio, quando Chriſtus veniet cum poteſtate magna, quando impios ablegabit à ſe: *ite maledicti in ignem æternum.* Quando vox ferrea, vox illa adamantina perſonabit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.*

Milites Iudæorũ cur ad vocem Chriſti ceciderũt in terram.

S. Auguſt.

Pœna damni conſiſtit in priuatione gloriæ æternæ.

Ponderate ſingula verba, & facilè doloris & pœnæ augmentum concipietis: *Diſcedite*, pœnam damni demonſtrat, quæ nihil aliud eſt, quàm à Chriſti conſpectu, & præſentia repelli, atque ipſius gloria priuari. O quantum dolorem adferet priuatio hæc, improborum animis: ſi enim dùm quiſpiam à patria, à dulciſſimis parentibus, à coniunctiſſimis amicis exulare cogitur, etiamſi illud exilium non multo tempore duraturum ſit, ita acerbum inde dolorem haurit, vt à lachrymis, niſi fortè ſaxeo ſit corde, nequeat ſibi temperare. Quantus putatis erit dolor, quam inconſolabilis ploratus improborum, cùm ſe in perpetuum à cœleſti patria, ad quam ex baptiſmo ius hæreditarium habebant, proſcribi, ac repelli audierint; cùm ſe à Deo Patre, à Sanctiſſima Filij eius genitrice, à conſortio Angelorum, deniq; à ſuis fratribus, amicis, conſanguineis, ſeparari conſpexerint? cùm parentes & notos ſuos à dextris iudicis ſtare, ſe verò ab eorum amplexu, in omnem æternitatem diuelli ſenſerint? cùm multos ex ijs, qui vnius eiuſdemq; ciuitatis, vnius domus, vnius familiæ, vnius profeſſionis, dicam ampliùs? vnius tecti conſortes extiterunt, ſe non ampliùs viſuros cognouerint. Et hoc eſt, quod Chriſtus in Euangelio dixit: Matth. 24. *Tunc duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & altera relinquetur: duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Alterum verbum, *maledicti*, indicat quia Chriſtus iudex ſuam ſententiam in impios promulgandam, maledictione cumulabit, vt omnes reprobi inuicem ſe mutuis maledictionibus proſcindant iuxta illud Pſal. 13. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt.* Maledicet tunc infelix homo proprio corpori, dicetq; ò ſceleratum corpus, ſis millies maledictum, quandoquidem horum ſuppliciorum mihi cauſa es. Nam propterea, quòd tibi ſatisfecerim, tuiſq; peruerſis cupiditatibus, & inordinatis deſiderijs morem geſſerim, nunc à Deo repellor, gloriæ ipſius viſione, atq; fruitione, æternùm priuor, & inſuper ad nunquàm finienda gehennæ tormenta condemnor. Maledicet Pater Filio, maledictus ſis fili mi, propter cuius nimium amorem, Domini Dei, & mei ipſius oblitus fui, conſcientiam mei ſepoſui, in id totis viribus incumbens, vt opes per fas, per nefas, per rapinas, circumuentiones, tyrannidem, vſuras, & contractus illicitos pararem, quibus te ditiſſimum relinquerem. Propter quod nunc in has incido miſerias, & à conſpectu Dei eiectus, ad æterna incendia migrare cogor: E contra verò maledicet filius parentibus, maledicti ſitis parentes mei: quia viam Dei mihi non demonſtraſtis, benè agere non docuiſtis, errantem & exorbitantem non correxiſtis, non reprehendiſtis, non caſtigaſtis, imò malis actionibus meis applaudebatis, & riſu approbabatis. Propter quod nunc à Domino Deo meo ſeparor, ſempiterniſque ignibus adiudicor. Hoc apertè promulgat Spiritus S. per os Salomonis Eccleſiaſt: 41. *De patre ait impio queruntur filij, quia propter ipſum ſunt in opprobrium.* Audiant hæc homines carni, & mundo dediti, qui ſuum corpus blandè ac molliter tractant, omnia ei indulgentes. Audiant feminæ laſciuæ, quæ ſuam carnem delicijs eneruant, ſtibio, & ceruſsâ depingunt, alijſq; vanitatibus & ornamentis, gratioſiorem reddunt, vt ad honeſtatis amiſſionem, pudicitiæque iacturam inducant. Audiant in vniuerſum omnes, qui alios ad immania flagitia committenda ſtimulant, vel magnis perſuaſionibus, vel peſtilenti exemplo pertrahunt; quia in illo vniuerſali iudicio, horrendis & execrandis maledictionibus ſe impeti audient: *Ite maledicti.* Tertium verbum, *in ignem æternum*, denotat pœnam ſenſus: quia Deus omnes impios ablegabit in ignem viuos, non ad momentaneam exuſtionem, ſed ad perpetuum cruciatum. Nam ignis ille ardebit, ſed non conſumet: inflammabit, ſed in cinerem non conuertet! cruciabit, ſed non occidet: immenſum dolorem adferet, ſed vitam non tollet: emittet de ſe non ſplendorem, ſed horrorem: non lucem, ſed caliginem: non flammam ſplendidam, ſed atrum fumum: Pulchrè S. Bernardus, de hac pœna ſenſus in ſuis meditationibus diſſerit: *Ibi* inquit *ſine fine erunt in luctu, & gemitu, procul relegati à beata patria paradiſi, in gehenna nunquàm lucem habituri: iuxta quantitatem culpæ pœnam ſuſtinebunt:* O dolorem, o cruciatum intolerabilem! viuum hominem in igne ardentiſſimo, ſine vlla mortis ſpe torqueri, aſſiduoq; conuerſari, ac degere, inter horribiles infernalium ſpirituum laruas, ſeſe in varias formas terrificas transformantes.

Matth. 4.2

Pſal. 13.

Reprobi in die iudicij horrendis maledictionibus ſe inuicem proſcindent.

Eccleſ. 41.

Ignis infernalis admiranda vis agendi.

S. Bernar.

Actorum quinto refert Scriptura ſacra, cùm in principio naſcentis Eccleſiæ, nouelli Catholici bona ſua venderent, & pro ſuſtentatione pauperum collectam inde pecuniam, ad D. Petrum comportarent: Ananias pariter vendiderat agrum, vt pretium iuxta perfectionis normam Apoſtolis afferret, attulit tandem, ſed defraudatum. Verum res occultiſſimè acta in lucem venit, ex ſingulari Spiritus ſancti reuelatione. Ait Cyrill. Hieroſolymitanus Cath. 16. *Non adfuerat Petrus Ananiæ, & Sapphiræ, cùm ſua bona vendebant, ſed per ſpiritum aderat. Nullus erat accuſator, nullus teſtis, vnde igitur hoc euenit, vt noſſet? Qui erat abſq; literis, per gratiam Spiritus ſancti illa didicit: quæ nec Græcorum* quidem ſapientes nouerant. Tunc Petrus

S. Cyrill. Hieroſol.

trus cæpit eum acrioribus verbis increpare. *Quare posuisti in corde tuo rem hanc? non es mentitus hominibus, sed Deo.* Et ecce dicit sacra pagina, quòd Ananias audiens verba illa, Deum vindicem referentia, nimirum quòd esset mentitus Deo, mentitus Spiritui sancto, morte fuerit extinctus. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit.* Quid seuerius vbi primùm fraudem fecit Ananias, mox internecioni traditus est à Petro. Potuisset Petrus magis morosè, & lentè ad supplicium ire, placidisque verbis reum monere, vt resipisceret, & culpam confiteretur. Quemadmodùm fecit Iosue, qui reum furti suauiter monebat, ne quid de commisso scelere occultaret, inquiens: *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Respondítque Achan Iosue, & dixit ei: verè ego peccaui Domino &c. & post hæc fuit interfectus.* Vide quantum lenitudo Iosue profuit reo, vt facinus suum agnosceret, vt confiteretur. Cur similiter Petrus non fecit cum Anania? cur placide eum non monuit? vt fraudem detegeret, vt se peccasse fateretur, & meliorem resumeret mentem. Ratio hæc est, quia Ananias peccauerat eo tempore, quo fideles ardentissimè Deo seruiebant, diu noctuq; orationi vacabant; Apostoli signis, & prodigijs fidem confirmabãt, sudore & lachrymis peccatores ad pœnitentiam trahebant. Qui autem inter tantas virtutes nihil veritus fraudibus se dedit, quasi desperatus videbatur, & ideò Petrus superuacaneum putauit talem admonere. Sic censet D. Chrysost. homil. 12. in Acta. *At oportebat* inquit *istum corrigi, sed non correctus esset. Nam qui talia viderat, nullumq; lucrum inde fecerat, multò magis nec alia ratione lucrifieri poterat. Non oportebat igitur quòd fiebat, omninò contemni, sed vt putrefactionem quandam scindi.* Crediderim tamen D. Petrum sine vlla mora, nec præmissa admonitione Ananiam internecioni tradidisse, vt eum saluti æternæ lucraretur. Proinde non dixit morieris, & non viues, sicut olim magum feriens aiebat: *eris cæcus & non videns solem.* Sed solùm dixit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* quia nimirum in eius supplicio hoc intendebat, vt meminisset Deum vltorem, sub eiusq; cognitione pœnitens discederet. Hoc procurabat in reo Petrus, & hoc obtinuit, vt censet Carthusianus: *Sperari* inquit *potest, quòd Petrus sua prece transgressori huic gratiam pœnitendi obtinuit, quem foris tàm districtè correxit.* Quem ergo tàm seuerè foris feriebat Petrus in corpore, eum non derelinquebat, sed & precibus, & multis alijs illius procurabat salutem meritis, vt agnoscens Deum vindicem suorum scelerum, & pœniteret, & saluaretur. Si ergo verba Apostoli ita horrenda erant, vt illis auditis, morte subitò extingueretur Ananias, quid faciet infælix peccator, quando ipse tremendus iudex in vltimo illo tribunali, voce tonitruo simili eum arguet, quod mandata eius transgressus sit, cœlitùs porrectis inspirationibus non obtemperauerit, maiestatem eius vilipenderit. Quomodò non ad singulas voces obmutescet? quomodò in terram non corruet? quomodò præ magnò timore vitam cum morte non commutabit?

Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi, vidit Filium Dei, de cuius ore gladius egrediebatur. *Et de ore* inquit *eius gladius vtraq; parte acutus exibat.* Quid gladius iste portendebat, num futurum Christi principatum, quem vbi in mundum venisset, suscepturus erat? Ita nonnulli opinantur ex eo fundamento: quia gladius est insigne Principis, iuxta illud Rom. 13. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Hinc Ioannes Bohemus de gentili ritu in Asia scribit, Principem, cum primùm accepto diademate Rex inauguratur, dicere solitum: *Oris mei sermo, de cætero gladius meus erit.* Imò etiam nunc Rex Hungariæ cùm inauguratur, insidens equo gladium fulgentem vibrat, ac circumducit per quatuor mundi plagas, quasi prote-

Margin notes (p. 70): Acto. 5. — Ananias ob mendacium morte punitus. — Iosue 7. — Cur S. Petrus cum Anania sine cunctatione nimis seuerè egit. — S. Chrys. — Carthus. — Apoc. 19. — Rom. 13. — Cerimonia Bohemorum in ceronatione Regis.

protestans se eo contra quoslibet regni hostes, quaquauersùm depugnaturum. Quoniam teste Varrone, gladius à clade dicitur, quasi cladius, eò quòd cladem inferat hostibus. Cæterùm quia Priscis gladius erat symbolum & omen mortis, vnde Heluidio pertinaci accidit, vt ante triduum, quàm occideretur, videretur sibi videre hominem, à quo gladio infestabatur. Hinc formidabilis minitabundusque Galba, cognita Neronis nece, susceptaq; Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus è ceruicibus pendente, vsu togæ non priùs recuperato, quàm omnes, qui res nouas moliebantur, oppressisset. teste Suetonio in Galba cap. 11. Post necem C. Caligulæ, in secretis reperti erant duo libelli, in quibus notæ, nominaq; continebantur morti destinatorum. Inscripti enim erant diuerso titulo, alterique gladius, alteri pugio nomen erat. Vbi per pugionem, eos, qui clam opprimendi erant, intelligebat; per gladium verò, quos palam cædere destinasset. Moliebatur quippè Princeps carnificinæ deditus, electissimum quemq; vtriusq; ordinis interimere, & mox Antium, inde Alexandriam commigrare, vt refert Suetonius in Caligula cap. 49. Hinc & Priscis maximum omnium iuramentum fuit, *ventum, & acinacem attestari*: per hunc, interitum, aut salutem; per ventum autem animam, hoc est vitam interpretantes: quòd scilicet tamdiu viuamus, quamdiu halitum & auram vitalem haurimus. Ideò gladius iste de ore Christi egressus, mortem æternam, sententiam damnationis, ipsamq; condemnationem, & punitionem æternam, quã Christus impios in die iudicii efficacissimè, & dirissimè feriet, adigetque in gehennam, portendebat. Licet ergò Ioannem Angeli fuerint sæpè sæpius affati, ex nullius tamen ore gladium prodire retulit, sed solùm ex ore Filij Dei: quia in die iudicij de ore eius prodibunt verba, tanquàm gladij exacuti, & limati. Imò vt asseuerat Alphonsus de Lotaringia: *Sæuior erit illa sententia, quàm gladius, quoniam impios adiudicabit æternis flammis.*

Est adhuc & alia grandis ratio, cur vox Christi iudicis in extremo iudicio, futura sit formidabilis: quia priùs iustos ad cælum mittet; quàm reprobos in infernum ablegabit. Postquam enim oues ab hædis, probos ab improbis, iustos ab iniustis segregauerit, & illos quidem a dextris, hos à sinistris statuerit. Primò ad dextram ad electos suos conuersus, omnia illorum facta, dicta, cogitata, desideria, actiones, virtutes, exercitia ponderabit, atq; illis ponderatis, & examinatis, in hunc modum eos alloquetur. O electi mei, non satis mihi fuit, in primò aduentu meo, quo naturam vestram nobilitarem, vestram humanitatem assumere, in vilissimo stabulo, iumentis non hominibus destinato nasci, vobiscum familiariter conuersari, ægros curare, mortuos vitæ restituere, sanctissimis præceptis & legibus meis vos imbuere. Non satis fuit, vestri amore tradi, vinculis ligari, flagris cædi, fœdissimis sputis deturpari, aculeatis spinis coronari, manibus pedibusq; cruci affigi, ad vltimam sanguinis guttam profundere, animam exhalare, latusq; meum vobis reserare. Dicam amplius? Non satis mihi fuit, carnem meam in cibum, sanguinem in potum, & animam in pretium tradidisse; sed etiam in hoc secundo aduentu meo, idcirco de cælis delapsus sum, vt vobiscum cælum diuinitatis meæ augustissimum domicilium, gloriam meam, & omnia quæ possideo, communicem. Regnum meum, vestrum erit. diuinitas mea, vestra beatitudo, Angeli mei, vestri familiares; sancti mei, socij, ac comites vestri; mater mea, mater vestra, pater meus, pater vester: venite igitur benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum, ab origine mundi. Tunc demùm ad reprobos suum sermonem conuertet, plenum furoris, & indignationis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.*

Et quid

Margin notes (p. 71): Gladius omen mortis. — Alphonsus de Lotaringia. — Christus in extremo iudicio electos alloquetur.

Christus cur nõ nisi post transmissos in cælum electos ad reprobos se conuertet.

Et quid obſecro cauſæ, quòd Deus nonniſi poſt tranſmiſſos in æternam beatitudinem electos, ad arguendos, & condemnandos reprobos deſcendet? Reſpondet S. Gregorius, quia Deus magis paratus eſt ad benefaciendum, quàm ad malefaciendum. Sed meliùs S. Damaſcenus: *Prius* inquit *benedicti mittentur in regnum Dei, poſtea maledicti in caminum ignis, vt eò grauiùs doleant, videntes quinam miſſi erunt.* Hoc enim maximum damnatorum erit tormentum, videre electos cœleſti illâ gloriâ præmiatos, quàm & ipſi poterant aſſequi, ſi rèctè vixiſſent.

S. Damaſ.

S. Ioannes Apocal. 5. introducit omnes peccatores, ſciſcitando, quid etiam in die iudicij facient? & reſpondet; quia deſiderabunt non eſſe, ſed penitùs tolli è rerum natura: *Dicent* inquit *montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Hoc eſt, à facie Chriſti hominis aduentantis ad iudicium. Licet enim appropinquante mundi conſummatione, infideles, & impij, præſertim Antichriſtiani, & perſecutores fidelium, initio non credent Dei, & Chriſti potentiam, eiuſq; vindictam, & prouidentiam; nihilominùs quando audient martyres, in tribunalibus identidem illam prædicare, ac comminari, illoſque pro ea generosè hilariterque pati, ac mori, cumque mox ſentient eorum dicta reipſa verificari, plagaſq; & vindictam ab eis prædictas ſibi immitti, tunc vel inuiti credent hæc ſibi à Deo, & Chriſto infligi, & acriora mox infligenda eſſe. Sic quondam Antiochus ſubſannãs, & occidens Iudæos, ridenſq; eorum ſacra, ac Deum, grauiter à Deo percuſſus, agnouit ſuam culpam, Deiq; iuſtam in ſe vindictam. 2. Mach. 9. *Qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbiâ repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans.* Sic Pharao, in mari rubro, cernens fulgetra in ſe è cælo vibrari, mariq; ſe obrui, dixit. *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis, contra nos.* Exodi 14. Sic impius Maximianus, acer Chriſtianorum perſecutor, ſentiens acres dolores, & morbos putidos ſibi à Deo immiſſos, agnouit ſibi à Deo Chriſtianorum, hæc iuſtè infligi. Sic Iulianus Apoſtata telo cœleſti confoſſus, clamabat: *viciſti Galilæe viciſti.* Ita plane peccatores in nouiſſimo illo die iudicij, tanto pauore concutientur, tantuſque eorum coram Chriſto iudice pudor erit, qui ita percellet, & perterrebit conſcientiam ipſorum, vt optent obrui, tegiq; montibus, imò eſſe potiùs in inferno, quàm in valle Ioſaphat coram Chriſto irato. Hinc S. Baſilius, meritò exiſtimat acerbiſſimum cruciatum, vltricibus inferorum flammis inuſtum damnatis, pudore iſto, & confuſione longè leuiorem, ac tolerabiliorem eſſe. Ponderans enim illam acerrimam increpationem Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Sic ait homil. contra diuites auaros: *Superat æternam pœnam irriſio iſta ſtultitiæ.* Sed fruſtra montibus obrui, aut ab aliqua creatura tolli deſiderabunt. Non enim tunc ampliùs in mundo videbuntur fontes, flumina, torrentes, in quibus peccator demergi poſſit: quia exſiccati erunt. Non herbæ, non arbores, quia ab igne conſumptæ erunt: non aues, aut animantia terreſtria diuerſorum generum: quia extincta erunt. Non domus, palatia, templa, turres, caſtella, ciuitates: quia omnia hæc propter ingentes terræ motus euerſa, ſolo æquata, & in puluerem redacta erunt, Non colles, non montes non valles: quia terra plana, & æqualis erit. teſte ſacra pagina Lucæ 3. *Omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, & erunt, praua in directa, & aſpera in vias planas,* Non erunt vllæ in agris ſemitæ, aut itinera, ad certa loca ducentia, per quæ peccator fugiens, ab ira tremendi ſe iudicis ſubducat: quia tota terra propter combuſtionem, vnius erit faciei, & æquabilitatis. Non deniq; ſol, & luna, more ſolito ab ortu in occaſum mouebuntur: quia luna in oriente, ſol in occidente immobilis conſiſtet. vt fatetur Iſaias cap. 60. *Non occidet vltra ſol, & luna non minuetur.* Proinde ingens ſtupor, & admiratio implebit ſceleratos peccatores, quia quocunq; ſe conuerterint, vbiq; horroris, & lachrymarum materiam reperient. Si enim infra ſe reſpexerint, omnia in cineres redacta videbunt. Si ſupra ſe, præter horribilia cœleſtium ſiderum ſigna, crucem in cœlo cunctis conſpicuam cernent. *Tunc apparebit ſignum Filij hominis in cœlo,* ad maiorem peccatoribus terrorem incutiendum: & ſic vndiq; formido, vndiq; terror miſeros occupabit.

Apocal. 5.

Impij & infideles ſero irã Dei agnoſcũt.

2. Mach. 9.

Exodi. 14.

Lucæ 12.

S. Baſilis.

Iſaiæ 60.

Neq; ſanè quempiam eludat peruerſa illa mundi opinio, quaſi dies iudicij longiſſimè à nobis diſtet, & non niſi poſt multa annorum millia euenturus ſit, cùm illum in proximo iam eſſe, ſigna adimpleta oſtendant. Primum enim ſignum, quod diem vniuerſalis iudicij præcedere debet, poſuit Chriſtus Matth. 24. *Venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & ſeducent multos.* Conſiderate, an non impletum ſit: quam multi enim in populo Iudaico viſi fuerunt, qui ſe Meſſiam in lege promiſſum iactitarunt; Percurrite ipſorum libros Thalmudicos, qui in maxima exiſtimatione apud illos habentur, & inuenietis non paucos poſt Chriſtum, hunc ſibi titulum arroganter vſurpaſſe; ac pro verò Meſſia à Iudæis receptos fuiſſe. Virum quendam nomine Barrabam, triginta annis Meſſiæ loco habuerunt, quem poſtea falſitatis conuictum, è viuis ſuſtulerunt. Verùm cùm populus apud ſacerdotes, & legiſperitos inſtaret, iamq; tempus, quò Meſſias ventur⁹ erat, adeſſe clamitaret & niſi quiſpiam alius demonſtraretur, Iesvm Chriſtum, quem illi per inuidiam cum ſumma contumelia in crucem egerant; pro verò Meſſia cuperet amplecti; illi, vt Chriſti gloriam, quoad fieri poſſet, extinguerent, populique tumultum ſedarent, alium pro Meſſia elegerunt, Arzobam nomine, in quem pariter elapſis triginta annis, cùm fraus patuiſſet, gladio animaduerterunt. Vnde populo circa hoc negotium iam penè deſperanti, quendam nomine Tabiculanum, qui non erat de ſanguine Iudæorum procreatus, propoſuerunt, & Meſſiam elegerunt; immemores diuinæ promiſſionis, qui toties in Scriptura ſacra promiſit, ſe ex illa gente, potiſſimùm verò ex tribu Iuda, eis Meſſiam daturum; qui plura in hoc negotio ſcire deſiderat, voluat, & reuoluat illorum Thalmudicos libros, & videbit ipſos ad eam inſaniam deueniſſe, vt Magum quendam, Meſſiam à Deo promiſſum ſe eſſe iactantem, libenter receperint. Qui vt maiorem ſibi apud populum fidem conciliaret, miraculi loco ſe illos ſiccis plantis per mare traducturum ſpopondit: cumq; aliquos eorum arte magica, in nube quadam incluſos ſecum vellet traducere, nube ſupra mare ſoluta, aquis omnes obruti, & ſubmerſi ſunt. Ac tandem, ſub finem mundi, pro Meſſia ſuſcipient ſceleratiſſimum Antichriſtum: en primum ſignum adimpletum iam cernimus.

Primũ extremi iudicij ſignum.

Matth. 24.

Barrabas quidã per triginta annos à Iudæis pro Meſſia habitus.

Iudæorũ quãta malitia in ſeducendo populo.

Magus pro Meſſia à Iudæis receptus,

Alterum ſignum imminentis illius tremendi iudicij, loco citato poſuit Chriſtus: *Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum. Et erunt peſtilentiæ, & fames, terræq; motus per loca.* Perpendite, an non iam impletum ſit. Plenæ ſunt Hiſtoriæ de bellis: an non multa, eaq; cruenta, & ſæua prælia, vel in ipſa Italia ab Africanis, Gothis, Vandalis, Hunnis, Longobardis, Francis geſta ſunt? ita vt magna flumina ſanguine occiſorum hominum manarent. Quid de noſtri ſæculi bellis loquar? quibus enumerandis ne annus quidem ſufficeret. Notum eſt omnibus magnum, & cruentum illud bellum in noſtra Polonia, à Coſacis, Tartaris, Moſchis, Suecis, Tranſyluanis, omniumq; prorſus gentium colluuie, in perniciem totius Chriſtianitatis conſpirata, ab anno 1648. inchoatum, & needum per ſeptemdecem propè annos finitum, vbi non quinqua-

Secũdùm vltimi iudicij ſignũ.

Matth. 24.

Bella cruenta quã plurima præceſſerunt.

quinquagies cẽtena millia bellatorũ, vt olim ſub Xerxe aduersùs Græcos: nec octingenta hominum millia, vt olim ſub Dario, qui traiecto Iſtro expeditionem Scythicam ſuſceperat; ſed milliones fortiſſimorum militum numerabantur, tantaque humani ſanguinis effuſio facta eſt, quanta ne priſcis illis ſæculis vnquàm audita fuit. Et quis non fatebitur adimpletum eſſe illud Chriſti dictum: *Surget gens contra gentem, & regnum aduersùs regnum.* Quid loquar de peſtilentia? quot mortiferæ peſtes mundum iam depopulatæ ſunt? Subticeo præteritorum temporum mortalitates, de noſtris ſolummodò loquar. Teſtis eſt maior, & minor Polonia, Ruſſia, & Pruſſia; inter ciuitates autem populoſa Cracouia, & Gedanum, aliæq; innumeræ ciuitates, in quibus ab anno 1652. adeò contagioſæ exortæ ſunt peſtilentiæ, ſæpiuſque recrudeſcunt, & tantam hominum multitudinem auferunt, vt pauciores viui remaneant; quàm mortuis ſepeliendis, & plangendis ſufficiant.

Peſtilentiæ contagioſæ.

Quid famem commemorabo? eane nobis deficit? veniat ſaltem in memoriam annus ſæculi huius 30 & 31. quibus tanta extitit in toto fermè Poloniæ Regno frumenti penuria, vt homines pro ſui ſuſtentatione, non modo herbas ſatinas, & hortenſes; ſed etiam agreſtes, & ea, quæ iumentis in victum ordinata ſunt, in cibum admitterent, quorum vultus præ dura fame adeò erant macilenti, vt mortuis potiùs, quàm viuis ſimiles viderentur. E quorum numero plures, nulla alia vrgente infirmitate, ſed ſola fame enecati animas, exhalârunt.

Fames dura.

Tertium ſignum imminentis vltimi iudicij poſuit Chriſtus, grauem inter homines perſecutionem: *Tunc* inquit *tradent vos in tribulationem, & occident vos.* Quis hoc iam conſummatum non videt? Paucine Chriſtianorum è ſæuiſſimis tyrannis, religionis Catholicæ capitaliſſimis hoſtibus vexati, martyrio affecti, varijſq; mortis generibus, è medio viuorum ſublati ſunt; & quotannis in Turcia, alijſq; partim barbarorum & infidelium; partim hæreticorum locis, propter Chriſti fidem, inauditos cruciatus, afflictiones, atq; neces ſubierunt.

Tertium iudicij ſignum.

Quid de quarto ſigno, ſcilicet odio in Chriſtianos propter Chriſtum loquar? *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Dubitabitiſne illud iam impletum eſſe? cùm Iudæi, Tartari, Turcæ, Mauri, & aliæ barbaræ gentes, nihil magis odio habeant, quàm nomen Chriſti, & Chriſtianorum.

Quartum ſignum iudicij extremi.

Quid de quinto ſigno, id eſt, de falſis Prophetis? *Surgent multi pſeudoprophetæ, & pſeudochriſti, & ſeducent multos.* Ponite vobis ante oculos Cherintum, Simonem Magum, Ebionem, Machometem, & alios tàm antiquos, quàm noſtri temporis Hæreſiarchas, qui coloratis ſermonibus ſuis, varijſque figmentis & nouitatibus, contra veræ atq; Euangelicæ doctrinæ antiquitatem, quam ſancta mater Eccleſia ſtrictè ſemper coluit, & obſeruauit, non ſolùm homines illuſtratos, ſed etiam integras prouincias, regna, & maximos quoſuis populos, circumuenerunt, & in errorem induxerunt.

Quintum ſignum.

Quid de ſexto ſigno, nimirum ſuccreſcente in dies iniquitate, charitate verò ſenſim langueſcente? *Et abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum.* Puto neminem ignorare, quantoperè his temporibus iniquitas in mundo dominetur; charitas autem chriſtiana negligatur,: iam enim indomita peccandi malitia eò proceſſit, vt excuſſo penitùs DEI timore, omnia deteſtanda vitia, ſine vlla verecundia audeat perpetrare. Iam omnis ſtatus, omnis ætas, omnis gradus, omnis ſexus, peſſima quæq; operari non veretur, & quod caput rei eſt, in ſceleribus ſuis gloriari non erubeſcit; quaſi à peccatis immunis eſſet. vt fatetur Sapiens Prouerb. 30. *Generatio quæ videtur ſibi munda, & tamen non eſt lota à ſordibus: eſt via mulieris adulteræ, comedit, & os ſuum tergit, & dicit non ſum operata malum.* Proinde non eſt ampliùs in mundo Dei timor, & amor. Non eſt charitas erga proximum; ſed omnes no-

Sextum ſignum extremi iudicij.

Prou. 30.

bilissi-

biliſſimæ virtutes procul à nobis exulant. Non eſt igitur, cur vana opinio mentes hominum eludere debeat, cùm & ſigna prædicta iam adimpleta, mundi conſummationem appropinquare fateantur, & Chriſtus iudicium illud extremum, è vicino imminere proclamet Lucæ 12. *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

Ad extremum terribilis erit vox Chriſti iudicis, in nouiſſimo die iudicij, quia non ſolùm de ore eius; ſed etiam de vulneribus prodibit. Perterruerat quondam non mediocriter Balaam, celebrem illum ariolum, vox aſinæ, cui inſederat: cùm enim pergeret ad Balac regem Moabitarum, verberabat fuſte ſubiugalis latera: quia cupiditate inflammatus citiſſimè viam agere ambiebat; aſina verò Angelum intuita, ambitione furentis greſſus tardabat, verba hæc proferens: *Quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertio.* Numer. 22.

Aſina ad Balaam locuta.

Quantus cenſetis erit terror in illo die iudicij, vbi etiam inanimes creaturæ, gemebundas voces edent, congelabitur enim tunc ſanguis, & membra obrigeſcent, cœli ſubſiſtent, terra concutietur, mare expaueſcet, ignis contremiſcet, quando ipſa Chriſti vulnera contra peccatores clamabunt. Rupertus ait, Chriſtum modò vulnera ſua Deo Patri exhibere, ad interpellandum pro nobis; at verò in nouiſſimo illo die iudicij, percuſſio & plagæ, vocem quandam habebunt. Quodſi rectus Iob in maximis illis anguſtijs, præ nimio dolore clamabat: *Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me.* Iob 10. Textus autem Hebraicus legit: *Inſtauras plagas tuas contra me;* quaſi diceret mæſtus Iob: ô Bene Deus, minus eſt, quòd me vermibus ſcatentem ad ſtercora relegaueris, minus quòd filijs & omni ſubſtantia me orbatum eſſe velis, ſed illud vnicum maximè extimeſco, quandò in nouiſſimo die iudicij, inſtaurabis plagas tuas; hoc eſt, vulnera tua contra me. Quid tunc faciet obſtinatus peccator? quandò non ſola eius vox, ſed & vulnera aduersùs reprobos inſtigabunt.

Iob 10.

Vulnera inquit *S. Hieron: contra te loquentur, crux contra te perorabit.* Vulnera Chriſti augebunt tormenta peccatoribus, crux verò ſancta inſtigabit, & oratorem aget, vt æternis pœnis adiucentur. Quis tunc erit pudor, quis pauor. Imò S. Auguſtinus, Chriſtum cum renouatis vulneribus in die iudicij, peccatorem in hunc modum alloquentem introducit. *Nonne verum, quia te de limo terræ manibus meis plaſmaui, & ad imaginem, ac ſimilitudinem meam effinxi? Nonne verum, quia ſpiraculum vitæ, id eſt, animam viuentem & intelligentem. tanquàm participatam diuinitatis meæ particulam, de ore meo tibi inſpiraui? equidem verum. Nonne verum, quia propter te aſſumpta humanitate, in ſtabulo cum iumentis frigori expoſitus fui? equidem verum. Quia propter te, per deſerta Iudææ & Ieroſolymæ peregrinabar, omnia opprobria, ſpinarum punctiones, & mortem ignominioſiſſimam ſuſtinendo; vbi dum ſpiritum in manus Patri commendarem, ad vocem meam putrefacta mortuorum cadauera de monumentis ſurrexerunt, tu ſolus ita obſtinatus fuiſti, vt hæc omnia nihilifaceres, ideo, quod elegiſti habe: Contempſiſti lucem, habeto tenebras: contempſiſti vitam, ito ad perditionem: contempſiſti mandata, ſecutus diabolum, vade cum illo in ignem æternum.* O quantus pudor, quantus pauor.

S. Hieron.

S. Auguſt.

Audiſtis igitur terribilem fore Chriſti iudicis vocem in extremo iudicio, tribus potiſſimùm de cauſis: Primò, propter iratum Deum. Secundò, propter electos priùs æternâ gloriâ præmiatos; poſtea verò reprobos, cum ſumma eorum ignominia, ad infernum detruſos. Tertiò, quia non ſolùm vox Chriſti horrendè tunc perſonabit, ſed etiam vulnera eius Sanctiſſima renouabuntur, ad maiorem impiorum confuſionem. Erit tunc vox adamantina, vox plena iuſtiſſimi furoris, quandò iam non agnus manſuetus, ſed Leo de tribu Iuda rugiet. Si ergò vultis horribilem Chriſti iudicis vocem, in nouiſſimo die euitare, nunc ad eum, tanquàm ad agnum manſuetum recurrite, vitæ in

meliùs

meliùs renouatione, bonis actionibus, & inculpatis moribus gratiam eius promerendo, vt cùm ad iudicandum mundum venerit, nihil seuera reprehensione dignum in vobis inueniat, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Ego vox clamantis. *Ioan.* 1.

Sanctus Ioannes fuit destinatus à Patre æterno, vt verbum incarnatum mundo annuntiaret, hominesq; ad rectè viuendum suâ doctrinâ & exemplo incitaret.

DVo sunt quæ hominem ex occulto angulo ad publicum lumen, ex communi hominum fæce ad immortalitatis gloriam transferunt, vox & calamus. hoc est; suauis dicendi facultas, atque erudito stylo exaratum quodpiam opus. Ex his duobus iactat suam felicitatem, magnus Rex & Propheta Dauid Psal. 44. *Lingua mea* inquit *calamus scribæ velociter scribentis.* Vbi de hoc solo potissimùm gloriatur Propheta, quod æterna illa sapientia, linguam eius fecerit disertam, & de hoc solo triumphat, quòd tantam illi Deus sapientiam contulerit, vt suo calamo, quòd linguâ in templo Dei cantauerat, posterorum memoriæ transmitteret. Et certè est vnde homo glorietur, si & ore & calamo sit potens. Quid enim prodest, si multa facias verba, quæ citò euanescunt, & cum vento simul abripiuntur, nisi eadem scripto confirmes, quò faciliùs ad singulorum oculos perueniant. Quid rursus prodest si multa scribas, neminem verò ore doceas: cùm vna vox viua plus efficiat; quàm mille scriptæ, & mortuæ. Hinc meritò in disceptationem venit. Quis maiorem gloriam promereatur, isne qui lingua saluti animarum procurandæ studet: an ille qui calamo eidem rei dat operam. Nodum soluere tentat Nissenus Didacus, asserens maiorem laudem eos promereri, qui erudito calamo Dei Ecclesiam ornârunt, vineam Domini excoluerunt, confutarunt hæreses; quàm illos, qui solâ linguâ, & voce prædicationis ad hoc Dei obsequium, sunt vsi. Quod comprobat authoritate Ioannis Trichemij qui libro de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 6. sic dicit: *Maior est scriptoris pietas officio prædicantis: quia illius cum tempore perit monitio, istius perseuerat in annos multos, annuntiatio.* Prædicator loquitur duntaxat præsentibus, scriptor prædicat etiam futuris, illius sermo semel auditus in nihilum redigitur, istius lectio millies repetita nunquam minuitur, cùm prædicator deficit, cessat officium: scriptor etiam mortuus in volumine, moribus facit institutum. Sed quæstionem hanc ipsamet incarnata sapientia discussisse meliùs videtur; cùm enim vtrumq; Ioannem charissimum Christus habuerit, nihilominùs tamen excellentissimum illum, celeberrimumque illum Ecclesiasten, nusquàm legitur Christus laudasse, licet multa Dei arcana conscripserit. Ioannem verò Baptistam publicè coram turba laudauit, plusquàm Angelum vocitando illum; quo insinuare illum constat, innumera & permagnifica præmia illis esse constituta, quicunq; in Ecclesia Dei Oratores Euangelici, huc studia, labores, conatus, verterunt, vt animas in viam veritatis reuocarent, & obscuratam illorum mentem ab errorum tenebris ad veræ fidei lucem adducerent. His maxima præmia pollicitus est Deus Danielis 12. numero 3. *Qui ad iustitiam* inquit *erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quam veritatem ex hodierno Euangelio manifestè eliciemus.

Psal. 44.
Nissenus Didacus.
Trichemi.
Daniel. 12.

Mirantur aliqui quid sit, quòd sanctus Ioannes Baptista appellat seipsū vocem clamantis. Quis obsecro est clamans, cuius sanctus Ioannes vox est? Audite profundissimæ quæstionis resolutionem, quam in cœlesti cathedra sedens, plenus ille dierum pater resoluit. Lucæ 3. *Factum est* inquit *verbum Domini super Ioannem.* En vobis clamantem Patrem æternum, qui verbum illud immensum, veste humanitatis amictum, per os Ioannis, vobis denuntiat venturum ad solandam mundi miseriam: Tantæ enim humanitatis & clementiæ Deus est, vt indignum suâ munificentia putet, si miseriæ nostræ misericordiarum eius impetum cohibeant: Hoc igitur tempore, quo penitùs corrupti sunt hominum mores, quo excussum omne frenum verecundiæ, quo immanium flagitiorum atrocitate, cælum ipsum ad iustissimam iram inflammatur. Eò inquam tempore, quo ignes in perditissimos peccatores effulminare, flammas orbis subijcere, & cruento suo gladio iugulum omnium petere oporteret, radiantem Luciferum ardentem facem, Ioannem præcursorem verbi æterni, Pater omnipotens mittit, vt eius voce verbum diuinum insanus cognoscat mundus. Quæ ergo hæc est tua vox, ò magne Christi præcursor, sonus veritatis! hæc est vox clamantis præconis, *Pœnitentiam agite*: quasi diceret. Vultis Catholici redemptorem vestrum appropinquantem ad vos, cognoscere, scitis quid pronunciet Apostolus. *Fides ex auditu.* Inclinate ergo vestras aures ad vocem clamantis, roborate animas deuotione, complectimini amabile balneum salutis, Pœnitentiam sanctam. Et quoniam *auditus fit per verbum Dei*, non sit vobis graue asperiorem in Ecclesia sancta audire Dei vocem, vt ab infirmitatibus, animæ veneno infectæ conualescant. Ducem habetis Ioannem Baptistam, clamantem, sequimini: & purificatis mentibus aduenienti Deo parate viam. Non ergo potuit sanctus Ioannes, quidpiam excellentius de se prædicare; quàm quòd esset vox clamantis, scilicet Dei vox, ad suum inuitantis aduentum. Nam inter omnia ministeria, officia, munia, quæ domus Dei sunt, illud nobilissimum est, cùm quis præficitur, vt clamet ad populum, quomodò conuertatur ad Dominum suum.

Lucæ 3.
Hebr. 11.

Quod vt faciliùs percipiatis, scrutemini, quid Euangelistæ de Sancto Ioanne scribant. Matthæus & Marcus ferunt eremicolam, ab omnibus fermè cibis abstinentem, admirabili vitæ asperitate, & rudi amictu corpus suum atterentem, vt habetur Matth 3. numero 4. *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locustæ & mel syluestre.* At verò sanctus Lucas in hunc modum eum describit: *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ.* Quid est hoc? Matthæus & Marcus Ioannem extollunt ab austeritate vitæ, à tenuitate victûs, ab asperitate inhumani vestitûs, à duritiè cinguli. At verò Beatus Lucas hæc omnia dissimulauit, ad immortalem eius gloriam id satis esse arbitratus, quòd prædicaret, & vocis officio ad populum fungeretur, *Nullo enim indicio sui eget, qui verbo Dei abundat*, inquit Glossa ordinaria. Nec sublimius quempiam efferre, nec magnificentiùs prædicare potes, quàm si illum zelosum prædicatorem, & verbi diuini præconem esse ostendas, hæc maxima & laudum suprema laus est. Hoc indicat Scriptura Sacra, quæ cùm de paucitate prædicatorum, & prophetarum raritate, quam mundus ætate Heli Sacerdotis patiebatur? mentionem facit, sic exorditur: *Sermo Domini erat pretiosus in illis diebus.* 1. Regum 2. numero 3. hoc est; magni fiebat per illum calamitosum, & infelix tempus. Quod enim rarò, & cum ingenti labore reperitur, id pretiosum haberi solet, vt patet in Margaritis. Et quoniam illo sæculo vix inueniebatur, qui prædicaret, qui legem exponeret. qui instruere rude vulgus vellet: pretium illi officio raritas fecit. Verum Sanctus Gregorius Magnus, affirmat etiam nunc, in aureo legis gratiæ sæculo, vbi sublimitas prædicationis Euangelicæ magis est explorata, id potiori iure dici posse, *Sermo Domini pretiosus in istis diebus*, nec enim vllius muneris valor, cum dignitate huius ministerij venire potest in comparationem.

Matth. 3.
Glossa.
1. Reg. 2.
Gregorius Magnus.

Recurrite quæso id ipsa nascentis Ecclesiæ

Ecclesiæ primordia, quàm præclara tunc erat istius diuini muneris æstimatio, vt etiam pro prædicatione vita daretur. *Moriamur dùm concionemur modò*, dicebant zelosi Apostoli. Quando Dominus Paulum ad suam fidem traxit, priùs illum ad Ananiam remisit, à quo fidei rudimentis imbueretur, Actor. 9. inquiens ad Ananiam: *Vade quoniam vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Actorum 9. numero 15. Hugo Cardinalis in Caput. 3. Canticorum miratur, quare non dixit Dominus de Paulo, vt oret, vt legat, vel contempletur, nomen meum, tanquam profundus Doctor: sed vt portet alijs prædicando, siquidem orationis, lectionis, contemplationis, studio magnam & strenuam daturus erat Paulus operam; & tamen Deus hoc solùm de illo commemorare voluit, quòd sui nominis & Euangelicæ veritatis annuntiator futurus esset, Ibidem. vbi etiam illud adiecit Dominus: *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, ibidem num. 16. At si illum tuum præconem instituis Domine, si vis illum haberi vas electionis, in quo sacrosanctum nomen tuum per vniuersum orbem circumferatur? cur prænuntias eum coram gentibus, & Regibus ambulaturum, vbi multas ærumnas, acerbas difficultates in tanto officio subire necessum est. Puto eam ob causam difficultatem muneris istius prænuntiasse Dominum: vt simul eius præstantiam insinuaret, quæ tanta est, vt nemo ad tàm sublimis ministerij gradum admitti debeat, nisi qui animam ad fortiter subeundas pro illius executione calamitates paratum se præbeat. Magnum sane est, esse vocem clamantis, esse veritatis instructorem, esse diuini præconem verbi, attestante id Propheta Psal. 8. Psalmo 2. numero 8. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Author incognitus his verbis vult significari gloriosam Christi sublimationem. Sed nonne Pater æternus sufficienter aliunde Christum Dominum potuit sublimare? v. g. quòd tot miracula operatus fuerit: quòd traheret ad se populos & alia id genus præclara facinora perageret. Poterat sanè eiusmodi rerum prodigiosa operatione illum sublimem facere. Sed ob hoc maximè celebrem illum, & insignem mundo reddidit, quòd constitutus esset Rex supra montem sanctum, prædicans præceptum Domini. Tunc primùm Pater æternus eum vocauit filium suum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Ibid. n. 7. vt supra num. 7. quasi diceret quando tàm præclarè docendi & prædicandi officio functus es, vt homines inde tuam diuinitatem nō difficulter arbitrari, & diuinare possint.

Magnus proinde factus est Iesus ex eo, quia docuit: Filius Altissimi vocatus, quia prædicauit. Hinc ipsemet Saluator de Ioanne Baptista dicit. *Inter natos mulierum non surrexit maior*, quia erat vox clamantis, quia voce sua impellebat populum, vt fidem IESV Christi arriperet. Tali voce debet esse quilibet Ecclesiasticus minister vt potiùs mori paratus sit; quàm veritatem Euangelicam deserere prædicandam, sed difficilè: quia deberet exemplo Ioannis manere in eremo, hoc est: humanam conuersationem, mundi vanitatē fugere, tunc primùm, vbi pro rostris sacris peroraret, tantam haberet in dicendo vim, tantam in verbis efficacitatem vt facilè audientium animos ab improbitate morum, ad studia vitæ melioris traduceret. Ingrediebatur Ionas Niniuem & vehementi vocis impetu clamabat. Ioann. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Ionæ 3. numero 4. Et ecce ad has nuntij inopinati horribiles voces dicit scriptura ibidem numero 5. *Vestiti sunt saccis à maiore vsq; ad minorem, & Rex surrexit de solio suo, &* Ibid. n. 5. *abiecit vestimentum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Quis oro tàm repentinam vidit aliquando mutationem? Quis audiuit cum purpura cilicium: flagra cum sceptro, cum corona cineres commisceri? Quis spectauit aulicos à delicijs ad ieiunia transire? mulieres pro varijs ornamentis

mentis saccos induere? infantes abdicari ab vberibus? ipsas quoq; brutas pecudes adigi ad inediam? vnde ista tàm subita conuersio hominum, à luxu vestium ad rudes saccos? à voluptuarijs delicijs & epulis, ad ieiunia? ab oblectamentis ad lamenta S. Basilius Seleucus. confugientiū. Respondet sanctus Basilius Seleucus Oratione 12. quæstione 1. ad Ionam Prophetam. *Comminatur* inquit *extraneus, ad eius orationem mores commutat vniuersa Ciuitas extraneus loquebatur, & veluti demissam cælitùs orationem pertimuerunt, & ad vnam vocem luctui indulgebant.* Quasi diceret: nemo admiretur subitaneum istum Niniuitarum ad vitam meliorem transitum; vox enim Prophetæ eatenùs ignota, oratio Prophetæ antehac nusquam visi, tantam habuit ad omnes permouendos vim, & energiam, vt vno velut momento animos eorum totos occupauerit, & ab inhonestis negotijs ad saniora studia transtulerit. Cuius vocem non aliter populus ille lasciuiens suscepit, ac si de cælo prolapsa esset, *veluti demissam cælitùs orationem pertimuerunt*, inquit sanctus Basilius: O vtinam hodiè ipsa vox clamantis, vox inquam Ioannis Baptistæ vestros ita permoueat animos, vt spretis mundi istius vanitatibus, ad Pœnitentiam: à vitijs, ad virtutem: à carnis libidinosæ illecebris, ad carne humana amictum Deum quisq; ruat. Profectò sicut luxuriantibus Niniuitis, ita effusæ in omne scelus Christianitati propitium se Deus facilè redderet. Adeò enim nobile & generosum est Dei pectus, vt nostras non attendat culpas, si animus ad Pœnitentiam flexibilis appareat, indignum reputans à nostris sceleribus fontem misericordiarum suarum obstrui, aut effusæ liberalitatis impetum retardari, dùm aliqua spes emendationis in homine elucescit. Quod ex ipsa Sacra Scriptura cui obsecro palam non sit? Ferunt enim Euangelistæ Pharisæos, cùm miracula Christi crebra & inaudita rescirent, coniurasse aduersus illum, & coactò concilio paribus ferè votis & calculis decreuisse, illum penitùs è viuis tollendum; quò faciliùs eius famam ex hominum animis eradicarent, & tenebris obliuionis sopirent. Vt habetur Matthæi 12. numero 14. *Exeuntes* inquit *Pharisæi è Synagoga, in qua ma-* Matth. 12. *num hominis aridam restituerat sanitati, consilium faciebant aduersùs eum, quomodò perderent eum.* Vidit hoc benignissimus Saluator, vt inducias tamen daret hostium suorum furori, & rabiei, recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes. Quid est, quòd Christus Dominus sanauerit tunc omnes, cùm infensissimi eius æmuli mortem illi machinarentur? cur eò tempore tam laxas aperuit clementiæ portas, vt nemo esset, cui liber ad eum non pateret accessus: aut qui sanitatem non reportaret. *Et curauit omnes.* Refert Abulensis quæst: 44. in Caput 12. Matthæi ex Sancto Remigio, *vt inquit non putaretur, quòd Christus offensus à Iudæis, cessaret eis* Abulensis. *benefacere.* Ad tutandam ergo nominis sui bonam fidem & existimationem, ad corroborandā generosæ clementiæ, & stagnare nesciæ suæ liberalitatis famam, quando toto conatu in id versi erant Pharisæi, vt eum ex hominum consortio tollerent, & nomen illud sanctitate & miraculis clarum obscurarent, soluit cataractas potentiæ, & misericordiarum suarum, tamq; copiosè eis effudit, vt nemo esset, cui negarentur: nisi quem sua incorrigibilis culpa ab illis percipiendis remouebat. Et nunc profectò quamuis grauissimè Deus sit offensus nostris vitijs; si tamen ad vocem clamantis eius præcursoris, ad Pænitentiā nos obtulerimus paratos, propitium facilè experiemur Deum, quia sicut ex auditu fides, ita ex voce clamantis ad Pænitentiam Dei propitiatio.

Quærunt hic Doctores, quid sit, quòd Iudæorum & barbarorum loca sancta inhabitantium, difficilis esse videatur ad Deum conuersio, teste scriptura Lucæ 18. numero 25. *Facilius est* inquit *camelum per foramen acus* Lucæ 18. *transire; quam diuitem intrare in regnum Dei.* Vbi Diuus Ambrosius, per camelum

melum intelligit gentilem, multis peccatorum sarcinis deformem ac tortuosum, per diuitem verò, Iudæum qui olim amplissimo bonorum Spiritualium thesauro abundabat. Ait ergo Scriptura sacra: Faciliùs est camelum per foramen acus transire &c.
S. Ambr. quasi diceret vt exponit Ambrosius: *Faciliùs iste peccator* (scilicet gentilis) *per viam intrauit angustam quæ est in via Christi; quàm populus Iudæorum diues in lege, egenus in fide, præruptus in furore, probrosus in crimine.* Vtrumque tamen genus & Iudæorum & gentilium difficilè conuertitur. Nam de Iudæis aptissima est Prophetia Psal. 13.
Psal. 13. numero 3. Vbi Dauid Rex sic loquitur. *Contritio & infelicitas in vijs eorum,*
Glossa. quæ verba Glossa sic exponit., *Lapis* inquit *angularis Christus super eos cadens, conteret eos per excæcationem,* & sic contritio est modo in vijs eorum, & infelicitas in futuro, quia expletis iam omnibus prophetijs de aduentu Messiæ, nec dum tamen hucusq; illum venisse agnoscunt, cuius rationem putant multi hanc esse: quia Iudæi crucifigentes Christum clamauerunt, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Vnde quoniam vltro hanc maledictionem in se euocarunt, meritò illis efficacia subtrahit auxilia, sine quibus nec illi, nec filij eorum conuerti possunt. De gentibus etiam quis non videt hoc ipsum. Nàm & isti licet Christum fateantur magnum fuisse Prophetam, licet omnia eius loca sancta in summa habeant veneratione; non facilè tamen à suis fœdis & planè belluinis voluptatibus ad diuinæ fidei obseruantiam, legum austeritatem, & vitam austerius transigendam inclinantur. Verùm ego causam esse crediderim, cur & Iudæorum & gentilium salus difficillima sit: quia in necem vocis diuinæ, scilicet; Sancti Ioannis Baptistæ vnanimiter conspirarunt. Iudæis enim placere volens Herodes, comprehendit Ioannem, in carcerem misit, & saltatricis illectus pulchritudine, decollari iussit. En causam difficultatis in saluandis Iudæis & gentibus. Fides Catholici

A mei non potest esse nisi ex auditu, auditus non potest fieri nisi per verbum seu vocem: sublata est vox clamantis à Iudæis, & gentilibus, verbum quoq; Incarnatum nequaquam in notitiam eorum deuenit, cùm deesset instrumentum ad illud annuntiandum, scilicet vox. Catholici mei, ne in vestra corda deueniat hæc misera obduratio, ita, vt vobis quoq; sit difficilis emendatio, & à peccatis conuersio, maturate, Pœnitentiam & prædicante Sancto Ioanne parate corda vestra ad recipiendū Christi aduentum.

B Alij hæc S. Ioannis verba, *Ego vox clamantis* legunt: *Ego vox clamans* quasi Sanctus Ioannes dicat se esse vocem sui ipsius clamantis, ad ostendendum, quòd S. Ioannes cùm alios adhortaretur, sui etiam ipsius non obliuiscebatur, talem vocem quispiam Christianorum imitari deberet, vt dùm alijs benè consulit, seipsum quoque consideret. Res enim multis digna lachrymis, si dùm alios excitamus, vt strato suorum vitiorum ad e-
C xercitium virtutum; & bonorum operum exurgant, ipsi lecto affixi, somnoque alto scelerum iacere pergamus, & à verò itinere exerremus, qui alijs viam rectam quæ in cælos ferat ostendimus. Referunt Euangelistæ, quòd vir quidam religiosus Iozeph ab Arimathia, postquam Christus in ligno in quo restaurationis nostræ ministerium operabatur, obierat; piâ incitatus audaciâ, introierit ad Pilatum, petieritq; à gentili præside, vt per il-
D lum sibi liceret sacrum Christi corpus è ligno tollere, & in sepulchro reponere. Quem vt talia postulantem audiuit Pilatus, *Mirabatur si iam obijsset,* dicit Sanctus Marcus cap. 15. numero 44. tantumq; in stuporem propter hanc inauditam postulationem actus fuit, vt sciscitaretur ex centurione de morte Christi: *Et accersito centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset.* ibidem. vnde quæso tàm grandis Pilatum inuasit hæsitatio, vt tàm diligenter percunctandum sibi putaret, num Christus tàm exiguo temporis interuallo vitam cum morte commutasset? Marci 15. Ibidem.

vtique

A vtique videns tàm crudeliter in toto corpore cruentum, & ad ipsa vsque ossa à rabie Iudæorum dilaniatum, facilè coniectare poterat, quam breuem expirationis finem habiturus esset.
Franciscus Episcopus Burgensis. Respondet doctissimus Franciscus Lucas, Episcopus Brugensis, *Miratus est,* inquit, *quòd diceretur mortuus, quia Iesum vt diuinum hominem, qui etiam, mortuos suscitauerat, putauerat non facilè moriturum, fortassis etiam se liberaturum à cruce.* Comprobat hoc ipsum
Euthymius Euthymius inquiens: *Sperabat eum tardè moriturum, tanquàm diuinum quendam hominem, qui cæteros excederet,* quasi diceret, sciebat Pilatus tantâ esse illum fortitudine brachij, tantâ virtute vocis, vt per eam frigida redanimârit cadauera, & quòd parum illi fuerit exegisse ab obsessis corporibus Dæmones, sedasse procellosi maris tempestates, auxisse ad reficiendam in deserto turbā famelicā panes, & contra omnia morborum genera efficacissimum præbuisse antidotum. Atq; inter horum recordationem dubius hærebat, si iam obijsset Christus, obstupescens, quòd suam sibi non seruasset vitam, qui amissam multis restituerat. Similis planè in nobis admiratio causari potest, quòd à multis, non satis bonis admonitorib⁹ sæpe fieri videmus, præclarè illi dicunt; sed ad multorum destructionem viuunt, verbis lucem proferunt, moribus autem diram esuriem patiuntur, & panem alijs famelicis ministrant, vitam cœlorum monstrant plurimis, ipsi tamen eandem non tenent. Quid hoc facto stupendum magis?

Inibant consilium peruersi Iudæorum proceres, quomodò publicam securitatem stabilirent, quæ illis periclitari videbatur, ex Christi miraculis, propter quæ summa hominum multitudo vndiq; ad eum confluebat, vt proinde vererentur Principes Pharisæorum, ne totus mundus facilè voci eius omnipotenti morem gereret, inter quos primarius Caiphas suam
Ioann. 11. tulit sententiam Ioannis 11. num. 50. *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ecce quàm bonum consilium, sed non rectâ intentione prolatum, nam addit Euangelista. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Quis poterit satis deplorare, quòd hic miser tam infallibilem veritatem protulerit, se tamen proprio ore damnauit. Nam dicit Petrus Damianus opusculo 6. cap. 10. *Vt ita loquar in manu cæci positum est lumen, non quòd ille conspiceret, sed quod alijs ministraret.* Petrus Damianus.
B *Fax fuit, Prophetia concessa Caiphæ, quâ fidelibus ostendit, quid mors Christi operaturâ esset, sed ipse eam nec vidit, nec credidit; qui tamen alios vt hoc crederent, suis verbis excitauit.* Hoc supplicio Deus mulctabit illos Christianos, qui cùm sint in gradu superioritatis positi, alijs lucem ministrant, & salutem afferunt, cùm interim ipsi in tenebris maneant, & ægritudine detineantur. Non talis vox fuit Sancti Ioannis, clamabat ille peccatores ad pœnitentiam; sed ipse eandem simul peragebat: vocabat ad ab-
C stinentiam; sed & ipse austeram egit vitam: retrahebat à vitijs; sed & ipse virtutes coluit, vt quisq; sciat, dùm alios admonet, eum pariter sui ipsius seuerum adhortatorem esse debere: & dùm aliena perstringit peccata, vt suam quoq; scrutetur conscientiam, necessum esse. Tertiò, Sanctus Ioannes fuit vox clamans, quia vox eius non alium; quàm Deum ipsum perpetuò loquebatur. Quæ enim vox alia Sancti Ioannis, nisi illa: *Ecce agnus Dei,* Ioann. 1.
D *ecce qui tollit peccata mundi.* Quasi demonstrando: Lates miser homo in occulto angulo, vt cùm te nemo videat; turpissimum scelus perpetrare possis. Verùm oculos quidem hominum effugies; sed ecce ibi adest agnus innocens, qui spectat hominum immane facinus, cur illum offendere audes? Deliquisti impudenter, & Iudam impœnitentem sequeris, quasi tuum irremissibile secum perpendendo crimen. Quid ad hæc Sanctus Ioannes tibi clamat? *Ecce qui tollit peccata mundi,* quasi diceret: si Dei filius Ibidem. vniuersum suo sanguine mundum redemit

L

demit, quid tu hæres, quaſi & pro tuo ibi peccato non ſit ſatisfactum. Agnoſces & tu fructum paſſionis eius, ſi renuntiando culpæ, animo contrito te ad id applicaueris. Quæ alia Sancti Ioannis vox, nonne illa : *Hic eſt cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere.* En ſceleſte munde, quid amplius in agnoſcendo Dei filio ambigis, cùm tibi illum glorioſus præcurſor demonſtret, *hic eſt*, quaſi diceret : Hic homo, qui natus eſt de Maria Virgine, veſter eſt ô mortales verus redemptor ! Quomodò te inſolens faſtus abripit ô homo, ipsâ leuior humo, cùm ipſe Chriſti præcurſor, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, indignum ſe fatetur, vt ad pedes eius procumbat, tibi autem conceſſum eſt, non ſola Chriſti calceamenta, ſed ipſum eius corpus diuinitate ſacratum crebriùs ſumere, nec dùm tamen turpitudini vacare deſiſtis, nec tecum vt beatus Ioannes loqueris, *non ſum dignus*.

Ibidem.

Vox ergo clamantis erat S. Ioannes, qui ipſum Deum vbiq; loquebatur, vbiq; manſuetudinem, vbiq; humilitatem, vbiq; concordiam ſpirabat. Talis veſtra vox Catholici deberet eſſe, vt Deus in ore veſtro verſetur, non mundi turpitudo : vt vnitatem lingua ſpiret, non iurgia : graue enim peccatum eſt, quando inter Chriſtianos, vbi vnum cor, vnus Spiritus eſſe debet, diſſenſiones audiuntur. Quas Scriptura ſacra inter duas mulieres, Elcanæ vxores, Phenennam, & Annam, deſcribens 1. Regum 1. ſic dicit, *Affligebat quoq; eam æmula eius, & vehementer angebat.* Quodnam autem fuerit iſtud iurgium, conſtat ex ſacro textu fuiſſe illud, quòd Phenenna eſſet fæcunda, Anna ſterilis. Nam hoc innuit ſacra pagina addens: *Vt exprobraret, quòd Dominus concluſiſſet vuluam eius*. Vbi Phenenna non ſpernebat Annam propter ſterilitatem, non inuidebat Annæ aliquam excellentiam ab Elcana collatam, quia Elcana tantam inter vxores æqualitatem ſeruauit, vt neutri occaſionem inuidiæ præberet. Nihilominùs tamen vt ſentiunt Hugo Cardinalis, Abulenſis, Caietanus; inuidebat modeſtiã, patientiam, humilitatẽ, cæteraſq; virtutes, quarum fulgorem nõ potuit ſuſtinere. Et tamen iurgium hoc quamuis ex natura ſua leue videatur eſſe, grauiſſimum fuiſſe ex triplici capite oſtendunt Doctores. Imprimis, quòd iurgium hoc illæ mulieres in loco ſacro, in templo Dei fecerint. Quid autem indignius ; quàm ibi audire contumelias, vbi debent diuinæ laudes, perſonare annuente Propheta Pſalmo 28. numero 9. *In templo eius omnes dicent gloriam*. Quid abſurdius, quàm in loco precibus ſacro, conſtituere forum litibus deſtinatum : & vbi Deum omnibus conciliari oportet, ibi Dei ſeruos obiurgationibus irritari. Vnde Sanct⁹ Chryſoſthomus Homilia 79 ad populum, grauiter eum reprehendit ; qui in templo alios accuſat. *Quid* inquit *agis ò homo ! ad Deum accedis, vt propitium reddas, & imprecaris alteri : ſi non dimittenti non dimittitur, Dominum ne dimittat oranti, quomodò dimittetur.* Quæſtio hic oritur, an etiam animalia carniuora, vt Leones, lupi, aquilæ, in Arca Nòetica carnibus veſcerentur. Vbi D. Auguſtinus libro Quæſtionum in Geneſim q. 7. in ſententiam magis negatiuam inclinat, prouidente Deo aliquem alium cibum, quo ſuſtentarentur, potiſſimùm ob hanc myſticam rationem, vt ſignificaretur eos, qui ad laudandum Deum conueniunt in templum, cuius illa arca typus fuit, non debere hominis carnibus veſci, hoc eſt ; mutuis ſe obtrectationum morſibus lacerare. Nam hoc ſonat, *carnibus hominis veſci* iuxta illud prophetæ Iob 19. numero 22. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini.* Et Matthæi 3. numero 3. *Qui comederunt carnem populi mei.* Proinde à loco ſacro execranda maledicentia abeſſe debent, & quoniam vbicunque eſt populus Chriſtianus, ibi eſt templum Dei : idcirco inter Chriſtianitatem nec nominentur. Secundò, illud iurgium fuiſſe graue conſtat, quia tempore feſto, & agendis ſacrificijs dicato, fiebat.

1. Reg. 1. — Hugo Abulenſis Caietanus. — Pſal. 28. — S. Chryſ. — Iob 19. — Matth. 3.

bat. Quid autem deteſtabilius eſſe poteſt ; quàm inter feſtiua ſacrificia triſtes perſtrepere contumelias.

Leuitici 2.

Hoc ſonabat illa cerimonia Leuitici 2. numero 11. Vbi mellis vſus, à Sacrificijs prohibitus fuit. *Nec quicquam*, inquit *fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* Rationem iſtius prohibitionis aliqui hanc aſſignant ex Theodoreto q. 1. in Leuiticum. Quia mel non tam hominum ; quàm apum induſtriâ conficitur : Deo autem gratum non eſt, niſi quod illi ex hominum laboribus offertur. Reſpondet ſecundò idem, Theodoretus, quia mellis dulcedine corporis voluptas ſignificatur, quàm Deus à ſacrificijs volebat longiſſimè abeſſe. ſic cenſet Diuus Hieron. Epiſtola 12. ad Gaudentium, vbi alludens ad illud Prouerb 5. numero 3. *Fauus diſtillans labia meretricis : Mel* inquit *diſtillant labia meretricis, quòd ad tempus impinguat veſcentium fauces, & poſtea felle amarius inuenitur. Vnde & in Dei ſacrificio, mel non offertur.* Sed optimè reſpondet Mendoca in 1. Regum 1. numero 8. Idcirco mellis vſum in ſacrificijs non admitti, quia apes confectrices, mordaces ſunt, & aculeatæ. Sub quo typo ſatis exprimitur, placere Deo non poſſe ſacrificia inter iurgia : Mellifluas enim preces Deo non exhibet, qui felle amaritudinis infectam linguam in fratres exerit. Tandem tertiò iurgium illud fuit graue, quia ob materiam ſterilitatis ortum, ex ſterilitate autem mulieres concipiunt ſummam triſtitiam ; imò etiam infamiam. Grauiter ergo Phenenna deliquit, quia vtroq; vulnere Annam voluit deformare ; ſterilem enim dixit, vt miſeram exprimeret, & vt peccatricem innueret, & in alicuius pænam ſceleris diuinitùs punitam : hoc eſt Diaboli artificium, quod ad carpendam hominum innocentum famam adhibet. percuſſerat ille quondam Iobum vulnere peſſimo cap. 2. numero 7. quod non niſi ex immodicis epulis, & laſciuis voluptatibus naſcitur, vt quicunq; viderent Iobum, illo morbi genere confectum, facilè arguerent eum fuiſſe peſſima vitiorum lue contaminatum ſed non eſt boni Chriſtiani, ex ſignis externis alienam taxare conſcientiam, aut quare id Dominus permiſerit, cœleſtia arcana ſcrutari vocem ergò clamantis vobis produxi Catholici, Beatum Ioannem. Vox erat ipſiuſmet æterni Patris, ad hoc deſtinata, vt tanquàm nobile inſtrumentum, Incarnatum verbum toti mundo intonaret. Vox clamantis erat, quia non tantùm alios inclamabat, ad meliorem trahendo viuendi normam ; verùm ſeipſum viuum ſimul præbendo exemplum. Vox erat clamantis : quia ſolùm clamabat Deum, ſolam annuntiabat veritatem, & religionem. Expergiſcimini itaque ad hanc vocem, fraudes, peccata, abijcite procul, & venienti iam propè Deo, corda veſtra ceu magnifica palatia parate, vt puritate fulgeant.

Theodoretus q. 1. — Prouerb. 5. — S. Hieron. — Mendoca. — Iob 2.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis ? *Ioann. 1.*

Chriſtus ob ſummam difficultatem in cognoſcendo myſterio Incarnationis, non eſt agnitus.

SVblimis humanæ mentis intellectus, qui ſuâ ſagaci induſtriâ innumera, eaq; admirãda adinuenit opera, qui ſuo ſubtili ingenio ſublimia quæq; & ipſam naturæ cognitionem excedentia arcana cognouit ; quin & Dei ipſius exiſtentiam, & vnitatem, acutiſſimâ ſcrutatus eſt ratione. Vnicum Sanctiſſimæ Incarnationis myſterium cognoſcere non potuit ; nec tantùm humana imbecillitas ; ſed etiam perfectiſſima inter omnes creaturas intelligentia abſconditum hoc arcanum, plenè contemplari haud valuit. teſte Dionyſio Areopagita cap. 2. de diuinis nominibus. *Ieſu* inquit *in carne apparitio ineffabilis eſt ſermone, & omni ignota intelligentiæ : ipſi quoq; antiquiſſimorum Angelorum, non ſatis perſpecta.*

Dionyſiu. Areopag.

ſpecta. Obſtupeſcit ad ſublimitatem imperſcrutabilis huius myſterij vniuerſa natura, dicente Hieronymo tomo 4. in ſermone de Aſſumptione. [S. Hieron.] *Quod natura non habet, vſus neſciuit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pauet cœlum, ſtupet terra. Creatura etiam cœleſtis miratur: hoc totum eſt, quod per Gabrielem Mariæ promittitur, & per Spiritum ſanctum adimpletur.* Nemo prorsùs hominum nouit, inquit Diuus Bernardus Epiſtola 109. [S. Bernar.] nec noſcere ad plenum poteſt; *quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſeipſam contineat huius venerandi myſterij inſcruabilis altitudo.* Pulchra habetur figura difficultatis huius, in cognoſcendo incarnationis myſterio Iſaiæ 6. [Iſaiæ 6.] Vidit ibi Propheta, Deum ſuper thronum ſedentem, ad cuius latera poſiti Seraphim, alis caput Dei, & pedes velabant, quem locum enodantes Hilarius aduersùs Arianos, Hieronymus, Auguſtinus, & Cyrillus. [S. Hilari⁹. Hierony. Auguſtin⁹ Cyrillus.] Viſum ferunt tunc à Propheta Dei filium, circumdatum carne noſtræ mortalitatis. Sed vt quid alis Seraphini velatur caput eius? ad hoc certè: vt cognoſcamus diuinitatem eius, humana ratione imperceptibilem eſſe; velati ſunt & pedes eius, quibus licet inter filios hominum incedebat; abſconditam tamen eius in carne humana diuinitatem nequaquam ſpectantium oculi cognoſcere poterant. Ecce & ſapientiſſimus Salomon, qui ſic omnes antecelluit mortales, vt ſcriptura de illo dicat 3. Regum. [3. Reg.] *Nemo ante illum ſimilis fuit, nec poſt eum futurus eſt;* ſuam tamen hic fatetur ignorantiam: *Tria* inquit *mihi difficilia ſunt, & quartum penitùs ignoro, via Aquilæ in cælo, via colubri ſuper petram, via nauis in medio maris, via viri in adoleſcentula.* Prouerbiorum cap. 30. [Prou. 30.] Quid hæc ſibi volunt ô magne ſapientum! ſigna ſunt diuinæ Incarnationis, & Dei hominis characteres veri: quid enim aquila, niſi Chriſtum denotat? qui ſublimi diuinitatis raptu, ad Patris dexteram conſcendit, quid nauis in medio mari? niſi cruentam eius paſſionem, quam totis viſceribus ſanguine manantibus in medio ætatis ſuæ pertulit. Quid ſerpens in petra? niſi corpus eius dira Iudæorum necatum manu, & in Cruce affixum: quo per triduum ibi pendente ſanati ſumus à liuore peccati, & à ſepulchro vi diuinitatis erumpente, vitam & ſpem recuparauimus. Hæc tria ſapientiſſimo Salomoni mirabilia viſa ſunt, ſed quartum penitùs ignotum: via viri in adoleſcentula; id eſt, verbum Dei intra Virginis vterum caro factum. Cauſam ego igitur tantæ difficultatis in cognoſcendo Deo, qui ſtetit in medio noſtrum, vobis hodiè aperiam, & modum oſtendam, quomodò eum cognoſcere, & ad cor noſtrum recipere poſſimus.

Quadruplex ratio aſſignari poteſt, cur Chriſtum in carne humana in mundo conuerſantem, homines non agnouerint. Imprimis, quia nullius creaturæ intellectus tantæ fæcunditatis eſt in cognoſcendo, qui omne id, quod Deo poſſibile eſt, cognoſcere valeat: alioqui comprehenderet eo ipſo diuinam omnipotentiam, & capacitatem creaturarum omnium obedientialem. Idcirco quoniam æterni Incarnatio verbi, inter poſſibilia opera maximum ſit, & miraculoſiſſimum, mirum non eſt, quòd humanâ circumdatum carne Deum, & in oculis totius mundi ſtantem, miſer homo non agnouerit. Habuit equidem mundus euidens teſtimonium, quòd Chriſtus verus eſſet Meſſias, nam hoc Deus Abrahamo prædixerat, Gen. 15 [Geneſ. 15.] vbi Abraham colloquens cum DEO, deeſſe ſibi domus ſuæ ſucceſſorem conquerebatur, cumq; Deo in huius rei impetrationem obtuliſſet ſacrificium, obdormiuit dicente ſcriptura. *Cùm ſol occumberet irruit ſopor ſuper Abraham.* Vbi dormienti Abrahamo reuelauit Deus, copioſam ei fore poſteritatem liberorum, qui ab hoſtibus in ſeruitutem abducti, in graui ſeruitio vitam eſſent tranſacturi. Sed in quarta generatione auxilio diuino adiuti in patriam reuerterentur. Vbi Diuus Anſel-

Anſelmus, libro cur Deus homo, in hac quarta generatione diuinam incarnationem intelligit, fuit certè in mundo prima generatio, ſinè mulieris conſortio: dùm Adamum è limo terræ Deus formaret, fuit altera mulieris ſine viro: dùm Euam è coſta dormientis Adam effinxit. fuit tertia generatio, ex viro & fæmina, ſicut eſt omnis mortalium propagatio, ſed ex omnibus hiſce tribus generationibus procreata proles, in ſeruitutem crudelis inferorum hoſtis, per culpam originalem abducta erat. Facta eſt tandem quarta generatio ex muliere ſine viri acceſſu, qualis fuit æterni verbi ex Mariæ viſceribus, per ſolam Spiritus ſancti operationem, mirabilis conceptio, & Natiuitas, tunc primùm Deus in hac quarta generatione filios Abrahæ, ſcilicet veros Eccleſiæ fideles viſitauit, & ab æterno ſeruitutis iugo per eum quem miſſurus erat filium ſuum, noſtræ carnis humanitate veſtitum eripuit. Hic ergo filius Dei ſtetit in medio noſtrum, ſed neſciuimus eum; quia admirandam eius generationem, deſponſatio intactæ Virginis Mariæ viro Ioſeph, abſconditæ caſtitatis velo adumbrauerat.

Secunda Ratio difficultatis in cognoſcendo myſterio incarnationis affertur hæc: quia myſterium Incarntionis eſt omninò ſupernaturale; neque continetur vllo modo in principijs, cauſis, & effectis naturalibus. Idcirco intellectus creatus, non habebat vllum medium, per quod Chriſtum Deum & verum Meſſiam cognoſceret. Et licet ingratus Iudæorum populus, multas habuerit Prophetias de natiuitate Meſſiæ, qualis fuit Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* Cùm igitur in multorum principatus regnum diuideretur Iudæorum, cùm vaſtata eſſet Ieroſolyma, cùm omnis ablata poteſtas, dubitare illa gens de aduentu veri Meſſiæ nequaquam potuit, ſed in perſona Chriſti dignoſcenda multum aberrauit. Nam vt ſcribit Origenes, cùm iam propinquum tempus aduentus Chriſti populum ſummè recrearet, ecce eò malitiæ humana ſuperbia deuenerat, vt multi ſibi nomen Meſſiæ arrogarent. Inſurrexerat tunc Theodas, affirmans ſe in redemptionem mundi veniſſe, cui diuturnis fatigatus deſiderijs, conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, & ecce & ipſe miſerè occiſus eſt, & omnes qui ei adhæſerant, in nihilum redacti. Eodem quoq; tempore Iudas Gallilæus, ſe quoq; Meſſiam eſſe populo ſuadebat, qui multum poſt ſe auertit populum: ſed cum omnibus miſere interijt. & licet admiranda Chriſti miracula eius diuinitatem, & veri Meſſiæ aduentum commendarent, paupertas tamen illius, & humilitas, excæcabat oculos, ne eum qui in medio noſtrum, id eſt in carne aſſumptâ mundo apparuerat, cognoſcerent, quem ſummè expediebat ſcire. Retardabat omnium animos vilis Chriſti educatio, ne illum quærerent, quem inueniſſe plurimùm prodeſt, remouebat ſingulos doctrina Chriſti, viuendi inſolentiam, & peccatorum conſuetudinem arguens, ne fidem eius amplecterentur; in quem credere ſalus eſt. Hic ergo Dei filius, medius noſtrum ſtetit, ſed propter ſublimitatem eius maieſtatis neſcimus illum. Tertia adhuc ratio, cur ſtantem in medio noſtrum Deum non agnoſcamus, eſt: quia cùm maxima appareat coniunctio inter naturam creatam, & propriam eius ſubſiſtentiam, non potuit vllo modo humanus intellectus concipere, quomodò diuina perſonalitas officium deficientis creatæ ſubſiſtentiæ implere potuit, ac proinde licet medius noſtrum ſtetit, vnam tamen æterni filij perſonam in aſſumpta humanitate ſcire non potuimus, etenim vt inquit Sanctus Auguſtinus in Symbolo: [S. Athan.] *Sicut ex anima rationali, & corpore vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Figura diuinæ huius vnionis cum carne fuit, ignea illa columna, quæ ducebat populum Dei ad terram promiſſionis Exodi 15. [Exodi 15.] *Nunquam defuit columna nubis per diem, neq; columna ignis*

ignis per noctem. Mirabile eſt, duas iſtas columnas; Exodi 14. Moyſes vnam tantùm appellat, vocans illam columnam nubis & ignis, quæ per diem ab Iſraëlitis ſolis æſtum arcebat, noctu verò tanquàm accenſa fax in tenebris præfulgebat: in illa verò nube vt multi Doctores opinantur, Deus ipſe lucebat, præeundo Iſraëlitis, tanqàm dux & rector. Et ſcriptura Exodi 14. hoc ipſum teſtatur: *Reſpiciens Dominus per columnam.* Egregia hæc figura erat Chriſti, nam vt inquit Sanctus Auguſtinus, *quemadmodùm columna illa vna ex duabus naturis, ignis nimirum & nubis conflata erat; ſic Chriſtus mundi lux exiſtens, ex igne ſplendentis diuinitatis, & opacâ nube noſtræ humanitatis compoſitus, non duæ perſonæ, ſed vna factus eſt.* Refert Procopius Gazæus columnam illam nubis & ignis, tria præſtitiſſe Iſraëlitis: videlicet; publicum decus. præſidium tutum, & iter certum ac ſecurum. Præſtitit publicum decus: an enim non eximius honor erat, cùm Deus ductu proprio, propriam ſibi populi illius curam ſuſceperit, tàm amanter & beneficè cum illo agens; præſtitit tutum præſidium teſte Pſalmiſta, Pſal. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum.* Vnde cùm Ægyptiorum impetum fugientes Iſraëlitæ, ad maris littora perueniſſent, columna illa quæ præibat, ſtetit in medio eorum, Iſraëlitis lucem præbens, Ægyptios verò tenebris offundens. *Erat inquit ſcriptura* Exodi 14. *nubes tenebroſa & illuminans nocte*, quaſi diceret, erat tenebroſa & obſcura Ægyptijs, ſed ſplendida & coruſca Iſraëlitis. Præſidium tulit, quia inſequentes omnes hoſtes interfecit. *Reſpiciens* inquit ſacra pagina *dominus per columnam, interfecit exercitum eorum.* Præſtitit Iſraëlitis illa columna iter tutum ac ſecurum, ſiquidem præcedebat eos ad oſtendendam viam, non ſolùm tanquam lux, ſed tanquàm gubernatrix itineris. Nam vbi ceſſandum foret, ſubſiſtebat: vbi pergendum, pergebat. Quid dicemus de hac columna ex vera diuinitate & humanitate compacta Chriſto Ieſu? an non plenitudinem beneficiorum, quæ ab hoc Deo homine accepimus, nobis repræſentat. Hæc certè columna eſt noſter honor, noſtra defenſio, vnicus veritatis dux. Eſt honor & gloria noſtra, quia per illum Pater æternus, nos quantumuis indignos ſuorum numero filiorum adſcripſit, ad Galatas 4. *Miſit Deus filium ſuum, vt adoptionem filiorum acciperemus*: Eſt defenſio noſtra: quia nos & à Dæmonum incurſibus, & à mundi periculis, potenter tuetur, felici prædeſtinationis ſigno, quos ſibi elegit notans, & à nemine hoſtium ſibi eripiendos his proteſtans verbis: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Ioannis 10. Eſt deniq; dux noſter: etenim tanquàm columna illa Ægyptiorum, pandens iter ante nos, viam nobis indicat, & iter præmunit ad æternam felicitatem.

Exodi 14. — S. Auguſt. — Procopius. — Pſal. 104. — Exodi 14. — Ibidem. — Galat. 5. — Ioan. 10.

Quarta deniq; ratio eſt, quæ nobis difficultatem parit cognoſcendi myſterium Incarnationis: quia admirandam illam vnionem, inter perſonam verbi, & naturam humanam, naturaliter cognoſcere eſt impoſſibile, cùm impoſſibile rationi videatur, duo hæc ſummè à ſe diſtantia, Deum ſcilicet & hominem, in vnam potuiſſe conuenire perſonam, quod teſtatur ſanctus Iuſtinus, libro de Confeſſione Trinitatis inquiens: *Non pudebit me fateri huius vnionis ignorantiam habere, imò gloriabor potiùs, quòd credam arcana, quæ nec ratio, nec mens valet percipere.* Comprobat hoc ipſum lacteus ille Bernardus, qui Sermone 2. admiratus huius myſterij dignitatem & profunditatem, inquit: *Abyſſus imperſcrutabilis eſt, & in quo hauriam non eſt mihi, alta profunditas,* ait Salomon. Eccleſiaſt: 17. *quis inueniet eam.* Stetit ecce medius noſtrum, ſtetit in carne aſſumpta, ſed neſcimus eum, quia Deum fieri hominem, mens humana non capit: cùm hoc non dignitatem vllam, aut excellentiam; ſed ſummam ſignificet miſeriam. Homo enim iuxta Ariſtotelem eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ

S. Iuſtin. — S. Bernar. — Eccleſ 17. — Ariſtotel.

fortunæ luſus, imagno inconſtantiæ, miſeriæ & calamitatis trutina. Et quis tam miſeras hominis calamitates Deum aſſumere velle, cognoſcere poſſet? Neſcimus illum, quia non neceſſariò, ſed liberè homo voluit fieri. Incarnatio enim opus liberum & contingens habetur: cognitio verò noſtra, teſte Ariſtotele primo Poſteriorum rebus magis neceſſarijs acquieſcit; quàm contingentibus, præſertim ab aliena voluntate dependentibus, quorum nulla in terris ſcientia dari, & inueniri poteſt. Sed ergone iam propter incomprehenſam tanti myſterij dignitatem, immenſa Dei beneficia negligemus? abſit hoc à cordibus noſtris reclamante ſancto Leone, ſermone de Aſſumptione. *Non verecundæ* inquit, *ſed ingratæ mentis indicium eſt, beneficia tacere diuina.* Nam vnumquemq; noſtrum hæc ipſa abſconditi huius myſterij ſublimitas, ad ſui cognitionem tantò magis allicere poteſt, quantò amplior & certa ſpes vberrimi fructus, qui ex huius miſterij cognitione ab vno quoque noſtrum debet expectari, nobis proponitur ab Apoſtolo Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti IESVM Chriſtum,* modùm ergo, latentem cognoſcendi in carne humana Deum, vobis iam declarabo. Docent Philoſophi, quòd intellectus intelligendo fiat omnia, hoc eſt; quòd ſpecierum intelligibilium receptione, imaginem quandam rerum omnium in ſe efformet, quas cognoſcit: vnde & nos ſi Deum cognoſcere volumus, quid aliud nobis faciendum reſtat, niſi vt imaginem eius in noſtro intellectu, in noſtra anima efformemus. Et quæ eſt iſta Dei imago? charitas Dei, & proximi, hæc certè ſola cauſa eſt, quòd mundus Deum in humana carne non agnouerit, quia adulterina imagine, ſcilicet; ambitione eius intellectus obcæcatus erat. ideoq; hac falſa imagine decept⁹ Meſſiam in paupertate venientem deſpiciebat, ſed communis eſt iſte Chriſtianorum morbus, qui dùm veram Dei imaginem, claritatem nimirum ſinceram, ad cor admittere nolunt, Iudæorum inſtar per cæcam ambitionem, Deum ignorant. Ambitio enim eſt quædam ſimia charitatis: Charitas enim patiens eſt, pro æternis: ambitio patitur omnia pro caducis, charitas benigna eſt pauperibus; ambitio diuitibus: charitas omnia ſuſtinet pro veritate; ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia ſperat: ſed longè diſſimili modo. Hinc Auguſtinus cauſam inquirens, cur Iudæi licet inenarrabilia miracula Chriſti viderant, non tamen ad Chriſtum ſed ad Ioannem miſerunt, ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas interrogatum, an eſſet filius Dei, & Meſſias venturus, ſolam ambitionem veluti adulterinam imaginem aſſignat, inquiens: *Non mitterent* inquit *Iudæi ad Ioannem, niſi mouerentur excellentiâ authoritatis eius*, quia auſus eſt baptizare. Ac proinde, ſi vultis cognoſcere Meſſiam, qui venit in redemptionem veſtram. *Nolite* inquit *conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei,* hoc eſt, retrahite animas veſtras à malis. Et vt Tobiæ 4. dicitur: *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Nam vt ait Sapiens. Sapientiæ 9. *tenera inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Hæc ſola eſt imago, vera Dei charitas, quæ nobis eius cognitionem genuinè repræſentat, quod docet Apoſtolus ad Philippenſes 1. *Oro vt charitas veſtra magis ac magis abundet, in ſcientia, & in omni ſenſu, vt probetis potiora, vt ſitis ſinceri, & ſine offenſa, in die Chriſti repleti fructu Iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum.*

S. Leo. — Ioan. 17. — S. Auguſt. — Tobiæ 4. — Sapien. 9. — Philipp. 1.

Deus cognoſci non poteſt, niſi per internam Spiritus ſancti illuminationem, docente id ſancto Thoma 2. 2dæ. Q. 275. art. 3. ad 1. *Dinina* inquit *potentia ab intellectu creato non poteſt videri niſi per lumen gloriæ,* ne igitur medium noſtrum Chriſtum ignoremus, hunc diuini luminis radium omnibus modis procurare debemus, cum Pſalmiſta clamantes: *Illumina Domine ſuper nos vultum tuum.* Sed ecce dùm nos ad hanc lucem conuocat

S. Thom.

[Matth. 11.] conuocat Christus Matthæi 11 *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos,* multi obsurdescimus in peccatis, & quasi talpæ lumen hoc videre non possumus: sonat per omnes ecclesias Christi doctrina, & tamen nescimus illam: & in hac ignoratione plerumque perimus: *qui enim ignorat, ignorabitur.* [1.Cor. 14.] Primo Corynth. 14. Proponit nobis Christus sua Sacramenta, ad salutarem [Prou. 9.] animæ vsum, Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas 7. immolauit victimas suas, miscuit vinum* B *& proposuit mensam suam, misit ancillas suas,* (id est verbi diuini præcones) *vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis,* (quæ est Ecclesia: & tamen quàm multi mundi voluptatibus immersi, hæc Dei beneficia non agnoscunt? planè sicut Iudæi, qui in deserto videntes manna, & illud cælitùs sibi datum stupebant, & mutuò percontabantur. Quid est hoc? quia inquit scriptura Exodi 16. [Exodi 16.] *Ignorabant quid esset.* Simili planè modo, tepidi Catholici, magis caducas mundi C res, quàm salutem animæ procurantes, vident in medio sui stantem Christum, vident manna cæleste, corpus eius sacratissimum, sibi ad vescendum datum: sed propter peccatorum tenebras nesciunt quid sit, ideoque cibum hunc fastidiunt, & sæpe negligunt. Quod incusat Psalmista, Psalmo 100. [Psal. 100.] *Obliuiscuntur inquit comedere panem suum.* Et quid causæ pro Deum immortalem! vtiq; iam ex manifestis Dei miraculis, ex euidentissimis scripturæ testimonijs, scimus be- D nè hunc hominem Christum IESVM esse verum Messiam, missum in redemptionem generi humano; & tamen licet medius nostrum stet, non cognoscimus, non credimus, non amamus, non colimus eum. Hæc sola ratio, quia sicut Iudæi habuerunt; sic & nos habemus oculos tantùm carnales, & exteriores, non autem spirituales, & interiores. Docet sanctus [S.August.] Augustinus Homilia 38. Amicitiam, sicut & scientiam triplicem esse. Consuetudinis: quâ familiares nouimus,

A & diligimus. Rationis, quâ virtutis ergò amamus, quos nunquàm vidimus, & Fidei atq; charitatis diuinæ: quâ Deum & Christum IESVM credimus, amamus, & reueremur. Hæc triplex scientia in nobis reperiri debet, vt Deum agnoscamus, consuetudinis scilicet; vt eius feruenti deuotioni & pio Sacramentorum vsui assuescamus. Rationis: vt propter summas eius virtutes, Christum amplectamur, & fidei atq; charitatis, vt & face Spiritus sancti illustrati, & diuini amoris igne accensi, non tantùm per fidem ad illum accedamus, sed etiam per charitatem & amicitiam indissolubiliter eidem vniamur.

Tertius modus adhuc facilè cognoscendi Deum est, humilitas: sicut enim Deus humiliari voluit in carne humana, vt docet Magister sententiarum in 3. distinctione 2. [M. sententiarum.] *Verbum inquit Patris intra Virginis Matris aluum, ita paruulus factus est, vt humano visui vix subijceretur.* Imago istius diuinæ humilitatis fuit, Sol reuocatus à solito diei cursu, tempore Ezechiæ. *Dederat* inquit scriptura 4. Regum 23. [4.Reg.21.] *Optionem Prophetæ, velletne in signum augendæ vitæ, vt solis vmbra 10 lineis ascenderet, an totidem gradibus ad ortum suum reuerteretur. Vis inquit vt ascendat vmbra 10 lineus, aut vt reuertatur totidem gradibus,* ille verò non ascensum solis, sed descensum petijt: quo significauit mysterium Incarnationis, vt scilicet verbum diuinum ad salutem, & vitam hominibus dandam, à sua diuinitate descenderet, vt inquam ad 10 vsq; lineas progrederetur, scilicet ad assumendam naturam humanam, quæ post 9. choros Angelorum condita est. Si Deus cuius inaccessa maiestas, descendere voluit, vt tantùm hominem sibi adunaret, quantò magis homo à superbia & elatione, ad perfectos humilitatis gradus descendere debet, si Deum agnoscere cupit. Quare cum mysterium Incarnationis adeo sit absconditum à sæculis, vt mens humana illud capere non valeat, ita vt humana circumdatum carne totus mundus non agnouerit, ne & nos in hac Dei

hac Dei ignorantia Atheorum instar, A & peruersorum Iudæorum pereamus, curemus dij quidam fieri, non superbè indebitam appetendo excellentiam, sed cum omni subiectione, Ecclesiæ credendo reuelationibus: curemus, interna gloriæ inspiratione illuminari, quæ sola nos consortes diuinæ naturæ facere potest: humiliemus nos ad Christi præsentiam stantis in medio nostrum, vt sicut ille humiliatus nostræ carni vniri voluit, & nos eidem per humilitatem æternùm vniri mereamur.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVARTA.

Tu quis es. *Ioannis 1.*

Cognitio sui ipsius est maximè vtilis homini.

DVo erant huic vniuerso cognitu difficillima Auditores. Deus scilicet & Homo, adeò vt cùm plurimæ gentes verum Deum assequi non possent: Animalis enim homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Creaturas in Numina, & Dæmones in Deos sibi adsciuerint: potissimùm verò verbi æterni in carne humana abbreuiati cognitio, omnem mortalium capacitatem excedebat. testante id ipsomet [Prou. 20.] Salomone Prouerb. 20. *Tria inquit sunt difficilia mihi, nimirum via aquilæ in cœlo, via colubri super petram, & via nauis in medio mari: sed quartum penitùs ignoro, scilicet; viam viri in adolescentula.* quasi diceret, hoc vnicum, meum conceptum euacuat, quomodò verus in carne humana Deus, ex virgine nasci potuit. Nec immeritò: quis enim nostrum, videns Deum in tenerrimæ virginis viscera introëuntem, indeq; sine vlla Virginei claustri læsione in mundum prodeuntem, non obstupescat? aut quis non admirabitur mysteriosam illam humanitatis Christi nauem, in turbulentissima amaræ passionis suæ tempestate à tot archipiratis obsessam, & in tot partib9 perforatam, quot erant ei plagæ à

A clauis, & lancea inflictæ, perpetuæ mortis naufragium passam minimè fuisse? Quis tandem stupendum portentum diffiteatur, Christum vti serpentem in terra reptantem, sepulchro inclusum, propriæ virtutis suæ viribus, antiquæ mortalitatis pelle exutum, immortalis gloriæ habitu indutum, in Empyreum cælum altiùs se extulisse? Non erat profectò tanti genij vlla creatura, quæ abstrusa hæc, & à sensibus aliena mysteria concipere posset. Sed & hominis cognoscendi non le- B uior difficultas erat. Nam animam eius immortalem esse, qui attingerent, pauci fuère: corpus quoq; hoc mortale, incorruptibilitatem assumpturum sola scripturarum veritas edocuit. Ne ergò in hac difficultate & Dei, & hominis cognoscendi, Christianus aberraret populus, Deus ad hominem mutuò referri voluit, vt cùm correlatiua simul cognoscâtur, cognoscêdo Deū, seipsū in illo cognoscat, & seipsū diligentiùs trutinando, Deum quoq; simul contempletur. Etenim & Deum opti- C mum maximum, creaturarum omnium esse speculum, in quo illæ ad viuum repræsentantur, proclamat Salomon, Sapientiæ 7. [Sap. 7.] de verbo diuino loquens: *Speculum inquit est sine macula Dei maiestatis* (in quo vt docet ibidem Nicolaus de Lyra) [Lyranus.] omnia relucent clarissimè. Et comprobat Diuus Augustinus, Epistola 121. *Deus inquit est speculum voluntarium, & si vult videtur, si non vult non videtur.* Et creaturas vicissim speculum esse creatoris, in quibus varia eius attribu- D ta effulgent, & multiplices perfectiones elucent, edocuit Magnus ille Philosophus Trismegistus lib. 3. Pimandri inquiens: [Trismeg.] *Tota mundi conspiratio, & rerum pulcherrimus ordo, contemplandi Deum suggerit materiam: est enim natura velut liber diuinitatis plenus, & speculum diuinorum.* Et clarè hoc ipsum insinuat D. Ambr. Commentar. in Epistolâ ad Romanos, docens: [S. Ambr.] *Vt Deus qui naturâ inuisibilis est, etiam visibilibus posset sciri, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret.* Igitur quoniam venturum iam in terras De-

Deum conſiderabimus, nos ipſos hodie cognoſcere incipiemus, vt ſic ex noſtra cognitione, Deus faciliùs à mente noſtra poſſideatur.

Cùm omnes homines ad felicitatem aſpirarent, multitudine tamen viarum huc ducentium, á ſcopo beatitudinis decepti aberrarent, placuit Cræſo, (qui ſe forſitan propter aceruos auri & argenti felicem eſſe exiſtimabat) Oraculum Delphicum adire, & quæ via eſſet ad felicitatem, conſulere. Quid ergo! ſi vis eſſe felix, *Noſce te ipſum*, reſponſum accepit Cræſus. Omnes vos Catholici mei his diebus ad veram tendere felicitatem minimè dubito, ſed ne quiſpiam veſtrum aberret, Euangelicum conſulite Oraculum. Vbi cuilibet homini veram affectanti beatitudinem, cœleſtis ille reſpondet Apollo, *Noſce te ipſum*, quis ſis, & ad quem tendere debes; conſidera quis es, & quem toties offendere audes, creatura creatorem: ſubditus Regem: ſeruus Dominum: Homo Deum: Benefactorem mancipium. Conſidera inquam, quis es, & quæ te amentia mouet, vt cùm ſis puluis & cinis fædus, illum qui eſt maieſtatis plenus, audeas diſhonorare. Et certè ſi olim præſes ſapientiæ Minerua fædum baccarum tumorem nunquam depoſuiſſet, niſi deformitatem vultûs in liquidis vmbris Meandri, tanquàm in ſpeculo animaduertiſſet: vidit enim tibias, abiecit, & tumor receſſit. Sic ſanè niſi quipiam fidelium ad ſpeculum hoc propriæ cognitionis crebrò aſpiciant, nuſquàm irregularem vitæ ſuæ rationem, & deprauatos mores, in melius componere poterunt? quòd ad amuſſim figuratum reperio Exodi 37. Vbi ſcriptura dicit, Moyſen feciſſe concham quandam ſuper baſim poſitam, varijs mulierum ſpeculis circumornatam, vt Sacerdotes in illis ſe aſpicientes, maculas abluerent, iuxta illud Exodi 30. præceptum Exodi 30. *Miſsâ aquâ lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare.* Et nobis certè hanc vnicam concham pretioſam fecit Deus, ſcilicet cognitionem noſtri, vt omnes diſſolutè viuere deſiderantes, priſtinæ tandem vanitatis & curioſitatis pertæſi, in hoc ſpeculo ſeipſos cognoſcendo, maculas ſuas cognoſcant. qui enim ſe noſcit creaturam, totus in obſequium creatoris fertur: qui ſe conſiderat eſſe ſeruum, Deum reueretur vt Dominum, & honorat vt Patrem: qui contemplatur ſe viribus proprijs ſubſiſtere non poſſe, facilè diuinam prouidentiam perpendit, à qua conſeruatur. hinc enim timor. hinc amor, hinc fides, hinc ſpes, cæteræq; virtutes pullulant. vnde Seraphicus ille Pater ſanctus Franciſcus, non minus contemptor mundanæ & breuis voluptatis; quàm ſtudioſus diuinæ & æternæ ſapientiæ, hoc vnum S. Fracis. per totam noctem orabat. *Nouerim me, nouerim te Domine*, & magnus ille Monachorum inſtructor Antonius S. Anton. ſcripſit. *Quicunque cognouerit ſemetipſum, cognoſcet diſpenſationem proprij conditoris, vel quæcunque facit in proprijs creaturis.* Si enim cognoſcis te quis es, & Origenes. quis Deus, facilè culpam tuam erubeſces; *nunquàm enim ſe emendat, qui peccaſſe ſe non putat.* Origenes Hom. 2. in Leuit: imò hanc ignorantiam iactantia plerumq; comitatur, iuxta il- Prou. 2. lud Prouerb. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, quaſi ſua peccata non ſolùm non cognoſcant, vt mala; ſed etiam tanquàm bona amplectantur. quòd multis exaggerat D. Ambroſius, Apolog. 1. de S. Ambr. Dauid cap. 9. *Plerique* inquit *in ſuis lapſibus gloriantur, & putant ea laudi eſſe, quæ criminis ſunt; ſi alienum coinquinauit thorum, & pudicæ fæminæ expugnauit affectum: ſi viduæ propoſitum aliqua fraude mutauit. Alius necem hominis. latrocinij inſidias, ex rapto viuere, putat eſſe virtutis, nonnulli, circumuenire & fallere, arbitrantur eſſe ſapientiæ:* quod ita abominabile Deo eſt, vt propter huius criminis grauitatem, olim Deus Caimo dixerit, *Peccaſti, quieſce.* Geneſis 4. quaſi diceret, ſiquidem peccaſti, ne te de tuo peccato iactes, & inaniter glorieris; ſed potiùs conſiſte in ſtudio

humilitatis. Miſerrimus, planè erat ſtatus Hebræorum, quando Iſaiæ 1. ad eam multitudinem ſcelerum deuenerunt, in qua ab Iſaia deſcribuntur. *Omne caput languidum, & omne cor mærens, à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Iſaiæ 1. neque enim tunc ſolis manibus committebantur crimina, aut ſolis animorum receſſibus abſcondita deliteſcebant; ſed & in fronte, & in capite, tanquàm victri- S. Ambr. cia & triumphantia præferebantur, quòd D. Ambroſius in Pſalmum 1. ſic commentatur. *Caput* inquit *languidum eſt, quoties ingemiſcunt epulones, quòd diutiùs potare non poſſint: quoties dolent, quòd ſcortari deſierint: quoties inter fabulas, ebriorum, virtutes probro ſunt, peccata laudi: honeſtas ludibrio, continentia riſui, truculentia complacentiæ, miſericordia abominationi. Sedent in concilijs derogantes ſobrijs, verecundus ſi tranſeat erubeſcit, à ſingulis corripitur: ſi flagitioſus, omnium ore laudatur.* In hanc amentiam inciderat populus ille Sodomiticus, apud quem, non qui peccabat, ſed qui peccata arguebat, da- Genef. 9. mnabatur. quemadmodùm rectè Loth publica flagitia arguenti reſponderat: *Ingreſſus es vt aduena, nunquid vt Iudices. Te ergò ipſum magis; quàm hos affligemus.* Geneſis 19. Sed quid Sodomitas culpo? & nunc profectò tanta iam irrepſit turpitudinis conſuetudo, vt nequitia pro iuſtitia reputetur: in- S. Cypr. nocentia pro ignauia: & culpa pro laude ſancitur, immò vt docet Cyprianus libro 2. Epiſtolarum, Epiſtola 2. *eſſe iam inter nocentes innoxium, crimen eſt: malos quiſquis non imitatur, offendit: conſenſere Iura peccatis, & cæpit eſſe licitum, quòd publicum eſt, pudetquè non eſſe impudentem, dùm hanc ſuam impudentiam, & obſcænitatem, prudentiæ &* Philo. *urbanitatis nominibꝰ cõdecorãt. prætexendo vt ait Philo in libro de fortitudine, vitia turpiſſima honeſtatis vocabulis, & quòd deterius eſt, etiam peccata, quæ nunquàm commiſerunt, cùm vana quadam oſtentatione mentiuntur. ne ſi credantur illa non* S. Auguſt. *commiſiſſe, viliores habeantur.* Quod de ſemetipſo fatetur Auguſt: libro Confeſſionum 2. cap. 3. *Audiebam* inquit *eos iactantes flagitia ſua, & tantò gloriantes magis; quantò turpes eſſent. Ego quoque ne vituperarer, vitioſior fiebam, & vbi non ſuberat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quæ non feceram, ne viderer abiectior, quo eram innocentior.* Sed quid gloriaris in malitia miſer homo, & ſorde iniquitatis, caligine ignorantiæ inuolutus? quid agendum, aut vitandum ſit tibi, ex magna parte iam non vides. Terge ſpeculum propriæ cognitionis, & puluere vanitatis, & ſorde iniquitatis, vt in eò inſpicere valeas; *Tu quis es*, cui concipi culpa, naſci miſeria, viuere calamitas. Conſidera in hoc ſpeculo totam turpitudinem tuam, & creatorem ſimul, quem peccando poſt tergum tuũ poſuiſti, ſimul contemplare. Nam vt inquit D. Cypr. l. 1. Epiſt 3. S. Cypr. *Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere: ſecundus delicta cognoſcere:* qui enim ſua peccata non ignorant, ea faſtidiunt, & auerſantur. Nam cauſam ſuæ conuerſionis hanc aſſignat Dauid, *Quoniam iniquitatem meam ego* Pſal. 50. *cognoſco.* hæc enim duo homini Chriſtiano ſummè neceſſaria ſunt, vt ſeipſum primò cognoſcat, videlicet qualis ſit ad malum, & qualis ad bonum. Proni enim ſumus ad malum, & ſi miſericordia Dei non teneret nos, in omne vitium caderemus, nec inde poſſemus ſurgere, niſi miſericordia Dei ſubſequeretur, quæ nos inde ſubleuaret. Quod præclarè docet pro- Pſal. 22. pheta, *Domine miſericordia tua ante oculos meos, quæ me cuſtodiat.* Pſal. 25. & Pſalmo 22. *Miſericordia tua ſubſequatur me, quæ me erigat:* nec tantùm proni ſumus ad malum; ſed etiam inualidi ad bonum. ita vt ſine gratia Dei bonum aliquod facere, aut in illo perſeuerare nequaquam poſſimus, quod ingenuè fatetur Apoſtolus 1. Corynthiorum 15. *Gratia Dei ſum id* Cor. 15. *quod ſum.* Si igitur diuitiæ, ſi honores, ſi potentiæ, ad iniquitatem te impulerint: ſpeculum hoc præ oculis habeto, *Tu quis es*, nimirùm; arundo vento agitata, & equi celeritate, pernicitate cerui, ad ſui corruptionem tendens. Adeò vt nulla nauis tantùm

ſuo

ſuo curſu impetum, nullus torrens, tam rapidam volubilitatem, auis nulla tàm præcipitem in volando vehementiam obtineat; quantâ quamuè præcipiti agilitate, vita hominis ad occaſum properat. Repentinus eſt fulminis impetus, celer oculi viſus, capitis nutus, vmbræ ſubitus dilapſus: at his omnibus velociùs tranſit hominis vita, in ſuo mortali curſu: quia vt de illa loquitur Iob. *Fugit velut vmbra, & nunquàm in eodem ſtatu permanet.*

Si itaque potentiam tuam iactas, noſce *Quis es*: modicus puluis, quem B vnicum temporis momentum conterit. Tempus enim inferioris totius mundi, eſt inexorabilis tyrannus, tempus omnium, quæ ex elementis concinnata ſunt, velut barbarus prædo, tempus ipſius Archipirata hominis, vt cùm à rebus diuinis penitùs excluſum ſit, & in ea quæ ortum à cælo ducunt, ne minimum vllius poteſtatis habeat, iam in hominem diuinitatis participem, quiq; mundi compendium exiſtit, quia illius iuris eſt, diſſolutâ ſuâ libertate contumaciter a- C butatur. Si ſanguinis claritate gloriaris, & illuſtri auorum proſapia triumphas, cognoſce. *Quis es.* Præda labentis temporis: Tempus enim mutationibus ſuis vndiq; ſtipatum, Proſapias nobiliſſimas, & familias perennitate dignas, è vita hominum citò exterminat. Tempus vrbes munitiſſimas, demolitur, ac deſtruit. Tempus denique regna florentiſſima peſſundat, ac euertit: ſaxis & marmoribus mortem, ſtatuis ferreis, coloſſis D & Pyramidibus ex ære ductis, certiſſimam ac definitam ſepulturam indicit. ſi de nobilitate ſuperbis, & ideò alios contemnis, cognoſce *Tu quis es*: & nobilitas, & omnis vitæ humanæ ſplendor, vmbræ leuiſſimæ præſtantiam non excedit. Nam quid ſit homo interrogatus Ariſtoteles, reſpondet? primò: Eſt ſpolium & præda temporis. Quid deinceps? Imbecillitatis exemplum. Quid præterea? fortunæ ludibrium. Quid ampliùs? Inconſtantiæ ac viciſſitudinis archetypus. Quid ad extremum? Calamita- A tum, Inuidiæ, ac ærumnarum, lanx atq; ſtatera, dereliquo bilis, & pituita homo eſt.

Quod ſi nondum homo de ſua præſumptione, quidquam demittit, fingat animo lecticam, ſeu currum quendam triumphali ſimilem, ex ipſis elementis fabricatum, in medio iſtius currus Tempus de homine triumphans reſidet, in ſinu & amplexu temporis, homo eſt; à fronte hominis imbecillitas, more puerorum bullas ventoſas è paruo tubulo efflans: à tergo, B vanitas effusè cachinnans: à dextra, fortuna fallax: à ſiniſtra parte, opinio mendax: illa rotam voluit, hæc temonem circumagit. Currus iſtius rotæ quatuor ſunt, ſcilicet; Qualitates quatuor. Temo viciſſitudo eſt, copulæ ſpartæ mutationes: Equi quatuor, partes anni quatuor: Lecticarij priores, angor cum gaudio; ſpes & metus, poſteriores: circumquaq; autem currum ambiunt, atq; ingenti & infinito agmine ſequuntur, morbi ac omnes ærumnæ, & calamitates vitæ C humanæ, tàm certa tributa; quàm omnia reliqua incertiſſima ſunt. Quod ſi propter robur militare, & longam bellandi experientiam inſoleſcis? cerne eos, quos in ſuam ſcenam fortuna produxit, vt æternum ludibrium fierent, eoq; magis miſerandi, quò altiori de faſtigio præcipites acti, optimam vindicem inſolentiæ humanæ, humanam fragilitatem ad ſæculorum omnium memoriam, in exemplum exhibuerunt. Videas in hac fortitudinis pompa, Darium in fuga, è flumine D ſanguine miſto auidiſſimè bibentem: Pompeium nuper ingentis fortunæ Ducem, ab Attila capite truncatum: Iulium Cæſarem Dictatorem perpetuum, viginti tribus pugionibus in Senatu Romano confoſſum. Si propter fortunæ inſtabilis blandientiam, inſolentiæ ventis abriperis? è ſummo felicitatis gradu, ad vltimam miſeriæ afflictionem detruſos perpende. Inſpice Dionyſium in ſchola docentem: Phocam cum omni ſua ſtirpe cæde atroci morientem: Beliſarium gentium antea domitorem, in via mendicum:

cum: Regem Seſoſtrem fortunâ ebrium, à Regibus quatuor vectum: Inſpice Baiazetem II. Turcarum, à Tamerlane Scytharum Imperatore in ferrea cauea incluſum: Oſmanum nuper feroculum, villi aſello ad mortem ductum. Vnde meritò inter hos omnes, Zeno Imperator è bello fugiens, exclamat: *Ludus Dei eſt homo.* Tu igitur quis es, & quem te eſſe iactas, cùm hæc ſit hominis pompa, nudum naſci, & nudum in terram reuerti. Hoc illius omne ſatellitium eſt, ex cunctis opibus, quas per fas & B nefas collegit, vnicum duntaxat funebre induſium ſecum ad ſepulchrum aſportare.

E quidem ſi hanc conſiderationem præ oculis haberet homo, nuſquàm in ſui conditoris offenſam aſſurgere auderet. Cauſa enim peccati eſt ignorantia ſui, & Dei, iuxta illud: *Omnis peccans ignorans*: hoc eſt; quia homo Dei excellentiam minimè conſiderat, virtutis & honeſtatis dignitatem non appretiat, ſpeciem autem inhoneſti fortiùs âpprehendit, & magis æſtimat, C ideò plerumq; reſolutè prætermiſſa Dei voluntate, in peccatum ruit. Agnoſcebat hoc perbellè ſanctus Franciſcus, idcirco noctes integras cum Deo conſumere, in hac ſui cognitione voluit, ſæpiùs repetens. *Quis tu Domine, quis ego, nouerim te, nouerim me; vt exaltem te, & humiliem me.* Qui enim exiguam ſuæ humanitatis ſortem non perpendunt, facilè in laqueos diaboli labuntur. quod contigiſſe in Peruenſi regno cuidam magni nominis Theologo, referunt grauiſſimi authores, in D tuba Sacerdotum, Tractatu I. lectione 4. in fine, qui cum rarò ſe hominem meminiſſet, cuiuſdam mulieris falſis reuelationibus & extaſibus deceptus, eò cæcitatis perductus erat, vt ſibi ſanctitatē arrogaret ſuper omnes Angelos, & Apoſtolos: ſibiq; à Deo oblatam vnionem hypoſtaticam, ſed non fuiſſe à ſe admiſſam, interim ſe eſſe conſtitutum redemptorem, quoad efficaciam, eò, quòd Chriſtus, ſolùm fuerit redemptor quoad ſufficientiam. Ecce cæcitatatem & amen- A tiam, quò hominem non ducit ſui ipſius ignorantia? Hic primùm conijcio veriſſimam eſſe grauiſſimi Lyricorum Pòetarum Pindari ſententiam, qui dicit, *vmbræ ſomnium hominem eſſe*: quaſi diceret, quòd homo ſit excellens, & accurata quædam, & exquiſita vanitas: omnis enim iactantia hominis, omnis præſumptio, ſomnium eſt, vmbrâ citiùs euaneſcens. Quare meritò Plinium pudet ac miſeret ſortis humanæ, qui hominis faſtum cum eius miſerijs componens, homine vt nullum ani- B mal eſſe ſuperbius; ita nullum eſſe miſerius affirmatè ſtatuit. Quid ita? homo certè viam ſuam auſpicatur à planctu & lachrymis, atq; ſtatim ab ortu iacet manibus pedibuſq; deuinctus, plorans, vt hoc ipſum in pænas & ærumnas hominem naſci argumento ſit. Et tamen vni homini ambitio, auaritia, luxuria, immenſa viuendi cupiditas ita inſita ſit, vt licet nulli animalium fragilior ſit vita; quàm homini: nulli tamen omnium libido maior, nulli pauor turbidior, nulli ra- C bies atrocior; vt dubium ſit, cuius cauſa cætera omnia natura genuiſſe videtur, tot impedimentis obiectis parens indulgens, ac triſtis nouerca homini extiterit. Proinde non fruſtra ſapiens Antiquitas, ob ærumnarum humanarum magnitudinem, in hac opinione fuit, optimum eſſe non naſci, proximum; quam primùm mori. Quod ſi Philippus Macedo, qui poſt extrema clade profligatos à ſe Athenienſes, apud Cheroneam, ne ſecundis rebus elatus inſoleſceret, & ſuperbè ſeſe ge- D reret, à puero ſuo ſibi mane circa auroram quotidiè illud acroama commemorabile inculcari iubebat, *Philippe hominem te eſſe memineris*: immò in poſterum, nulla vnquàm aggrediebatur maioris momenti negotia, niſi puer ter inclamaſſet, *Homo es Philippe.* Quid aliud hodiernum Euangelium ſuis cultoribus proponere voluit, niſi hanc ipſam ſummam prudentiam, vt quotieſcunq; aut diuitijs affluunt, aut ad extrema fortunæ redacti ſunt; homines ſe eſſe meminerint, recogitando ſedulò illud Euangelicum præconium.

S. Franciſ.

Theolog⁹ quidam, ſe redemptorem iactabat, quoad efficaciâ, in regno Peruenſi.

Pindarus.

Philippus Macedo.

Iſaiæ 38.
Iſaiæ 38.
S. Ambr.

nium. *Tu quis es.* Hoc Ezechias faciebat, qui ſe peccatorem ſemper recognoſcere voluit Iſaiæ 38. *Recogitabo* inquit *tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Quod laudat Diuus Ambroſius Apologia 1. de Dauid. *Bonæ mentis ait eſt, vulnus ſentire peccati. Nam qui expertes doloris ſunt, non ſentiunt vulneris acerbitatem, quod eſt immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, ſicut doloris ſenſu non carent ; ita etiam non carent ſanitatis profectu : vbi enim doloris ſenſus, ibi etiam ſenſus eſt vitæ* Quod comprobat

S. Abroſ.

Auguſtinus libro de vera & falſa pœnitentia cap. 8. *Qui ſe* inquit *cognoſcunt, ſicut ſemper peccant ; ita ſemper plorant, vt totam vitam ſuam ; quæ eſt tentatio ſuper terram, plorent totâ vitâ ſuâ.* Imò nuſquàm Deus dimittit peccatum homini, niſi homo priùs cognoſcat ſe offendiſſe Deum. Nam ſic olim ad populum ſuum locutus eſt : *Ego peccatorum tuorum non recordabor, reduc me in memoriam,* ſeu vt 70. vertunt. *Tu autem memento* Iſaiæ 43. quod in hunc modum exponit D. Ambroſius lib. 2. de pœnitentia. *Ego* inquit *memor non ero propter gratiam, tu memor eſto propter correctionem, memor eſto vt ſcias donatum eſſe peccatum, ne glorieris quaſi innocens, & ne de te iuſtificando plus ignoraueris.* Hinc Dauid clamabat. *Delictum meum cognitum tibi feci* Pſalmo 31. Et quid eſt maximè vatum, ergò latebat Deum tuum peccatum, quia illud te cognitum feciſſe Deo dicis ? Non : *ſed cognitum feci,* id eſt ; vt legit D. Auguſtinus, *peccatum meum cognoui.* Quæ verba explicans Dauid, dicit : *Ecce dùm homo agnoſcit, Deus ignoſcit.* Expertus hoc eſt prodigus ille filius, qui cùm peccatum ſuum recognouit dicens : *Ibo ad patrem meum, & dicam ei Pater peccaui.* Lucæ 15. Et ecce ſtatim Pater peccatum illud è memoria deleuit, nam accurrens cecidit ſuper collum eius, nullam eius veteris culpæ faciens mentionem.

Iſaiæ 43.
Pſal. 31.
S. Auguſt.
Lucæ 15.

Quid eſt Catholici mei ? nonne vnuſquiſq; veſtrum, parem æterni Patris beneuolentiam experietur, ſi velit ? Proditores ſumus filij, quoties cœleſtis illius Principis lædimus maieſtatem : Verùm non aliam de nobis Deus requirit vindictam, niſi vt cognoſcamus noſtram indignitatem, qui ſumus nos, & quis Dominus quem contra peccamus. quod ſi cognouerimus, oblitus ille omnium iniuriarum, complectetur animas noſtras. Quiſquis proinde viribus corporis fidis, quiſquis munera fortunæ amplexaris, ac te non eius eſſe clientem, ſed partum exiſtimas ; tu cuius in animo ſemper victoria eſt, tu qui te Deum credis aliquo ſucceſſu tumens, commemineris eſſe te hominem, ſiue quod idem eſt : *Noſce te ipſum, Tu quis es.* Quod tunc præſtabis, cùm etiam inter quæuis proſperioris fortunæ dulcia blandimenta, fragilem, & caducam, atq; omnibus ærumnis obnoxiam humanam conditionem in te recognoſces. Verùm quoniam in homine (vt diuinus Plato docet in ſuo Theæteto) duo ſunt exemplaria, alterum diuinum, quod quidem eſt beatiſſimum, alterum Dei expers, quod ipſum eſt miſerrimum, idcircò non ſatis eſt, vt homo exterius tantùm ſpeculum, ſcilicet ; corpus ſuum inſpiciat, in illoq; ſuam fragilitatem, vilitatem, corruptionem, & veluti malorum omnium compendium ſe eſſe cognoſcat; ſed requiritur etiam, vt animi ſui præſtantiam ſimul contempletur, cuius quoniam in terris origo nulla reperiri poteſt, ſed decerptus eſt ex mente diuina, cùm alio quoq; nullo, niſi cum ipſo Deo ſociari debet. Hoc cœleſtis illius Apollinis præceptum in Euangelio contendit, quo monet, vt ſe quiſq; cognoſcat, quis eſt, hoc eſt ; vt animo ſuo ortum ſuum videat, conſiderans corpus quaſi vas eſſe, & aliquod animi receptaculum : animum verò hominis, hominem ipſum eſſe, nihil addubitet. Ineſt enim animus corpori, quaſi alienæ domui, quod domum caducam, eamq; ruinoſam, fragilem, ac putridam, cœleſtis ciuis & hæres inhabitat. immò luteum ergaſtulum, inquietum, hoſtile, tranquillitati aduerſum, poſſeſ-

Quid ſit animus.

poſſeſſor immortalis ad tempus, velut inquilinus aut peregrinus incolit. Cognoſce igitur ô homo, *Quis tu es* quoad animum : Ignis nimirum ille Promethæi de cælo deductus, mens quædam diuina teneris vinculis alligata. Pythagoræ diuinum miraculum. Platoni Animus Dei, ac cælitum cognatus : Ariſtoteli mens Deo ſimilis: Homero, numen quoddam hoſpitans in corpore. Chaldæis omnibus deniq; eruditis æternum ac immortale, mortali ac putri carcere in tempus breue condemnatum. Itaq; quiſquis mortalium ſe hominem iſtiuſmodi eſſe continuò recordabitur, an non relinquet brutis brutas, & homine indignas voluptates ? An non reputabit, quod res eſt, corpus eſſe mortalitatis quoddam ſterquilinium ? An non omnes ærumnas corporis, ad fellem Anaxarchi tantùm, nihil ad Anaxarchum pertinere cogitabit ? An non deniq; opes, & honores, verè puerorum eſſe arenam, iudicabit ? vt enim parui pueri circa ſuas inanes domunculas in arena fabricandas occupantur, vt ſuas puppas & hettas oſtentant, vt ſuis crepundijs pueriliter gloriantur. Non multum diſſimili vanitate pueri magni (homines adultos vocabat Ariſton) ambitione circa gloriam, & honores captandos, cupiditate circa opes, ac diuitias cumulandas, inaniſſimè diſtorquentur, & propter hoc æternas frequenter amittunt delicias. Et quid cauſæ, quòd creato homine ſoporem in illum Deus immiſerit ? mitto hic alias rationes, & idcircò tantùm hoc factum eſſe arbitror, vt expergefactus ſomno, in ſomno (qui eſt imago mortis) ſui corporis exiguitatem perpenderet, in illis verò altiſſimis myſterijs, quæ tunc ſomnianti Deus reuelauerat, vt animæ ſuæ immortalitates intueretur, quæ cœleſtis illius nectaris & ambroſiæ inſatiabilem, eamque æternam dulcedinem, tàm in ſomno quàm in vigilia experitur. Quod ipſum eleganter docuit Auguſtinus libro de ſpiritu & Animâ, vbi dicit, duplex eſt natura hominis, vna interior, quæ eſt ipſe homo, *quoniam mens vniuſcuiuſq; eſt ipſe.* Altera exterior, id eſt ; corpus ideoque vt ex hac duplici natura compactus homo, totus beatificaretur. duo illi bona Deus à principio præparauit, vnum inuiſibile, alterum uiſibile, vnum corporale, alterum incorporale vt in vno ſenſus carnis, ad iucunditatem foueretur ; in altero ſenſus mentis ad felicitatem impleretur. Hoc & ipſemet DEVS in prima creatione clarè oſtendit, inquiens : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et quæ eſt alia imago hominis ad Deum, niſi propria cognitio ? vt quemadmodùm Deus ſemper ſeipſum cognoſcit, & in ſe cognito omnes creaturas ; ſic etiam homo nuſquàm à ſui cognitione abſtrahatur, ſed aſſiduò ſeipſum inſpiciendo, quis eſt, & Deum tanquàm ſuum creatorem, pleno amoris & cognitionis affectu proſequatur. Nam vt docet Diuus Auguſtinus libro de ſpiritu & Anima, *quæ in nobis diuinam ſimilitudinem repræſentant, duo tantùm eſſe : nimirum ; ſpeculationem æternæ veritatis, & exercitium virtutum : quia in his duobus ſimilis eſt homo Deo, qui eſt ſapiens & iuſtus.*

Ariſton.
Cur Deus ſoporē immiſit in Adam.
S. Auguſt.
Geneſ. 1.

Vidiſtis igitur ô Catholici mei, vim Euangelici oraculi de cælo ad aures veſtras delapſi, *Tu quis es,* & quid hoc cœleſti monito contineatur, perſpexiſtis. Quare conſiſtite in veſtra cognitione; & quia mortalis es ô homo, cognoſce tuæ mortalitatis fragilitatem ; non te efferat ſuperbia, aut inanis gloria non te extollat vanitas, aut fortuna : non te inflet opulentia aut honor, quia miſerabilis & pauper es, & ſi tibi fallax mundi opinio blanditur, te alijs multò præſtantiorem eſſe affirmans, reſponde cum Chriſti præcurſore. *Non ſum.* Quia tamen immortale charagma es, expende in te cœleſtem diuini luminis maieſtatem, & è mortalitatis huiuſce tenebris, toto animo in illam lucem euola, memor illius ſymboli, quòd Antiquitas in ſublime nitenti appoſuit : Non priùs quieſcam ; quàm ad ſolem ipſum perueniam.

DOMI-

DOMINICA IV. ADVENTVS.

CONCIO I.

Videbit omnis caro ſalutare DEI. *Lucæ. 3.*

Caro humana eſt quid maximum pariter & minimum.

CErta erat quondam Athenis grauiſſima diſceptatio inter celeberrimos illos Philoſophos, quidnam in hoc vniuerſo maximum pariter & minimum eſſet: vbi quotquot aderant Philoſophantium nobiliſſimi, difficultate quæſtionis propoſitæ victi, in varias diſtracti ſententias abière. Quidam enim potentiæ viſûs id attribuebant, quæ intra vnius oculi pupillam, includit ſolis magnitudinem, Lunæ vaſtitatem, atque multitudinem ſtellarum, quarum quælibet mare terramq; tranſcendit: Alij cor hominis id eſſe dixerunt, quod licet ſit exigua pars corporis humani; ita tamem cæteris omnibus membris capacitate ſua præſtat, vt totum mundum ſinu ſuo capiat: neque hunc vnum duntaxat ſed plures etiam: quòd contigiſſe Alexandro Magno fatetur Plutarchus in eius vita, qui audiens alios eſſe mundos præter hunc, quem ille iam ſuo imperio ſubiugauerat: illacrymatus exclamauit, *ſe ſummè infelicem eſſe quòd vrgentibus fatis ſuccederet, priuſquàm aduersùs illos mundos arma mouiſſet.* Nonnulli verò affirmabant, proprium id eſſe intellectus humani: quoniam omni carens quantitate, non ſolùm mundum hunc complectitur, ſed alios innumerabiles, quos agitationè mentis fabricare poteſt, ac cœlum momento temporis perluſtrans, pari velocitate terrarum profunda perſcrutetur. Verùm inter hos omnes, vnus tantùm rem acu tetigit; quum ab Oromaceno depictum, maximum eſſe pariter & minimum, quoniam in eo vt refert Cælius Rhodigius, & Pierius Valer, lib. 33. viginti quatuor Deos Oromacenus incluſiſſet: ſcilicet 24 horas diei, ab Homero vocatas filias ſolis, quem tanquàm Deum coluit Gentium antiquitas. Quare dùm ego hodie ſalutaris Dei præſtantiam, & carnis humanæ exiguitatem conſidero, in eandem dubitationem rapior, quid ex his duobus maximum pariter & minimum ſit: Quod dùm carnem humanam oſtendere contendam, fauete Catholici, & arrectis animis auſcultate.

Plutarch.

Cæli. Rhodigius. Pieri. Valer.

Minimùm quid eſſe carnem humanam, optimus ille diuinitatis interpres, organo ſuæ vocis expreſſit dicens: *Omnis caro fænum, & omnis gloria hominis vt flos fæni Iſaiæ* 40. quaſi diceret: ſicut nihil vilius germinum ſpecie, nihil minus & abiectius fæno, quod priuſquam decidit, areſcit, ita etiam nihil vilius carne humanâ, quæ velut flos egreditur, & fugit velut vmbra. Et verè diuinum Prophetæ effatum. *Omnis caro fænum*: viret enim gloria hominis in carne, quaſi fænum; & quæ putatur eſſe ſublimis, exigua quaſi herba eſt; præmatura vt flos, caduca quaſi fænum: germinat vitæ viriditatem in ſpecie, non in fructu, ſoliditatem hilarioris vitæ quaſi flos prætendens, iucunditatem, breuiori ſpatio occaſura, quaſi herba fæni, *quod priuſquàm euellatur, areſcit*: Pſal. 128. Quæ enim fortitudo, quæ ſalubritas poteſt eſſe in carne diuturna? hodiè videas adoleſcentem validum, pubeſcentis ætatis virtute florentem, gratâ, ſpeciè, ſuaui colore conſpicuum: & ecce craſtina die tibi facie & colore mutatus occurrit, & qui pridie tibi lautiſſimus decoræ formæ viſus eſt gratiâ, alio die miſerandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate reſolutus: Pleroſq; enim aut labor frangit,

Iſaiæ 40.

Pſal. 128.

git, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut ebrietas corrumpit, aut ſenectus debilitat, aut deliciæ eneruant, aut deniq; luxuria decolorat. Areſcit profectò vita hominis, & veluti flos decidit. Nam aliùs abauis atauiſq; nobilis, & maiorum honeſtatus infulis, proſapiæ veteris clarus inſignibus, amicitiâ abundans; ſtipatus clientibus, & vtroq; latere ſecum producens maximam ac reducens familiam, repentè aliqua accidentis periculi ſorte turbatus; deſtituitur ab omnibus, ab amicis derelinquitur, impugnatur à proximis.

Ecce quàm verum eſt, quia ſicut *fænum vita hominis, priuſquàm euellatur, areſcit.* Paucine fuêre tales, qui dudum vbertate affluentes copiarum, liberalitatis famâ per ora volitantes ſingulorum, clari honoribus, præeminentes poteſtatibus, tribunalibus celſi, ſolio ſublimes, beati apud populum æſtimati, dùm præconum clamore deducerentur, ſubita rerum conuerſione in eum carcerem rapti ſunt, quò alios ipſi detruſerant, ſicq; inter reos ſuos imminentis pænæ luxerunt ærumnam. O quantos pridie caterua plaudentium, & inuidioſa fauentis populi frequens domum pompa deduxit, & nox vna glorioſæ illum ſplendorem deductionis aboleuit, ac repentinus cordis dolor, effuſis gaudijs luctuoſam grauis ſucceſſionem mæroris admiſcuit. Talis proinde eſt gloria hominis, ſicut flos fæni, quæ etiam cum defertur, nihil operibus adiungit, in qua nullus fructus acquiritur, & cùm amittitur, euaneſcit; omnem ſcænam hominis, & quam deſuper obumbrabat, repentè deſtituens, & quàm intus animabat.

Minimum quid eſt reuera caro humana in omnibus rebus creatis, quia ſi illam ſpectes, in prima ſua animatione, apis magnitudinem non excedit: non enim maius eſſe corpus, quando anima infunditur, Macrobius aſſerit; & Ariſtoteles in hiſtoria de animalibus libro 7. tantum eſſe, quantum formicæ corpuſculum tradit: ſi illam conſideres in hoc mortali curſu, minimum quid eſt, quia ab ipſis animantib⁹ ſuperatur fortitudine, & à brutis vincitur ſenſib⁹: lynx viſu illam præcedit, auditu talpa, canis odoratu, aranea tactu. Præſtat generoſitate Leo, agilitate ceruus, ſerpens prudentiâ, induſtriâ formica: ſi deniq; illam reſpicias in occaſu, minimum eſt, quia funeſta mortis falce præciſa, in minutiſſimas atomos reſoluitur, iuxta illud diuinum edictum, *puluis es & in puluerem reuerteris.* Quod ſapientiſſimè cõſiderans Antiquitas, vt carnis humanæ abiectionem exprimeret, pingebat pomum rubicundum, ſed totum intus vacuum, cum inſcriptione. *Quod videor, non ſum*: ſiquidem pomum illud aſpectu iucundum, nemo ad delectationem guſtare potuit. Equidem optimum carnis humanæ elogium, *Quod videor, non ſum.* Alius enim longanimitate vitæ iſtius delectatur, & concupiſcit, vſque ad depoſitæ ſenectutis tempora, corporis huius robur producere. Nonnulli ſe beatos eſſe putant, ſi inoffensâ commoditate valetudinis potiantur. Sed ecce miſera caro, vno crine debellata, veluti machina quædam vacua cadit, & omne delectamentum proſperitatis humanæ, ſecum in ictu oculi ad tenebras ſepulchrales deportat. In cuius ſignum in illis locis, vbi Sodoma & Gomorrha igne & Sulphure è cœlo cadente deflagrauit, ex cineribus cadauerum illorum, naſci Deus voluit ad hæc vſque tempora, poma quædam aſpectu pulcherrima, quæ ſi manibus attrectentur, in fumum quendam fætidum reſoluuntur. Quo veluti ſpeculum carnis noſtræ ob oculos nobis Deus proponere voluit, quòd ea, quæ nos plerumq; in hominibus appretiamus, ſolis tantummodò extrinſecis coloribus nixi, non ampliùs; quàm fumum vanitatis in ſe contineant. Et tamen pro dolor iam nunc poma tantummodo hæc falſo rubentia ſplendore colliguntur, quando ad dignitates & Reſpublicas, aſſumuntur tales, qui extrinſeco tantùm colore oculos ſpectantium eludunt, cæterùm ſi intus reſpicias, nec ſapientia profunda, nec virtus benè radicata,

Macrobi. Ariſtotel.

æ, nec prudentia in agendo grauis, nec deniq; præclara quæuis talenta ad vtilitatem proficua ibi facilè reperies. Sed conſiderandum eſt, ne iſta fucata poma, fumum aliquando & ruinam excitent. Minimum quid eſt adhuc caro, quia hominem peccatorem tantummodò ſignificat, quò nihil vilius, nihil abiectius eſſe poteſt. Hinc ante peccatum Adæ, nuſquàm hominem carnis nomine in ſacris literis reperio nuncupatum, ſed præſtantiori quodam elogio imaginis, & ſimilitudinis Dei, poſt peccatum verò frequentiſſimè hominem ſacra pagina carnem appellat, quia obſequentior eſt legibus carnis, quàm rationis, iuxta illud Geneſis 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Quaſi diceret, omne mortalium genus laxauit inobedientiæ habenas, atq; in turpiſſimas criminum voluptates effuſum eſt. Propter quod tàm exoſa Deo cæpit eſſe hominum caro, vt cùm propter immenſitatem ſuam, rebus omnibus creatis Deus præſens vbiq; aſſiſtat, ſolam hominis carnem cane peiùs & angue deteſtetur, annuente ſcriptura Geneſis 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*; cuius rationē reddit Theophylactus in caput I. Ioannis, quia ſola anima cognationem quandam habet cum Deo, caro autem nullo modo communicat. Deus enim purus ſpiritus eſt, caro caduca materia: ille vitæ auctor, hæc mortis ſpolium, ille ſempiternus, hæc paruo viuens tempore; ille ab omni dolore alienus, hæc innumeris agitata miſerijs, & nunquàm in eodem ſtatu permanet. Sed ne abiectio carnis nos in deſperationem agat; præſtantiam eius conſideremus, & quàm vidimus ex vna parte minimam, contemplemur, quomodò ex altera pariter maximum dici poteſt. Maximum facta eſt caro noſtra per diuinæ ſibi aſſociationem perſonæ, quando ille, *qui cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*: quod verbum *exinaniuit*. Tertullianus interpretatur, *exhauſit*. hoc eſt; quòd nulla ſuper fuerit guttula diuinitatis in Deo, quæ non defluxerit, atq; ſtillauerit ſuper aſſumptam Chriſti humanitatē, quemadmodùm de corpore Chriſti ſubtiliter concludit gentium Doctor, inquiens; *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis*, quaſi diceret: ſiue reſpectiuam, ſiue abſolutam conſideres in Deo perfectionem: tota hæc demiſit ſe, & inclinauit, dùm fæno noſtræ carnis vnitus eſt, atq; ſeruile ſuſcepit humanitatis indumentum. Hinc ſapientiſſim⁹ cœleſtium arcanorū Conſiliarius D. Ioannes, dùm de incarnatione verbi ſcriberet (vt cenſet Theophylactus ſuper Ioan. cap. 3.) nullā fecit mentionem de humana natura, nec de illius parte præcipua, quæ eſt anima, ſed tantùm de carne, quæ inferior eſt & minoris exiſtimationis: dùm dixit: *Verbum caro factum eſt*, vt nomine carnis declararet infirmitatem, & humilitatem, ad quàm Deus carne veſtitus ſe inclinauerat, vtq; pariter etiam oſtenderet altitudinem, ad quàm homo per tantum Dei beneficium conſcenderat. quod & ipſemet Aug: Epiſtola ad Honoratum 120. fatetur inquiens: *More ſuo ſcripſit, vt Chriſti humilitatem magis oſtenderet. ne carnis noſtræ, quaſi indignum aliquid refugiſſe videretur, carnem pro homine poſuit.* Et Gregorius Nazian. in eandem ſententiam inclinat, dùm ait; *non aliter Dei amor erga nos declarari poterat, quàm ex carnis commemoratione, & quòd noſtra cauſa etiam ad deteriorem partem ſe deiecerit.* Cuius deſcenſus in Deo, & aſcenſus in homine figuram præceſſiſſe video, dùm à monte Deo deſcendente, Moyſes aſcendit: Et dùm Rex Aſſuerus è Throno dextram porrexit, protinùs Eſther Regina, quæ præ timore in terram corruerat, ſubleuata eſt. Hæc enim duo exempla, ex mente D. Auguſtini tom. I. cap. 16. æterni filij deſcenſum nobis præclarè repræſentant, cauſam enim tantæ humilitatis in Deo quærens Chryſoſthomus Hom. 2. de Incarnationis myſterio: hanc aſſignat, vt nos à minima ſorte & vili abiectione, ad maximam, & honoris & dignitatis prærogatiuam erigeret. *Non fruſtra* inquit *Chriſtus ad tantam humilitatem deſcendit, ſed vt nos ex humili ſubleuaret.* Quemadmodùm enim Rex, aut Princeps aliquis affinitatem contrahens cum familia parua, illam extollit, & nobilitat: ſic Dei filius factus noſtræ carnis particeps, ac verè conſanguineus, illam exornauit & extulit ad tantum dignitatis verticem, vt homo diceretur Deus. Vnde Ioannes Damaſcenus aſſerit, ſic humanam naturam in altum euectam eſſe, vt quò aſcenderet altiùs, non haberet. Meritò quoque Richardus de S. Victore lib. I. de Emmanuel p. I. cap. 19. oſtendit, quòd quemadmodùm olim diuinæ perſonæ de homine dixerint per ironiam. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis*, nunc poſſe hominem Deo dicere aſſeueranter, & verè, *ecce Deus factus eſt quaſi vnus ex nobis. Meritò* (inquit ille) *ò ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ exprobraſtis: ſed nunquid adhuc exprobrabitis: certè ſi dixiſtis ironicè, quia homo factus erat quaſi vnus ex vobis, nos de cætero dicimus tam fidenter; quàm veraciter, quia Deus factus eſt, quaſi vnus ex nobis.* Vnde meritò incontrouerſiam apud Doctores venit. maiuſne miraculum fuerit in opere Incarnationis deſcendiſſe Deum, *vt homo fieret*? an hominem aſcendiſſe ex depreſſa ignobilitate ad maieſtatis diuinæ celſitudinem, *vt fieret Deus*, vbi rem ſubtiliùs excutiendo, reſpondent aliqui maiorem fuiſſe hominis ſublimitatem, quàm Dei humilitatem & abiectionem: idque præclarè probant: quia humana natura nulli rei excellentiori vniri poterat, quàm perſonæ diuinæ; Dei autem filius potuit aſſumere aliquid humilius, & conſequenter deſcendere ad alium gradum noſtrâ carne inferiorem: accipiens videlicet naturam minus perfectam, vt plantam, aut margaritam, aut quidpiam aliud animâ carens. Non igitur Deum æquè depreſſum, atq; hominem eleuatum eſſe hac ratione euincere conantur: Verùm magis aſſentior ſententiæ Auguſtini: qui lib. de prædeſtinatione 55. cap. 19. ſic loquitur: *Prædeſtinatio eſt naturæ humanæ tanta, & tàm excelſa & ſumma euectio, vt quò attolleretur altiùs non haberet, ſicut ipſa diuinitas quo ſe deponeret humilius, non habuit.* Proinde quantum homo aſcendit, tantum ſeipſum Deus deiecit, cuius veritatis ratio eſt perſpicua, quoniam inter omnes gradus eſſendi infimum locum tenent res inanimatæ, ad quē etiam Dei filius ſe inclinauit, quandoquidem diuinum verbum vnitum erat carni Chriſti in ſepulchro iacentis, quæ eo tempore ſenſuali vitâ carebat: ſi ergo tunc inanimatum Chriſti corpus, à diuinitate dimiſſum non erat, quia quòd Deus ſemel aſſumpſit, non ampliùs dimiſit; meritò concludit Auguſtinus diuinitatem non ſe humiliùs deprimere potuiſſe, quàm in humanæ carnis aſſumptione, quoniam præ cæteris, quibus Deus ſuam potuit decenter vnire perſonam, infima eſt caro. Sed quid obſecro hæc duo ſummè diſtantia, maximum & minimum, in carne humana coadunare potuit? quid efficere potuit, vt ſplendor diuinitatis in carnis noſtræ tenebras, dignitas inacceſſa in contumeliam, in appretiatus honor in dedecus abiectum ſeſe demiſerit; quando illud ab agricolis celebre crebrò iactatur prouerbium, *ſemen cum ſemine & os cum oſſe*: id eſt; ſimile cum ſimili facilè coaleſcit, diſſimilia verò nunquam conueniunt, nec permutantur, vt ſi malum velis inſerere, oportet id fiat in malo ſydonio, non in Ceraſo, quia huic vt potè diſſymbolo non adhæreſceret, quid igitur tàm potens extitit in rerum natura, vt ſummam illam verbi æterni perfectionem, & omnium nobiliſſimam atque excellentiſſimam Dei perſonam, humili & abiectiſſimæ carni noſtræ inſereret, & hypoſtaticè vniret, quæ nullo prorsùs modo cum illa conueniebat? non merita iuſtorum: quia nemo horum tàm reſolutus erat, qui poſtulare auderet Deum fieri hominem. Non ieiunia, & mortificatio pœnitentium, quia & pro his cùm nondùm ſatisfactum eſſet Deo Patri, licet à diuina miſericordia non repellebantur; aditus

Geneſ. 6.
Geneſ. 6.
Theophyl.
Tertull.
Ioann. 1.
S. Auguſt.
Gregorius Nazian.
S. Auguſt.
S. Chryſt.
Damaſcē.
Richard.
S. Auguſt.

tus tamen illis ad obtinendum tantum beneficium haud patebat, non denique innocentia Virginum aut sanctitas Prophetarum, quia nec virginitas illæsa in tantùm allicere potuit Dei filium, vt creatura fieret, cùm illi maior esset honor, & præstantiores deliciæ in sinu Patris quiescere; quàm in Virginis vtero constringi: nec prophetarum sanctitas apud Deum tanti valuit, vt illum permoueret ad mortalem nostram carnem assumendam, cùm laudabilius videretur Deum in seipso permanere; quàm humanatum opprobria, vulnera & cruentam mortem pati. Sed ecce causam diuinæ vnionis cum homine, licet obscurè insinuat nobis Apostolus

Iacobi 1.

Iacobi 1. *suscipite* inquit *insitum verbum, quod potest saluare animas vestras*, quasi subtiliter Apostolus argumentaretur, quemadmodùm illud quod suscipimus, nostrum non est, sed alienum: ita verbum æternum, quod nostræ carni insitum accepimus, non nostrorum erat meritorum, sed gratuitò nobis oblatum, quod immensæ illius bonitatis dilectio inseruit Mariæ visceribus, & in terris plantatum crescere fecit. O immensa cæli charitas! ô dilectio omni cogitatione maior! parum ne erat, vt homini condonares offensam, & mortis reum, libertate salutis donares? parum certè: nisi & Deum in terras detraheres, vt humanam ignobilitatem sua auita prosapia cohonestares, & à minimo abiectionis gradu, ad maximum dignitatis honorem efferres. Non hic iactet antiquitas inclytum illum Thebanum Alcibiadem, qui vt refert, Sathenus historicus, clypeum in prælijs gestabat aureum pariter & eburneum, cuius medium locum occupabat amor, fulmen manu tenens in duas partes diuisum, quòd ille vi sua ruperat, & infregerat.

Sathenus.

Non extollat vim illius amoris, qui (vt refert Alciatus Emblem 17.) dùm Iupiter Deorum gentiliũ summus, ab alta sui throni sede fulminaret, vibrato tamen fulmini amor obuius occurrens, impetum cadentis retardabat, & flammas extinguebat: propter quam insignem victoriam, amorem Dei filium Poëta cecinit, Virgilius libr. 1. Aeneidorum. *Nate Patris summi qui tela Typhoëa temnis.* Nam quid hoc est ad amorem illum, quò Dei filius genus humanum dilexit, cuius tanta potentia extitit, vt omnia iræ diuinæ fulmina reprimeret, iustitiam permutaret in misericordiam; vindictam, in condonationem, coërceret magnitudinem, & maiestatem deprimeret, hominemque ad illius ascensum eleuaret. denique ita superauit omnes difficultates, vt nullo impedimenti genere, nulla fulminis, quamtumuis potentis, violentia atque impetu, cohiberi posset, quin ad effectum perduceret, quòd sibi ab æterno, ad humani generis salutem faciendam, Deus proposuerat. Quodsi Antiquitas amori symbolum illud tribuebat, *vbique ferit, sed nullibi lædit.* Certè amori diuino, qui maximam dignitatem cum infima hominis abiectione copulauit, meliùs hoc ipsum inscribi potest, *vbique ferit, sed nullibi lædit.* Feriebat enim, hæc amoris indomiti potentia Dei maiestatem, sed licet illam ad vile hominis consortium traxit, illæsam tamen seruauit & immutabilem, quando patiente Christi humanitate, eius diuinitas omninò impassibilis permansit. Feriebat naturam humanam à putrida terræ materia, ad immarcescibilem incorruptibilitatem euehens, sed nec hic quidquam læsit, imò plurimum reparauit, quandò crudeli morte peremptam Christi humanitatem, è sepulchrali sarcophago pulchriùs splendentem immortalitatis veste, erexit ad gloriam, vt spem omnibus futuræ resurrectionis præberet, ne mortem temporaneam quidquam formidarent. Feriebat vis ista diuini amoris durissima peccantium corda, sed & hic nihil læsit, imò gratiæ antidoto omnia delicti vulnera, veluti oleo balsami perfusa, sine vlla remanente cicatricum notâ sanauit. Feriebat denique potentia cœlestis huius amoris, incredulos hominum animos, verùm sine vulnere, quia illæsum seruans liberi arbitrij placitum, voluntatem re-

Alciatus.

bellem non violenta tractione, sed interna veritatis ostensione; non vi compulsiua, sed dulcedine obiecti inspirati in obsequium fidei flexit. Quia amor cœlestis vbique ferit, sed nullibi lædit. Refert Cornelius Tacit: in libro de moribus Germanorum, eam gentem longo annorum spatio, nullam imaginem, aram, vel templum parasse Deo, quòd ab eo iniuriam Numini fieri dicerent, qui putaret parietibus diuinitatem posse claudi, summeque angustam Deorum maiestatem existere, si ad angusti domicilij spatium compelleretur. Sed ecce hanc germanis visam difficultatem diuinus amor superauit, in nostræ carnis assumptione, adeò: vt licet Dei immensitas tanta sit, vt cælum & terram impleat; propter nimiam tamen charitatem, quâ dilexit nos, quasi suæ immemor dignitatis, infinitam suam contraxerit amplitudinem, intrans exigui corporis humani angustias, vbi minimum pariter & maximum copulauit, Deitatem scilicet & carnem, dicente Euangelista; *Verbum caro factum est.* Sed quid causæ, cur potiùs non dicit D. Ioannes, verbum hominem factum, sed carnem: rationem elegantem reddit Iansenius in cap. 1. Ioannis, *vt* inquit *ostenderet verbum naturam solùm assumpsisse sibique copulasse humanam, non verò eiusdem suppositum.* In cuius rei figuram illud ex Sacra Scriptura nouimus, quòd cùm sancta mulier Ruth adeo egena, vt spicas mendicans legeret de manu messorum in agris decidentes, matrimonio iungenda esset, cùm Booz viro ditissimo & opulentissimo, opus fuit, vt qui consanguinitate proximior, de iure legitimus vir futurus esset illius, seipsum excluderet suoque cederet iuri, & sic diues Booz in eius succederet locum, ex quo matrimonio religiosa mulier Ruth diues euasit, abundans copijs, vniuersæque domina facta viri sui substantiæ, & ex ea Reges Israël alijque præcellentes generosique viri sumpsêre originem. Mirificè hæc historia, illustrat humanitatis cum diuinitate copulationem: cùm etenim Augustum illud verbum Dei, matrimonium inire vellet cum terrena ac maximè egenti natura humana, necessum fuit, vt suppositum seu persona humana, cui velut consanguinitate propinquiori, illa vt legitimo debebatur viro, iuri suo cederet, sicque in eius ingrederetur locum hypostasis diuina, naturam sustinens, ac in seipsa suppositans humanam, ex qua vnione, tanto euasit splendore refulgens, totque abundans copijs humana conditio, vt vniuersalis fieret homo, cæli & terræ dominator, iuxta ipsiusmet Christi effatum, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Cornelius Tacit.

Ioann. 1.

Iansenius.

Hoc itaque salutare videbit omnis caro, Deum scilicet in humanitate venientem; caro inquam quæ curruperat viam suam. Nam vt præclarè docet sanctus Thomas, Deum ideò carnem assumpsisse, vt contagium illud & detrimentum, quod ex carne in hominem irruperat, Christi carne repararetur: ex hoc enim mysterio faciliùs & magnitudo vulneris, & remedij vis efficax conspicitur. Hoc salutare, scilicet Christum IESVM expectabant ardentissimis votis Prophetæ. Genesеos 49. *Ego salutare tuum expectabo Domine*, quasi dicerent: non prius cor nostrum lætitiâ perfundetur, & animi pleno gaudio gestient; quàm salus nostra & redemptio venerit, quàm videbit omnis caro fidei lumine illustrata, dolore pœnitentiæ compuncta, vt dicit propheta Isaiæ 52. *Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei.* Et profectò infelix, quisquis ad aduentum Christi excæcabitur, quia salutis, quæ eius sanguine parta est, particeps non fiet. si enim D. Gregorius exprobrat Iudæis summam infelicitatem, quòd illi soli nescierint, quem totus orbis agnouit. *O infelix* inquit *Iudæa, Fines terræ viderunt salutare Dei, omnis terra commota iubilat, gaudet vniuersus orbis, flumina plaudunt manibus, montes exultant, sola impia Iudæorum corda non credunt, & in cæcitatis suæ tenebris liuoris pænâ feriuntur.* Quis vobis non exprobrabit ô impij peccatores, qui etiam nunc dùm

S. Thom.

Gen. 49.

Isaiæ 52.

S. Gregor.

dùm iam ſalus ad vos appropinquat, cæno voluptatum immerſi, ceu talpæ puluere fæditatis oculos obtegentes, in veſtris iniquitatibus reſolutè obdormitis; ſed euigilate tandem, & ne ab ipſis iumentis conuincamini, quæ ſuum Saluatorem in terras venientem agnouêre: ibi enim bos & aſinus genua flectebant, ibi nuntia deitatis ſtella de longinquo ducebat reges ad præſepe, idcircò & vos exuite omnem peccati maculam, quia in maleuolam animam, cæleſte gaudium non illabitur.

Ecce igitur habetis, quid ſit maximum pariter & minimum. Minimum eſt veſtra caro in ſtatu peccati ſpectata, Maximum eſt eadem caro in ſtatu gratiæ ſpectata. igitur ne minimi in veſtra abiectione reperiamini, copulate hæc duo extrema maximum & minimum, iungite humilitatem pietati, virtutem ſanctimoniæ, abſtinentiam caſtitati, animas Deo; & quoniam veſtrum ſalutare appropinquat, abſtergite oculos mentis, & propiùs intuimini carnem Chriſti, per quàm C ſalui facti eſtis, de veſtra carne ſumptam eſſe, & veram in Chriſto exultationem decantando, petite, vt qui carnem de vtero virginis ſumptam ſibi perſonaliter copulauit, & nos omnes per gratiam ſibi vniat in æternùm, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Prædicans baptiſmum Pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum. *Lucæ 3.*

Tres veræ pœnitentiæ virtutes totidemq; fructus eiuſdem producuntur.

DOcent Naturaliſtæ in ordinaria rerum generatione, præcedere D præuias quaſdam diſpoſitiones, eaſq; vltimas, quæ nouam in ſubiectum formam introducunt. Sicut antequàm ex ligno naſcatur ignis, priùs ſiccitas, & calefactio præire debent, quæ flammam introducunt, vt lignum arripiat

A illudque in ſubſtantiam ignis conuertat. Natiuitas noſtri Redemptoris propè eſt iam Aud. Naſci immenſus in carne humana Deus non vult, niſi in cordibus noſtris. Sed an præcedant neceſſariæ diſpoſitiones in nobis, quæ deſideratum noſtræ Redemptionis Auctorem, in diuerſorium expectantis animæ introducant, nondùm apparet. Agnoſcit hoc Aduentantis, iam propè Chriſti præco, Beatus Ioannes, ideoq; ſupra vniuerſum orbem intonat, baptiſmum Pœnitentiæ, vt B per iſtas diſpoſitiones naſcituro Deo, dignum in cordibus noſtris thalamũ præparemus, in quo & naſci, & nos ſuæ deitatis gratia informare non dedignetur. Diſpoſiti quidem iam ſumus per baptiſmum, quia per lauacrum veræ fidei primam accipientes gratiam Deo geniti ſumus. Sed eheu! iterùm in mundanæ impuritatis gurgite ſuffocamur, vbi non alia ſalutis anchora nobis reſtat, niſi ſincera pœnitentia, hæc ſola ſecunda poſt naufragium tabula eſt, hæc nos C à periculoſiſſimis mundi fluctibus vnica liberare poteſt, & amiſſam primam gratiam iterùm feliciter reſtituere. Egregiam ſanè iſtius pœnitentiæ imaginem, Hiſtoria Reginæ Eſther nobis ante oculos proponit. Eſther 14. quæ audiens decretum mortis contra Iudæos à Rege latum. *Depoſuit* inquit *ſcriptura veſtes Regias fletibuſq; & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs, cinere impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs, &* Eſther 14. *omnia loca in quibus antea lætari conſue-* D *uerat, crinium laceratione impleuit.* Et quid tàm ſeuera profuit pœnitentia, multum ſanè. Nam Rex poſtea ad eius deſcendens conuiuium, annihilauit mortis decretum, & damnatam Iudæis libertatem iterum reſtituit. Hæc pœnitentis Reginæ Eſther veſtigia ſecutus eſt Dauid, locum ſtrati ſui vbi adulterium comiſerat, præ nimio dolore copioſo lacrymarum imbre perfudit, inquiens Pſal. 6. *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo,* quæ verba Pſal. 6. D. Hieronymus ſupra Pſalmum 6. ex Hebræo ita vertit: *Natare faciam lectum* S. Hieron.

ctum præ abundantia lacrymarum. Et A ecce illa pœnitentia peccatum ab illo tranſtulit, dicente Nathan. *Peccatum quoq; tuum tranſtulit à te Deus.* Hanc & nos pœnitentiam ſequi debemus, vt digni reperiamur, quorum peccata Deus transferat, & naſci in animis noſtris velit, virtutes igitur huius pœnitentiæ, & fructum quem nobis confert, iam conſiderabimus.

PRIMA VERÆ Pœnitentiæ virtus eſt contritio, quæ mentem noſtram à peccatis auertens, eandem ad Iuſtificationem diſponit; ad hanc ſublimem pœnitentiæ virtutem inuitat Ioël 2. nos Ioël Propheta capite 2. clamans: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra,* quaſi dicere vellet, apud Iudæos tantùm hoc in more poſitum erat, vt ad deteſtandum graue aliquod ſcelus, veſtes ſcinderent, & dilacerarent, ſed vobis Chriſtiani hæc extrinſeca cerimonia non ſufficit; ſcelus enim graue eſt, lethalis Dei offenſa, deteſtari illud & abolere non poteſtis, niſi per internum animi dolorem, ad quem vos nihil certè magis inclinare poteſt, quàm ipſa Dei bonitas & amabilitas. Quid enim quæſo aliud pendentem in cruce dextrum latronem, ad dolorem hunc internũ, & odium peccatorum permouit? certè latentis in affixa cruci carne Dei bonitas; quid Magdalenam à fædis mundi voluptatibus ad lachrymas im- Lucæ 7. pulit. niſi diuinus amor? Lucæ 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Agnouit hoc lumen Eccle- S. Auguſt. ſiæ Diuus Auguſtinus, qui libro de vera & falſa pœnitentia cap. 9. & 17. docet: *Sine amore* inquit *nemo vnquàm gratiam inuenit, aut veniam aſſecutus eſt,* & Sermone 7. de tempore, hoc ipſum confirmat inquiens: *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* Fatetur hoc ipſum An- S. Thom. gelicus Doctor 3. parte q. 85. Articulo 6. ad 3. *Pœnitentia* inquit *aperit aditum virtutibus, expellendo peccatum per virtutem fidei & charitatis.* Et profectò cum peccatum ſit malum ſuper omnia mala, non alio illud expelli actu congruebat, quàm ſpecificato à

A bono ſuper omnia bona, nimirùm à motiuo diuinæ charitatis, quæ & amiſſam in homine gratiam reſtaurat, & veram inter Deum & hominem amicitiam renouat. Hanc principalem pœnitentiæ virtutem, toti mundo Deus commendat, *dùm in nos refractarios & exoſos peccatores, vt* inquit Origenes *Origenes Homilia 11. non crudelitatem exerit, ſed ſacramenta proponit, vt illis in remedium noſtræ cladis vtamur.* Refert ſcriptura Ioſue 10. quòd cùm multa ſtrage in Reges impios & barbaros B debacchatus eſſet Ioſue, ecce eoſdem Ioſue 10. captos proſterni iuſſit, vt à Principibus ſui exercitus calcarentur. *Ponite* inquit *pedes ſuper colla regum iſtorum.* Reges iſti peccata ſunt grauia, quibus contra Deum ipſum inſoleſcimus, ſed vt primùm præueniente & illuminante eius gratiâ, feliciter in pœnitentiæ neceſſitatem captiuamur, rebelles iſtos Reges, Deus calcandos nobis proſternit, vt per veram contritionẽ, odium in vniuerſa exerendo peccata, propoſitum melioris vitæ nouo fir- C memus voto, quemadmodùm fecit Dauid, qui caput Goliato auferens dixit. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia Iuſtitiæ tuæ.*

ALTERA PÆNITENTIÆ virtus, per quàm ad recipiendum in cordibus noſtris Deum diſponimur, eſt confeſſio, quæ occluſa hominis labia ad deprecandum Deum aperit. Peccatum enim tàm malignantis naturæ eſt, vt non tantùm cor hominis obduret, intellectum excæcare, ac obſtinare voluntatem valeat; ſed etiam labia D hominis veluti ingenti ſaxo, culpæ ſcilicet grauitate occludit, vt & in mente nihil pium, & in corde nihil ſanctum, & in ore nihil diuinum reperiatur, nec poteſt aliter tanta calamitas, quàm per confeſſionem ab homine tolli. Pulcherrima iſtius rei figura habetur Machabæorum 5. à v. 46. Vbi Magnanimus ille Dux Iudas Machabæus, venerat ad ciuitatem Ephron munitam valdè, atque in media conſtitutam via, nec vllatenùs declinabilem: & ecce videntes eum Ephronitæ, occluſerunt ſe in illa ciuitate.

nitate, & portas obstruxerunt lapidibus, nolentes transitum Iudæ concedere, etiamsi illis promitteret omnẽ indemnitatem. (1. Mach. 5.) *Nemo* inquit *vobis nocebit, tantùm pedibus transibimus*, quo viso iratus Iudas applicuit viros fortissimos, ciuitatemq; illam expugnauit, & peremit omnem masculum, & eradicauit illam. Quid vrbs hæc Ephron, nisi conscientiam nostram, peccatis veluti lapidibus quibusdam obuolutam, nobis præ oculis ponit? ad quàm festinat toties suum aduentum Deus, sed infelix hæc munitio transitum illi negat; quid ergo faciendum aliud restat, ne Deus à nobis declinet, contritione & confessione velut fortissimis quibusdam militibus, hoc vitiorum propugnaculum expugnandum est, interimendus omnisꝰ masculus, id est; omnis actus libidinis & immunditiæ; eradicanda est mens, vt eiecta omni impuritate & Deo liber pateat aditus, & omnibus meritis ac virtutibꝰ anteactæ vitæ iterùm post confessionem reuiuiscendis locus concedatur, & si quem nostrum pudor confusionis à confessione retardat, si timor Pœnitentiæ deterret, si amor delectationis in peccato auocat, vel ipsa nos (S. Cyrill.) S. Cyrilli Hierosolymitani cathe 2. ad tantam virtutem sententia alliciat: *Graue* inquit *illud malum peccatum est, sed non incurabile: graue retinenti; sed leue per pœnitentiam abijcienti.* Et si nondùm his permouemur verbis, mellifluum iam (Gregorius Nazian.) Gregorium Nazianz. Oratione in S. Baptisma, negligentiam confessionis accusantem audiamus: *Ne* inquit *peccatum tuum confiteri graueris, vt per huius vitæ pudorem futuri sæculi ignominiam fugias, ac perspicuum facias te seriò, atq; ex animo peccatum odisse, dùm illud tanquàm contumeliâ dignum traducis*, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis.

TERTIA PŒNITENTIæ Virtus est satisfactio; hæc enim cùm remittat pœnam ex opere operato, ingressum cæli verè pœnitentibus patefacit, & eum diuina iustitia à nostris iniquitatibus læsa, nos coæquat; sic enim il- (S. Ansel.) lam S. Anselmus describit: *Satisfactio* inquit *est recompensatio offensæ commissæ, ad æqualitatem iustitiæ.* Proindè si desideramꝰ vt Saluator noster, in cor nostrum propè iam aduentans descendat, si cupimus vt nascatur in animabꝰ nostris, pro singulis nostris malefactis, quibus contra Deum deliquimus, satisfacere conari debemus. In veteri lege, legibus cautum erat, vt qui à lepra mundatus esset, antequàm hominum communioni restitueretur, priùs expiaretur à Sacerdotibus, oblato sacrificio duorum passerum, quorum vnus in aërem liber auolaret, per mittebatur, alter verò imolari debebat. Quid hæc nobis consuetudo, nisi debitam satisfactionem pro peccatis suadet? Recipere volumus Christũ aduenientem ad internum mentis nostræ hospitium, sed priùs nos à lepra peccatorum mundari oportet, nam quomodò Diuina puritas ad impurum cor descenderet nec dùm tamen satis est, sed vt Diuinæ vnioni & societati restituamur, per oblationem nos expiari oportet: & quæ est ista oblatio? non alia certè nisi vt nosꝰ ipsos plenè Deo offeramus, quemadmodùm inquit Eusebius Emissenusꝰ (S. Euseb. Emissen.) in capite 8. Matthæi: *Hic est rectus pœnitentiæ ordo vt quicunq; mundandus veniat, priùs seipsum totum offerat, carnem quâ peccauerat in seruitutem redigat, & affligat, animam verò iam libertate donatam, ad cœlestia contemplanda volare dimittat*; iustum enim est, vt qui diuinam Iustitiam inæqualitate violauit, æqualitate restauret, & pœnas etiam Deo non iubente à seipso exigat, quemadmodùm Dauid, qui etiam post dimissum sibi adulterij peccatum, sæpiùs lachrymis lectum suum rigabat, & corpus varijs affligebat modis quòd considerans S. Gregorius Homilia 34. in Euang. causam istius feriæ satisfactionis assignat: (S. Grego.) *Quia* inquit *seillicita perpetrasse meminerat, ideò contra semetipsum tàm rigidus extitit, vt etiam à licitis abstineret.* Sed si nondùm tres istæ virtutes, contritio, confessio, & satisfactio, nos ad sinceram de nostris delictis pœnitentiam

tiam inclinârunt, per quàm nos ad Christi aduentum disponamus, ipsi saltim vberrimi fructus, quos pœnitentia in nobis gignit, ad illam amplectendam nos alliciant, in quibus enarrandis paulisper mihi liceat immorari.

PRIMVS ITAQ; VERæ Pœnitentiæ fructus est, quia animas nostras renouat, (Ephes. 4.) iuxta doctrinam Pauli ad Ephesios 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Refert (S. Ambr.) D. Ambrosius libro de fide resurrectionis cap. 4. Phœnicem congregatis quibusdam lignis aromaticis, inter illa emori, & ex humore eiusꝰ vermem fieri, qui paulatim deinde in eandem Phænicis figuram exerescit, & sic singulis quingentis annis renascitur & renouatur Phœnix. Aquilam (Psal. 102.) etiam renouari affirmat scriptura Psalmo 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, quam dupliciter renouari DD. affirmant Inprimis (S. Hieron.) S. Hieronymusꝰ docet eius renouationem fieri per mutationem pennarum; deducit hoc ex scriptura (Isaiæ 40.) Isaiæ 40. *Assument pennas vt aquilæ*, vel vt 70. vertunt, *Pennas producent vt Aquilæ.* Iam verò (S. August.) D. Augustinus in Psal. 102 renouationem Aquilæ in hunc modum fieri docet, quòd præ nimia vetustate rostro eius adeò excrescente, vt ad necessarium cibum sumendum impedimento ei sit, ipsa illud allidens ad petram forti illo contactu frangit, sicque ad pristinam iuuentutem redit. D. quo- (S. Gregor.) que Grogorius lib. 31. Moral. cap. 6. & 15. & 32. Accipitrem etiam per mutationem pennarum renouari docet, qui in sua senectute, vertit se ad australem plagam expandens alasꝰ, vbi calido vento incalescit, porique eius aperiuntur, & sic dùm veteres pennæ decidunt, & nouæ succrescunt, accipiter renouatur. Ad quod allusit (Iob 33.) Iob cap. 30. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum.* Ceruum insuper renouari testatur D. Hieronymus super Isaiæ caput 34. & 35. qui cùm aduertit serpentem in antrum suum introiuisse, tremendis fremitibus eum foris egredi compellit, confestimq; super ipsum ascendens, adeò rabidis morsibus illum impellit, vt præ nimio conatu, quem in eundem exhibet, nociuum sudorem expellat, sicq; renouatur & iuuenescit. Colubrum deniq; renouari asserit Origenes super (Origenes.) Exod. Homil. 14. is enim vt antiquam pellem faciliùs exuat, priùs se in fonte abluit, postea verò per angusta petrarum foramina ingrediens expoliationem facilè obtinet. Sed quid ero tàm portentosis animalium renouationibus nos edocere voluit natura? non aliud profectò, nisi vt nos quoq; ad Christi aduentum de veteri fæditate renouemur. Renouatur Phœnix, quingentis sæpe annis; Phœnicem certè Deus voluit esse hominem, vt saltim pœnitentiam de peccatis commissis agens, per profundam fæditatis illorum considerationem, sibi vilescat, & tanquàm humilis vermis è contrito per vehementem de offensa admissa dolorem; corde fieri velit, quò faciliùs ex hac sua paruitate, in pristinam redeat elegantiam & venustatem. Renouatur Aquila, rostrum ad petram elidens: Aquilam te miser peccator præbere debes, vt quem iam peccatorum turpitudo ad ima orci depressit, in altum euoles, ad petram scilicet solidissimam Christum Dominum, cui hoc nomen attribuit Apostolus 1. Co- (1. Cor. 10.) rynth. 10. *Petra autem erat Christus.* Etsi tibi nasus excrescens, tumor scilicet ambitionis, aut libidinis voluptas impedimento est, ad sumendum cibum necessarium panem Eucharisticum, quo anima tua nutritur, ad hanc firmam petram, malæ consuetudinis tuæ rostrum elide, & frange, & accipitris instar ad hanc australem auram solis iustitiæ respice, vt salutaribus eius radijs incalescentes pori, non corporis tantùm, sed animi, intellectus scilicet & voluntatis, ex quibus prauorum habituum atque affectionum pennæ decidant, & nouæ puriores succedant. Intuere hunc serpentem in tui salutem eleuatum; & tanquàm furibundus super tui ipsius malitiam ceruus, tot con-

O

tritionis

tritionis fremitus emitte, vt præ magno dolore omnem iniquitatis sudorem euaporare facias, sicq; spiritualiter à pendente in cruce serpente renoueris. Accede feliciter ad petram salutis Christum, & veluti senescens in mundi vitijs coluber, per arcta pœnitentiæ foramina, mentis dolore, oris confessionem, & operis satisfactionem ingrediens, vetustam vitæ anteactæ peccaminosæ pellem expolia, & nouam renascentis in tua anima Christi Diuinæq; gratiæ stolam induere. Ad quod Apostolus nos incitat ad coloss: 3. *Exuentes veterem hominem, induite eum, qui secundùm Deum creatus est.*

Secvndvs Pœnitentiæ Fructus est, Plurimum humanæ saluti conducens, quia diuinam iracundiam placat, & ignem diuini furoris extinguit. Et licet seuerâ Dei iustitia, omnimodam de iniquo peccatore vltionem sumere velit, conceditur nihilominùs ab hac implacabili Dei iustitia, ad ineffabilem eius misericordiam per pœnitentiam appellatio, cuius rei euidens nobis documentum proponit scriptura 3. Regum 18. occiderat iniuste Rex Achab Naboth, cui adeò infensus tunc erat Deus, vt mitteret ad
3. Reg. 18. illum Eliam, dicens: *Surge & descende in occursum Achab, & loqueris ad eum: Hæc dicit Dominus, in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, Lambent quoq; sanguinem tuum. Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* Graue profectò erat Regi Achab, tàm implacabilem Dei erga se iracundiam audire, ad sedandum nihilominùs hunc Dei furorem, Rex Achab pœnitentiæ remedium assumpsit. *Cum audisset* inquit *scriptura sermones istos, scidit vestimenta sua & cooperuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite,* & ecce vt primùm hæc veræ pœnitentiæ indicia refulserunt in oculis Dei, factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me, quia igitur humiliatus est mei causa, non induceam malum in diebus eius.* Similiter 4. Reg. 20. iratus Dominus Eze- 4.Reg.20.
chiæ misit ad eum Isaiam, qui tanquam verus Dei nuntius ei referret, *morieris enim & non viues*, ad quæ ille verba expauescens, & vultum ad parietem conuertens, (in quo iuxta traditionem Hebræorum fenestra erat, qua templum respiciebat) cæpit Deum deprecari, vt malum illud ab eo auerteret, dicit enim sacer textus: *Antequàm egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens, reuertere & dic Ezechiæ Duci populi mei! Hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini & addam diebus tuis quindecim annos.* Alia verò translatio habet, *vidi lacrymam tuam*, quod sanè admiratione dignum: fleuerat Ezechias vberrimè teste scriptura, fleuit eiulatu magno, & tamen vnius duntaxat lacrymæ vim respexit Deus, per quod mirabilem esse pœnitentiæ virtutem significare voluit populo scriptura, adeò vt vnius etiam pœnitentis lacrymula, excandescentem Dei iracundiam mitigare valeat. Quod si ita est, erigite mentem vestram Aud. & magnam erga Dei misericordiam sumite fiduciam peccatores: & licet aliquando enormissimis peccatis animus sit implicatus, de diuina misericordia ne desperate. Nam etiamsi furor Diuinus gladium suum in vos vibrat, licet grauissimis premit calamitatibus; nulla tamen eius comminatio definitiua est, sed conditionalis tantùm, quæ posita pœnitentiâ vestrâ, & detestatione peccati, mutari necessariò in clementiam
debet testatur id D. Nazian. Oratio- S.Gregor. Nazian.
ne 6. *Neq; enim purus Deus tanto in pretio quidquam habet; quàm puritatem aut purgationem. Tanti autem illam fecit, vt ad expurgandas omnes criminum sordes, suauissimo amoris igne incensum balneum ex suo sanguine præparauerit.* Consolamini iam qui cum magno desiderio Christum expectatis. *Erit enim foris patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatorum.* Zacha-

Zach. 13. Zachariæ 13. Ecce iam Saluator propè adest, hic solus nos ab omnibus malis, & maculis emundare poterit, si ad eius aduentū nos per pœnitentiā præparauerimus. benè hoc prædixit Pro-
Malach. 3. pheta Malachiæ 3. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, purgabit filios leui,* quasi dicere vellet; ipse Saluator in hunc mundum adueniens nostra frigida pectora calefaciet, ipsecordium duritiem liquefaciet, peccatorum rubiginem excutiet, infidelitatis cæcitate detentos illuminabit, originali labe dedecoratos & seruitute dæmonis oppressos liberabit: infirmos corroborabit, desiderio languentes & accediæ torpore, facibus amoris sui inflammabit.

Tertivs Pœnitentiæ Effectvs Est, quia hominem in hac vita quoad fieri potest, beatificat: & in futura ab atrocissimis purgatorij pœnis eripit.
Psal. 31. testatur id apertè Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* & Psal. 118.
Psal. 118. *Beati Immaculati in via.* Nec tantummodo beatificat, sed etiam eripit à pœnis purgatorij. Nam Deus duplex purgatorium habet, vnum in hac vita. Alterum post mortem. Purgatorium in hac vita Pænitentia est: vt docet Chrysosthomus Homilia 3. De pœ-
Psal. 6. nitentia Dauid Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*, sed nonne satis erat ô magne Psaltes, lacrymis meis stratum meum rigabo? cur etiam addis, *lauabo* &c. D. Chrysosthomus, *Vt* inquit *ostendat lauacrum & purgatorium peccati lacrymas esse pænitentiæ.* Cùm verò ignis ille futuri post mortem purgatorij sit planè intolerabilis, quis potiùs non optabit per pœnitentiam in hac temporali vita, purgatorium absoluere, quàm igne illo acerbissimo cremari? Quod magnus Pater Guarricus Sermone 4. de purificatione suadet, inquiens: *Satiùs est fratres & suauiùs fonte purgari, si tamen purgari meruerint.* Deplorat Propheta miserum eorum statum, qui pœnitentiâ in hac vita purgari nolunt, in hæc verba prorumpens: *Væ vobis si dies implentur & purgatio minimè impletur, & postea necesse sit impleri, & illo nos igne purgari, quo nihil pænalius, nihil acrius, nihil vehementius in hac vita potest excogitari.* Sed pro dolor! eò iam processit humana inuerecundia, eò ambitiosa mentis elatio ascendit, eò caliginosa cæcitas peruenit, vt non pauci inueniantur, qui audeant affirmare, se immundos non esse; quod incusat Salomon Prouerb. 30.
Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus. Est via mulieris adulteræ, comedit & tergit os suum, & dicit. Non sum operata malum. Sed audi quæso Ieremiam dicentem c. 2. Prou. 30.
Quomodò dicis, *non sum polluta, post Baalim non ambulaui*, quasi diceret, frustra tibi ô homo blandiris: si enim iustus septies in diem cadit, quomodò miser homo immunem se à peccato esse audebit affirmare. Hierem. 2.

Qvare recognoscamvs nos omnes peccato obnoxios esse: Consideremus Christi Natiuitatem propè iam imminere, & vt illum in viscera nostra valeamus introducere, disponamus nos per pœnitentiam, præparemus conscientias nostras per veram de peccatis commissis contritionem, per verecundam & sinceram delictorum confessionem, per omnimodam satisfactionem, vt hæc pœnitentia præuijs hisce suis virtutibus, non tantùm Deum in corda nostra introducat, sed etiam nos in gratia Dei renouet, omnem eius iracundiam à nobis auertat, hicq; quamdiu viuimus, nos beatificet, & post mortem à pœnis purgatorij eripiat, vt sic per pœnitentiam Deo vniti, in æterna cum illo societate viuamus, cui laus, honor, & gloria, in sæcula sæculorum, Am.



EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Videbit omnis caro salutare Dei. *Lucæ 3.*

Qui non vult in extremo Iudicio illam infelicem sententiam audire : ite maledicti in ignem æternum, debet in hac vita sæpius mortem & gehennæ ignem recogitare.

MAgnam controuersiæ occasionem porrexit hodiernum Euangelium, quomodò omnis caro videbit salutare Dei ; cùm visionem, vt pote liberam operationem, appetitus omninò præcedere debeat. Multi autem ex Theologis, negant dari in nobis naturale desiderium, vel appetitum videndi Deum. Primò, ex hac ratione, quia media debent esse proportionata fini, sed media ad videndum Deum sunt supernaturalia, vt fides, spes, charitas. Ergo & ipse finis est supernaturalis, hoc est Deus videndus, & per consequens appetitus ad illum debet esse supernaturalis: & sic in nobis non datur naturale desiderium, ad videndum Deum. Et licet argumentum hoc parum roboris habeat, eò quòd non sit necessarium, vt finis, & media habeant in omnibus proportionem ; maximè verò in rebus supernaturalibus, nam per experientiam constat, quòd anima separata naturaliter desideret vniri corpori, & cæcus naturaliter desideret videre, quæ tamen duo non possunt haberi, nisi per virtutem supernaturalem. Licet igitur media istorum sint supernaturalia, finis tamen naturalis. Dicunt nihilominùs secundò, non esse in nobis inclinationem naturalem ad gratiam, ergo neque ad gloriam, quæ consistit in visione Dei, si enim non est in nobis inclinatio naturalis, ad vltimam dispositionem formæ, (qualis dispositio, est gratia sancta ad gloriam) multò minùs erit ad ipsam formam, hoc est, ad gloriam; cæterùm & hoc non conuincit: nam inprimis falsum est, in nobis nō esse appetitum naturalem ad gratiam, cùm S. Th. 1. 2dæ quæst: 113. art: 10. oppositum doceat ex hoc fundamento: quia anima facta est ad imaginem Dei, & capax gratiæ, licet illam per vires naturæ habere nequeat : ergo naturaliter inclinatur ad illam. Hinc fatetur ibidem S. Doctor, quòd iustificatio impij non dicatur miraculosa ; quemadmodùm dicitur suscitatio mortui : quia gratia non est supra naturalem potentiam animæ, sicut vita est supra naturalem potentiam mortui. Sed dato etiam non concesso, quòd in anima non sit naturalis appetitus ad gratiam ; non tamen hinc sequitur, non esse in nobis naturalem appetitum ad visionem Dei, cùm optimè stet, nos naturaliter appetere finem, licet tali modo non appetamus media, eò quòd sint supernaturalia. Cùm ergo gratia sit medium supernaturale ad gloriam, ideò non mirum, quòd habeamus naturalem appetitum ad gloriam ; non verò ad gratiam. Præsentem itaque controuersiam optimè resoluit S. Bonauentura in quarto sent. dist: 49. art: 1. quæst: 2. ad primum asserens, omnes homines appetitu naturali appetere beatitudinem veram, seu visionem Dei. Quod probat hac ratione : omnes homines habent appetitum beatitudinis veræ in genere, & similiter habent cognitionem eius in genere : nam omnes credunt, quòd beatitudo sit bonum ab omnibus appetibile. Ergo in omnibus hominibus datur naturalis appetitus ad beatitudinem, seu visionem Dei. Estq; hæc expressa doctrina Diui Augustini lib. 13. de Trinit. c. 5. & lib. 10. confessionum cap. 21. & super Psal. 113. concione 1. Vbi dicit : *Omnes cupiunt esse beati, & appetunt beatitudinem veram, quamuis in particulari aliqui nesciant, in quo consistit ipsa beatitudo.* Et ratio manifesta est : quia omnes homines, in omnibus suis actionibus, potissimùm hoc inquirunt, vt possint satiare suam voluntatem, & explere sua desideria : ergo maximè appetunt beatitudinem veram, quæ consistit in clara Dei visione, cùm hæc sola vt pote bonum consummatum, & perfectum, sufficienter voluntatem humanam satiare queat. Quia verò Deus in sacris literis quadrupliciter dicitur videri: primò, in creaturis naturalibus, quæ sunt imperfectæ quædam similitudines, seu vestigia ipsius Dei, iuxta illud ad Romanos 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Vbi per *inuisibilia Dei*, non intelliguntur Angeli, vt putabat Origenes : quia in hoc loco ait Apostolus de illis inuisibilibus, quorum cognitio est ita necessaria ad salutem, vt eorum ignoratio sit inexcusabilis ; Angelos autem nescire, nulla culpa fuit. Imò expediebat nonnullis gentibus Angelos ignorare, ne illis plus tribuerent, quàm fas esset. Sic Platonici humanam creationem secundùm corpora Angelis tribuebant : Seleuciani animas ab illis creatas somniabant, & quidam Hæretici pro numine illos colebant. Deinde, per *inuisibilia Dei*, non intelliguntur tres personæ, seu sanctissima Trinitas : quia licet in creaturis sit aliquod vestigium Trinitatis ; hoc tamen ita tenue est, vt nonnisi ab illis, qui ex reuelatione cœlesti Trinitatem agnouerunt, cognoscatur. Vnde quòd Trismegistus scripsit : *Monas gignit monadem, & suum in se reflectit ardorem,* ex quo Pythagoras Deum ternario numero colendum esse docuit. Hoc non à se, sed ex commercio cum viris sanctis, & illustribus veteris testamenti, illos accepisse censet D. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 23. Sed per hæc *inuisibilia Dei*, intelliguntur natura diuina, & omnia eius attributa, vt æternitas, sapientia, immensitas, quæ naturali ratione de Deo possunt demonstrari, vt constat ex Aristotele 8. Phys: cap. 12. & lib. 12. Metaphysicæ, naturaliter quippè cognoscitur æternam esse potentiam, quâ mundus, & hæc omnia facta sunt, & consistunt, camq; potentiam vnius veri, & omnipotentis Dei esse. Secundo modo, dicitur Deus videri, in aliqua specie corporali, ab ipso distincta, & ad hoc desumpta, vt manifestetur eius præsentia. Et tali visione visus est Deus à Prophetis, non in se, sed in imagine, vel imaginatione ; vel ad visum corporeum, sicut eum vidit Isaias : *Vidi* inquit *dominum sedentem super solium.* Isaiæ 6. Tertiò, dicitur Deus videri per seipsum, quando clarè videtur per essentiam, quomodò in illa cælesti patria à beatis videbitur. Quartò tandem dicitur videri, in sacratissima humanitate, assumptâ hypostaticè à verbo. Et de hac visione hodiernum loquitur Euangelium : *Videbit omnis caro salutare Dei nostri* : id est, omnes homines videbunt Christum hominem, qui est salus, & redemptio nostra. Quandonam autem id verificari debeat, cùm certum sit in hac vita omnes homines Christum videre non posse : multi enim sancti Prophetæ, & Patriarchæ desiderauerunt Christum in carne videre & non viderunt, nisi figuram eius. Ideò respondet Glossa Interlin : hæc sententia Euangelij sancti, tunc verificabitur, quando in iudicij die pariter videbunt electi, & reprobi Christum; electi, vt remunerentur ; reprobi, vt damnentur. Modum itaq; vobis hodiè ostendam, quomodò in hoc mundo viuendum vobis sit, vt in die iudicij non adamantinam illam damnationis æternæ sententiam, sed fauorabile salutis & remunerationis decretum audiatis.

Iucundum est clementem Iesum videre, quia tunc ex illo omnia bona in hominem dimanant ; sed iratum spectare nimis durum. Hinc illa Iobi vox ad Deum cap. 14. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* Catena Græca legit : *Vtinam in inferno me custodisses, abscondisses autem me, donec requiesceret ira tua.* En quantus terror, iratum Deum videre? Infernus irarum locus est diuinarum, vbi Deus sese irremissibiliter ostendit iratum ; & tamen Iob potiùs in inferno abscondi optabat ; quàm faciem Dei plenam furoris, & indignationis

Marginal notes: Datur in nobis naturalis appetitus ad beatitudinem. — S. August. — Deus quadrupliciter dicitur videri. — Rom. 1. — Angelorū cognitio aliquibus nociua. — Trismegist. — Per inuisibilia Dei quid intelligatur. — Deus uno modo visus à Prophetis. — Isaiæ 6. — Lucæ 3. — Iob. 14.

tionis cernere. Quid erit in extremo A iudicio Christum iudicem iustum, sed implacabilem intueri ? quando non iam ad eliberandos electos de limbis inferorum veniet, sicut i n primo aduentu suo fecerat, sed à morte æterna puniendos reprobos , sine vlla spe futuræ ampliùs eliberationis. Dum ergò intensiùs cogitarem, qualemnam vobis modum ostendere debeam, vt vbi destinata illa ab alto dies venerit vltimi iudicij, non iratum Iesum, de cuius ore prodibit horrenda illa sententia : *Ite maledicti in ignem æternum*; B sed clementem, & ad consortia beatarum mentium vos inuitarem, *Venite benedicti Patris mei*, videre possitis,

Psal. 54. incidi in Psalmum 54. Vbi Rex & Propheta Dauid, peracerbè imprecatur peccatoribus : *Veniat mors super illos : & descendant in infernum viuentes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.* Vbi si literalem sensum consideremus, conuertit Propheta sermonem, ad omnes proditores, ac persecutores suos, imprecans eis repentinam, & improuisam mortem, C atq; vt ad similitudinem Dathani, & Abironis, viui humo absorpti descendant in infernum, vbi atroces scelerum pœnas luant. Si verò profundiorem doctrinam scrutari velim⁹, loquitur generaliter de omnibus peccatoribus, incorrigibiliter vitam ducentib⁹. Quasi diceret apertiùs : illi, illi, qui cum nequitia habitant, eamq; familiarem ac contubernalem habent, & quæ est in medio eorum, etsi viuere videantur, morti vicini sunt : nam viuentes adhuc , ad inferni mortem D descendunt.

Peccatores viui in infernum descendũt. Multi tamen interpretes variè exponunt, quinam sunt hi , qui *descendunt in infernum viuentes* ? Arnobius interpretatur de dæmonibus : quia, cùm sint spiritus , mors nihil iuris in eos habet.

Cassiodor. Cassiodorus de his qui scienter peccant, ac in peccatorum incidunt profundum.

Hugo. Hugo de his, qui viuunt mundo, ambitioni , delicijs , peccatis , adeò vt sint penè inferno confines.

S. Ambr. Eadem est mens D. Ambrosij lib. 1. offic: cap. 12. qui verba A hæc appositè sic commentatur : *Peccator* inquit, *quamuis foris abundet, & delicijs affluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vita facinorosi, vt somnium aperuit oculos, transiuit requies eius, euanuit delectatio, licet ipsa quæ videtur, etiam dùm viuunt, impiorum requies in inferno sit : viuentes enim in inferna descendunt.* Vides conuiuium peccatoris ; interroga conscientiam eius, nonne grauiùs fætet omnibus sepulchris ? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam : Intro- B spice vlcera, & vibices animæ eius, cordisq; mœstitudinem. Ecce tibi, sceleratus homo , malæ conscientiæ tormento, adhuc viuus ita vritur, acsi iam æternaturæ mortis pœnam sustineat, & infernali gehennæ pyra iam vstuletur, atq; vermium morsicatione perenni, eius viscera incessanter corrodantur. Frustra igitur homo impius requiem in delicijs mentitur, quia malæ conscientiæ cruciamento, grauiùs quàm inferno torquetur. Hinc illud Salomonis effatum de peccato- C re Prouerb. 28. *Fugit impius nemine persequente.* Quid fugit, cùm nullus sit, qui eum persequatur ? aut quò fugit, cùm nullum effugium sibi destinet ? Quid fugit, cùm ad fugam fugas multiplicat ? Prou. 29.

S. Hieron. Respondet S. Hieronymus in cap. 2. Michææ. *Fugit impius nemine, id est, dæmone persequente.* Dæmon enim vsq; adeò imbecillus & infirmus est, tam vilis, & inermis, vt censeatur & vocetur, *nemo*, quia ex quo benè esse perdidit, ad non esse tendit.

S. Gregor. Sanctus verò Gre- D gorius lib. 15. Moral. cap. 11. *Fugit ait impius nemine persequente, quia seipsum fugit, quia tormentum propriæ conscientiæ fugit.*

S. August. De quo pulchrè August. in Psal. 36. *Quisquis* inquit *malus est, malè secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est, ipse enim est pœna sua. Fugit ab inimico, quo potuerit, à se quò fugiet :* Vnde non sine epithasi,

Hebræa versio. Hebræa versio legit : *Fugiunt nemine persequente impius : quoniam malitia est multipliciter fugax, & peccator frustra sui fugitiuus. Nemine persequente fugiunt impius.* Nam fuga termini nescia, error

error est, & errores fugitiuos in cas- A sum multiplicat : quo enim à se fugiat ? Per conscientiam igitur sceleris ream, malè sibi secum est, ipse sibi tormentum, & pœna est : cumq; sequax sceleris conscientia declinari non possit, secum fert, quod ipse fugit, & à quo fugit ipse, nimirum infernum, in quem viuus descendit. Vt meritò illi mortem imprecetur regius vates : *Veniat mors super illos.*

Chaldæ⁹. At, quænam est hæc peracerba mors, quæ veniens super peccatores, illis tyrannicè dominetur ? Chaldæus sic locum hunc exponit , *Reos peraget eos iudicium mortis*, quasi mors ipsa eos constituat reos. Alij interpretantur : *Exactricem constituat Deus mortem aduersùs illos.* Alij, condemnet illos mors : alij, irritet, vel instiget, ac necessitet Deus mortem super illos. O quænam sit ista mors, ita hostiliter inimica, quem hominem sic reum peragit, tanquam exactrix vexat, in iudicio condemnat, instigata necessitat, & irritata decipit. Equidem non ipsi morti hæc mala elogia C conueniunt, sed potiùs mortis obliuioni. Vnde pro istis verbis, *veniat mors super illos*, mors inquam tot vituperijs dehonestata, & nimis formidabilis in Hebræa origine habetur : *Deus mortis obliuionem, inducat illis.*

Mortis obliuio quãta mala affert. Mortis igitur obliuio, est ita homini inimica, vt eum decipiat, reum peragat, in iudicio condemnet , & ad infelicem mortem vrgeat, ac quodammodo necessitet. Cùm ergo mortis obliuio sit flagitiorum seminarium, malæ mortis pignus, inferni viaticum, & gehennæ auctoramentum ; ideò vnicum ego vobis superessè video modum, quo iram Dei, & malam mortem euadatis, continuam mortis, & gehennæ ignis meditationẽ.

Psal. 54. Hanc & non aliam mortem intellexit Regius Vates, quando dixit : *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes :* subintelligendo , ne descendant morientes. Si enim recogitas mortem æternam, si gehennæ ignem sæpiùs meditaris , dubio procul , ista cogitatio eliberabit te , ne mortem, A & ignem gehennæ sentias.

Ioann 25. Sic protestatur ipsemet Christus Ioann. 15. discipulos suos alloquens : *Si quis in me non manserit* (hoc est per fidem charitate formatam) *mittetur foras sicut palmes* (*puta inutilis, & infrugifer*) *& arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Quasi diceret. Ego in hoc veni, vt pro redemptione generis humani moriar, & vitam profundam ; qui autem me imitatus non fuerit, mortis meditationem negligens , non permanebit mecum, sed B mittetur in ignem æternalem. Quæstio tamen non leuis apud comentatores consurgit , quare , cùm tota citatæ ex S. Ioanne sententiæ periodus, necessariò exigat, vt verbum illud, *ardebit* , de futuro intelligeretur, potiùs de præsenti positum sit, *ardet*, Existimo eam ob causam : quia verbum *ardet* de præsenti, duo exprimit : Primò, vehementiam ignis gehennalis, qui sine mora vnamquamq; rem ardere facit : solus enim ignis lentus, calefacere solet ligna priùs , quam C ea inflammet , vt ardeant ; at verò dùm vehementissimus est, non est opus inflammatione, sed perinde ligna humida , atq; arida statim ardere solent. Deinde exprimit durationem : quia ignis ille gehennalis ardet sine fine, non ad tempus ; sed in perpetuum.

Isaiæ 66. Vnde dicit Propheta Isaiæ 66. *Ignis eorum non exstinguetur.* ad ostendendum, quòd cui illa infernalis pyra dudum accensa est, nisi pœnitentiam egerit, nisi benè operatus fuerit, D ita tenaci impressione hæret memoriæ horror illius sustinendæ, vt quæ potest ardere, iam ardere videatur. Tunc ergo venit mors super homines, quando homines iugiter de morte cogitant, quando seriò examinant minima sua facta, & si quæ mala aduerterint, ea per pœnitentiam eluunt. Quando inferni pœnas diligentiùs recogitant :

Hugo Victorinus. Infernus enim, vt docet Hugo Victorinus de anima lib. 4. *est locus sine mensura, profundus sine fundo,*

Inferni descriptio. *plenus ardore incomparabili, plenus fætore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus,*

nullus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Proinde, qui hoc frequentiùs recogitat, infernum à se remouet, & Iesum non iratum, sed placatum in die iudicij sentiet.

Nec est certè, quod hominem ab hac continua mortis meditatione retrahat, cùm omnes simul cum mundo, in quo degimus, ad occasum propiùs accedamus.

Mundus quid.

Quid enim aliud mundus est? nisi senis cuiusdam, & decrepiti hominis verissima imago; quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est. Vt docet S. Paulus Rom. 12. Proinde mundum interitui propinquare, nemo ambigere potest, si vel ipsa eius membra introspexerit.

Membra mundi.

Pedes quippè eius sunt aqua, & terra: crura montes, & colles: brachia, elementum àeris, & ignis: caput cœlum: duo oculi, sol, & luna: aures, Mars, & Mercurius: nares, Saturnus, & Iupiter: os, Venus: capilli, quibus caput adornatur, stellæ firmamenti: sensus communis, primum mobile: intellectus, cœlum crystallinum: memoria, cœlum Empyreum. En quomodò mundus in suis partibus homini ad viuum correspondet? vt ob hanc magnam similitudinem, veteres illi Philosophi, non immeritò hominem microcosmum, id est, minorem mundum appellârunt. Imò non solùm in partibus, sed etiam in ætatibus, mundus est ipsissima hominis imago.

Mundi ætates septé.

Septem ætates homini tribuunt naturalistæ, totidem & mundo competunt. Infantia enim mundi, fuit ab Adamo vsque ad Noëmum: pueritia, à Noëmo, vsque ad Abrahamum: adolescentia, ab Abrahamo vsq; ad Moysen: Iuuentus, à Moyse, vsq; ad Dauidem: virilitas, à Dauide vsq; ad Christum: senectus demùm plena sapientiæ, atque prudentiæ, à Christo, vsq; ad sanctos Ecclesiæ Doctores: decrepitas insuper, à sacris Doctoribus, vsque ad consummationem sæculorum. Quemadmodùm igitur homo senescit, ita senescit & mundus: quemadmodùm homo decrepitus efficitur, & infirmatur; ita & mundus habet suam ætatem decrepitam, suis quoq; premitur infirmitatibus: quemadmodùm deniq; moritur homo; ita & mundus aliquando sua morte defungetur. Audite hanc veritatem ex ipsamet Sacra Scriptura, Psal. 104. *Opera* inquit *manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.*

Psal 101.

Cùm ergo mundus ad istam sui mutationem, & renouationem tendat, vt fatetur Propheta Isaiæ 65. *Et erit cœlum nouum, & terra noua.* dubio procul illum iam morti, & termino vicinum esse, nemo poterit negare.

Isaiæ 65.

Hominem nimia senectute grauatum, decrepitum, & propè diem moribundum agnoscimus, dùm inclinato corpore incedit, caput depressum habet in terram, humoribus nimiùm abundat, frigidis defluxionibus, & catharis plenus est: dùm friget vehementer, ita vt etiam ex vestibus, quibus cooperitur, exiguum capiat calorem, quemadmodùm de Dauide senescente refert Scriptura sacra 3. Regum 1. *Cùm operiretur vestibus, non calefiebat.*

3 Reg 1.

Quis non videt, mundum iam in tali statu positum? inclinatus ad terram incedit, quia nostra hac tempestate, terrena tantum respicit, terrena sapit, terrena cogitat, de cœlestibus nihil prorsùs in mentem admittens.

Mũdi moribundi signa.

Hinc meritò dicit S. Iacobus: *Quicunq; ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. Nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei.*

1. Ioan 2.

Nam Deus ea præscribit, & monet, quæ cum mundi studijs ex aduerso pugnant, ea mundus amplectitur; & odit, quæ Dei legibus omninò contraria sunt. Ita vt in mundo nihil prorsùs boni reperiatur, teste S. Ioanne epistola 1. cap. 2. *Omne* inquit *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Abundat mundus humoribus malis, hoc est innumeris vanitatibus, & cogitationibus profanis, desiderijs peruersis, & noxijs se vindicandi, ac proximum damno,

siue iniuriâ afficiendi, lasciuis præterea ac inordinatis carnis appetitionibus plenus est. Propter quod mundus à Christo, canis nomine intitulari meruit: Christus enim cœlestem Patrem orans, vt Ecclesiam suam à mundi calumnijs, & persecutionibus liberaret, sic emphaticè dicebat: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.*

Psal. 21.

Vbi mundum acerbâ linguâ, & indignanti stimulo, innocentes innocenter perfodientem, canem appellauit. Vt inibi hunc in modum interpretatur S. Augustinus.

S. August.

Hic ait *nihil aptius, quàm vnica Ecclesia mihi videtur intelligi. Canem verò appellauit mundum, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem. Hæc est enim canum natura, vt cum quibus habent consuetudinem, siue illi boni, siue mali sint, non ad eos latrent. Insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus irritentur.* O nimiùm noxios humores, qui hisce temporibus vniuersum mundum vexant.

Ad hæc catarrhis capite destillantibus, mundus refertus est, vultis scire, quinam sunt catarrhi totum mundum occupantes?

Catarrhi mundum occupãtes.

sunt inprimis cogitationes, atq; immodicæ cupiditates honorum, quæ hominem Deo abominandum, vt potè turpissimum mundi idololatram faciunt. Quod pulchrè Ezechieli à Domino in visione oblatum fuit, quando vidit reptilia sordida, atque inuisa monstra, & execrabiles fædorum animalium formas, à senioribus Israëliticis adorari, diuinumq; illis honorem tribui.

Ezech. 8.

Et ingressus ait *vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus Israël, & Iezonias filius Saphan, stabat in medio eorum, stantium ante picturas, & vnusquisq; habebat thuribulum in manu sua.* Ezech. 8. Mirabatur tunc vehementer Propheta horrendam illam prauitatem, dùm contempto verò Deo, vilissimas, & humi repentes creaturas, magni illi viri adorare non erubescerent. Verùm ego mirari potiùs cogor insignem stoliditatem, & amentiam multorum, dûm ea, quæ homines torquent, & excruciant, atq; exitiale virus indesinenter instillant, tantò in pretio ab illis haberi contemplor. Nonne falsorum numinum cultoribus deteriores sunt, sæculares moderni idololatræ, qui fortunam deam facientes, cœloque locantes, mundi honores totis viribus appetunt. Quid enim aliud sunt præsentis sæculi honores, nisi venenati serpentes, & noxia atq; insidiosa monstra, & quæ sibi inseruientes torqueant, venenoque ac rabie impleant. Quod pulchrè Cyprianus aureo eloquentiæ flumine in epistola ad Donatum perstringit.

S. Cypr.

Quos ait *honores putas esse? quos fasces? quàm affluentiam in diuitijs? quàm potentiam in castris? in magistratu purpuræ speciem? in principatu licentiæ potestatem? malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia, instar cuiusdam veneni, vbi in lethales succos, dulcedine aspersa, calliditate fallendi sapore medicato poculum videtur esse, quod sumitur, vbi epota res est, pernicies hausta grassatur.* Egregiè sanè: ea quippè horum idolorum, nimirum fallacium mundi honorum natura, hoc ingenium est, vt pro solicita inquisitione, quam tàm impensè illis procurandis sui cultores exhibent, lethale ipsi virus molestiarum, solicitudinum, atq; dolorum eis expuant, & in imos cordis recessus inferant.

Catarrhi mundum suffocantes, sunt opum vehemens cura, & inquisitio, ac bonorum temporalium congregatio; de quibus D. Paulus in epist: ad Philipp: illud protulit: *Omnia existimo detrimentum.* Alij legunt *tormentum,* siue *supplicium.* Quid verius? equidem mundi bona, mala magnifica, blandaq; pernicies censeri debent. in debitas peccatorum pœnas à Deo iudice, atq; vltore nocentibus hominibus sæpiùs concessa. Sumite in huius manifestæ veritatis comprobationem, illud Dei ore edictum Ezech. 3.

Ezech. 3.

Sed

Sed & ſi conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua, fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipſe morietur. Difficilis admodùm locus, & vt dira offendiculi comminatio; ita ſenſu impedita, & ad quam facilè offendatur. Quid enim ſibi vult vox illa *offendiculum*. LXX vertunt *tormentum*: S. Hieronymus *ruinam* Theodotio *infirmitatem*? En peccatori in iuſtiſſimam flagitiorum ſuorum pœnam, quod à Deo Optimo Maximo defecerit, tormentum, ruinam, ſiue infirmitatem, hoc eſt extremum mortis inflictum, ſupplicium. *Ipſe inquit morietur.* Quomodò autem hoc intelligendum ſit, reſpondet Rabbi Dauid, ex parentis ſui Hebræorum doctiſſimi ſententia, qui verba hæc ita exponit: *Proſperari eum faciam in omnibus vijs ſuis in hoc ſæculo.* Ecce offendiculum, dirumque peccatoris tormentum, ac pœnam, proſperitatem ſcilicet huius ſæculi, honores, diuitias, & voluptates, ei in promeritum ſupplicium data, qui iuſtitiâ contemptâ, & proculcatâ, ad iniquitatem ſe conuertit. Vnde Diuus Auguſt: Serm. 15. de diuerſis exclamat: *Omnis terrena poſſeſſio, ſupplicium eſt cupiditatis, vt in ipſis bonis crucietur animus, cui viluit, qui tanta largitur.* Palam oſtendens, plura nobis mala ex voto, & optato; quàm caſu, & fortunâ euenire: quia mundi bona, egregia & magnifica mala ſunt, quæ ab irato Deo ſæpiùs in pœnam dantur.

Rabbi Dauid.

S. Auguſt.

Etſi parum adhuc eſt, ſiſtite veſtris obtutibus duos illos grauiſſimos peccatores, aliorum duces, & anteſignanos, quorum quo grauior criminum offenſa fuit, eò magis ſæcularium bonorum ſupplicio puniti ſunt. Nimirum malum Angelum, & primùm noſtrum parentem Adamum, vtrumque læſæ diuinæ maieſtatis reum. Angelus *Princeps mundi huius*, ab ipſomet Deo appellatur Ioann. 14. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Et non ſolùm ipſe, ſed & illius collegæ, eiuſdemque cum ipſo culpæ, ac pœnæ ſocij, Principes quoq; mundi vocantur à D. Paulo Ephes. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduersùs carnẽ, & ſanguinem; ſed aduersùs Principes. & poteſtates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum.* Imò & ipſemet malus Angelus, pro hac re ſatis diſertè fideiubet, qui poſtquàm Chriſto Domino omnia mundi regna oſtendiſſet, ita audacter ſuggeſſit. Lucæ 4. *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.* Perpendite, quo titulo? qua ratione tantus mundi Principatus, tamq; excellens, & florentiſſima ſæcularis poteſtatis fortuna, malo dæmoni competat? Et reſpondet S. Auguſt: lib. 2, de ſermone Domini in monte cap. 14. ad initium, hoc ei conceſſum eſſe, ad commeritam ſuæ peruerſitatis, & flagitij omnium flagitioſiſſimi pœnam atq; ſupplicium. *Rebus* inquit, *iſtis terrenis, meritò ſuæ peruerſitatis præpoſitus, magiſtratus huius ſæculi à domino dicitur.* In quibus verbis, hæc ſubtilis ratiocinatio, atq; diſcurſus continetur. Peccauit atrociſſimè malus Angelus, conſurrexit aduersùs Dominũ, & immane bellum turpiſſimâ audaciâ cœlo inferre molitus eſt; puniatur ergo ſeueriſſimâ pœnâ, vim tormentorum maximam experiatur, ſubeat extremum atque horribile ſupplicium. Quod tandem? fiat ſæculi huius magiſtratus, & rebus terrenis præponatur, vt debitas tantæ impietatis pœnas luat. Idem docet S. Cyprianus Serm. de ieiunio, & tentationibus Chriſti, vbi explicans præfata dæmonis verba, ſic dicit: *Huius inferioris mundi tua eſt ſcabies, languentis ſunt vlcera; hæc ſcalpis, hæc impurus oblingis; ſi quid vitij eſt. ſi quid corruptelæ: tu cadaueribus aſſides, tu contrectas putredines, tu diſtemperas fæces, tu verſas fætores.* Quaſi diceret: tu mundi pompis, carnis voluptatibus, iniuſtis diuitijs præſides: hæc donas, hæc diuidis: his fæcibus, his fætoribus, huic miſeræ ſcabiei, meritò tuæ peruerſitatis præpoſitus es. Non potuit itaq; Deus magis punire malum genium, quàm dùm illum proſperitati terrenæ præeſſe decreuit: vt quemadmodùm auctore Tertulliano, barbari homines, nocentes auro conſtringunt, & quo ſceleratiores fuerint, grauiori atque diutiori auri pondere onerant. Quemadmodùm docet lib. de habitu muliebri cap. 7. *Apud barbaros quoſdam* ait, *quia vernaculum eſt aurum, & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & diuitijs malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Vt inquam malus Angelus iniuſtis diuitijs præſidens, maximos peccatores locupletiori poteſtate conſtringat. Ad eum planè modum, reus parens noſter Adamus ſimili ſupplicio addictus eſt: nam in pœnam ſuæ tranſgreſſionis è paradiſo, ad ſæcularia bona, tanquàm ad metalla damnatus, eiectus eſt. *Et emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt, eiecitq; Adam.* Qualis hæc pœna? Audite ſubtiliter diſcurrentem Tertullianum lib. de Pallio c. 3. *Quod* ait *in nouo corpore indebitum adhuc erat pudori, protegere feſtinans ficulneis folijs interim circumdat; dehinc eum de originis loco exterminat, quippè deliquerat, pellitus orbi, vt metallo traditur.* Premite hæc vltima verba, *pellitus orbi, vt metallo traditur.* quid aliud denotat? niſi quòd Adam propter peccatum, ad orbis res, ad mundi bona, ad ſæculi diuitias atq; delicias, ad effodiendum aurum, & argentum damnatus ſit, non aliter, quàm illi, qui ob ingentia flagitia, ad pœnales metallorum operas condemnabantur. Videtis Adamum, in flagitij pœnam pellitum orbi, vt metallo datum? hoc eſt, è puriſſima paradiſi vita, vbi non aurum, non argentum, non curioſa ſupellex, non ea, quibus inſana hominum libido pretium fecit; ſed aurea nuditas, copioſa frugalitas, natura ſuis ex ſe naſcentibus bonis contenta florebat, in hunc terrarum orbem deuolutum, ad mala illius gaudia, falſaq; bona perferenda damnatum. Quid ergo mundi opes, quid rerum terrenarum abundantia, quid ſpatioſa, ſed fallax voluptas aliud eſt? niſi graue tormentum, & intolerabile ſupplicium. Quod ne ipſum quidem gentilem Philoſophum Senecam latuit, qui in conſolatione ad Polybium cap. 28. ita diſertiſſimè ſcribit: *Si velis credere, altiùs veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt.* Moxq; rationem reddit; ſupplicij modum deſcribens: *In hoc* ait *profundum, inquietumq; proiecti mare, alternis æſtibus reciprocum, & modò alleuans nos ſubitis incrementis, modò maioribus damnis deſerens, aſſiduequè iactans, nunquàm ſtabili conſiſtimus loco.* Vt vel hinc iam mirari deſinas, terrena hæc bona, quantumuis magna, & ſplendida, & quæ in vnius tantùm ſinum congerantur, humanum tamen animum nunquàm explere, nec perfectam illi lætitiam, puramue voluptatem afferre, vt potè in cruciatum à Deo vltore pœnas repoſcente data. Quemadmodùm toti mundo proclamat Ezechiel cap. 7. Vbi de argento, & auro, alijſq; terrenis bonis in peccatorum ſinus ingeſtis, ſic ait: *Animam ſuam non ſaturàbunt, & ventres eorum non implebuntur, quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt.* LXX. verò legunt: *quia cruciatus iniquitatum eorum fuit.* Palam facientes, fieri non poſſe, vt famem depellat, aut lætitiam percipiat ijs rebus animus; quæ illi in cruciatum, & pœnam irrogatæ ſunt. En quam immenſum inter mundum & virtutem diſcrimen intercedit, cùm mundus nihil ſolidum, & plenè ſubſiſtens; ſed figuram tantùm habeat extrinſecùs emendicatam, fuco & mentitis colorib⁹ depictam; virtuti autem ſua, & naturalis forma ſubſit, quæ verè & plenè ſubſiſtat. Quod pulchrè S. Chryſoſt: verba illa Apoſtoli Rom 12. *Nolite conformari huic ſæculo*, explicans, his verbis elucidat. *Eſt enim huius ſæculi figura humilis, depreſſa, vilis, temporalis, nihil habens ſublime, nihil recti; ſed omnia peruerſa. Itaq; ſi rectè incidere voles; ne adaptes teipſum ad præſentis vitæ figuram. Nihil enim in illa eſt, quod maneat, firmumquè ſit.* Et ſtatim paulò inferiùs ſubdit. *Nam etiamſi diuitias obieceris, ſi gloriam, ſi delicias, ſiue aliud quodcunq; ex illis; quæ magna eſſe videntur, figura tantum*

Ioan. 14.

Ephes. 6.

Lucæ 4.

S. Auguſt

S. Cypr.

Pœna grauiſſima dæmonis proſperitati terrenæ præeſſe.

Tertull.

Geneſ. 3.

Tertull.

Seneca.

Ezech. 7.

LXX.

Rom. 12.

S. Chryſ:

tum modò sunt, non ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio. Ex quo manifestum habetur, mundum iam senio premi, nec decrepito homini absimilem esse.

Mund' omnib' sensibus destitutus est.

Quodsi magis adhuc scire desideratis, quomodo mundus in sua grandæua senectute morti iam proximus sit, scitote eum iam prorsus omnibus sensibus, internis pariter ac externis destitutum esse. Vt palam fatetur Scriptura sacra 2. Reg. 19. in figura peccantis mundi loquens : *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, & amarum.* Non audit amplius mundus, non videt, non odorat, non gustat, non loquitur, non mouet manus, non intelligit, non recordatur. Non audit inquam volens ac libens Dei verbum, admonitionesq; salutiferas, quibus à malis actionibus retrahitur. Non videt damna, & detrimenta, quæ per peccatum incurrit, ac bona, quæ perdidit. Non percipit odoratu spirituali, enormium suorum criminum fœtorem, nec diuinæ gratiæ fragrantiam. Non discernit gustatu suauitatem, atq; dulcedinem diuinorum sacramentorum, quæ ad salutem eius instituta sunt. Non loquitur cum Deo per cœlestes contemplationes, per feruentes preces, per humiles ac deuotas supplicationes. Non mouet manus ad bonorum operum exercitia, ad erogandas eleemosynas, ad labores pro Deo subeundos. Non intelligit se iumentis insipientibus comparatum esse, non intelligit diuinam maiestatem omni veneratione dignã, non intelligit suam vilitatem, nec se Deo, vt par est, humiliare cognoscit. Non recordatur plurimorum scelerum admissorum, quæ sempiternæ perditionis ei causa sunt, imò omnium Dei beneficiorum penitus obliuiscitur. Et tamen proh dolor! ea est humanarum mentium cæcitas, seu inueteratus, imò nobis ingenitus mundi amor, vt quò ipse ingrauescente ætate ad occasum nobis magis vergit, eò ardentius inde fatigato; casso tamen labore, ad ortum reuocare studeamus. Quod grauiter incusat

2. Reg. 19.

S. Gregor.

Gregorius Magnus : *Ecce inquit mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbiq; mors, vbiq; luctus, vbiq; desolatio, vndiq; percutimur, vndiq; amaritudinibus replemur : & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas eius amaritudines, amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus.* Acrius adhuc Saluianus Massiliensis, lib. 5. de prouidentia agens de excidio Treuerensi. *Lugubre inquit est referre, quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente iam admodùm excidio ciuitatis, gulæ ac lasciuiæ seruientes. Quid primum accusandum est, quòd honorati? an quòd senes? an quòd Christiani? an quòd periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus? vel in discrimine à pueris? vel vnquam à Christianis? O amentiam omnium inconsideratissimam, maximumq; errorem! mundus iam morti propinquus, breui tremendam illam vocem auditurus est: Surgite mortui, venite ad iudicium: quia iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* Non sic o insensati homines, non sic: sed quemadmodùm partes ad motum totius mouentur, ita & vos mundo iam agonisante, ad mortis, & gehennæ ignis meditationem festinate: hoc enim vnicum remedium ad salutem æternam consequendam opportunum esse sic deduco.

Saluianus Massilien.

Scribit Plutarchus, infelicem aliquando constellationem super Athenas, nobilissimum illud musarum & sapientiæ domicilium apparuisse, quæ prout alia inusitata cœli apparentia signa, nihil boni portendere solent, omnes Atheniensium virgines, graui capitis morbo, & insanabili prorsus insania, infecit, vt aliæ proprijs manibus mortem sibi vltrò inferrent, aliæ aquis se præfocarent. Conuocati sunt interim omnes Philosophi, & Astrologi, vndenam supernæ apparitiones tantam virtutem haberent, vt etiam nobilissimam partem hominis, mentem scilicet ac intellectum, sub influentias corporeas minimè cadentem, inficere possent. Vbi post multas tot sapientum controuersias,

trouersias, cùm nihil proposita ab illis antidota proficerent, quidam illorum, ingenio, experientia, & consilio maior respondit : **Omnes istæ Virgines ab insipientia breui liberæ manebunt, si ducentur ad sepulchra, vbi mortuorum cadauera sepeliuntur.** Quod vbi factum est, virgines illæ visis mortuorum caluarijs, mox ab omni dementia recesserunt, & ad pristinum rediêre fructum. Quid aliud est homo peccator, nisi vnicus stultus & in amentiam prolapsus. Sic de illo fatur Propheta Domini : *Audi popule stulte, & insipiens*, & alibi : *vidi stultum exaltatum*, Glossa autem interlinearis vertit, *vidi peccatorem exaltatum*. Quomodò autem de tàm graui amentia peccator eliberari possit, respondet Iob cap. 21. *Ipse ad sepulchra mortuorum ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* In quibus verbis saluberrimum antidotum proponit, ad sanandam peccatoris stultitiam, vt scilicet dùm stultescere incipit, dùm mandata diuina vilipendit, & insolenter se gerit, ducatur ad sepulchra mortuorum, hoc est, vt recogitet mortem, qui mox euigilabit. Meditatio quippè mortis, nunquàm non censetur homini vtilissima : Fugiebat quondam Ionas à Deo, ne iret in Niniue, sed breui post in mare proiectus, à pisce absorptus, ac tandem in illo littore euomitus, ex quo breui posset Niniue peruenire. Vix enim de ventre piscis exierat, & statim audiuit à Domino : *Surge, & vade in Niniue*, Ionæ 3. Et quomodò qui fugiebat Niniuen, post tot casus, post iactatum in mare, post voratum à pisce, tandem ad Niniue appulit littora? ne miremini : erat illi piscis venter sepulchrum, cuius meditatio ita efficax fuit, vt Ionam insanientem, & à Deo fugere volentem, in debitam viam reduceret. Quo spectans D. Zeno l. 1. Serm. 10. ait *Ceto inhianti miserabilius Ionas sepelitur, & tamen littus, quo tendit, inuenit, antequàm videat, felix magis sepulchro, quàm naui.* In naui Deum

Virgines Atheniensium ab insania quomodò liberatæ.

Iob. 21.

Ionæ 3.

Zeno.

fugiebat, & ciuitatem Niniue; vbi autem in ventre Ceti sepelitur, de sepulchri beneficio, quod debebat attigit littus, sicq; feliciorem viam à sepulchro, quam à naui arripuit. Quia nunquàm meditatio mortis felicius non dirigit homines in viam salutis. Hinc reuertenti prodigo filio ad Patrem, pater occurrens *cecidit super collum eius*. Lucæ 15. Et cur infirmi filij pater maluit grauare ceruicem, cadens super collum eius? Sanè, quia vt vidit pater filium venientem, voluit illi præstare indicem securissimæ viæ ad salutem, & ideò eius grauauit ceruicem, vt curuato collo versus terram, puluerem videret, in quem esset desiturus. Quasi à nullo feliciùs posset dirigi in viam, quàm à mortis puluere, ait Rupertus lib: de Spiritu sancto cap. 10. *Non vanè dicere potest, quòd cecidit pater super collum eius, & pondere suo confregit ceruicem cordis eius, vt fixis oculis terram aspiciat, commemorans sibimet, quia puluis est, & in puluerem reuersurus.*

Lucæ 15.

Rupertus.

Hoc vnicè studet diuinus ille pater in suis filijs, quos dirigit in viam salutis, vt semper habeant præ oculis suæ mortalitatis puluerem : quoniam à mortis memoria, efficacissimus venit ad rectam viam feliciter sequendam stimulus. Morte enim ob oculos positâ, facilè abijciuntur tentamenta deliciarum. Sic strenui Dauidis milites 2. Reg. 23. sese morti obijcientes, aquam de cisterna Bethlehemitica comparârunt, quam sitienti concupientiq; Regi obtulerunt, qui effudit illam, & *libauit eam domino.* Cur non potiùs bibit adeo concupitam aquam? nimirum considerauit periculum militum, vt sese mortis discrimini dederant, & dùm mortem meditaretur, totas expuit delicias in illa aqua excogitatas. Vt præclarè docet S. Ambr. in Apolog: cap. 7. inquiens : *Aqua tot virorum quæsita sanguine, suauitatem bibendi habere non poterat, quia propositæ mortis horrore constaret.* Heu humanæ deliciæ, quam insipidæ, quam abijciendæ apparent, vbi horrorem mortis meditamur. Arripi-

2 Reg 23.

S. Ambr.

Arripite ergò Catholici mei hunc viuendi modum, & inter fallaces mundi istius voluptates, ita agite, vt mors nunquàm de vestra cogitatione exeat, & sic æternis temporibus deplorandam illam iudicis sententiam: (*Ite maledicti in ignem æternum*) effugietis, sed vna cum sanctis Angelis videbitis salutare Dei, Am.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

CONCIO PRIMA.

Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionē multorum *Lucæ 2.*

Christus in resurrectionem credentium; in ruinam verò infidelium venit.



VEreor equidem, ne præsens A sacri eloquij sententia, alios in præsumptionem efferat; alios verò in desperationem agat; in quibusdam ingentem lætitiam causet; nonnullos in melancholiam inducat. His anxietatem procuret; illos verò in summo admirationis principio suspendat. o altitudo sapientiæ Dei, & quis consiliarius eius? ne inquam in plerisq; zelum animarum hebetet, ac in cæteris curam salutis diminuat; cùm alijs in ruinam, alijs in resurrectionem positus B esse dicatur Christus. Quid enim obsecro huius discriminis causa? An non idem omnibus est Deus? Hebræo, & Græco, Gentibus & circumciso, fideli, & barbaro? quare igitur acceptor personarum esse vult, & aliorum misereri, alios deserere cogitat? Quomodò iam nunc Apostolica traditio subsistere poterit 1. ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri,* hoc est; vt explicat sanctus Augustinus de correptione & gratia, capite vltimo, *vult nos omnes velle salutem, quoniam si in multorum lapsum venit, frustra iam salutem affectarent.* Oblatrabit nunc forsan spurcissimus Caluinus, qui apud Belarminū lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 12. docet decretum Dei de faciendis ex eadem massa vasis, alijs in honorem, alijs in contemptum, antecedere omnem præuisionem culpæ. Nam cùm Deus non posset executioni huius decreti viam aperire, nisi homo peccaret (ideò inquit blasphemus Caluinus) ordinauit lapsum Adami, vt haberet quorum misereretur, & quos iustè puniret. Triumphabit nunc impia Hæresis, Deum omnium malorum authorem statuens, si Christum in ruinam quorundam misit, quod diuino spiritu effatus est Psaltes, inquiens: *Vsquequò obliuisceris me Domine in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me.* Vbi in persona atheorum, & illorum omnium loquitur, qui si quid calamitosum illis acciderit, instantem in rebus aduersis dolorem non ferentes, mox secum perplexi cogitant, Deum infausti cuiuslibet euentus causam esse: quod vbi in animum suum induxerint, certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt, quasi iam nihil eis obesset, pauperem conculcare, orphanos enecare, viduam, & aduenam interficere, & omnibus demùm bel- C luinis cupiditatibus inquinari. Quod confirmat idem Psalmista inquiens: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, in studijs suis.* quasi diceret, ex hoc ipso, quia Christus in ruinam multorum venit, siue morbi, siue intempestiuæ mortes, siue regnorum euersiones, aut ciuitatum incendia, siue naufragia,

1. Tim. 2.

S. August.

fragia, bella, pestes, aut deniq; hominum damnationes, id Deo totum tanquàm Auctori adscribunt, quasi nullum alium præter Deum in euentibus omnibus valeant incusare. Sed audiant quæso Diuum Basilium, sermone, *Quòd Deus non sit auctor malorum,* qui ibidem ad hanc peruersam impiorum opinionem respondet. Vnum quidem hoc habere in mentibus nostris præsumptum oportet, quòd cùm simus boni Dei opificium, & ab illo constemus, omnia circa nos tàm modica; quàm magna dispensare, nihil B nobis accidat illo non volente, & quòd nihil eorum quæ nobis accidunt malum sit, aut tale, vt meliùs illo aliquid excogitare queamus. *Ex Deo* inquit *sunt mortes, sed nihil malum omninò mors est, nisi quis malum dixerit peccatoris mortem, propterea, quòd per illam hinc liberatus, ad infernalia supplicia rapiatur. Rursùs etiam quæ apud inferos sunt mala, non Deum causam habent, sed nosmetipsos, quia principium & radix peccati in nobis est, & in nostra potestate, à quo si abstinuissemus nihil omninò, vnquàm mali pateremur.* Quoniam itaq; Christus, licet in ruinam malorum venerit, non est author malorum. Idcircò nos sobriùs de Deo cogitando, inquiremus hodiè, quomodò Christus in multorum resurrectionem, & in multorum ruinam venit Audit: &c.

S. Basilius

Vnam & eandem rem diuersis diuersa portendere nos edocent satis diuina eloquia. Etenim Exodi 14. columna illa nubis, quæ populum Israeliticum, die pariter & nocte præcedens in àere, ducebat, Hebræos omnes illuminabat, & suis radijs mirificè recreabat: obumbrabat autem simul & excæcabat Ægyptios insequentes. Exodi quoq; 16. Manna à malis seruatum multis vermibus scatebat; bonis verò susceptum nectare & ambrosiâ suauiùs exsudabat. Similiter caminus ille babylonicus, in quem tres pueri propter custodita mandata Dei iussu regis proiecti erant, (teste Chrysosthomo) vno eodemq; momento, iustis refrigeria; iniustis A verò mouebat incendia. Ac denique primi Regum 4. Arca domini cùm in castra Hebræorum deduceretur, qui iam planè victi erant, quasi nullum in exercitu suo detrimentum passi essent, animabat eos; victores tamen simul Accaronitas terrebat. Nam dicit scriptura 1. Reg. 4. *Cumq; venisset Arca fæderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra.* Philisthini verò postquam cognouerunt, quod Arca Domini venisset in castra, addit scriptura, timuerunt valdè & ingemuerunt dicentes; *venit Deus in castra.* quasi dicerent: non Hebræos, sed eorum Deum in castra venientem formidamus, cuius aduentus adeò illos terruerat, vt fugam protinùs arriperent, referente id Seuero Sulpitio lib. 1. sacræ Historiæ. *Vbi* inquit *Arca in conspectū hostium deducta est, Maiestate quadam præsentis Dn̄i territi, fugam parabant, veriti scilicet ne ab ipsa Dei arca percuterentur.* Sed quid est? vtiq; & Philisthini & Hebræi, arcam illam fæderis, Deum esse fatebantur; & tamen illis erat in perniciem, his in defensionem; causa est diuersa opinio de Deo. Etenim Philistini putabant, vel illam materialem arcam esse Deum Hebræorum, vel certè in ea aliquod Numen contineri, quod non esset præsens omni loco, sed modo huc, modo illuc transferretur. At verò Hebræi, neq; arcam illam verum Deum esse credebant, neque in ea Numen omnipotens circumscribi, sed tantùm externos diuinæ præsentiæ effectus, in ea demon- D strari, vt homines alias idololatriæ dediti, & sensibilem Deum habere cupientes, illis saltem externis signis, in cultu veri numinis tenerentur. Hæc est profectò causa, cur Christus Dominus, alijs in ruinam, alijs in resurrectionem positus est, qui vt ingeniosè discurrit D. Ambrosius, libro de virginitate, omnia factus est nobis, si enim vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est; si mortem times, vita est: si cœlum desideras, via est: si tenebras horres, lux est; si deniq; cibum quæris, alimentum

Exodi 14.

S. August.

1. Reg. 4.

Seuerus Sulpitius.

Cur Arca fæderis Philisthinos terrebat, Hebræos verò iuuabat.

Christo alijs in salutem alijs in perditionē venit, propter diuersam de illo opinionem.

mentum est; nihilominùs tamen licet omnia omnibus factus est, diuersum se tamen exhibet, alijs clementem, alijs seuerum: alijs dextram in salutem porrigit, alijs minas intentat & in gehennam proijcit. Causa inquam est, quia licet omnes credimus illum esse verum Deum, non tamen eodem modo. Nam quicunque fide eius sunt illustrati, eundem Christum sub speciebus sacramentalibus esse credunt, quem in cælo ad dexteram Patris residere sciunt; qui verò ab hoc cœlesti lumine sunt alieni, & hæreseos vmbrâ excæcati, fatentur quidem Christum esse Deum, sed in hac fæderis Arcâ figuratè tantùm illum contineri arbitrantur: alij illum reuerentur vt Patrem, alij impudenter offendunt, quasi actiones nostras ignorantem. Positus est itaq; Christus in resurrectionem multorum, quia tantùm rectè credentium vt dicitur Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat, vt omnis qui credit in ipsum non pereat* Vbi quia non omnes credunt in Christum, idcircò non in omnium; sed in multorum resurrectionem venit, vt scilicet quemadmodùm soli Angelorum rebelles ruinam in cœlo fecerunt, soli quoq; mortalium fideles Deo, eandem replerent. Vnde meritò dicit Propheta Ezechielis 38. *Magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient quia ego Dominus* &c. isti tantùm me suum saluatorem experientur, qui filium Dei esse fatebuntur; & esse Dominum vitæ & mortis agnoscent.

Lucæ 19. *Ezech. 38.*

Christ' in duplicem fideliū resurrectionē venit.

Sed quemadmodùm duplex est mors, corporis vna, altera animi: ideò Christus in vtramq; hanc resurrectionem suis fidelibus positus est. Primò in resurrectionem animæ, quam singulis fermè diebus & momentis operatur. Quia cùm dicat scriptura, iustum septies in diem cadere, hoc est; hominem alioqui bonæ conscientiæ septies singulis diebus saltem venialiter Deum offendere, ideò necesse erat, vt Christus sic cadentem hominem à lapsu animæ singulis diebus eleuaret.

Quomodo septies homo in die cadit.

A Primò enim facilè cadit homo, per leuem aliquam præsumptionem, de seipso in animo conceptam; Christus ipsum ab hoc lapsu eleuat per sapientiæ donum, vt docet Gregorius in Moralibus. *Dono* inquit *sapientiæ resurgit homo*, quod illum allicit, ad appetendum summum bonum, quod certè donum non in spumeo verborum ambitu, nec in fuco eloquentiæ mundanæ, aut in flauo sermone per ornatum consistit, sed in ipsa veritate & iustitia B hominem verum & iustum reddens, quod & ipse grauissimus Seneca agnouisse videtur, dùm dicit: *Rem maximam promittit tibi sapientia, vt te reducat tibi.*

S. Gregor. *Seneca.*

Secundò, labitur homo per iram, animo contra proximum conceptam, per quam interiùs obtenebratur, & sui ipsius obliuiscitur, vt dicit Iob cap. 18. *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* Quia vt docet Gregorius 6. Moralium, *per iram iustitia derelinquitur, amittitur ratio, concordia disrumpitur, & lux veritatis amittitur.* & ecce sic cadentem C hominem Christus confestim eleuat, per donum intellectus, quod reducit hominem ad cognitionem sui ipsius, vt indicat Propheta Ps. 110. *Intellectus bonus omnib' facientibus eum.*

Iob 18. *S. Gregor.* *Psal. 110.*

Tertiò, homo cadit per inuidiam, quæ dissuadet, ne aliquid boni proximo faciat, vnde dicit sapiens Prouerbiorum 24. *Vir qui alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei*, scilicet gratiæ Dei, non fortunæ. Inuidebat enim Cain Abel prosperitati, & ideò D eiectus est à facie Dei. Inuidebat Saul Dauid felicitati, & ideò abiecit eum Dominus, ne in populo eius amplius regnaret. Sed & huic ruinæ obuiat Christus, per donum consilij, dùm persuadet, vt proximum quisq; foueat tanquàm seipsum. Cadit quartò homo per acediam, & boni pigritiam, quæ debilitat hominem, ne velit Deo seruire; hæc enim est homini causa impatientiæ, sed ab hoc graui lapsu eleuat illum Christus, per donum fortitudinis, quod roborat & subministrat vires, vt homo cum Tobia possit laudare Deum, dicens: benedictum

Prou. 24.

est

est nomen tuum domine, Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, & in tēpore tribulationis peccata dimittis.

Quintò cadit homo per auaritiam, quæ inflammat hominem, vt multa sollicitè congreget, eaq; tenaciter & impiè teneat; talem quoq; casum sanat Deus in homine per donum scientiæ, quæ ostendit instabilia dona, mouens non solùm cor durum auari, ceù mouet fluuij currentis impetus lapides, iuxta illud Ecclesiastici 21. *Scientia sapientis tanquàm inundatio abundauit.* Sed etiam ornatam mentem, & pretiosam ipsius conscientiam firmans.

Ecclesi. 21.

Sextò, cadit homo per gulam, quæ pietatem fraudulenter indicat, corpori tantummodò inuigilare, animæ verò suæ ne minimam curam habere; quod vitium maximè fugiendum esse suadet Christus Lucæ 21. *Attendite autem vobis, ne grauentur corda vestra, in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ*: taliter lapsum resuscitat Christus per donum pietatis, quæ animam immortalem corpori præferre iubet: si enim pius es in alium, cur in te ipsum crudus? si cum paupere Lazaro lætaris, quare cum diuite epulone perire debes! si tale vitium in alio displicet, cur tibi ipsi arridet.

Lucæ. 21.

Septimò tandem homo cadit per luxuriam, quæ instigat, vt timore Dei postposito, totum se homo libidini immergat; talem lapsum erigit Christus dono timoris, qui vt hominem Deo gratum conseruet, ad verum eius cultum sæpiùs inclinari iubet. Nam dicit sapiens Ecclesiastici 35. *Timenti Deum benè erit in nouissimo.* Meritò itaq; Christus positus in resurrectionem multorum, quia multos à lapsu peccati subleuat, & animam peccatis obnoxiam iustitiâ & gratiâ suâ replet. Vnde dicit Apostolus Romanorum 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* quasi diceret: ille vtrumq; in nobis operatur, & remissionem culpæ, & nouitatem vitæ, quæ fit per gratiam eius, & iustitiam nobis

Ecclesi. 35. *Rom. 4.*

A inhærentem. Positus est quoque in resurrectionem multorum, secundùm corpus, quia vt docet D. Thoma, 3. parte. Quæstione 36. art: 1. & Aristoteles 2. Meteoror. 31. Præstantissimum in vnoquoq; genere causam existere cæterorum, quæ sub illo continentur, sicut inter luminosa corpora sol, qui est excellentissimum mundi lumen, causa lucis est, ita pariter quoniam Christus inter omnes ad immortalitatem resurgentes, principatum obtinet, eò quòd propria virtu- B te seipsum à mortuis excitauerit, ideò etiam debet esse causa resurrectionis nostræ, non tantùm meritoria & efficiens, vt testatur ipse Ioannis 7. *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Apostolo id comprobante Philippensi: 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* in quibus verbis disertè corporum nostrorum resurrectionem includit, vt manifestè deducit Apostolus 2. Corinthiorum 4. *Si spiritus eius qui suscitauit à C mortuis Iesum, habitat in vobis, suscitabit mortalia corpora vestra.* O meritò in resurrectionem multorum positus, quoniam eius resurrectio fundamentum est firmum, cui spes quoq; nostræ resurrectionis innititur. Refert Pierius lib. 24. folio 226. decrescentibus inundantis Nili aquis, pisces quosdā inueniri, quos aquæ humiditas generare inchoauerat, formata habentes capita vitali motu vigentia; nullum tamen in reliquo corporis, quod terrenum adhuc erat, vitæ signum appare- D re. Per quod ostenditur naturam opus suum inchoasse, sed nondum perfecisse. Certè ex hoc ipso nostra resurrectio futura non improbabiliter agnosci posset. Cæpit enim iam in nostro capite resurrectio (quod est Christus Iesus) sed mysticum electorum corpus, terrenum est adhuc, nec immortalis vitæ influxus participat; quia tamen opus hoc paulatim perficitur, certè is qui cæpit influere, non desistet, donec perfectè surgenti Christo assimiletur: iuxta doctrinam Pauli: *Donec formetur Christus in vobis.* Vnde sanctus Augustinus sermone 91.

Ioann. 7. *Philipp. 3.* *2. Cor. 4.* *Pierius.*

Inundatio Nili mirabiles pisces generat.

de ver-

de verbis Apostoli grauiter arguit de reali corporum resurrectione dubitantes. S. August. *Te* inquit *appello, quicunq; infidelis animo de resurrectione dubitas, & putas non posse mortuos resuscitari. Quid est enim amplius, ex nihilo homines facere qui viuant, an eos qui facti sunt, & vixerunt reparare post mortem? vtiq; plus est facere, quod non fuit; quàm reparare quod fuerit? Quomodò ergo impossibile esse dicis, vt Deus qui hominem formauit ex nihilo, reformet. quomodò nos suscitare non potest conuersos in puluerem, qui etsi in nihilum rediremus, facere poterat, vt essemus.* Et quòd Christus non tantùm in resurrectionem animæ nostræ, sed etiam corporis venerit, optimè insinuant illa verba Matth. 22. (Matth. 22.) *De resurrectione mortuorum non legistis, quòd dictum est à Deo dicente vobis. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* quæ verba Hieronymus, & Anselmus cum Diuo Thoma in caput 22. Matth. sic exponunt (S. Hieron. Anselmus, D. Thomas.): cùm Deus habuerit hos Patres tanquàm charos amicos, & fidelissimos seruos, non patietur eos sine remuneratione abire, & quoniam illi animo simul & corpore seruierunt, consequens est, vt non solùm animæ; sed etiam corpori præmia rependantur. (Resurrectionis manifesta scripturæ documenta.) Proinde non solùm in anima; sed etiam in corpore eos ad immortalem vitam deducet Deus, vt impleatur illa Ezechielis prophetia capite 37. *Vaticinare, ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, & inducam vos in terram Israël, & scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris.*

Atq; hoc ipsum, quòd Christus in resurrectionem multorum sit positus, habet homo ex singulari eius clementia, cui placuit magis bonitate cum homine, quàm potentiâ, pugnare: in quo mihi videtur Christus magnum illum Alexandrum imitatus, qui cùm nobilissimam Bizantij vrbem dominari vellet, ad eamque obsidendam ingenti armatæ militiæ exercitu properaret, Philosophus quidam obuiam illi veniens, sic eum allocutus est; quare ô inuictissime Alexander, cum te, nec tuos vnquàm vlla iniuriâ affecerimus, ita nos expugnare tentas? Respondit Alexander, pulchritudinē ac nobilitatem illius inclytæ ciuitatis, mirabiles in suo animo amores excitasse, propter quod non se priùs desistere velle, quam illam suo dominio subiugaret. Tunc Philosophus: non igitur inquit, (si amor te impellit) ense euaginato opus est, sed armis depositis, dulci tuâ loquelâ, ac pristinâ beneuolentiæ consuetudine pugna, & absq; dubio illâ facilè potieris paruit consilio Alexander, moxque Bisantij dominus factus est. Sic planè Deus pulchritudine generis humani captus, omnes mortales suo imperio subiugare voluit, *ludens in orbe terrarum.* Prou. 10. (Prou. 10.) id est pugnans: ludere enim pro pugnare sacrorum voluminum monumenta vsurpant, sicut habetur Paralippom 2. *Surgant pueri, & ludant, & surrexerunt viginti quatuor iuuenes, inter se acerrimè digladiantes, & grauissimè inuicem percutientes.* Similiter Ecclesiastici 47, (Ecclef. 47.) sapiens de Dauide loquitur; *Lusit cum leonibus tanquàm cum agnis.* quasi diceret: ita facilè leones expugnabat, veluti si agni essent.

Ludebat itaque olim Deus, bellis cruentis orbē expugnans; nunc multa hominum millia eadem nocte interficiens, nunc fame, & peste vexans, atq; plena imperia deuastans; nunc grandinem, sulphur, & ignem de cœlo proijciens, & plenè innumeris supplicijs orbem terrarum conterens. At cùm videret Deus, quòd innumeris ab eo illatis in genus humanum supplicijs, adhuc homines recalcitrarent, & rebelles persisterent, cùm inquam videret homines magis blanditijs; quàm minis & terroribus allici, bellica diuinæ iustitiæ tormenta, in musica instrumenta commutauit, & noua bella elegit, non iam ense trucidante, non grandine deuastante, non igne absumente, sed osculis: & amplexibus, gratissimus omnium oculis factus infans, obstinatos omnium animos expugnat. Vt agnoscat fidelis populus, illum iam nō in perniciem, sed

sed in salutem suam venisse. Quia quamdiu Deus in propria specie mundo apparebat, semper homo ab illo sibi casum inferri timebat, quemadmodùm Daniel videns Angelū chrysolitho indutum, æreisq; brachijs compactum, exanimis in terram cecidit, & præ timore dissoluta sunt ossa eius. *In visione* inquit *tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium, & quomodò poterit seruus Domini mei cum Domino meo loqui?* postea verò videns eundem Angelum, non iam in pristina sua specie; sed in formâ hominis, fatetur se summa alacritate perfusum vires resumpsisse. *Rursùm* ait *tetigit me, quasi visio hominis, & confortauit me, cumq; loqueretur mecum conualui, & dixi, loquere Domine mi, quia confortasti me.* Sic planè quia venit iam Christus in mundum, non in horrendo deitatis suæ fulgore, verùm sub forma hominis, neruis, ossibus, & carne instar nostri, compactus, alacritate perfundimur, illum humanè, & benignè nobiscum acturum sperando. talem certè Christi aduentum postulabat. Propheta Isaiæ 62. (Isaiæ 62.) *Non quiescam donec ingrediatur vt splendor, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Vbi sanè non immeritò optabat se videre Filium Dei, intra vas fragile & vitreum nostræ humanitatis conclusum, & instar lampadis coruscantem, quia sicut in lampade accensa quatuor inueniuntur, vas vitreum, oleum, aqua, & lux; sic in Christo hæc quatuor mirificè splendent; corpus terrenum & infantile, ecce vas vitreum, & fragile! lachrymæ ex oculis fluentes, ecce aquam singularem, & inauditam misericordiam! atque oleum clementiæ symbolum, splendentes radij, qui è Christi infantis vultu dimanant, ecce lucem, sed non inaccessibilem? siquidem ad eam non solùm reges, sed & humiles Pastores, immò & animalia rationis expertia accessēre. Meritò proinde in resurrectionē multorum venit, infans Iesus, quia nescit nisi benignè & clementer nobiscum procedere? sed venit etiam simul in multorum ruinam, scilicet in omnium infidelium; immò etiam in eum credentium, quorum vita est peruersa, quia sola fides ad salutem nō sufficit, nisi quis priùs bonis operibus abundet. Et certè cùm Christus sit remunerator bonorum pariter & malorum, pertinebat ad eius iustitiam, vt bonis esset præmium immortalitatis; malis verò pœna damnationis, ad quod puto respexit Regius Vates, qui inter pleraq; præconia, quibus diuinam maiestatem exaltat, illud ei singulare addit Psalmo 49. (Psal. 49.) *Iustitiâ plena est dextera tua*, vt ostenderet Deum, non solùm in remuneratione bonorum esse clementem, sed etiam in punitione malorum seuerum.

Hinc etiam Moyses mundi creationem describens, Deum non alio nisi iudicis titulo cohonestat, qui ad rationem creationis, & munus creatoris, nihil facere videbatur. Quis enim non diceret rationi consentaneum magis fuisse, si Moyses dixisset *Saddai*, id est; *omnipotentem*, aut *El*, id est; *fortem*, aut *Adonai*, id est; *Dominum* aut *Iehoua*, id est; fontem & scaturiginem omnis entis. Sed statim incepit. *In principio creauit Deus cœlum & terrâ*, (Genes. 1.) quod originale Hebræum & Paraphrastes legunt. *In principio creauit Heloim*, id est; *iudices*. Sed diuino vt video spiritu afflatus Moyses, consulto vsus est nomine *Heloim* iudices significante, quia licet in opere creationis Deus omnipotens Maximus, omnipotentiam suam ostentauerit ex nihilo omnia creans, quod magna illa Machabæorum mater edocebat filium, inquiens: *Peto à te nate: vt aspicias cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* 2. Machabæorum 7. (2. Mach. 7.) licet ostenderit suam fortitudinem. *Attingens à fine vsq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Sapientiæ 8. (Sapien. 8.) Licet manifestauerit se excelsum: *Vas admirabile opus Excelsi.* Ecclesiast: 43. (Ecclef. 43.) Licet declarauerit se omnium dominum, Ecclesiast: 13. (Ibidē. 13.) *Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Deus vniuersorum tu es.* Meritò tamen & sapienter admodùm nomen

men Iudicis, quod in fine mundi debitum est Deo, in principio creationis eius tribuit ei Moyses, quia vt prudenter obseruat Cardinalis Caietanus in cap. 1. Geneseos, per hoc significare voluit, Deum iustitiæ distributiuæ adeò amantem esse, vt omnibus & singulis rebus à se creatis, gradus, perfectiones, qualitates, pondus, numerũ, mensuram, locum, & situm, ordinem & cætera id genus, iuxta exigentiam, & merita cuiusque naturæ eis impertierit.

Ecce igitur habemus Christum in ruinam & resurrectionem multorum positum esse; in resurrectionem quidem credentium, & opera pietatis exercentium: in ruinam verò incredulorum, & vitijs potiùs; quàm virtutibus inhærentium. Non igitur vllus præsumat, non etiam quispiam diffidat aut desperet, quia iustissimus Iudex est Christus, & ex æquo ius suum cuiq; tribuet: si enim nos in humilitate, tribulatione, misericordia, & charitate stabiles repererit, dubio procul labentes eriget. sin verò desperatissimè & resolutissimè in vitia ruentes viderit, cadentes in æternum deprimet. Quocirca ne qui in salutem nostram venit, sit nobis in ruinam, deseramus vitia, & amplectamur virtutes, vt cum nato, & resurgente Christo, in perpetuam incorruptibilitatem resurgere valeamus, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur. *Lucæ 2.*

Christus ratione crucis, Virginis Mariæ, & proprij corporis, tàm passibilis, quàm Sacramentalis, & gloriosi, factus est signum contradictionis

NOn me latet, mundanam lætitiam mœroribus continuis permisceri; ast in gaudio cœlitùs immisso, dolori non videtur locus concedendus. Et tamen cùm ex recens nati paruuli, in redemptionem humani generis à Patre æterno missi, vix lætari inceperimus, sancta mater Ecclesia, vagire nos hodiè iubet, ruinam ex aduentu infantis multorum augurans. Modo primùm Beata Virgo cum omni reuerentia, & deuotione Christo nato cultum latriæ exhibuit, vt docet S. Bonauentura in meditationibus vitæ Christi cap. 7. Vbi perpendens, quid Deipara egerit statim, ac infantulum Iesum edidit, ita dicit: *Maria ergò exis genibus adorauit, & gratias agens Deo dixit: Gratias tibi Domine sancte Pater, qui filium tuum mihi dedisti, & adoro te Deus æterne, & te filium Dei viui, & meum.* Et ecce statim à Simeone annoso triste vaticinium audit: *ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Miratur auctor Imperfect. hanc Simeonis imprudentiam, & minus bonum ac prorsùs omni humanitate carentem affectum, inquiens: *Ignoras o Simeon, conceptionem huius pueri esse admirabilem, & interim velut de communi signum, veræ nullius est locus ruinæ, & collapsionis, qui sese ita demiserit.* Crederem facilè, B. Virginem verba hæc Simeonis, cor suum non leuiter pungentia, duriore aure suscepisse. Si enim Rebecca dùm colluctantes in vtero conceptos filios sentiret, iustè condolens ita loquebatur: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Quæ verba Guerricus Abbas Serm. 3. de Annuntiatione propè finem ita exponit: *Sed cùm sese colliderent paruuli, discordes in vtero Rebeccæ, quæ priùs orauerat, vt conciperet, dolens ventrem suum à tribulatione malorum, & dolore, penè pœnitebat, quòd concepisset.* Nonne æquiori iure Beata Virgo vaticinanti Simeoni dicere potuit: dicis Simeon filium meum futurum in ruinam, & signum contradictionis, en dolorem meum: *Si enim sic futurum erat, quid necesse fuit concipere.* Verùm nullo modo hoc cadere potuit in Virginem sanctissimam, quæ de omnibus mysterijs per scientiam infusam perfectissimè instructa erat. Proindè nouerat optimè Simeonem illis verbis, non sibi nouam aliquam notiti-

B. Virgo Christo nato cultum latriæ exhibuit.

S. Bonau.

Auctor Imperfectus.

Genes 25.

Guerricus Abbas.

notitiam attulisse, sed nobis, vt præclarè exponit quidam Neötericus. *Simeon* inquit *non propter Virginem instituendam, sed propter alios, & propter Ecclesiam illa prophetica verba protulit; singulariter autem direxit sermonem ad virginem, quia illa mysteria specialiter ad ipsam pertinebant.* Quæ expositio ex eo probatur. quia Simeon in illis verbis allusisse videtur ad locum Isaiæ 8. Vbi dicitur: *Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem.* Quem locum de Christo S. Petrus in sua, Canonica cap. 2. exponit, & D. Paulus Rom. 9. Sanctus ergo Simeon, non ad virginis Deiparæ exacerbationem, quæ erat in scripturis sacris versatissima, easq; optimè nouerat, sed ad Ecclesiæ sanctæ informationem verba illa protulit: *Erit in signũ contradictionis.* Considerabimus itaq; quomodò Christus sit positus in signum contradictionis.

Isaiæ 8.

Christum positum esse in signum contradictionis, censet Occumenius, quia est positus in miraculum, cui ab infidelibus contradicitur: miraculum enim erat, quòd Christus neq; homo tantùm, neq; Deus tantùm, sed Deus simul & homo esset, ideoq; quasi rei, quæ super naturam est, contradicunt ij, qui omnia secundùm naturam inquirunt, nec quidquam supernaturale intelligere possunt. Alij Christum in signum contradictionis positum esse putant, quia omnia quæ de Christo narrantur, sunt signũ cui contradicitur ab infidelibus. Tale signum inprimis erat crux sacrosancta, in qua redemptor noster pro salute generis humani pependit, vt docet S. Chrysosth: in hunc locum. *Signum* inquit *illud est crux, cui contradicitur à sacerdotibus Iudæorum, Legisperitis, & multis alijs.* Quod clarè innuit D. Paulus 1. Corinth. 1. *Prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Et ideò paulò ante præmiserat: *Verbum autem crucis pereuntibus quidem stultitia est; ijs autem, qui salui fiunt, Dei virtus.* Ecce tibi crux Christi, qui notissima Dei sapientia est apud plurimos, apud alios stultitiæ datur, nihilq; in ea nisi stultum apparet. Quoniam verò apud rectè credentes, ita radiat & rutilat virtus crucis, cur iudæi, atq; Gentiles non vident in illa, nisi quid stultum? sanè quia illorum grauis culpa, & in ipsam Dei maiestatem temerarius ausus, ignoratione & cæcitate a Deo punitur. Sic censet Tertull. lib. 4. in Marcion: cap. 5. Vbi dicit: *Cur apud Dominum optimum, ex profusa misericordia alij salutem referunt, credentes crucem virtutem, & sapientiam Dei esse; alij perditionem, quibus eius stultitia reputatur, si non creatoris est, aliquam & populi, & humani generis offensam, detrimento sapientiæ atq; prudentiæ mulctasse.* Ecce signum contradictionis crucem sanctam, quia arbor crucis ad propalandam veritatem nata est. Quis enim non videt, ad munus veritatis monstrandæ, contradictiones pertinere, cùm hæ veritatem potentiorem faciant. Audite D. Chrys: orat: de occursu domini tomo 6. pulchrè id edisserentem his verbis: *Expositum verò est signum hoc contradictionis, vt refutentur, & confundantur, qui sola malitia & improbitate illi aduersantur. Nam si veritas nulli controuersiæ apud homines obiecta foret, pietas iustam probationem nullam haberet: permissa autem contradictio, hærenti voluntati claram veritatis lucem efficit.*

S. Chrys.

1. ad Corinth. 1.

Tertull.

S. Chrys.

Vultis maius experimentum istius rei? recurrite ad historiam Susannæ castissimæ feminæ Daniel. 13. Huic olim à peruersissimis senibus multiformes tendebantur insidiæ, & calumnijs factiosæ emerserant causæ. Senes enim prodigiosis libidinis facib. inflammati, sua improba desideria feminæ castitatis gloriæ, & pudicitiæ laudi petulanter exponebant, eoque deuenit amentia, vt quisq; riualis nõ vereretur consortia. Ambo infami conspiratione concordabant, quo faciliùs impotentis insani amoris consilia adimplerent. Sed pudica femina periculis circumuenta, agnouit, si se subijceret crimini, amasijsq; consentiret,

ſentiret, mortis ſubituram ſententiam; ſi non conſentiret, paſſuram infamiam. Cùm ergo improbi ſenes, conſenſum eius ad illicitas carnis voluptates extorquere nō poſſent, quaſi caſtitatis, & adulterij ream, per ſubordinatos falſos teſtes, coram omni populo eam infamare, & accuſare cœperunt.

Daniel 13.

Venit ad eam adoleſcens, qui erat abſconditus, & concubuit cum ea. Cumq; ad mortem condemnaretur, exclamauit voce magna: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequàm fiant, tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ iſti malitiosè compoſuerunt aduersùm me.* Et ecce ſuſcitauit Dominus ſpiritum pueri Danielis, qui infantili voce fraudem detegeret, innocentemq; Suſannam ad ſupplicium raptam eliberaret. Reuerſus eſt populus, & nouum inſtitutum iudicium: aduocauit Daniel vnum de duobus illis teſtibus, vtq; deceptorem indicaret, arborem petijt ſibi indicari, ſub qua fuerit admiſſum facinus.

Ibidem.

Dic mihi ſub qua arbore videris eos? Leue forſan quid, & facilè ab aſtutis ſenibus reijciendum videretur forſan propoſitum in hac petitione arboris, cùm facilè reſpondere potuiſſent aſtuti ſenes, ſe inter tantam arborum multitudinem, quanta erat in pomario, & in tanta rei atrocitate repentè obiecta, nec attendiſſe, nec potuiſſe attendere ad ſingularem arborem. Cur ergo Daniel recurrit ad tàm facilè reijciendam interrogationem de arbore ſingulari? cur non potiùs interrogauit de angulo, ex quo viderant, quibus citiùs poterant conuinci falſitatis? Non enim erat facilè, quod ſeparati à pomario poſſent locum deſignare, aut angulum, in quo, & ex quo ſine arborum impedimento potuiſſent videre, & non videri: Cur ergo his difficilioribus omiſſis, priùs recurrit ad arborem? Profectò ſcientiâ Dei imbutus de omnibus interrogaturus, ſi opus fuiſſet, priùs de arbore interrogabat, ſciens fidelibus ab arbore & victoriam, & veritatem demonſtrandam. Per quod oſtendebat, vnicam crucis dominicæ arborem, lapidem Lydium futuram, quo nuda veritas, & victoria pateret. Audite D. Chryſoſt: tom. 6. homil. in Paraſceu.

S. Chryſ.

circa arborem inquit proſtrauit diabolus Adamum, circa arborem debellauit Chriſtus diabolum. Et illud quidem lignum mittebat ad inferos; at hoc etiam illos, qui iam eò deſcenderant, reuocabat. Iterum lignorum alterum Adamum iam captum, nudumq; occultauit; at hoc victorem nudum in alto oſtendit.

Adam quippè poſt tranſgreſſionem, videns ſe nudum, abſcondit ſe in medio ligni paradiſi: Dei autem veritas Chriſtus Ieſus, nudum ſe in alto ligni crucis conſtituit, vt omnibus & victoriam, & veritatem ſuam manifeſtaret: quoniam à ligno crucis, tanquàm à ſigno contradictionis, nuda ſemper veritas claret. Sic contradictionum fluctus in cruce franguntur, & inde veritas illuſtrior efflorescit. Ex quo igitur crux ſancta apparuit in mundo, hoc emolumentum accepit homo ab ea, vt intima ſecreta cordis, & malitia etiam cogitationum intrinſeca, verè & nudè prodiret foras, nullumq; facinus maneret in pectore abſconditum.

Origenes autem per hoc ſignum contradictionis, intelligit ſanctiſſimā Dei genitricem. Quod non operosè deducit ex illis verbis S. Ioannis Apocal: 12.

Apoc. 12.

Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim ſtellarum. id eſt, oſtentum prodigium, portentoſa viſio, & ſpectaculum, idq; magnum in ſe: quia in hoc ſigno viſa eſt ſancto Ioanni mulier magna, amicta ſole, coronata ſtellis, calcans lunam, pariens maſculum, ac pugnans cum dracone. Sed quid ſignificetur per iſtam mulierem portentoſam, diſceptant interpretes Scripturæ ſacræ.

Mulier amicta ſole quid ſignificet.

Nouarinus vult ſignificari quamlibet deuotam perſonam, ac fidelem animam, quæ dicitur ſole amicta, quatenùs amori ſuo, id eſt Chriſto firmiter adhæret: dicitur habere lunam ſub pedibus, quatenùs

nùs omnia terrena calcat. Andreas verò Cæſarienſis per hanc mulierem, vult ſignificari Eccleſiam ſanctam, cuius prodigioſa fuit à Chriſto inſtitutio, eiuſq; inter tot hoſtes per Apoſtolos propagatio, ac incrementum. Mulier itaq; iſta Eccleſiam deſignat, Sol verò Chriſtum, & ideò amicta ſole viſa eſt, quia fideles, ex quibus Eccleſia conſtat, in baptiſmate Chriſtum induunt. Per lunam verò, quam ſub pedibus ſuis habere videbatur, intelligitur mundus præſens, quem Eccleſia deſpiciendo calcat, vt liberiùs ad cœleſtia tendat. Hæc eſt etiam mens S. Gregorij lib. 24. Moral. cap. 12.

S. Gregor.

Mulier inquit *ſancta Eccleſia eſt, quia superni luminis ſplendore protegitur, quaſi ſole veſtitur: quia verò cuncta temporalia deſpicit, lunam ſub pedibus premit.* Comprobat Methodius his verbis:

S. Meth.

Mulier ſole induta eſt Eccleſia; quod autem nobis veſtis eſt, hoc illi lux eſt. Pari modo, quod nobis eſt aurū, & pretioſi lapides, hoc illi ſunt ſtellæ, & quidem cæteris præſtantiores, ac illuſtriores. Aſcendit autem ſuper lunam, quia ſynagogam ſub pedibus proſtratam habet.

Cæterùm, per hanc mulierem ſancti patres, Virginem ſanctiſſimam cōmuniter intelligunt, quod expreſſè indicant verba illa S. Ioann. loco citato:

Apoc. 21.

Et peperit filium ſuum maſculum, qui recturus erat omnes gentes, id eſt Chriſtum. Hæc igitur cœleſtis femina oſtendebatur ſancto Ioanni, Virgo Maria in vtero habens de Spiritu ſancto, quæ poſita eſt in ſignum contradictionis. Addit enim ſtatim S. Ioannes:

Ibidem.

Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret. Res ſtupenda: Eidem Ioanni Pathmos incolenti, oſtenſa fuit ſimilitudo filij hominis, podere veſtiti, & ad mamillas præcincti, cuius dextera ſeptem luminoſis ornabatur ſtellis, & ſol facie fulgentiſſimos adeo eiaculabatur radios, vt etiam aquilinos perſtrinxerit oculos Apoc. 1.

Apoc. 1.

Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat, & facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua. Et tamen ibi nullus adfuit inimicorum inſultus; imò ſtabili æternabatur ſol ſplendore, nec tortuoſus coluber deijcere conabatur ſtellas, nec mouebat ſeditioſas in cœlo turbas. Quando verò poſtea vidit mulierem ſole amictam, hoc eſt Virginem MARIAM, incarnato DEI verbo fæcundatam. Ecce ſtatim conſpicua illa luminum claritas, qua mulier vndiq; circumdata fuit, ita venenoſi oculos ſerpentis reuerberauit, ita inuidentiæ acriùs venenum inflammauit, vt cæruleas ſpiras explicaret ſubitò, ſquamas ardore accenderet, collum erigeret, ardentibuſque oculis, & obſcurare conaretur lumina, & nati ſanguine inuidentiæ ſopire venena. Inquiramus ſi placet, quid tunc ſerpentem illum infernalem in audaciam adeò inſanam impulerit, cùm ad illam priorem portentoſam filij hominis, pari lumine radiantis oſtenſionem, & delituerit timidus, & ima habitauerit contractus? Nam ſi ibi filius hominis adornabatur diuinitate, & hic pariter in muliere ſancto Ioanni oſtenſa, eadem diuinitate adornatur: ſi ibi ſolares radios extimuit, & hic pariter emicant ſolares radij. Ergo aut vtrobique prælium intentare debuit, aut fugere vtrobique. Cauſam hanc vnicam agnoſco: in prima viſione, filium hominis adoriri nequaquàm auſus fuit: quia ibi aptis locis omnia lumina diſpoſita agnouit, Filius enim hominis ſtellis, & ſole ornabatur eo ordine, vt ſtellæ manu fulgurarent; ſol verò, vt pote nobiliori lumine, cumulatioriq; ſplendore irradians, ſuperiorem partem, id eſt, faciem occuparet. In ſecunda autem viſione mulieris, quia lumina illa ſpecie tenus vidit inuerſa: nam ſtellæ ambiebant verticem mulieris, ſol inferiori ſitu locabatur, luna tandem infimo, ideo dùm falſus, non adeò apte collocata autumaret. & debitum non ſeruare ordinem crederet, bellum adorſus eſt. temerarijs auſibus pacis tranquillum ſe deleturum putans.

Proh ſerpentinam verſutiam, & verſutam inſaniam, vt Deum ipſum deuora-

Apoc. 12.

deuorare contenderit : *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret.* Proh inconſultam temeritatis audaciam! proh brutalitatem inuidam! Nocere non potuit, & tamen nocere exambiuit, vltraq; potentiæ metas, vt læderet, tranſilire ſtudiosè contendit. Sed ſuo malo : dùm enim innocentiæ ſuſpiraret detrimentum ſibi, procurauit excidium, addit ſacer textus : *Et proiectus eſt draco ille magnus in terram.* Equidem non videtur pœna proportionata culpæ, allocutus eſt idem ſerpens antiquus Euam, & captioſis adulationibus fefellit, Deum inuidentiæ inſimulans, quò manum citiùs ad arborem exacueret. *Nequaquàm morte moriemini : ſcit enim Deus, quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri; & eritis ſicut dij.* Vbi huius doloſæ fraudis mulcta fuit, non ſolùm turpi adreptatione corp⁹ per ima trahere; ſed etiam execrandum inter animantia haberi. *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ : ſuper pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Videte grauitatem pœnæ : non ſolùm maledictis oneratus eſt ſerpens, ſed etiam turpi adreprationi adiudicatus. Quando verò Dei hominis nitebatur abſumere vitam; leuiùs punitus eſt : quia ſolùm proiectus in terram. Ne miremini : nam in cœlo ſolùm Dei hominis vitam abſcondere aggreſſus eſt; vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret; in paradiſo autem dùm mentiretur Deum inuidum, eius famam denigrare concupiuit. Cùm ergo grauius ſit crimen, famam lædere, quàm vitam abſcindere, ideò draco leuiorem ſubire debuit pœnam, dùm auderet in vitam; acerbiorem verò dùm auderet innubilare famam. De quo pulchrè Rupertus lib. 3. in Geneſim cap, 7. ita diſcurrit : *Scit Deus, quia quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri. Hoc vtiq; volebat intelligi, quòd claritatem omnis ſapientiæ; diuinitatem quoq; & omnium ſcientiam Deus inuidens homini, tale lignum illi interdixit.* Vt ergo noſcamus maiorem deberi pœnam abrodenti honoris gloriam, quàm auferre nitenti vitam, ideò ſerpens infernalis, ob intentatam filio hominis mortem leuiùs punitus eſt, quàm ob læſam famã.

Geneſ: 3.

Rupertus.

Detractor grauiùs puniri debet, quám homicida.

O linguæ venenum! quantam pœnam procaci diffamatori accumulas? vt faciliùs ferant homines manu lacerari; quàm contumelijs feriri. Prodeat teſtis luculentiſſimus huius veritatis, dux & anteſignanus Dauid: multa ille in Saulem contulerat beneficia, ſed quæ potiùs Regis ſufflammauerint iram; quàm promeruerint gratiam. Ad necem quærebatur, & Saul irâ percitus, vt implacabili me. deretur odio, vnico ſalutis ſuæ aduerſabatur remedio : haſtam in Dauidem, quem præſentem viderat, eiaculatus eſt, & vitam abſtuliſſe molitus. *Tenebat Saul lanceam, & miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete.* 1. Reg. 18. Quid verò innocens Dauid? *fugit à facie Saul:* & qui impurato ſpiritui abigendo modulatam adhibebat lyram, inuidentiæ modo adhibuit etiam diſtantiam. Quoniam cum cantu abegiſſet gehennalem illam furiam, nullis artibus potuit medicare inuidentiam. Perquirebatur itaq; in montibus, inueſtigabatur in ſiluis, cogebatur errare in campis, donec clementiſſimus Deus, iuſtitiæ oculus iuſti miſeratus labores, in eius manus traderet inimicum Regem : *Ecce dies de qua locutus eſt dominus ad te : ergo tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis.* 1. Reg. 24. Verùm generoſum Dauidis pectus, & ſolùm gratiæ ſeruire gnarum, noluit regio ſanguine manus ſuas polluere. pepercit Oſori, & necem ſuſpirantis curam egit. *Quoniam cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te,* At verò hic idem ipſe Dauid, cum Nabalem per miniſtros rogaret, vt pueris eius famelicis ſuccurreret; ille autem, vt potè homo agreſtis & ſtupidus, ſeruos Dauidis contumeliosè abegiſſet, ſtatim milites armis iuſſit muniri, & properauit

1. Reg. 18.

Ibidẽ 34.

rauit totam Nabalis domum penitùs extincturus : *Accingatur* inquit *vnuſquiſq; gladio ſuo.* Quid eſt? antea Dauid Sauli telum in ſe contorquenti, dùm illum in manu haberet, pepercit; nunc verò in Nabalem cibos negantem, adeò ardenti furore inſurrexit, inquiens : *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, vſq; mane mingentem ad parietem.* An certè ideò, quia Saul purpuræ nitore fulgurans, & dignitatis faſtigio micans? ſæpenumerò autem maiora potentiorum diſſimulantur ſcelera, cùm in abiectis hominibus etiam leuiora peccata, tota rigoris ſeueritate puniantur. Nihil horum : qui enim innocenter percutitur à Principe, iam inde iudicij authoritatem habet, qua perdat principem. Et vbi ſanguis innoxius effunditur præcipuè à Principibus, ibi neſcit Deus quieſcere aduersùs illos, donec plenam vltionem percipiat, in ipſorum principatûs ruinâ. Hoc ſpectans Abacuc dicebat : *Væ, qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* Quæ verba Theodoretus ſic expendit : *Lamentis & luctibus dignus es, qui ex iniuſtis cædibus regnum tuum auxeris, & non intellexeris, vt Deus omnipotens abs te repoſcit rationem vitæ iniq; tranſactæ* Nam ſi hoc cognouiſſes, non poteſtate ſeu igne quodam vſus fuiſſes in multas nationes, nec eis inexpiabilia mala inuexiſſes. Proinde innocentia patientis poteſtatem ſumit ex Deo ad ſuos occiſores perdendos. Cuaſam ergo genuinam innuit ſacer textus, dum refert, Nabalum Dauidis mores abroſiſſe, & famam oblocutionis maculis denigraſſe, blaterabat quippè : *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? hodiè increbuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos.* Quaſi diceret : Dauid prædonum, ac iura infringentium patronus, Rempublicam turbat, & omnia moribus peruerſis inquietat. Et ideò acerbius fuit Dauidi maleuolæ linguæ telum, quàm manus pilum; ita vt facilè necem molienti indulſerit; milites verò in iacientem probra obarmârit. Vt hinc facilè quiſpiam cognoſcat, læſione famæ, nullum maius crimen eſſe, vtq; ſimul addiſcant ſuperiores, ac Principes frænare linguam, ac reuerenter cum ſubditis agere, non verbis contumelioſis adurere, non falſis impoſturis, omnibus abominabilem reddere, non deniq; per fas & nefas regno eijcere, ac bonis fortuniſq; omnibus, ac vitâ, quâ nihil carius in vita, ſpoliare. Quemadmodùm fecit impius Rex Achab, qui iuſtum Naboth ſine cauſa occidit, falsò criminis inſimulatum, vt eo nõ viuente vineam ſurriperet illius, & quod reſiſtente iuſto facere prohibebatur, mortuo faciliùs exequeretur.

Deus propter innocentẽ ſanguinem à Principib⁹ effuſũ, eorum principat⁹ perdit.

Theodor.

Principes quomodò cum ſubditis agere debeant.

Stando nihilominùs penes genuinam Euangelij Sancti expoſitionem, video ſoli Chriſto, potiſſimùm id cõpetere, quòd ſit ſignum contradictionis. Fundamentum ſufficiens reperio in Scriptura ſacra Geneſ: 9. Vbi poſt diluuij ſtragem, ſic dominus faciebat ſecuros homines : *Hoc eſt ſignũ fæderis, quod do inter me, & vos, ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas : Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fæderis inter me, & inter terram.* Quidnam autem arcus iſte ſignificet, reſpondet Gloſſa moralis, quòd Chriſtum. *Hoc* inquit *ſignum eſt cæleſtis arcus, per quem ſignificatur Chriſtus, in quo eſt fortè lignum, & chorda mollis, per quæ ſignificatur virtus diuinitatis, & fragilitas humanitatis, & ſicut in arcu chorda mollis flectit lignum, ſic in paſſione humanitatis flexus fuit rigor iuſtitiæ, & ſeueritatis. Qui verò fide pura, & deuotione reſpiciunt hunc arcum, ſecuri ſunt à diluuio vitiorum.* Recurrite mecum ad maiorem comprobationem, ad illum ſcripturæ locum, Pſal. 77. *Mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* Videte myſterium : nullæ tunc nubes erant in cœlo, quando manna cadebat; ſed Angeli illud emittebant, & ideò vocabatur *panis Angelorum.* Cur ergô quod Deus mandauit Angelis, dicitur mandaſſe nubib⁹? & cur potiùs maluit

Geneſ. 9.

Gloſſa moralis.

Pſal. 77.

maluit vocabulo nubium vti, quàm Angelorum? ne miremini: quia per hoc figurabatur in nubibus Eucharisticis arcus fœderis, pacificè inter Deum,& homines,scilicet Christus. Mittendo itaq; cœlestem illum panem, nubes in eo mittendo commemorauit, vt innueret inesse signum pacis, & fœderis, inter homines ac Deum. Ita resoluit Guitmundus Archiepiscopus Auersensis lib. 2. de veritate Eucharistica loquens: *Christus deniq; inter homines, & Deum mediator, dum nobis semper velut arcus in nubibus, ex diuina consistens, & humana substantia fulget, eumq; pater pro nobis interpellantem semper aspicit, inter Deum, & homines signum est fœderis sempiterni.* In eo igitur, quòd sol iustitiæ Christus, candidissimis frumenti speciebus obnubilatus appareat, iam ibi signum est, iam arcus visitur, qui Deum hominibus fœderatum & pacificatum faciat. Qui enim diuinæ Eucharisticæ mensæ adsunt, vt ibi pelagus immensæ bonitatis hauriant, iam ibi signum habent æterni fœderis, æternæ reconciliationis, & pacis.

Guitmūd.

Nec sanè mysterio caret, quòd nō aliud signum fœderis diuini, vt terra maneat à diluuio secura, positum sit, nisi arcus iridis. Quippe is est arcus, qui ex se nihil habet, nullum in veritate colorem sibi acquirit; sed quos refert colores, soli illos omnes acceptos refert, ex cuius reflexis radijs apparent illi, quasi in nubibus existant. Ita planè nobiscum fit, quando nihil nobis attribuimus, sed omnia bona, & pulchra referimus Christo, tunc clarissimum signum damus æternæ salutis. Vt præclare docet S. August: lib. 12. contra Faustum. *Quod ait testamentum posuit Deus inter se, & homines, atq; omnem animam viuam, ne perdat eam diluuio? arcum, qui apparet in nubibus, qui nunquàm nisi de sole resplendet. Illi enim non pereunt diluuio separati ab Ecclesia, qui in Prophetis, & in omnibus diuinis scripturis, tanquàm in Dei nubibus agnoscunt Christi gloriam, non quærunt suam.* Quemadmodùm igitur arcus positus in nubibus in signum fœderis, ne homo diluuio pereat, nullam ex se lucem habet, nec quòd pulchris coloribus splendeat, sibi refert, sed totum soli refert acceptum; ita qui vult in se signum æternæ salutis præferre, vel in diuinis scripturis, vel in alijs quibuscunq; operibus, non se quærat. Suspecta enim o homo, & periculosæ negotia tractas, quando non Deum, sed te quæris. Vnde Apocal. 18 in diluuio Babylonis multi inueniuntur, qui æternis illam fletibus comitentur, potissimùm verò negotiatores: nam dicit sacer textus: *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Et qui sunt quæso negotiatores isti, qui tantam partem damnationis Babylonicæ recipiunt in fletibus? An certè licet Babylon, imò totus impiorum mundus perierit, non remanebit Deus, qui eorum opera emat? Respondet S. Ambros: in hunc locum. *Sunt multi, quibus legum sæcularium scientia data est, qui causas pauperum in iudicijs portant, sed quia non pro amore Dei, sed pro præmiorum acceptionibus hoc faciunt, mercedem à Deo non recipiunt. In tantum verò hæc miseria conualuit, vt non inuenias aliquem ex his, qui locum habent apud Principes, qui aliquod verbum ad pauperis necessitatem sustentandam proferat, sine pretij acceptione.* En habetis, qui sint miseri negotiatores, & reprobi, nimirùm, qui in omni negotio, & actione,& studio,se solos quærunt; Deum verò minimè. Qui nusquàm Deum in corde suo recogitant, sed solis lucris terrenis inhiant. Hi meritò excluduntur à consortio Dei, qui Christum signum fœderis, inter Deum, & homines non agnoscunt.

Ateus cœlestis nihil coloris ex se habet.

S. August.

Apoc. 18.

S. Ambr.

Porrò tripliciter Christus fuit signum contradictionis. primò,in corpore passibili: vix enim æternum Dei verbum, de purissimo Virginis sanguine humanam assumpsit naturam: vbi virgineus sanguis non per varias decoctiones, & formationes processit; sed immediatè, & per se assumptus fuit ab immortali materia, vt ex illo Christus fieret,& statim in signum

Christus tripliciter signum cōtradictionis.

gnum

gnum contradictionis posit' est. Paucæne circa diuinam eius incarnationem contradictiones extiterunt? Alij verum corpus ei tribuere minimè volebant, alij corpus quidem in illo agnoscebant, sed de cœlesti materia sumptum; non verò hominum. Alij solùm corpus phantasticum, & imaginarium: alij externam duntaxat corporis speciem: alij ex aëre formatum, ecce quot contradictiones: quia Christus in signum contradictionis positus est. Vix natus fuit Christus,& statim *turbatus est Rex Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo.* Matth. 2. Benè equidem turbabatur, qui de acerbo conscientiæ reatu malè timebat: sæua enim semper conscientia nequaquàm præsumit, & dùm in Deo hominem timet, causas timendi, & calamitatem exaggerat. De quo ingeniosè D. August: lib. 4. de symbolo ad Cathechum: ita scribit: *Quid metuis Herodes talem Regem, qui sic venit regnare,vt te nolit excludere? Quem quæris, Rex Regum est, si velles securus obtinere regnum tuum, ipsi supplicares, vt ab illo acciperes sempiternum.* O infelix Herodis timor,humanitùs conceptus, & de regno anxiè solicitus! si humanus metus non te cum tuis turbaret, forsàn regno non excidisses: quia ille Rex, quem tu præ illius metu quæris ad necem, *sic venit regnare, vt te nolit excludere.* Exclusit autem, quia de eius aduentu inauspicato turbatus est, quia illum diuinitùs promissum, & cælitùs aduenientem, humanitùs timuit, tanquàm sceptri æmulum. Turbatus est, quia stultè timuit perdere regnum, vt vult S. August: *Nato* inquit *Rege cæli, terræ rex turbatur, quia ibi terrena altitudo confunditur, vbi cœlestis prædicatur.* Turbatus est, quia audiuit Christum natum, in signum contradictionis positum esse, vt vult Chrysologus: *Non vult* inquit *nasci Herodes Deum, seruus dominum, proditor cognitorem.* En miserum Herodem, qui suam cladem, sui timoris ambitioni debet: hic enim illius inconsultus subdolè timor, quo anxiè turbatur, profundioris eius ruinæ augurium fuit, & excidij tessera, vt discat benè timere, qui malè perire timet.

Matth. 2.

S. August.

Chrysolo.

Secundò, Christus fuit signum cōtradictionis in corpore sacramentali; Dixerat aliquando Iesus, ad populum Hebræorum: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et iterum: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ioann. 6. verè hoc est non figuratè, non parabolicè, non ænigmaticè; sed verè ac propriè, vt verba sonant. Immensam suam erga nos charitatem declarans in hoc, quòd non satis ei fuerit vniri hypostaticè homini, nisi se totum in corporalem cibum eidem traderet in Sacramento Eucharistiæ. At, quia hoc videbatur impossibile, quomodò enim Deum verbum corporaliter manducare poterat homo, cum corporalis esset, idcirco modum inuenit possibilem potentia extraordinaria diuina: quia se humiliauit factus homo. Neq; hoc ei suffecit, sed insuper se exinaniuit, profectò, quia se Christus in sacramento altaris indiuisibilem effecit, indiuisibilem totam suam quantitatem constituens, præsentiam quantitatiuam, circumscriptiuam, quàm nunc in cœlo habet, in hoc Sacramento amittens, & ita se ob hominum amorem, vt cum illis coniungeretur, ac vniretur, euacuans, seipsum exinaniens, vt in indiuisibili se constitueret. Quod omnibus proclamat Apostolus ad Philippen: 2. *Qui semetipsum exinaniuit,* quam exinanitionem de modo, quo Christus in sanctissimo Eucharistiæ sacramento est, deuotè intelligit Dionysius Alexandr. epistola contra Paulum Samosat. inquiens: *Hæc est exinanitio Dei facta ad vsum nostrum, vt possemus capere eum, hoc enim mysterium pertimescendum dicit Apostolus, quòd seipsum exinaniuit.* vt ergo se nobis vniret, non solùm nobiscum caro fieri voluit; sed etiā se exinanire, euacuare, ac in punctum redigere. At,quid inde euenit proh pudor, summa indignatio aduersus Christum *Murmurabant ergò Iudæi de illo, & dicebant: Nonne hic Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus Patrem, & matrem.*

Ioann. 6.

Ad Philippen. 2.

Dionysius Alexandr.

Quomo-

Quomodò ergo nunc dicit : quia deſcen- A *dit de cælo.* Ecce tibi dicuntur Iudæi. murmuratores, quia Ieſu dictum, de eo, quòd à cœlis venerit, mordent, & in dubium vertunt, quòd homo à notis parentibus ortus, poſſit venire de cœlo. Excuſet hic Lyranus quantum vult Iudæos à peccato, qui dicit : *Rudes erant Iudæi, & ideò putabant verba hæc inutilia eſſe.* Excuſent alij non pauci, exiſtimantes Iudæos inde nõ murmuratores ; ſed potiùs viros ſapientes dici debere : quia communiter Ieſus credebatur Filius Ioſeph, & Ma- B riæ. Proinde non videntur peccaſſe Iudæi, dùm communi opinioni aſſentientes, dubitarent de ortu eius cæleſti Non enim inde accuſantur, quòd dicant de Ieſu ea , quæ in omnium oculis ſunt ; ſed quòd audientes illum aliquid eſſe cœleſte, de hoc noluerint agere, nec interrogare, nec ſcire veritatem ; ſed magis ridebant illud, & contemnebant. Quod peccatum inexcuſabile putat eſſe Rupertus, ita loquens : *Hoc eſt peccatum illorum, de quo excuſationem non habent. Nam ne-* C *ſcire quòd deſcenderit, vel quomodò deſcenderit de cælo, non adeò mirum erat, præſertim cùm vulgata opinione putaretur filius Ioſeph ; ſed de illo murmurare, & non potiùs ab illo quærere, vt ſcire mererentur, peccatum erat. Igitur & hi murmuratores, non ex eo Chriſtum Dominum offenderunt, quòd illum eſſe filium Ioſeph opinati ſunt ; ſed ex eo, quòd cùm opera cæleſtia faceret, & ſe de cælo deſcendiſſe diceret, maluerunt adinuicem de illo murmurare, quàm ab illo deſcenſus ipſius myſterium, intentione diſcendi* D *humiliter quærere.* Illud ergo piaculum inexcuſabile Iudæorum fuit , quòd audientes cœleſtem ortum Ieſu, maluerint illum ridere, & de illo murmurare ; quàm eius veritatem perpendere, ad quam per opera Ieſu examinata deuenire poterant. Et hoc commune malum eſt, apud homines, qui proximorum bona audientes, opinione quadam communi nixi, malunt de illis murmurare , illa ridere, quàm eorum veritatem ſeriò inquirere, quod eſt apud Deum inexcuſabile.

Lyranus.

Rupertus.

A Tertiò tandem Chriſtus fuit ſignũ contradictionis in corpore glorioſo : poſtquàm enim Chriſtus reſurrexit, dicit Origenes infinitas propè contentiones de eius reſurrectione exortas fuiſſe. Cherintus enim teſte S. Epiphanio hæreſi 28. aſſeruit Chriſtum paſſum eſſe, & crucifixum, nondum autem reſurrexiſſe ; reſurrecturum tamen in generali reſurrectione. Similiter Tertull. lib. de carne Chriſti capite 24. tacitis nominibus ſcribit , quoſdam aſſeruiſſe, adhuc eſſe animã B Chriſti in cœlo ſine carne. Tandem Paſſioniſtæ, Seleuciani, & Hermiani Hæretici dixerunt, ſolam Chriſti animam aſcendiſſe in cœlos ; reliquiſſe verò carnem ſuam in ſole, decepti malè intellectis Scripturæ ſacræ verbis : *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Quibus affinis eſt error Apellis, qui (vt Philaſtrius refert) affirmabat Chriſtum reſurrexiſſe ; non tamen in ſua ac vera carne ; ſed in phantaſtica. Cùm tamen Chriſtum verè ac proprièà mortuis reſurrexiſſe, inter arti- C culos fidei proponatur in omnibus ſymbolis, & in Nicæna Synodo addatur : *Et reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas.* Quod deſumptum eſt ex D. Paulo 1. ad Corinth. 15. dicente : *Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die, ſecundùm ſcripturas.* Ad veram autem reſurrectionem , requiritur vera corporis reſuſcitatio , vt docet S. Damaſcenus lib. 4. cap. 28. non D longè à principio, vbi dicit : illud reſurgere, quod cecidit. Atqui corpus Chriſti per mortem cecidit, in quantum ſcilicet ab eo anima fuit ſeparata, quæ erat eius formalis perfectio, proinde ad hoc, vt vera eſſet Chriſti reſurrectio, oportebat idem corpus Chriſto eidem animæ vniri. Proinde indubitatum eſt, Chriſtum Dominum reſurrexiſſe in vero corpore humano, hoc eſt, verè conſtante ex hac materia rerum generabilium, & corruptibilium, diſpoſita & organiſata eo modo, quo forma ac natura humana requirit.

Cherinti error de reſurrectione Chriſti.

1. Cor. 15.

S. Damaſ.

quirit. Et hoc voluit Chriſtus pro- A bare, ac perſuadere diſcipulis, quando eis dicit : *Palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Lucæ 24. Et ideò Chriſtus, vt obſeruat Leo Papa Serm: 1. de reſurrectione Chriſtus apparere voluit diſcipulis, vt reſurrectionis eius veritas multis documentis manifeſta fieret. Non ſolùm loquens cum eis, ſed habitans, atq; conuerſans & pertractari ſe diligenti curioſoq; contactu ab eis, quos dubitatio perſtringebat, admittens.

Lucæ 24.

Sed quid mirum, Hæreticos ita turpiter deſipuiſſe circa Chriſti reſurrectionem, cùm & ipſi Apoſtoli ad primum eius nuntium, pro mero figmento illam habuerint ? Regreſſæ mulieres à monumento, nuntiauerant diſcipulis Chriſtum ſurrexiſſe, & tamen dicit ſacra pagina : *Viſa ſunt ante illos verba iſta ſicut deliramentum : & non crediderunt illis.* Lucæ 24. Ecce ſignum cui contradicetur : Quid eſt pro Deum immortalem ! Audiebant Apoſtoli Chriſtum Iudæos de ſua re- C ſurrectione alloquentem : *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioann. 2. Audiebant ſæpiùs illa verba ex ore Chriſti : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſ: 15. quæ de futura eius reſurrectione, prophetico ſpiritu prolata fuêre. Sciebant inſuper Chriſti corpori debitam fuiſſe incorruptionem, & conſequenter reſurrectionem vel ex hoc potiſſimùm capite , quia Chriſtus conceptus & natus fuerat ex Virgine. D Cùm enim occaſio corruptionis humani corporis, ſit culpa originalis ; Chriſtus autem conceptus ſit ex illibata virgine Maria, ideò fuit immunis à contractione & debito peccati originalis. Vt docet D. Gregor. lib. 17. Moral. 27. Ille inquit ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui, vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis cõpulæ conceptus non eſt. Conſequenter etiam ex eodem capite, corpus à corruptione liberum ſortitus eſt. Hinc

Ibidem.

Ioann. 2.

Pſal. 15.

Corpori Chriſti incorruptibilitas vnde debetur

Geneſ: 3.

A illa ſententia Geneſ: 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es : quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Lata fuit contra Adamum præuaricatorem, cuius nomine comprehenſi fuerunt omnes futuri poſteri, qui ex congreſſu maris ac feminæ concipiendi erant. Sicut enim hi in Adam peccauerunt, atq; adeò originalem culpam in conceptione contrahunt, (ſola Dei matre excepta) ita corpus corruptioni debitum nanciſcuntur.

B Diceret forſan quiſpiam , humani corporis corruptibilitatem oriri ex eo, quod ex partibus continentibus qualitates inter ſe diſcrepantes compactum ſit, proinde non oriri illam ex peccato originali, ſed ex ipſa conditione corporis. Reſpondetur enim naturali quidem ſpectato temperamẽto , in humano corpore corruptibilitatis ſemina reperiri, tamen ex gratia Dei ſingulari , ſi Adam non peccaſſet, ſuoſq; peccato poſteros non labefactaſſet , ipſum humanum cor- C pus ab actuali corruptione immune futurum fuiſſe. Et hoc ſufficit ad aſſerendum, Chriſtum ex eo, quod habuerit matrem ſemper virginem, nec peccaſſe in Adamo, nec in eam ſententiam, de ſubiacendo corruptioni contra ipſum Adamum, & eos , qui in illo peccârunt, latam incidiſſe : & conſequenter ſuppoſito Dei priuilegio fuiſſe corpus eius ex hoc capite à corruptione præſeruandum. Quare ergo Apoſtoli tàm euidentia Chriſti futuræ reſurrectionis documenta D homines & Chriſtum reſurrexiſſe audientes , non credebant ? Exiſtimo eam ob cauſam , quia Chriſtus poſitus erat in ſignum contradictionis, cuius veritati non prius mortalis creatura aſſentitur, donec lumine Spiritus ſancti interius fuerit irradiata. Vt ergo & Apoſtoli tantum myſterium crederent, ſuperno lumine opus habebant, quod nondum ob Chriſti abſentiam, in eos deſcenderat.

Audiſtis iam quomodò Chriſtus poſitus ſit in ſignum contradictionis, tum ratione crucis ſanctæ, quæ Iudæis ſcan-

is scandalum, Gentibus verò stultitia facta est. Tum ratione Sanctissimæ suæ genitricis Virginis MARIÆ, quia virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum permansit, non sine magna mundi insensati admiratione & contradictione. Tum deniq; ratione sui corporis passibilis, sacramentalis & gloriosi. Igitur ne Christus, & nobis sanctum eius nomen profitentibus, atq; eius gratiam & misericordiam implorantibus contradicat, omnia quæ de illo nobis ab Ecclesia sancta proposita & annuntiata sunt, prona aure suscipiamus & firmiter credamus, A.

DOMINICA I.
POST EPIPHANIAM.
CONCIO PRIMA.

Et erat subditus illis. *Lucæ 2.*

Christus vt nobis exemplum præberet, quomodò nos erga parentes, & quosuis superiores gerere debeamus, Virgini Matri subditus esse voluit.

OBstupuit mundus, quando portentum illud antea nusquàm auditum vidit, quòd solare astrum imperio Iosue morem gesserit. ita, vt illo prohibente, ne cursum suum vltra perageret, continuò sol in suo cursu irreuocabilis, immotus steterit: nam postquàm inclamauit Iosue: *Sol contra Gabaonem ne mouearis, & Luna contra vallem Aijalon.* addit Scriptura sacra: *steteruntq; Sol & Luna.* Sed in maiorem hodiè admirationem meritò rapietur orbis, dùm portentosum magis prodigium audit; scilicet quòd non iam pura creatura, potentiori creaturæ, non cœlum homini, sol bellicoso duci; verùm Deus ipse cuius imperio cuncta stant in orbe, vni virgini præcipienti incunctanter pareat: quod supra omnia portenta summum esse quis non fatebitur? Nam si quando astra homini obsecundàrunt, non mirum? quia præstantius aliquid se ipsis, in eo deprehenderunt, scilicet rationem: quæ & cœlum, & terram, suâ sagacitate penetrat, si sol ad vocem Iosue sterit, parum est: quia sapientem & magnanimum vidit; tali autem imperium supra cœlorum sidera contulit Deus, vt docet sanctus Thomas lib. 3. contra gentes, inquiens: *Sapiens dominabitur astris.* Sed quod Deus homini obediat, hoc omnem captum hominum excedit: quia nihil maius, aut præstantius se, homini contulit. Præterea, quia obedientia illa, quam sol præstitit Iosue, methaphorica tantùm erat, cùm esset rationis expers: At, quam Christus præstitit Mariæ, vera fuit obedientia, & omnium perfectissima, vt potè ab ipso legis authore, qui legem tulit filijs de obediendo parentibus: quam ideò forsan impleuit; ne alioquin sibi diceretur: *Patere legem quam tulisti.* Meritò perinde obedientia admirabilis, cùm eius dignitas & maiestas sit infinita. Quis enim subditus erat virgini, interroga Euangelistam, & respondebit tibi Pater æternus: Lucæ 9. *Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Quis erat subditus? interroga Angelum, & respondebit tibi. Lucæ 1. *Filius Altissimi, qui regnabit in domo Iacob in æternum.* stupet profectò natura, quomodò ille *cuius egressio à diebus æternitatis.* Isaiæ 6. temporaneæ creaturæ paret, quomodò princeps pacis admirabilis, magni consilij Angelus, subijcitur homini, quomodò ille, cui in cœlo ministrant millia

S. Thom. | Lucæ 9. | Isaiæ 6.

millia millium, & decies centena millia assistunt ei. Danielis 7. Matri ministrare non erubescit quomodò ille, *cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Psal. 23. terreno dominio subiacet: quomodò Deus cœlorum, creator omnium, & *Dominus totius creaturæ.* Iudith. 9. ab vna creatura regitur, quomodò denique, in cuius nomine omne genu cœlestium, terrestrium, & inferorum flectitur, sit subditus cuius subditionis causam hodiè inquiremus Auditores.

Daniel. 7. | Psal. 23. | Iudith. 9.

Cùm subiectio superioritatem semper respiciat: Nam sicut imperare est eminentioris; ita inferioris esse debet, parere. Diceret forsan aliquis, plurimum derogare dignitati Saluatoris, quòd, cùm Deus esset, quo nihil eminentius cogitari potest, Virgini tamen sanctissimæ paruerit. Sed resoluit facilè dubium hoc D. August: tomo 6. lib. 3. contra Maximum Arrianorum Episcopum cap. 18. inquiens: *Parentibus autem vt esset subditus Christus non diuinæ maiestatis fuit, sed ætatis humanæ.* Quasi diceret: spectatâ quidem suæ deitatis sublimitate, nulli potuit subijci; at verò consideratâ corporis ætate propter pueritiam, quæ materno sinu & curâ foueri postulat, ne in prima statim infantia miraculis clarescerent, sese regimini parentum voluntariè submisit. Primò, vt se verum hominem & Virginis sanctissimæ filium naturalem ostenderet, videbat enim futurum esse, vt impij hæresum sectatores, contra maternitatem virginis oblatrarent, quemadmodùm blasphæmi Nestoriani, qui nihil intentatum reliquêre, dummodò Virginem purissimam maternitatis honore exuerent, audebant effutire, quòd impossibile esset, vt fæmina aliqua antiquiorem se pareret, cùmque Deus adeò antiquior esset Mariâ, vt ille ab æterno, hæc verò in tempore sit, nequaquam illam Dei filium potuisse generare opinabantur. Sed quod nulli creaturæ conuenit, hoc magno Dei miraculo Mariæ datum est, vt antiquum dierum, verbum scilicet quod erat apud Deum, humana carne indueret non propriæ quidem naturæ vi, sed singulari & admirando diuinissimi spiritus opificio, ita tamen, vt secunda in Deitate persona, id quod ante Mariam erat, sibi proprium retineret; & rursùs id, quod non erat, ex Maria secundùm Archangeli vaticinium assumeret; vnde cum in instanti, in quo Beata Virgo, corpus humanum Christi genuit, verbum diuinum ei vniretur; rectè potuit concipere, & parere antiquiorem se, quod præclarè Cassianus lib. 4. de Incarnatione Domini, in laudem Virginis exaggerat. *Non solùm* inquit *antiquiorem se, Maria peperit, sed & ipsum sui auctorem omniumq; progenitorem: facta est parentis parens, quia quàm facilè Deo fuit, vt hominem nasci faceret, tàm ei facilè erat, vt ipse ex homine nasceretur.*

S. August. | Cassian.

Sed etiam contra tàm manifestam veritatem, sacrilego ausu pugnant Nestoriani, opponentes: quòd si veraciter Virgo posset dici genitrix Dei, posset etiam consequenter causa Dei appellari: cùm esse genitricem, sit esse, causam rei genitæ, sed & hic blasphæmantium ruit impetus: quia licet Virgo absolutè dicatur genitrix, aut Mater Dei; non tamen causa illius dici vllatenùs potest: quia nomen genitricis, aut Matris, determinat solùm naturam humanam, secundùm quam Deus processit ex Virgine, at verò si causa esset, deberet non magis determinare naturam; quàm suppositum, quod impossibile fuit. Nondùm tamen contentus hæresiarcha, altiùs adhuc virus suum euomit; inquiens: licet ignis producat calorem in homine præexistente, & verè dicatur produxisse calorem, vt sic; non tamen dicitur producere hominem. Ergo pariter B. Virgo, licet genuerit Christum, quatenùs homo est; non tamen potest dici genuisse Deum, quia eius diuinitas præexstitit ab æterno, sed debilis admodum cõsecutio. Nam vnio caloris cum homine, est tantùm accidentalis; vnio autem humanitatis, cum verbo. est substantialis: vn-

Maria mater Dei, nó causa.

de quia

de quia calefactio tendit ad conſtituendum vnum per accidens, non eſt neceſſe vt denominetur à termino ſubſtantiali, materialiter ſe tantùm habente, at verò generatio cùm tendat ad conſtituendum vnum per ſe, & terminetur ad ipſum ſuppoſitum, quod eſt Deus, denominari debet à termino, qui cùm non alius ſit, quàm Deus homo, ideò generatio Chriſti ex Virgine, Dei pariter & hominis dici debuit.

Quodſi impietas hoſtium fundatur in hoc, quia Chriſtus nullibi in ſcriptura legitur, Virginem Matrem appellaſſe; ſed tantùm mulierem: ſicut Ioannis 2. *Quid mihi & tibi mulier*, & 19. *Mulier ecce filius tuus*, immò quod magis adhuc difficultatem augeat, matrem illam negare viſus eſt, quando quibuſdam illi nunciantibus, quòd mater eius adeſſet, foris illum expectans, ipſe confeſtim reſpondit. *Quæ eſt mater mea?* ſed audiant Diuum Auguſtinum tractatu 8. in Ioannem & lib. de fide & ſymbolo cap. 4. ad id reſpondentem, qui dicit Chriſtum, Virginem ideò non vocaſſe Matrem, vt indicaret illud miraculoſum opus, quod B. Virgo ab eo poſtulabat, eſſe diuinæ virtutis; non verò humanitatis proprium, quam ſolam à Matre ſuſceperat. Tum quoq; Lyranus qui ſuper caput 19. Ioannis aſſerit, Chriſtum conſultò appellatione Matris vitaſſe, ne Virginem lacrymantem ſub cruce, amplius & amplius cõmoueret. Deniq; in illis Matth. 12. verbis *quæ eſt Mater mea?* Chryſoſthomus homilia 45. in Matthæum, Auguſtinus libro de ſancta Virgine cap. 3. & libro de fide contra Manichæum, atq; Tertullianus, libro de carne Chriſti, reſpondent: non negaſſe ibi Chriſtum, matrem ſuam; ſed potiùs eos increpaſſe, qui eum concionantem importunè interpellarant; vt ſuo exemplo edoceret, propter conſanguineos minimè Dei opus eſſe omittendum. Ad quod neruoſius adhuc Doctor Angelicus 3. parte quæſt: 35. art. 44. reſpondet. *Licet* inquit *non inueniatur expreſsè in ſcriptura dictum,* A *quòd Beata Virgo ſit Mater Dei? inuenitur tamen expreſsè, quod ſit Mater Ieſu Chriſti, qui quoniam eſt verus Deus, optimè conſequitur, quòd etiam ſit Mater Dei,* ex cuius certè Filiatione, ſumma ſublimitas & dignitas in Virginem redundauit, quia ſi verum eſt illud Prophetæ, Oſeæ 9. *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* certè & Virginis non potuit eſſe maior dignitas, quàm, quòd tàm ſanctum & excelsũ genuerit filium, quem etiam regere potuit, quia vt docet D. Bernardus, de B Beata Virgine. *Maria Matrem ſe agnoſcens, maieſtatem illam; cui & Angeli cum reuerentia conſentiunt, cum fiducia nuncupare potuit Filium, audacter inquiens: Fili, quid feciſti nobis ſic.*

Ioann. 2.

Quare Chriſtus Virginem non vocauit matrẽ, ſed mulierem.

S. Auguſt.

Lyranus.

Matth. 12.

S. Auguſt. Tertull. Chryſoſt.

S. Thom.

Oſeæ 9.

S. Bernar.

Subditus itaq; erat Chriſtus ſuæ Matri, ne ampliùs impietas mundi maternitatis eius gloriam audeat violare: tum quoq; vt ſuo exemplo homines obedientiam edoceret, vt quemadmodùm mundus per inobedientiam collapſus erat; ita Chriſtus Dominus eundem per ſuam obedientiam re- C ſtauraret. certus, faciliùs ſuo obedienti exemplo; quàm documento exigendum. Vnde D. Bernardus homilia prima ſuper Miſſus eſt: acriter inuehit in eum, qui ne tanto quidem obedientiæ exemplo ad obediendum inducitur; *Diſce* inquit *homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare.* Nam de authore tuo loquitur Euangeliſta, *quod erat ſubditus illis. Erubeſce proinde ſuperbe cinis, Deus ſe humiliat, & tu te exaltas; Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus,* D *tuo te præponis auctori?* quaſi diceret: rem agis ô homo indigniſſimam! dum efficaciſſimum ad obediendum incitamentum, nempè exemplum Chriſti obedientis, deſpicis & contemnis; additq; vlterius: *ſi hominis ô homo imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, ſequi auctoris veſtigium.* Quem enim non ſuauiter allicit, immò quem efficaciter non impellat ad obediendum Chriſtus Dominus; non modo obedientiam verbo docens, ſed etiam facto ipſo perſuadens: vt ergo homo agnoſcat, quomodo rui-

S. Bernar.

nam

nam ſuam debeat reparare, ideò Chriſtus ſeipſum illi propoſuit in obediendo ſequendum.

Subditus erat adhuc Chriſtus Virgini, vt oſtenderet, quam ſubditionem ſuis progenitoribus debeant filij: Ad tria enim illis perſoluenda, iure naturali obligati ſunt, ad obedientiam, gratitudinem, & reuerentiam. obligantur filij ad pietatem & obedientiam ſuis parentib⁹ exhibendam, eò, quòd ab ipſis vitam acceperint: ſi enim beſtiæ & pecudes, pietatis iura conſeruant, & quibus natura denegauit rationem; non tamen illis abſtulit pietatem. Vnde D. Chryſoſt: ſermone de Abſalone, in 1. tomo, iuuenem illum contumacem, & ſuo patri non parentem, non tam gratiæ; quàm naturæ ipſius ore alloquitur. *Vbi iam* inquit *ſolatium Patres, vbi præſidiũ genitores inuenient, ſi filios ſenſerint rebelles. Et certè filios tales, qui Parentibus obediunt,* ſua benedictione replet Deus; dicit enim ſcriptura Ieremiæ 35 Virum quendam virtutibus commendatum, Filijs ſuis præcepiſſe, vt vinum non biberent, neque in domibus reſiderent, ſed in tabernaculis habitarent, & non præceperat eis hoc Dominus, ſed tantùm Pater ipſorum; nihilominùs tamen quia illi ſcientes præceptum Dei eſſe, vt filij obedirent parentibus, hoc acceperunt, & tanquam præceptum à domino Deo ſuo traditum, ſeruârunt, ideò benedici à domino meruerunt, dicente ibidem ſcriptura. *Benedixit ergo Deus filios Ionadab, propter obedientiam.* Qui autem paternæ voluntati reſiſtunt, quid illos conſequitur? mors, damnatio, & omne malum; eò, quòd tunc tria grauiſſima peccata contumaces filij committant, primum contra Dei præceptum, qui præcepit filijs, parentibus obedire, alterum contra pietatem, quæ ſuadet filijs, eminentiæ parentum in omnibus morem gerere, tertium contra ipſam naturam, quæ iubet vnamquamque rem illi ſubeſſe, à quo in mundum prodijt. Hinc eſt, quòd impiùs Abſalon, intra denſam quercum ſuſpenſus, tribus lanceis confixus hæ- A reret, vt quoniam proteruè contra Patrem inſurrexerat, triplicem propter hoc ſcelus lueret pænam. Vna enim lancea cor eius vulnerauit, quod contra diuinum ſe gereret præceptũ; altera, quòd immemor eſſet maternarum viſcerum, ex quibus illud ſuum cor acceperat; tertia, quòd in ipſam Parentem naturam crudelis extiterit. Vt ergo Chriſtus filijs exemplum monſtraret, ſubditus erat Virgini Deiparæ. Quod ſi Ioſue ex illo ſtupendo ſpectaculo; quando B ſol voci eius obediuit, magna dignitas & auctoritas in omnium opinione creuit. quis non fatebitur? incomparabiliter multò magis creuiſſe authoritatem & dignitatem Virginis ex eo, quòd ipſum Deum haberet ſibi obedientem: ex hac enim Chriſti ſubditione neceſſe erat, vt in Maria conſurgeret quædam maioritatis, & ſuperioritatis excellentia ſuper illum, qualis competit omnibus ſuperioribus reſpectu ſuorum inferiorum, & ſubditorum; cuius prærogatiuæ tan- C ta eſt ſublimitas, vt potiori iure, quam Herculis columnis, Mariæ ſubſcribi poſſit encomium. *Non plus vltra*, cùm intra latitudinem imperij, nihil vltrà glorioſius dici aut cogitari poſſit, quam principari, & dominari, ſuper ipſummet Deum, ſubditumq; illum ſibi habere. Et licet aliquis cogitare poſſet, non id proprium fuiſſe ſoli Virgini, ſed etiam commune cum Ioſepho, ſocio, & Virginitatis ſuæ tutore: quia dicit Euangeliſta, *ſubditus erat* non illi, ſed *illis*: longè tamen aliter D res ſe habet, quia Beata Virgo titulo & iure maternitatis, propter humanam ſubſtantiam, quam per veram generationem contulerat Chriſto, ſuperioritatem habebat in illum ratione humanitatis, ceù naturalem ſuum Filium. Ioſeph verò, non ratione ſanguinis, quia putatiuus tantùm infantis pater erat: ſed ratione affinitatis, quatenùs vir erat Virginis, & Pater Chriſti, ſecundùm falſam hominum exiſtimationem; iuxta illud Lucæ 3. *Putabatur filius Ioſeph.* Et quoniam perfecti obedientis eſt, voluntatem ſu-

Filij quid Parentib⁹ debeant.

S. Chryſ.

Ierem. 35.

Cur Abſalon tribus lanceis cõfoſſus.

Lucæ 3.

S

perioris

perioris in omnibus, quæ non deuiant à diuinis & Eccleſiaſticis legibus, tanquam regulam ſuarum actionum ſibi aſſumere: ſic planè Chriſtus Dominus, qui virtute obedientiæ omnibus longè eminebat, voluntatem Virginis ſibi vltrò propoſuit, tanquàm normam ſuarum actionum. Quo quid ſublimius in commendationem eximiæ ſanctitatis, & excellentiæ Virginis dici poteſt, quàm vt ille, qui eſt prima omnium regula, & per eſſentiam immenſibilis, in ſuis actionibus, voluntatem Virginis, velut normam ſibi ſequendam conſtitueret,

Quam Virginis celſitudinẽ quamuis alias ineffabilem, liceat mihi inſigni illo Alexandri dicto illuſtrare, de quo Plutarchus refert, quòd cùm incomparabilis iſte Monarcha, Diogenem Philoſophum quadam die inuiſeret, circumſpiciens in eo ſermonis prudentiam, doctrinæ integritatem, pariter ac vitæ, attonitus penè obſtupuit, illico in illa verba prorumpens. *Niſi eſſem Alexander, Diogenes eſſe vellem,* liceat mihi inquam prophana ſacris permutare. Equidem cum cœleſtis ille ſummus omnium gubernator rerum, Chriſtus Dominus, Beatam Virginem inuiſit, & veluti inuiſibilis, & incomprehenſibilis Rhinoceros, per incarnationis myſterium in gremium Virginis deſcendit, atq; in ſinu eius caput reclinauit, obſeruans inſignem eius modeſtiam, oris maieſtatem, verecundiam vultûs, prudentiam ſummam, totiuſq; interioris & exterioris hominis miram compoſitionem, atq; cæleſtis vitæ eximiam probitatem, captus hac venuſtate Virginis, meritò ſecum cogitare potuit. *Niſi eſſem Deus, Maria eſſe vellem.* Sed quoniam eius diuinitas in humanitatem mutari non poterat, ſuiſq; tamen votis ſatiſfacere cupiens, placuit illi; vt tàm præſtanti Virgini ſubijceretur. Debent filij gratitudinem Parentibus, pro honeſta educatione: ad hoc enim illos hortatur Salomon Eccleſiaſtici 7. *In toto* inquit *corde tuo honora Patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris, memento, quoniam niſi per illos natus, non fuiſſes: & retribue illis, quomodò illi tibi.* Quod Græcus interpres ſic vertit. *Quid reddes illis, ſicut illi tibi*: Tiburtina verò Lectio, & Pagninus tranſferunt ſic. *Quid reddes eis pro eo, quod de te ſunt meriti.* Et meritò quærit ſapiens ex Filio, *quid reddes eis?* quia doctrina Ariſtotelis eſt 9. Ethicorum. *Dijs, Parentibus, & Magiſtris non poteſt reddi æquiualens.* Sed & in hoc paſſu præluxit Chriſtus filijs huius mundi.

Plutarch. — Eccleſ. 7. — Pagninus. — Ariſtotel.

Quid obſecro aliud cauſæ, quòd Chriſtus Dominus, matri ſuæ ſubditus fuerit? niſi quòd omnem ei gratitudinem exhibere vellet. vbi certè gratitudo eius erga genitricem ſuam, longè ſuperauit gratitudinem omnium filiorum erga matres ſuas: ij enim nuſquàm poſſunt parentibus rependere æquale; Chriſtus autem dominus non ſolum par pari, ſed ampliùs quidpiam rependit Virgini. quia ipſe ſolùm ad virginem expleuit doctrinam illam Salomonis: *Retribue illis, quomodò & illi tibi.* Nam alij filij accipientes propriam ſubſtantiam, & vitam à Parentibus ſuis, non poſſunt eiſdem ſubſtantiam & vitam, quâ viuant, conferre; ſolus Ieſus, qui carnem & vitam humanam à Matre acceperat, teſtante Euangeliſtâ Mat: 1. *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* tanquàm verus Virginis creator, corpus, ſanguinem, & animam ei dedit, atque licet vbera eius ſugeret, illam tamen ſuâ diuinâ prouidentiâ, intactam conſeruauit, vt fatetur ipſamet Virgo Eccleſiaſtici 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.*

Matth. 1. — Eccleſ. 24.

Ecce quam optimè retribuit Matri, ſicut illa tribuit ei Maria inſtar pulli fouebat Chriſtum, infantem illum anxiè cuſtodiendo: & Chriſtus viciſſim fouebat Virginem creatam conſeruando. in qua certè mutua retributione non ſolùm æquauit, ſed ſuperauit acceptum à Matre. Acceperat enim ab ea corpus duntaxat, at ipſe contulit ei corpus & animam ſimul, quam ipſe creauerat: dederat Virgo corpus mortale, & inglorium Chriſto; ipſe viciſſim redonauit matri in die aſſumptionis,

corpus immortale & glorioſum. Dederat illi Mater ſolùm eſſe naturale, ipſe mutuò matri retribuit eſſe ſupernaturale, vt conſors diuinæ naturæ fieret. Atq; hinc opinor, quòd licet alioquin cæteri filij, non poſſent ſuis Parentibus reddere æquale; præuidens tamen diuiniſſimus ſpiritus, Filium Dei humanam carnem aſſumpturum, & veram in terris matrem habiturum, ad illum præcipuè dixerit, illa ſapientis verba: *retribue illis, quomodò & illi tibi.* quia ipſe ſolus vltra æqualitatem illis rependere poterat.

Agnouerunt hoc perbellè, & ipſi Ethnici, quanta à filijs Parentibus debeatur gratitudo: nam Plato ſapientiſſimus, cùm vidiſſet quendam erga Patrem ſuum ingratum, & faſtuoſiùs agentem, dixit ei: *Non ſines adoleſcens illud contemnere, cuius gratiâ hominem te eſſe cenſes.* Vnde & ipſemet Alexander Magnus (vt refert Plutarchus in eius vita) tanti faciebat obedientiam, & gratitudinem erga matrem, vt cùm ei graue nimis quidpiam faciendum imperaret Olympia mater eius, verebatur eius imperio non acquieſcere, illud ſolùm reſpondens: *Acerbam pro nouem menſium onere mercedem exigis.* Quin immò & Dominus ipſe, ingratitudinem erga Parentes iuſto ſupplicio, in quodam filio ingrato demonſtrauit.

Plato. — Plutarch.

Refert enim Cæſarius Ordinis Ciſtercienſium lib. 6. Hiſtoriarum, memorabilium, quòd iuuenis quidam ſecularis nomine Henricus, matrem ſimplicem, verbis prorsùs mellitis; ſed intentione venenatâ ita circumuenit. Petijt ab illa, vt omnibus ſuis bonis, fruendis ſcilicet & collocandis ſolenniter renuntiaret, & illum ea ſuſcipere ſineret, vt ſic eorum gratiâ diuitem & honeſtam vxorem ducere facilè poſſet. Ne ſis ſollicita inquit mater mea, nam omnia mea tua ſunt, & ego honeſtiùs tibi prouidebo. Mater ignara doli, ſerpentis aſtutias in filio non obſeruans, facilè poſtulationibus eius annuit, & omnium bonorum, volens filium in matrimonio diuite circumſpicere, vſum fructum renuntiauit, immemor paupercula dicti illius ſapientis, Eccleſiaſtici 33. *Melius eſt, vt filij te tui rogent; quàm te reſpicere in manu filiorum tuorum.* Quid ergo inde ſecutum eſt. poſtquàm noua ſponſa in domum filij introducitur, expellitur mater: quæ cùm præ egeſtate quotidiè plangeret; ille tamen obturauerat aures, ne gemitus matris audiret, & ecce die quadam cum vxore ad menſam pullum ſumere volens, & oſtium pulſantem vocem matris audiens, ait; En iterum diabolus clamat ibi: porrigenſq; puero pullum nondum diuiſum, in ciſta ſeruandum mandauit, donec mater abiret: introiuit interea mater, ſed mox ſupplicantem vt ſui miſereretur, cum multo verborum turbine illâ expulsâ, afferri ſibi iuſſit pullum ſeruatum, puer apertâ ciſtâ, non pullum; ſed ſerpentem complicatum conſpiciens, territus fugiens nuntiauit domino: poſt quem miſſa ancilla, ſimilia retulit; verùm ille putans ſibi illudi; indignabundus ait: etiamſi Diabolus fuerit, ego tollam eum. Atque ſurgens de menſa, mox vt ſe in ciſtam inclinauit, ſerpens collo ipſius inſiliens, circa guttur ſe colligendo, duplicauit: & cum comedente comedit. quotidiè verò ei ſubtrahebantur cibaria, vel aliqua adhibebantur, ita collum hominis illius ſtringebat, vt intumeſcente facie, oculi de ſedibus ſuis mouerentur. Sed meritò illum Deus puniuit per ſerpentem, quia cum per huius loquelam Eua deceperit Adam, non decet filios ſerpentinâ aſtutia matres circumuenire.

Aſtutia filij erga matrem. — Eccleſ. 33. — Pœna ingrati filij erga matrem.

Tertiò deniq;, debent filij Parentibus honorem, & reuerentiam, quia hoc præcepit Deus Eccleſiaſtici 20. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Quod cõfirmat ſapiens Eccleſiaſt: 3. *Qui honorat Patrem ſuum, vitam viuet longiorem.* Quod ſi quiſpiam ſciſcitari vellet, quare longitudo vitæ promittatur in præmium reuerentiæ filijs, atq; honoris parentibus exhibiti. Reſpondet S. Thomas 2. 2. quæſtione 121. ar. 3. *quia*

Eccleſ. 20. — Ibidem 3. — S. Thom.

quia gratus fuit beneficio vitæ, ideò permittitur sibi longæuitas eiusdem. E contra verò, Filij discoli, inhonorantes Parentes, grauissimo mortis supplicio puniuntur. vt docet sapiens Ecclesiastici 21. *Viuit Deus, qui meledixerit Patri, vel Matri; morte moriatur.* In cuius rei comprobationem, non possum hoc loco non referre multa præclara, quæ Petrus Damianus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis lib. 8. Epistolarum scripsit, vbi Epistolà tertià vehementer carpit nobilem quendam virum, qui debitum honorem matri non exhibebat, vtq; illum ab ea impietate deterreret, insigne exemplum Alexandri Pontificis allegat his verbis, significatum est mihi nobilissimè vir, quia sanctam matrem tuam, vxorem amore despicis, & contemnis: nullumq; sibi dominij ius, in domestica rei familiaris ordinatione concedis, in quo scilicet facto, quid aliud, quàm naturam ignis cerneris imitari, qui cùm ex lignis prodeat, ligna tamen consumit, & in cinerem vertit, lapides autem excoquit & candidos reddit. perpende igitur & tu, quanta sit crudelitas illos despicere, & contemnere, per quos habetur & ipsum esse, simulq; considera, quanta te dignum sit genitoribus tuis humilitate submitti, quibus & naturalis essentiæ substantiam debes, & quod ab illis te nonambigis puerum percepisse, quantoperè debeas nunc grata vice senibus reddere? Nam proclamat sapiens Ecclesiast: 3. *Fili suscipe senectam Patris tui; & ne contristes eum in vita illius & si defecerit sensus, veniam da: & ne spernas eum in tua virtute.* quia terribile est, quod vlteriùs scriptura dicit: *quàm malæ famæ est, qui reliquit Patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem.* Præluxit certè & hoc genere Christus Dominus: qui tantùm abest, vt sanctissimæ genitrici molestiam aliquam inferret, vt potiùs semper ei subditus fuerit: nobis relinquens vestigia pietatis, quæ sequamur. Sed inquiet aliquis, iam mea mater mortua est, non iam ei debeo honorem.

Ecclef. 21.

Petrus Damianus.

Ecclef. 3.

Sed ecce mysticam Matrem habes Ecclesiam sanctam, cui ad nutum obsecundare teneris: qui enim Ecclesiam non honorat, sed contemnit, ipsum Deum dishonorat, nec potest vllatenùs dicere Deo, quemadmodùm Dauid. Psal. 118. *Tuus sum ego Domine*, super quem locum D. Augustinus, in commentario huius Psalmi sapienter discurrit. *Quare* inquit *dicit Propheta, Tuus sum ego, quid enim non sit Dei?* cùm & ipse alibi dicat. *Domini est terra, & plenitudo eius,* quid sibi ergo vult, *Tuus sum ego.* hoc certè: quia significare voluit, quòd homo iniquus non sit Dei, sed solùm homo probus, quod comprobat inquiens: *Tuus sum quia iustificationes tuas exquisierunt me.* quasi diceret: non voluntas mea, sed iustificatio mea fecit, vt tuus essem. nam ille solus hoc dicere potest: *Tuus sum ego,* qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit. Non enim est Dei, quem libido succendit, quia in Deo sola castitas est. Non est Dei, quem spoliandi pauperes desiderium exagitat: quia Dei solùm est largitas, non rapina. Non est Dei, quem aura mobilis inquietat: quia apud Deum sola tranquillitas regnat. Non est Dei, nisi qui alienus est à crimine. Nam ideò regius vates vt ostenderet, qua ratione quis dicere posset Christo Domino, *Tuus sum ego,* adiunxit, *iustificationes tuas exquisiui:* quasi diceret: ille Domine verè tuus est, qui nihil aliud extra te quærit, sed solùm mandata tua perficere desiderat.

Psal. 118.

S. August.

Subditum igitur habemus sanctissimæ Matri Christum, velut naturalem filium, vt eius obedientiam, gratitudinem, atq; pietatem, & reuerentiam ac honorem imitati agnoscamꝰ, quomodò nos erga Parentes & omnes superiores gerere debeamus, tum quoque vt sanctæ Matris eius, mandata omnia prompto animo exequamur. quæ si præstiterimus, tutò poterimus dicere Christo: *tui sumus Domine;* & ille nos ex fructu operum nostrorum agnoscens, vocabit ad regnum suum illis verbis, *Venite benedicti Patris mei, perci-*

percipite regnum vobis paratum. cui sit laus, honor, & gloria infinita.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud Deum & homines. *Lucæ* 2.

Aperitur, quomodò Christus in sapientia, ætate, & gratia, creuit.

INconprehensibilis diuina & humana Christi maiestas, primum hodiè magisterij gradum, in Hierosolymitana conscendit Academia, Auditores, vt illuminet abscondita tenebrarum, & consilia cordium manifestet. Conscendit in medium Doctorum, vt se Deum esse verum; & hominem quoq; verum ostendat. Sicut enim nasci voluit infans in stabulo, sicut homo; sed tanquàm Deus ab Angelis omnem sibi exhiberi imperauit adorationem. Lucæ 2. *Gloria in excelsis Deo,* &c. Cruentum circumcisionis vulnꝰ sustinere non erubuit vt homo: sed vt tanquàm Deus, Saluatoris nomen acciperet, sacratissimum scilicet nomen Iesus. Traxit præeunte stella Reges Arabes, vt sibi tanquàm homini morali myrrham donarent; sed vt tanquàm Deum adorando, thus ipsi offerrent. Hodiè quoq; Doctores audire, & interrogare voluit, vt scilicet formam tradendæ in Academijs doctrinæ approbaret: vt docet Origenes Homilia 19. *Interrogabat,* inquit *Magistros, non vt aliquid disceret, sed vt interrogans erudiret:* ex vno quippè fonte doctrinæ manat, & interrogare, & respondere sapienter; & eiusdem scientiæ est, scire quid interroget, quidué respondeat. Adesse Filius Dei disputationibus sapientum voluit in Academia Hierosolymitana, vt scilicet in eadem vrbe, in qua multis iniurijs afficiendus erat, ac turpissima crucis morte damnandus, omnes illas contumelias, atq; cruciatus prius animo volueret atq; ruminaret. Æ-

Lucæ 2.

Origenes.

dificauerat inquit scriptura 3. Reg. 4. Academiam in arce sionis Salomon, eamq; sua præsentiâ & magisterio decorabat. *Veniebant* inquit sacra pagina, *de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ.* Et quos ad contemplationem sui Ierusalem non traxerat, vnius hominis sapientiæ fama perduxit teste Hieronymo epistola ad Paulinum. Incarnata quoq; sapientia ædificauit sibi domum, certè non aliam, nisi Academiam Christianam, in qua salutis & fidei doctrina instillatur. excidit 7. columnas eius, id est; huic domui septem charismata Spiritus sancti vberrimè contulit. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis, id est; in hac domo omnes scientiarum facultates tradi voluit, quæ animos hominum, ab inferioribus studijs, ad altiora inuitarent dogmata. Non ergo iam aliquis dicat, vbi est literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? cum in Academia & non alibi Christum docentem habeamus: cuius iam profectum in sapientia, progressum in ætate, & augmentum in gratia consideremus, vt ab illo discamus, quomodò in his tribus proficere apud Deum debeamus.

3. Reg. 4.

S. Hieron.

Sanctus Thomas tertia parte, quæstione 9. ar: 1. 2. 3. & 4. & quæst: 12. art. 4. Quadruplicem in Christo scientiam agnoscit, diuinam & increatam, quam per æternam generationè à suo Patre accepit; quemadmodùm ille de semetipso testatur, inquiens: *doctrina mea, non est mea, sed eius qui misit me.* Sicut igitur æternus Dei filius, non aliter missus est in mundum, nisi per generationem æternam; ita quoq; per eandem, omnem à Patre accepit sapientiam. Secundò, agnoscit in Christo scientiam beatam: quâ in quantum homo, claré videbat Deum. Ioann. 8 *Ego quæ vidi apud Patrem loquor.* Et hæc scientia debebatur ipsi, ex vi vnionis hypostaticæ, ratione cuius sicut omni perfectissimo modo sanctificari debuit eius humanitas; ita &, beata reddi perfectè postulauit.

In Christo scientia quadruplex.

Ioann. 8.

stulauit. hæc autem perfecta beatitudo, non potuit consistere, nisi in clara visione Dei: quam Christus, etiam dum mortalis viueret, habuit. Tertiam scientiam in Christo statuit sanctus Doctor infusam: quæ à sensibus non pendet, sed in primo conceptionis instanti, animæ Christi data erat. quemadmodum etiam Angelis in principio eorum creationis: cùm enim Christus esset comprehensor, & simul viator, debuit habere talem scientiam, quâ cognouisset res in seipso per species proprias, & quidditatiuas: quemadmodum cognoscunt Angeli, & Animæ separatæ. talis autem scientia ex natura sua infusa esse debet. Quartam deniq; in Christo agnoscit scientiam acquisitam, seu experimentalem; quæ progressu temporis sensuum exercitio augetur, cùm enim Christi humanitas sit assumpta, cum omni perfectione sibi connaturali; & talis etiam perfectio est acquisita scientiâ, quæ omninò animæ rationali debetur, necessariò quoq; in Christo reperiri debuit. Proficiebat igitur Christus sapientiâ, non diuinâ, sed humanâ: proinde non vt Deus, sed vt homo. quia incrementum in sapientia æterno & infinito, atq; in exhausto pelago, sapientiæ diuinæ conuenire nequit, vt docent Athanasius sermone 4. contra Arrianos. Epiphanius in Anchorato, Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 7. Ambrosius libro Incarnationis Domini, cap. 7. Licet enim Christus vt homo, nunquam progressus fuerit ab ignorantia ad sapientiam, sed ab instanti suæ conceptionis fuit perfectè sapiens; & nunquam ignorans adeò, vt Iudæi eius doctrinam audientes, dixerint: *Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit eas?* licet per suam scientiam, nihil de nouo scire potuit; quod antea ignoraret: cùm in illo omnes essent sapientiæ, & scientiæ thesauri, vt dicitur Ioann. 1. *Plenus gratiæ & veritatis.* Proficiebat nihilominus in sua sapientia, per exercitium eius, teste Cardinale Caietano in caput 2. Lucæ *Licet* inquit *Christus plenitudinem sapi-*

[Margin: Athanasi. Epiphani. Cyrillus. Ambrosi. — Ioann. 1. — Caietan.]

A *entiæ intus haberet; exteriùs tamen verba & opera sapientiora proferebat, pro ætatis incremento.* Pulchrè progressum hunc Christi in sapientia illustrat Vincentius, exemplo solis: qui licet eandem semper claritatem habeat in se, quantum tamen ad effectum, proficit, & crescit in sua claritate, maiorem causando claritatem in meridie, quàm in ortu. Sic planè Christus Dominus sol ille cœlestis, licet ab instanti suæ conceptionis plenissimus fuerit sapientiâ; crescente tamen in dies ætate; B maiora quoq; suæ sapientiæ prodebat argumenta: vt non immeritò dixerit de illo Apostolus Lucæ 2. *Crescebat sapientiâ:* incrementum non reipsa, sed ostensione, & manifestatione sumens, clariùs in dies suam claritatem absconditam, communi hominum existimationi propalando. Fatetur hoc sanctus Cyrillus in Ioannem 1. cap. 17. *Non vt Deus,* inquit, *profecisse intelligitur Christus, verùm quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potiùs de Iesu opinio; quàm illi-* C *us perfecta crescebat sapientia, vt magis in dies cognoscentes, magis illum procedere, ac gratiâ crescere arbitrarentur.* Et in thesauro lib. 10. cap. 7. hoc ipsum confirmat. *Cùm* inquit *audis Christum profecisse in sapientia & gratia, noli putare quidquam ei additum esse, sed quia videntibus, & audientibus eum, sapientiorem gratioremq; se in dies præbebat; ideò dicitur profecisse.* Quod comprobat D. Ioannes Damascenus lib. 3. fidei cap. 22. *Proficere sapientiâ, & ætate, & gratiâ idcirco dicitur Christus, quòd* D *ætate quidem cresceret, per ætatis autem incrementum, sapientiam eam, quâ præditus erat, in lucem proferret.* Sed mellifluum Bernardum homilia 3. supra Missus est, perbellè id enucleantem audiamus: *Vir* inquit *erat Iesus nec dum etiam natus, sed sapientiâ; non ætate: animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensũu, non corpulentiâ membrorum: nec enim minus habuit sapientiæ Iesus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus: nec fuit hora in quacunq; ætate, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione Christus accepit in vtero,*

[Margin: Vincenti. — Lucæ 2. — S. Cyrill. — S. Damasc. — S. Bernar.]

vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid A *adijceretur. Sed à principio perfectus, à principio plenus fuit spiritu sapientiæ, & intellectus: spiritu consilij & fortitudinis: spiritu scientiæ & pietatis: spiritu timoris diuini.*

Nam vt docet sanctus Thomas, tertia parte, quæst: 12. art: 2. in corpore, Duplex est profectus scientiæ; vnus secundùm essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur: alius autem secundùm effectum; quando videlicet aliquis, secundùm eandem & æqualem scientiæ habitum, B primò necessaria alijs demonstrat, postea maiora & subtiliora: & hoc modo Christus profecit in sapientia, quia secundùm ætatis augmentum maiora faciebat miracula, quæ maiorem in illo scientiam demonstrabant: ipse nihilominus habitus scientiæ, nō potuit in illo augmentari, cum à principio statim plenariè, omnium illi scientia rerum fuerit infusa. In hanc scientiam conspirant Theodoretus in Epithome diuinorum decretorum cap. *quod Christus suscepit animam cum cor-* C *pore.* Titus Bostrensis Episcopus, super hunc locum, Epiphanius in Anchorato. Vigilius lib. 3. & 1. contra Eutichen. Theophylactus in Commentario huius loci. Beda ibidem Nicephorus lib. 1. Historiarum cap. 14. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo.* Et sanè magna Christi cum sole similitudo: nam quemadmodùm contingit solem, qui priùs erat in nubilo, repentè nobis illucescere, iuxta illud 2. Machabæorum 1. *Refulsit sol qui erat antea in nubilo, & accensus est ignis ma-* D *gnus*; ita planè sol ille iustitiæ Christus, cùm antea esset sub nubilo infantiæ & pueritiæ absconditus, vt dicitur Isaiæ 45. *Verè tu es Deus absconditus.* repentè præter hominum opinionem, effulsit in templo, in medio Doctorum solis instar; fulgentissimis sapientiæ suæ radijs, tenebras mentis in omnibus illuminans; sol quamdiu in alieno hemisphærio detinetur, occultatur nobis, sed vbi ad nos appropinquare incipit in crepusculo auroræ, paulatim tenebras à nostro hemi-

[Margin: Theodor. T. Bostr. Epiphan. Vigilius. Theoph. Beda. Nicephor. Anselmus. — 2. Mach. 1. — Isaiæ 45.]

sphærio discutit. ita planè Christus Dominus velut alterum cœli aureum sidus, sub infantiæ suæ velamine existens, quasi in altero hemisphærio nobis lucebat; sed adueniente auroræ pueritiæ suæ, voluit duodecimo ætatis suæ anno, per sapientiæ suæ lucem, tenebras ignorantiæ expellere. Refert doctissimus Salmeron prodigiosum quoddam animal fuisse in terris, quod in fronte gestabat pyropum, seu carbunculum pretiosissimum, ac gemmam splendidissimam; contectā tamen cuiusdam pellis velamine, ex qua cùm in noctis caligine illam detegit, clarissimi lucis radij prodierunt. Quid hoc prodigiosum animal, nisi Christum Dominum ex duobus entibus in actu completis, compositum nobis denotat? cuius incomprehensa sapientia, fulgentissimus quidam erat pyropus; sed infantiæ & pueritiæ contectus velamine. Verùm placuit incarnato Dei filio, in media caligine ignorantis populi iudaici, qui cùm Deum secum indutum humanâ carne haberent, illum non cognoscebant. Ioann. 1. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Placuit inquam hunc pyropum detegere, ex quo admirabiles inauditæ sapientiæ promanabant radij. Et quemadmodùm refert Bercorius ex D. Isidoro lib. 11. sui Reductorij Moralis, cap. 57. inueniri quoddam genus carbunculi, hanc virtutem habens, quòd librorum folia, ac paleas ad se trahat; sic planè diuina Christi sapientia, hanc virtute carbunculi in se ostendit, dùm audientes in templo satrapas illos, velut inanis scientiæ siccitate arentes paleas; dum illos legis Doctores, & Rabbinos, velut folia quædam librorum, multis erroribus implicata potenter traxit: licet non ad suam fidem, sed in suæ sapientiæ, non modicam admirationem, dicente Apostolo: Lucæ 2. *Stupebant inquit omnes, qui eum audiebant, super prudentiâ & responsis eius.*

Proficiebat insuper adhuc Christus in ætate: vt scilicet hominibus varia rectè viuendi documenta, & exempla in omnibus suppeditaret ætatibus, se-

ptem

[Margin: Salmeron. — Ioann. 1. — Bercorius. — Lucæ 2.]

ptem enim hominis ætates ſunt, quas ad ſummum virtutis & perfectionis currendo augmentum, tranſigere debet. Prima ætas, infantia eſt, vſq; ad ſeptimum perueniens annum; in qua imperfecta ſunt & ratio & corpus; ita vt infans fari neſciat. Secunda eſt, pueritia, dicta à puritate, quæ à ſeptimo anno inchoatur, & ad 14. terminatur: in qua rationis lumen iam homini affulget. Tertia eſt, adoleſcentia, à decimo quarto, ad vigeſimum primum annum protenſa: in qua tàm ratio, quàm corpus meliùs in homine diſpoſita ſunt: ſed nondùm perfectè; quia in vtroq; adoleſcit. Quarta eſt Iuuentus, à vigeſimo primo, ad trigeſimum; in qua iam & ratio & corpus completum eſt, ad iuuandum alios; iuuentus enim dicitur, quòd iuuare poſſit. Quinta eſt, virilitas à trigeſimo ad Quinquageſimum vſque; in qua iam homo magis eſt idoneus, ad agendum per ſe. ſexta eſt, ſenectus,: à Quinquageſimo ad ſeptuageſimum, in qua iam corpus decreſcit, & declinat. Septima tandem eſt, ſenium & grauitas: à Septuageſimo anno, in qua & corpus & ratio in homine diminuitur, vſque ad mortem, ob frigus & corruptionẽ corporis. Hos annos & nõ plures homini ordine concedi; deſcripſit Dauid Pſal. 89. *Dies* inquit *annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autẽ in potentatibus, octoginta anni: & ampliùs eorum labor & dolor.* Has ætates more humano decurrere voluit Chriſtus, omnes ætates cum profectu abſoluens. Etenim in infantia, & in primo ortu ſuo, cum profectu ſtatim operatus eſt, trahendo Angelos ad ſe, Paſtores & Magos; peregrinando in Ægyptum: in hac enim ætate, licet adhuc in Chriſto erat imperfecta; ratio tamen in ipſo ſtatim conceptionis inſtanti perfectiſſima fuit. Proficiebat & in ſecunda ætate, in templo diſputans, & ſapientem Doctoribus ſeſe oſtentans; proficiebat & in tertia ætate, prædicando, & inuiſa antea edendo miracula, ac vitæ æternæ acquirendæ documenta magni momenti relinquendo, vt ſingulos ad ſe traheret. Proficiebat & in quarta ætate, ſcilicet virili, à trigeſimo anno vſq; ad trigeſimum ſemiquartum, operando ſcilicet ſalutem noſtram. ad reliquas verò vlteriores ætates nõ peruenit, quia ad maioris amoris ſui oſtentationem in florentiore & chariore ætate voluit pro nobis mori. Proficiebat ætate, vt nobis quoq; proficiendi monſtraret exemplum: quemadmodùm dicit Origenes. *Diſcamus filij eſſe ſubiecti parentibus noſtris, maior minori ſubijciatur. Nam quia Ieſus maiorem Ioſeph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filijs exemplum tribuens, vt ſubijciantur Parentibus.* Sed iam ad profectum Chriſti in gratia veniamus. Duplicem in Chriſto gratiam agnoſcunt Doctores: Perſonalem, & gratiã capitis. Gratia perſonalis eſt, quà perſona illa quæ eſt Chriſtus, redditur omnimodè ſancta. Gratia verò capitis eſt, per quam Chriſtus conſtituitur caput hominum, & Angelorum, in hac vtraq; gratia proficiebat Chriſtus. Proficiebat in gratia perſonali, non quòd maius incrementum ſucceſſiuè iſtius gratiæ acquireret: nam quomodò augeri poſſet in gratia, cuius omnem ſemper æqualiter plenitudinem habuit, ſed quia nõ tantum illam ſuam humanitatem, quã aſſumpſerat, admiranda deitatis vnione perfectiſſimè ſanctificare; ſed & noſmetipos ad participationem eiuſdem gloriæ eleuare ſtuduit. Proficiebat in gratia capitis: nam quemadmodùm caput in corpore humano, omnes ſpiritus vitales, in reliqua corporis membra diffundit, eaque viuificat; ſic Chriſtus cùm eſſet primus inter omnes creaturas ordine, vt potè primò ante omnes creaturas ad glorificandum Deum electus. Prim[9] perfectione, quia in ipſo diuina omnipotentia, totum quidquid habuit, incluſit. Primus virtute: nam eius ſolius eſt trahere creaturam ad Deum, Sic inquam Chriſtus omnem ſuam gratiam, in creaturas quaſi verum caput in ſua membra diffundere voluit, vt eaſdem cœleſti ſpiritu viuificaret.

Pſal. 89. — Origenes. — Gratia in Chriſto duplex. — Ioann. 17

teſtan-

teſtantur hoc abundè illa Ioannis 1. verba: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* ad hoc certè dedit vnigenitum mundo, vt profectum gratiæ ſalutaris in omnib[9] faceret. magna certè Dei erga nos liberalitas: vnius tantùm hiſtoriæ Romanæ, Pauli Æmilij munificentiam extollunt, quòd ex quatuor, quos habebat filijs, duos in adoptionem, Fabio vnum, Cornelio alterum dederit. Sed maior eſt æterni Patris in nos amor, qui vnigenitum tantùm habens filium, eum nobis donauit, vt ſcilicet ex eius operibus, prima nobis merendi prouenıret gratia, & vt in nobis tantùm Dei filius ſua gratia proficeret, quomodò eius cohæredes fieri poſſemus. quemadmodùm docet Ambroſius in cap. 1. Ioannis. *Dedit* inquit *eis poteſtatem filios Dei fieri? ò ineffabilis beneuolentia? vnicus natus eſt, & noluit manere vnus: non timuit habere cohæredes, quia hæreditas eius non ſit anguſta, ſi eam multi poſſederint.* Sed quid immenſam Dei maieſtatem ad tantam gratiæ in nos profuſionem compulit? ſolus certè amor: cùm non neceſſitate vlla, ſed gratuita libertate ſalutem noſtram vellet. Amore compulſus cœleſtis Pater hominem condidit, eumq; peccati labe contaminatum puriſſimo filij ſui ſanguine ablui voluit. Amor ſacramenta nobis donauit, amor cuncta quæ poſſidet Deus, liberaliter nobis impertiri ſuaſit, amor incarnatum Patris æterni filium ad hoc deduxit, vt omnem ſalutis profectum per gratiam ſuam in nobis operaretur, vt iuſtificati ſimus gratis per gratiam eius. Et quid pro tàm ineffabili Dei beneficio, vnigenito rependemus filio? non aliud certè, quàm mutuum amorem, hunc à nobis poſtulat, vt ſcilicet triplicem hunc eius profectum, in ſapientia, in ætate, & in gratia imitemur. hoc ſuadet Apoſtolus Epheſiorum 4. *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo qui eſt caput Chriſtus.* Proficiebat Chriſtus in ſapientia, magis in dies noſtra illuminans corda, per internã Spiritus ſancti punctionem: ſine cuius lumine, impoſſibile eſt hominem quicquam ad ſalutem neceſſarium mente concipere. Sed in hoc profectu ſpirtualem noſtrum profectum ſummè deſiderabat, cuius deſiderio non reſpondere impium eſt, vt verbis melliflui vtar Bernardi. *Qui* inquit *in ſchola Chriſti non proficit, eius indignus eſt magiſterio.* Sed nec dùm ſatis eſt homini velle in diuina Chriſti ſapientia proficere, niſi quoq; ſuam ipſi cooperationem adiungat, quod eleganter expoſuit ſanctus Leo Papa Sermone 2. de Epiphania inquiens: *Quamuis omnium bonorum ſit ipſe largitor, noſtræ tamen fructum etiam quærit induſtriæ.* Vt ſcilicet omne donum optimum, quod nobis conferre deſiderat, apud ipſum ſolicitè quæramus. Sic Deus decreuerat Salomoni dare ſapientiam, ſed quouſq; poſceret Salomon, dominus expectauit, quinimò excitauit illum ad poſtulandum dicens 3. Reg. 3. *Poſtula quod vis, & dabo tibi.* Sic planè decreuit quidem Deus ab æterno dare nobis ſapientiam, quam per illum & in hac mortalitatis noſtræ obſcuritate cognoſcamus, & in patria clarè intueri mereamur. Sed expectat, donec orationibus ac bonis operibus ab illo poſtulemus, vt ſecundùm deſiderium cordis noſtri det nobis optatam perfectionem. Mirabile quid refert ſcriptura Apoc: 12. inquiens: *Duæ alæ datæ ſunt mulieri, quæ peperit maſculum, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quid oro eſt iſta mulier? nonne anima noſtra: hæc duas alas à Deo ſibi datas habet, intellectum & voluntatem, quibus euolet in quietiſſimum illud deſertum, diuinæ ſcilicet mentis contemplationem, atque bonorum operum merita. hæc dùm cœleſtis ſapientiæ luce, tanquàm ſole veſtitur, lunam mutabilitatis & inconſtantiæ mundanæ potenter calcat, & virtutibus quaſi ſtellis quibuſdam hominem exornans maſculum parit, internam ſcilicet Chriſti ſapientiæ imaginem, & Dei cognitionem; in hoc cœleſtis ſapientiæ profectu, alitur anima

S. Ambr. — Epheſ. 4. — S. Bernar. — Leo Papa. — 3. Reg. 3. — Apoc. 12.

noſtra

nostra per tempus, & tempora, & dimidium temporis : initium enim virtutis tempus est, quo homo à malo fugit, & pœnitentiæ præteritorum insistit : profectus verò nostri in diuina contemplatione, sunt tempora : perfectio autem nostra ex virtutibus orta, dimidium est temporis : quia omnis nostra perfectio in hac vita semper est imperfecta, & quasi dimidiata, nec potest alibi, quàm in futura vita omnimodè perfici.

Proficere adhuc debemus, Christũ imitando in ætate, vt scilicet tota ætas nostra, ad virtutes, non ad vitia componatur : ad pietatem, non ad vanitatem informetur : ad Dei cultum, non ad mundi fastum informetur, talem enim hominem, qui omni vitæ suæ cursu in timore Dei viuit, summa benedictio & felicitas consequitur, Genes. 12. vt testatur scriptura Genesis 12. Vbi Deus ad Abraham loquitur : *Egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui, & benedicam tibi.* qui enim cum Deo semper ambulat, mundus ei nequam nocere non potest Fertur in Gigis annulo fuisse gemma, quæ ad portantem se conuersa, eum spectantibus inuisibilem reddebat, gemma hæc certè non alia est, quàm virtus christiana : quæ dùm in ætate hominis crescente crescit, mundo quasi hosti insidianti inuisibilem reddit illum hominem, vt dicitur Genes. 5. Genes. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit quia tulit illum Dominus.* Quæ verba considerans Origenes hom. 27. super Numerum, & Ioannes Cassianus collatione 3. cap. 7. de virtute exponunt inquiendo : *Vbi per omnes virtutes iter egerit anima, & ad summum perfectionis ascenderit, transit iam de cœlo, & ascendit sicut Enoch, qui non inueniebatur etsi videatur adhuc in sæculo esse, qui eiusmodi est, & in carne habitare tamen non inuenietur.* Et in quo nō inuenietur ? in nullo actu sæculari, in nulla re carnali, in nullo colloquio vanitatis inuenietur : transtulit enim Deus illum ab illis, & constituit in regione virtutum. Proficere demum ad Christi exemplum debemus in gratia apud Deum, & apud homines. Tanti enim pretij est diuina gratia, vt licet homo maximam habeat ; eius tamen desiderium nunquam explet, quia cùm non habeat sui incrementi vltimum terminum, ad omnem eius plenitudinem creatura deuenire nequit. ideoque D. Bernardus verba illa Matthæi : *Beati qui esuriunt,* commentans, inquit, S. Bernar. *Esuriat ampliùs, & qui desiderat, abundantiùs adhuc desideret ; quoniam quantumcumq; desiderare poterit, tantùm est accepturus.* Nec per aliud quidpiam homo in gratia Dei proficere potest, quàm per frequentem cibi & potus Eucharistici sumptionem, vt dicit sanctus Leo sermone de omnibus sanctis capite quinto. Leo. *Felix,* inquit, *mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum, quem vtiq; non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset.* Hic certè pius affectus, signum est inhabitantis gratiæ, dum homo nunquàm sibi sufficere potest, sed semper quasi famelicus maiorem Dei gratiam desiderat. Vt loquitur Leo Serm: 8. de Passione. *Quantumlibet quisq; iustificatus sit ; habet tamen dùm in hac vita est, quo probatior esse possit & melior.* nec certè decet, vt gratia Dei sit in nobis vacua, dicente Apostolo 2. Corinth. 6. 2. Cor. 6. *Obsecro vos fratres, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis.* hoc est ; ne otietur in nobis Dei gratia, & ab exercitio bonorum operum desistat ; sed cùm sit semen futuræ gloriæ, vt in nobis fructum æternæ salutis producat. Tria autem sunt, quæ nos in hoc profectu gratiæ Christi adiuuant : nimirum paupertas, cordis oppressio, & humilitas. Paupertas enim pro Dei amore patienter lata, iustitiam in nobis auget. iuxta illud Genesis 41. Genes. 41. *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* interna quoq; cordis oppressio, hominem Deo gratum reddit, iuxta illud Exodi 1. Exodi 1. *Quantoq; opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.* Tandem humilitas hominem è terra in cœlum subleuat. Ester 11. Ester. 11. *Fons paruus creuit in fluuium maximum.* Vidimus igitur iam creuisse Christum in sapientia,

pientia, per manifestationem : dùm per miracula, & prædicationem suam augeret in nobis fidem, & notitiam cœlestium, non tantùm docendo, sed tenebras simul nostræ mentis illuminando. Vidimus creuisse illum in ætate, per humilitatem, & tot virtutum ac pietatis exempla : quæ nobis reliquit, vt eius perfectionem, quantum eius auxilio adiuti possumus, æmulemur. Creuit in gratia, salutem in nobis operando, & internam animæ iustificationem. Crescamus iam & nos in sapientia Christi, sæpiùs mentem nostram in cœlestium cōtemplationem arcanorum defigendo. Crescamus in ætate, totum vitæ nostræ cursum in decurrendis virtutibus, & pietatis operibus consumendo. Crescamus deniq; in gratia, semper meliores & iustiores esse curando, & coram Domino, vt in nobis æternum sibi complaceat : & coram hominibus, vt nostro exemplo ad omnem sectandam perfectionem, incitentur, Amen.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

CONCIO PRIMA.

Et deficiente vino dicit Mater Iesu ad eum : vinum non habent. *Ioannis. 2.*

Vinum spirituale, nimirũ concordiæ, charitatis, contritionis veræ &c. per solam Virginem Mariam comparari potest.

ET inter regias interdùm opes inopia serpit, & in summa hominum felicitate miseria nonnunquàm grassatur : & in lautissimis aliquandò epulis esculentorum atque poculentorum defectus oboritur. Sed non mirum ? quia vt proclamat D. Bernard. S. Bernar. Serm: 1. in Dominicam palmarum : *Hic est* inquit *transitoriæ finis lætitiæ, hæc vicissitudo gloriæ temporalis.* quinimò & ipse Deus in prima orbis molitione, statim voluit declarare, nunquàm homini omnimodam rerum copiam affuturam, quando sex priores creationis dies, vespere & mane clausit. Gen: 1. Septimum verò sine vlla vespera, illucescere fecit Genes. 2. Vt ostenderet hominem solùm in patria, quam dies repræsentat, vbi est mane sine vespere, lux sine nocte, omnibus bonis affluere posse. per priorem verò dierum senarium, vitam hanc præsentem exprimere voluit, in qua (vt obseruat Rupertus. Rupertus lib. 2. in Gen: cap. 13. Labor cum requie, egestas cum abundantia, vita cum morte, commoda cum incommodis, mane deniq; cum vespere continuò permiscentur ; quo certè nihil acerbius homini potest accidere. Quid enim miserius ; quàm cum auri copia inopiam ? cum ciborum lautitie, esuriem copulari ? hæc tamen temporalium conditio diuitiarum, quæ siue affluant, siue effluant, nunquam explent. Quod subtili ænigmate proposuit Salomon Prou. 30. Prou. 30. num: 15. inquiens : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, Affer.* cuius ænigmatis optimum Ædypum se præbens D. Bernardus in suis declamationibus, S. Bernar. *vbi per sanguisugam,* inexplebilem humanam voluntatem interpretatur ; & duas eius filias dicentes *Affer, Affer,* duas voluntatis affectiones, cupiditatem scilicet, & voluptatem exponit. Siquidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate aliquandò satiatur. Agnouit hunc probè defectum magna magni Mater Dei, dùm inuitata

inuitata ad nuptias celebres, in media conuiuantium lætitia, in ipsis consanguineorum applausibus, in iucundo neosponsorum amplexu, in summa Architriclini alacritate, vinum defecisse spectaret; cùm tamen in nuptijs non solùm opus est sufficienti victu ad sustentationem, sed etiam decenti opulentiâ, & perfectione conuiuij, ad exhilarandos conuiuarum animos, quod sine copia vini nequaquã fieri potest; quia vt dicit Sapiens Ecclesiastici 31. *Vinum in iucunditatem creatum est.* Ostendam itaque hodiè, quale vinum deficit in nuptijs, & prorsùs etiam nobis omnibus non est, & vbi illud possimus conquirere.

Eccles. 31.

Duplex est vinum, materialę seu vsuale; quod non est tantoperè necessarium homini, quia absq; illo potest homo omnimodè sustentari, ne fame pereat. Vt docet Sapiens Ecclesiast: 29. *Initium vitæ hominis panis & aqua*; imò enim frequenter nocet: propter quod vsum eius immoderatum prohibet Spiritus S. Prou. 3. inquiens: *Ne intuearis vinum, quando flauęscit: ingreditur enim blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber.* propter quod & ipse Deus, inter insignia suæ beneficentiæ argumenta, nusquàm hominibus vina subministrasse legitur. Nam Exodi 16. sacra eloquia tradunt, Deum Filijs Israël dedisse panes, & carnes ad saturitatem. *Vespere* inquit *comedetis carnes, & mane saturabimini panibus*: idq; non semel præstitit: nam & postea tanta coturnicum copiâ eos saturauerat, vt in nauseam eis verteretur: vinum tamen nequaquam eis dedit. Similiter 3. Reg. 18. Heliæ Prophetæ diuinitùs afferebat panem & carnem coruus quotidiè; & tamen potus eius non erat nisi aqua de torrente Carith. Deniq; ad recentiora descendamus, cùm Christus Dominus fecisset conuiuium turbis in deserto multiplicatione quinq; panum, & duorum piscium; vino tamen minimè conuiuas potauit. quod percunctatur D. Ambros: supra Exodi 17. *Quare cùm penes Deum est potestas tàm vinum, quàm aquam illi populo præbendi; nihilominùs tamen sibi & inopiâ laboranti nunquàm præbuit vinum.* Respondetq; id factum à Deo, ne illis malè faceret, occasionem præberet, quâ iudicij arbitriumq;, & rationis vsum amitterent. Quod comprobat authoritate scripturæ, Iudicum 13. Vbi Deus Samsoni quem in vtero matris sanctificauerat, vini vsum prohibuit. Et de Ioanne Euangelista hoc ipsum in magnum eius encomium Angelus protulit Lucæ 1. *Vinum & siceram non bibet.* Hinc etiam apud ipsos Romanos, vt refert Plutarchus, infames habebantur Senatorum vxores, vinum bibentes, eratq; penes ipsum senatum potestas, dare mulieribus vini bibendi facultatem graui vrgente morbo, idque extra vrbem degentibus. testaturque Plato apud antiquos vsitatum fuisse, examinari respirationem, & oris anhelitum mulieris, quæ si vinũ redoleret, acriter puniebatur.

Eccles. 29. — Exodi 16. — 3. Reg. 18. — S. Ambr. — Iudic. 13. — Lucæ 1. — Mulier vinum bibẽs apud Romanos infamis erat.

Alterum multò præstantius vinum est, spirituale: quod non de alio, quàm de Christi vinea Ecclesiæ exprimitur, iuxta illud Canticorum 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, in qua profertur vinum germinans virgines.* Vt dicit Propheta Isaiæ 9. Vinum certè satis diuersum à communi vino, quod ad puritatem & virginitatem inducit. Hoc igitur vinum frequenter deficit in nuptijs: propter quod Apostolus licet matrimonium sit *honorabile connubium, & thorus immaculatus* 1. Corinth. 13. Abstinendum tamen ab illo propter defectum vini spiritualis suadet 1. Corinth. 7. inquiens: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Etenim vinum spirituale, esse inprimis amicitiæ, charitatis & vnitatis symbolum, nobis ostendit cœlestis ille sponsus Cant: 6. inquiens: *Descendi in hortum, vt inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Vbi, quare ex innumeris in horto fructuum generibus atq; arboribus existentibus, sponsus cœlestis delectatur vitibus, & malis punicis? causam video vnicam; quoniam vitis & malus punica, præterquàm, quòd fructum producant gratissimum,

Cantic. 2. — Isaiæ 9. — 1. Cor. 13. — 1. Cor. 7. — Cantic: 6.

tissimum, symbola sunt vnanimitatis & amoris. Nam vinearum dispositi ordines, palmitum amplexus, botryonum & acinorum compositio, quid aliud præseferunt? quàm animorum coniunctionem, & charitatem benè ordinatam, quod ipsum mali punicæ fructus, coronam gestans, exprimit: etenim granorum in malo punica coniunctio; singulorum situs ac series, atq; illa sui ipsius spontanea apertio, quâ videtur quodam modo grana sua cunctis offerre, nonne docent inter nos esse oportere animorum coniunctionem, & mutuam beneficentiam? vt igitur Christus significaret, ad statum connubij maximè pertinere, animos illud recipientium mutuò beneuolentiæ fœdere coniungere, ideò in nullis alias conuiuijs, præterquàm in ipsis nuptijs neosponsorum vinum spirituale produxit. Sed ecce dolet sanctissima Deipara, dùm vinum hoc in Christo nubentibus deficere videt? *Vinum* inquit *non habent*, quasi diceret; in locum charitatis irrepsit in animos coniugum odium: in locum amicitiæ, successit discordia; in locum vnitatis, progressa est voluntatum diuersitas; quando & vir vxorem despicit, & vxor viro subesse, atq; parere non vult, cùm tamen non is debeat esse honor viri erga vxorem suam; vt docet Salomon Prouerb. 5. *Sit tibi vxor cerua charissima, hinnulus gratissimus.* hoc est; sit tibi in delicijs, & multum amabilis, & quasi ceruam charissimam, hinnulumq; tibi iucundissimum, blandè illam tracta. Et ad vxores loquitur Apostolus. *Mulier nupta obediat viro suo.*

Prouer. 5.

Sed rarissimè fortasè talem inuenies: quia dicit sanctus Hieronymus. *Optima fæmina rarior est phœnice.* Facilè enim illius amor in venenum, & virtus in perniciem viro vertitur; in cuius veritatis comprobationem, ingentem cathalogum nuptarum, sed malè viris suis cogitantium, recenset Carthagena tomo 2. lib. 11. Hom. 2. Prodit prima in theatrum ipsius malitiæ Clytemnestra, quæ auxiliante Ægypto, quo cum stupri consuetudinem habuit, Agamemnonem maritum interfecit. Succedit huic Semiramis, quæ cum à maritò suo Nino impetrasset, vt vno saltem die in regio sederet tribunali, obiretq; munus regium, iuri dicendo, & faciendo quæ sibi viderentur; quod vbi obtinuit, exploratis satellitum animis, Ninum ipsum apprehendi iussit, & in vincula coniici, tandem quasi captum latronem capite plecti. Hoc celebre & suis sceleribus famosum factum, quid sequitur? Danaus Beli Filius, quinquaginta habuit filias, quæ totidem Ægypti Filiis nupserunt: verùm factâ coniuratione, maritos omnes vna nocte trucidauêre, præter solam Hypemnestram, quæ Nino viro suo pepercit. Ampharaus vates, cùm præuidisset se periturum Thebis, si eò ad bellum proficisceretur, coniecit se in latebras, & occultauit: quem tamen inuida coniunx prodidit, nomine Gryphile dicta, spe habendi monilis aurei, quod gerebat Polynices. Vbi miser maritus vxoris fraude coactus ire Thebas, hiatu terræ absorptus est. Fabia mulier Fabium Fabricanum interfecit, vt liberiùs posset lasciuire, cum Patronio Valentiniano liberali formâ adolescentulo, quo cum adulterij consuetudinem habebat. Deficiebat vinum fidei sæpiùs inter coniuges: nam Liuia Cæsaris Augusti vxor, ne Agrippam, filium Agrippæ in vrbem reuocaret Augustus, ad imperium ei relinquendum, ficus adhuc pendentes in arbore, quas Octauius manu sua decerpere consueuerat, illiuit veneno, cumq; ipsa comederet eas, quæ illitæ non erant, ei venenatas offerebat. Vnde cùm profectus Neapolim ludos faceret, veneno ficuum Nolæ extinctus est. Scribit etiam Volateranus Albinam quandam Syriæ Regis filiam, duas & triginta habuisse sorores, quæ totidem maritos interfecerunt, expulsasq; propterea à Patre venisse in Britanniam, & à nomine Albinæ insulam vocasse Albionem. In hoc ordine lego Circem veneficam, quæ Sarmatum Regem, cui nupserat, veneno necauit.

S. Hieron. — Carthag. — Recensentur mulieres, quæ viros suos occiderũt. — 50. viri vna nocte ab vxoribus cæsi. — Volater.

cauit. Numero Helenam, quæ Dniphobum, cui post Paridem adiuncta erat, toto pectore inhonestis plagis deformiter per insidias interemit. Video Candaulem Ludorum Regis coniugem, quæ cum Gyge satellite contra maritum conspirauerat. Specto Theben Alexandri Pherei Vxorem, quæ ipsum dormientem iugulauit. Cerno Lucillam Drusi consortem, quæ cum Seiano adultero in mariti mortem consilium iniuit, omnemq; lapidem mouit, vt veneno interficeretur. Considero Agrippinam Tiberij Claudij, virum suum è viuis sustulisse. Circumspicio Gandulphum pro Christi fide martyrem ab vxore interemptum esse; & profectò si omnes recensere vellem, dies me citius deficeret. Iustè igitur conquerens de vino coniugum, Hieronymus, subscribit. *Rara Phœnix in mundo mulier bona.*

Quæ non eo fine protuli, quasi iam matronas omnes culpare viderer. Scio enim inter illas plurimas esse fidei & amicitiæ obseruantes; inter quas prima se offeret Abigail fæmina pijssima, quæ Nabalem sortita virum, licet stolidum, & pertinacem; coluit tamen eum insigni charitate: cui cùm Dauidem iratum cognouisset, & in perniciem domus suæ eum cum armata militum manu appropinquare cerneret, prudens coniunx cum magnis muneribus obuiam illi processit, adeoq; excandescentis, & vehementi furore acti iuuenis animum circumegit, vt confestim illi Dauid ex inimico amicus, & ex hoste gratissimus hospes factus fuerit 1. Reg. 15. [1. Reg. 15.] Talis fuit Ipsicratea Regina, quæ Mitridatē coniugem suum effusis charitatis habenis amauit, adeò, vt præcipuum formæ suæ decorem, in virilem habitum conuertere voluptatis esse duxerit: tonsis enim capillis, equo se & armis assuefecit, quò faciliùs eius militiæ & laboribus interesset: quin etiam victum à Cneio Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili insecuta est, cuius tanta fides, asperitatum omniū & rerum difficilliū Mithridati maximo solatio fuit. Sunt & his temporibus multæ præclaræ inter nuptas fæminæ, fidem infractam viris suis seruantes, sed quia reperiuntur etiam aliquæ, quæ vnitatem & amicitiam frangunt, talibus vinum Iesu Christi deficit, quia cùm non seruent in tali connubio præceptum Apostoli Ephesio 5. [Ephes. 5.] *Vir & mulier sint benè sibi consentientes.* Vinum spirituale quod de latere Christi profluxit, scilicet sacrum eius sanguinem toties indignè bibunt, quoties vnionem coniugalis amicitiæ interrumpunt.

Nam quàm arcta societas inter coniuges esse debeat, optimè declarat magnus Philosophorum Pythagoras [Pythagor] illo suo celeberrimo dicto: *Panem ne frangito,* quo symbolo, certè non prohibuit fractionem panis ad comedendum: hæc enim si non fieret, inurbanum nimis ostenderet esse patremfamilias; subtilius itaq; quidpiam insinuauit Philosophus, scilicet; vt pane non fracto amicitiam inuiolatam signaret. Nam & apud Antiquos in more positum erat, & huc vsq; apud Polonos eadem consuetudo viget, amicitiam pane conciliari: idque ex eo vt opinor fundamento, tum quod panis ex multis granis in vnum collectis conficitur: tum quia sicut præcipuum hominis alimentum est panis; ita etiam potissimùm vnionis atque amicitiæ nutrimentum est amor. Cùm igitur Pythagoras *panem ne frangito*, dicit; non aliud imperat, quàm amicitiam coniugalem non esse frangendam, quæ procul dubio, maximè inter coniuges constans & firma esse debet. Vt pote quibus caro vna, fides vna, proles communis, & sacramentum indiuisum est. Quod comprobat D. Chrysost: hom: 88. in Genes: [S. Chrys.] *Illæ* inquit *veræ sunt diuitiæ, illæ sunt maximæ facultates, si vir cum muliere non discordet, sed coniuncti sint, vt corpus vnū.* Tales enim etsi in paupertate fuerint, etsi in vilitate omniū, tamen beatissimi erunt: veramque semper percipient voluptatem, & in continua consistent tranquillitate. Sicut contra qui concordia

cordia

cordiâ non fruuntur, sed zelotypiâ laborant, & bonum pacis amittunt; & quamuis magnis affluant diuitijs; quamuis sumptuosas habeant mensas, quamuis clari fuerint ac nobiles, miserrimi omnium erunt: turbelas & fluctus sibi quotidiè excogitant, nullamq; voluptatem habere possunt, interno bello omnia, cōfundente multamq; eis amaritudinem inuehente.

Verùm, non est mirum, quòd dulce vnanimitatis vinum inter coniuges, frequenter in acetosum & amarum discordiarum potum conuertatur? quia nuptias spirituales fidelium, Christus non nisi in cruce consummauit, siquidem tunc Ecclesiam sanctam de latere suo, velut Sponsam suam amabilem dimanare, & crescere fecit. Christus autem in cruce non iucundum, sed amarum vinum potauit, vt fatentur Euangelistæ Matth. 17. [Matth. 17.] *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cùm gustasset noluit bibere.* Marcus verò dicit cap. 15. [Marci. 15.] *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* Vbi vinum non à Myrrha, sed à myrrho (quod est odoramentum quoddam) vocabatur, eratq; dulce nimiùm, & aromatibus optimè conditum, quo Romanorum matronæ plurimùm delectabantur teste Gellio [Gellius.] libro 10. cap. 13. [Quare Christus in cruce vinū bibere noluit.] Tale autem vinum Christus moribundus noluit bibere, vt omnem consolationem omninò respueret: ac proinde quoniam in spiritualibus Christi nuptijs, quas in cruce contraxit cum Ecclesia, defuit vinum solatij, & iucunditatis, & solùm amaritudinis vinum porrectum erat. non mirum: quòd etiam in nuptijs fidelium deficiat vinum vnanimitatis, quod est ad solatium, & conseruationem. Verùm præclarè suo exemplo Christus nubentes in charitate edocere voluit, in hoc statu patienter omnia amara perferenda esse: si volunt vinum dulce cœlestis gloriæ ad satietatem æternam postmodum bibere. Verùm quoniam sacratissima Deipara, non solùm Sponsis, sed omnibus quoq; ad nuptias inuitatis vinum deesse asseruit, & ego non tantùm in connubio, sed in omni statu singulis nimirùm vinum spirituale deesse video, vt proinde de omnibus nobis meritò dici possit *Vinum non habent.* Vinum enim Christi charitatis symbolum atq; sinceritatis est.

Et in quo nunc statu obsecro videbis charitatem firmam? *euanuit* (inquit Apostolus) *charitas in cordibus vestris*: charitatis enim proprium est non tantùm amicos; sed etiam inimicos diligere; his verò temporibus, inimicos acerrimè, vt plurimùm inuidiâ prosequimur, amicis verò, & quibus propter merita eorum, & labores etiam pro nobis susceptos iure iustitiæ ad gratitudinem obligamur, summè ingratos nos exhibemus, immemores fortassè illius doctrinæ Apostoli 1. Ioann. 4. [1. Ioan. 4.] *Qui habet charitatem, Deus in eo manet, & ille in Deo: in quo autem charitas non est, manet in morte.* ô temeritas! ô ingratitudo humana! æquumne est, pro misera inuidia Deum perdere? ô malitia non homine, sed pecude digna! Christianumne est, propter inueteratum iræ odium, Deum ex sua conscientia excludere? Num fortassè putas te præceptum charitatis adimplere? quia ore roganti patrocinium promittis, & mente seriò cogitas, quomodò ad aliquem gradum aspirantem impedias. Sed audi Apostolum quid tibi respondet. 1mæ ad Thimoth. 1. [1. Timot. 1] *Finis* inquit *præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quisquis proinde es, siue spiritualis, siue eruditus, siue illiteratus, certus esto, Deum in corde tuo nequaquam manere, si violasti charitatem. Quia cùm certa sit philosophantium sententia, *sub contrarijs qualitatibus contraria elementa continentur.* Non enim potest esse sub frigiditate ignis, neq; sub caliditate aqua: sic planè certissima subsistit doctrina Apostoli: si in illo, qui charitatem habet, Deus manet: consequenter in eo, vbi charitas deficit, Deus manere nequit: quia ibi iam contraria qualitas, & summè repugnans charitati, scilicet; inuidia regnat: quæ sedem non Deo,

sed

fed Diabolo locare folet. Vbi nunc A fynceritatem experieris ? nullibi reuera : aut faltem apud pauciffimos : nam quibus maximè confidis, ab illis certiffimò nimium opprimeris ; & qui tibi fuam operam promptè pollicentur, eandem procul dubio femper negabunt : nam fic homines natura compofuit, vt ad fraudem magis ; quàm ad candorem propendeant. Et quid obfecro caufæ defectus finceritatis inter homines ? crede hæc vnica: quia fic hoftis animæ decepit multos, vt facilè putent fe omnia fcelera B per confeffionem expiaturos. Sed quifquis es ? certus efto, confeffionē fine reftitutione nihil valere. Confitere fingulis horis, diebus, & momentis ; fi læfum in fama propter tuum odium, non deprecatus fueris, fi hominem innocentem, quem aliàs à præmio laboris & virtutis remouere non poteras, nifi mendaciter afferendo illum talem & talem fuiffe ; fi inquam iterum illum in multorum opinione malè acceptum, ab obiecto crimine non vindices, certus efto, tuam C confeffionem, & quorumcunq; operum exercitationem non plùs valere, quàm ventum flantem. Dolendum proinde eft, quòd vinum charitatis, & finceritatis inter homines deficiat.

Tertiò adhuc, vinum fpirituale Chrifti fignificat contritionem veram cordis, iuxta illud Pfal. 59. *Potafti nos* Pfal. 59. *vino compunctionis*, hoc eft; vt interpretatur D. Auguft: *ftimulationis*, fcilicet excitando hominem ad deploranda fua peccata. Sed & hoc vinum moderni Chriftiani non habent; quia nō D folùm non retractāt fuas detractiones, fed etiam augent ; non tantùm commiffa crimina non erubefcunt, fed & cùm malè fecerint, triumphant, & exultant in rebus peffimis, immemo- Genef. 4. res diuini illius confilij. *Peccafti quiefce* : quafi diceret Deus ; fatis iam, quia animā tuā inferno mancipafti, faltem ne impudens tuū factum iactes. Vbiq; ergo & in cōnubio, & in nō nubentib⁹, & apud fpirituales, & apud fæculares deficit vinū, nec aliter acquiri poteft, nifi fuccurrente fanctiffimâ Deiparâ.

Nam quemadmodùm Arca illa fæderis diuini, fuit turris fortitudinis, quæ Ifràelitas tuebatur, propter quod medium, inter illos locum femper obtinebat, vt ab omnibus æqualiter mifericordiam imploraturis adiri poffet : fic planè Beata Virgo, quæ tanquam turris fortiffima totum mundū fuo patrocinio protegit, ideò medium Orbis locum fibi vendicat, vt ab omnib⁹ pariter requiratur & imploretur. Quod illi fubfcribit regius vates Pfal. 37. de Chrifto loquens : *Operatus eft* in- Pfal. 37. quit *falutem in medio terræ* : id eft, vt exponit D. Bernardus Serm. 2. in Fefto Pentecoftes ; *in vtero Virginis Mariæ* ; quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim velut ad medium, velut ad Arcam Dei, velut ad rerum caufam, velut ad negotium fæculorum refpiciunt, & qui in cœlo, habitant, & qui in inferno, & qui nos præcefferunt, & qui fequentur, & nati natorum, & qui nafcentur ab illis. Recurrant ad illam qui funt in cœlo vt refarciantur : & qui in inferno, vt eripiantur ; & qui præcefferunt, vt Prophetæ fideles inueniantur ; & qui fequentur, vt glorificentur. Nam tantâ mifericordiā eius vifcera non modo affluunt, fed etiam effluunt, vt etiā à nemine requifita fuccurrat : quemadmodùm contigit in nuptijs Canæ Galileæ, vbi cùm ipfa iam nuptiarum celebritas proueheretur ; ecce tibi in æftu temporalium deliciarum, in faftigio humanæ felicitatis (vt plerumquè fieri folet) defectus & inopia vini obrepfit. Quid ergo Beata Virgo ? priufquam ab aliquo rogaretur, opitulari ftuduit, filium alloquendi *Fili vinum non habent*. At quis te prior ô Mater clementiæ ad orandum Filium ftimulauit ? certè folus ille tuus mifericordiæ affectus, quo ad fubleuandas hominū neceffitates fpontè incitaris ?

Mirabile eft, quando Iofeph adhuc Ephebus duplex fomnium habuit, ab omnibus propterea arguebatur. Nam dùm inprimis fomniauit, fe & fratres fuos ligaffe manipulos in agro, & manipulum fuum confurrexiffe, atque

adoratum fuiffe à manipulis fratrum A fuorum, mox fratres audientes hoc in- Genef. 37. furrexerunt contra illum. *Nunquid aiunt Rex nofter eris, aut fubijciemur ditioni tuæ* ? Genef: 37. Poftea fomniauit fe à fole, luna, & ftellis, fuiffe adoratum, quod vbi Patri fuo retulit, Ibidē. 10. reprehendit illum, inquiens : *Quid fibi vult hoc fomnium ? quod vidifti ? Num ego, & Mater tua, & Fratres tui adorabimus te fuper terram*. At, cur Patre & fratribus obiurgantibus, fola mater abftinet à iurgio, nullas adhibet querelas, ne minimo quidem verbo per- B ftringit, cùm non minùs ad illam, quàm ad Patrem, & fratres, iniuria fi quæ erat, pertinere videretur. Refpon- Mendoza. det Mendoza in 1. Reg. cap. 8. n. 12. *quiâ mater femper indulgentior folet effe in filium : atq; ita erga illum animatur, vt patre, ac fratribus irafcentibus, folùm ipfa non æmuletur ; imò potiùs incredibili gaudio propter illius bonum perfundatur*. En vobis adumbratum Matris viuentium amorem, beneuolentiamq; in peccatores. Chriftus fæpè tanquàm Iudex flagello armatur ad C vindictam, Angeli tanquàm diuini furoris executores, & ad iniurias eius vlcifcendas vindices, inuehuntur : fola Virgo tanquàm indulgentiffima Parens, femper mifericordiæ vifcera præbet, ad quæ omnes, qui diuinam iram fugiunt, recipiantur. Hæc fola vinum fpirituale omnibus fubminiftrare poterit : illa enim fitientes potat : quia facta eft veluti decora illa Rebecca, quæ feruum Abrahæ Eliezerum, multa fiti arefcentem oblato Genef. 24. liberali potu, recreauit dicens : *Bibe* D *Domine mi*. Gen: 24. Non enim dubium, quin multi fiti extinguerentur, nifi de eius mifericordiæ fontibus copiofos latices biberent.

Deeft vinum ægrotantibus : fed illud eis Deipara fubminiftrat. Refert fcriptura Daniel. 5. quòd dùm lethali fyncope ægrotaret, aut potiùs deli- Daniel. 5. quio Balthafar, dicente fcriptura : *Compages renum eius foluebantur, & genua eius ad fe inuicem collidebantur* ; cumq; nullū tanto malo inueniri poffet medicamentum : ecce tibi Regina domum conuiuij ingreffa eft, & proloquens ait : *Rex in æternum viue*. quafi benè fperare iuberet, deploratæ falutis ægrum in fpem vitæ reuocando, quem non verbis tantùm, fed auxilijs adiuuit : dùm Prophetam Danielem accerfiri iuffit, qui præfentem tanto morbo medicinam adhiberet. Quid Regina hæc, nifi Virginem Deiparā figurabat ? quæ frequenter fingulis falutaria morbis antidota porrigit ; nec tantùm ægra corpora, fed etiam animos veneno peccati infectos, fingulari fuæ præfentiæ folatio perfundit.

Deeft peregrinis vinum, quod moleftam eorum fatigationem leniat: fed & hoc Beata Virgo apud filium fuum impetrat. Quis enim ad portas oftij ei⁹ etiam nocte intempefta vigilauit vnquàm, cui ftatim limina non paterent?

Deeft captiuis vinum redemptionis : fed & hoc per Mariam facilè obtinent. Si enim pia Æfther pro populo fuo apud Affuerum fupplicauit ; inquiens : *Dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro* Efther. 7. *quo obfecro* : Æfther 7. proh ! quàm multi hodiè patria libertate perfruuntur, qui fi Virginem redemptricem non habuiffent, dubio procul hoftilibus inclufi carceribus, imò fepulti ad hæc vfq; tempora tenerentur.

Deeft ignorantibus vinum fapientiæ ; fed & hoc per Mariam conceditur fcire ambientibus. Nam quemadmodùm Mater Salomonis, filiū fuū conftitutū Regem, ætate puerum, vfu inexpertum, iuuenili licentiâ innumeris periculis proximum, non ceffabat ad frugem, ad pietatem, ad religionem erudire, iuxta illud 4. Reg. 4. Reg. 22. cap. 22. *Vifio quâ erudiuit eum mater fua*. Nonne & Deipara ignorantiæ noftræ, fuæ fapientiæ lumine tenebras diffipat ac difpellit ? afferente id fcriptura Cantic. 4. *Sicut turris Dauid col-* Cant. 4. *lum tuum, quæ ædificata eft cum propugnaculis*. quod Hebræus interpres vertit ; *conftructa ad difciplinas*. Pa- Pagninus. gninus verò legit, *ædificata ad docendum* : per hanc enim optimam Magiftram, & fæculares, fuas regere familias ; & Ecclefiaftici, pafcere oues fuas ;

as; & religioſi, ſuas animas ad perfectionem excolere docentur, & informantur.

Deeſt mæſtis vinum conſolationis: & hoc per Mariam datur, quod ab oculis eorum omnem lacrymam abſtergit: multi enim in eos triſtitiæ fluctus ſæpè deueniunt, vt parùm abſit, quin laqueo collum inſerant, pugionem pectori infigant, corpus in præcipitium deuoluant; & ecce tibi feſtina prouolat conſolatrix afflictorum, & laqueo collum expedit, pugionem de pectore detorquet, pedes à præcipitio auertit, & quod caput rei eſt: totum animum præ triſtitia fluctuantem, ac æſtuantem, redditâ, immò adhibita mitigat hilaritate, & ſerenat: dùm multis conſolationibus in mœrentium animos non ſtillat, ſed exundat.

Deeſt offenſis vinum remiſſionis: ſed & hoc per Mariam nemini negatur? quantis enim illam toties iniurijs prouocant, & laceſſant; quâ Hæretici, quâ Gentiles, quâ rebelles, & exleges Chriſtiani: illis tamen ſe Virgo Matrem miſericordiæ oſtendit, tantò liberaliorem in condonando, quò illi procaciores ſunt in offendendo. Quantis illam moleſtijs afficiunt, quantis calumnijs vellicant, quantis blaſphemijs proſcindunt, qui de beneficijs Dei ingrati viuunt, & incolumes ſeruantur? quorum tamen illa proteruiam & audaciam ſereno vultu diſſimulat, & trãquillo animo recõdit.

Deeſt deniq; defunctis vinum placationis diuinæ, quia multi quieuerunt, qui nullos amicos, nullos cõſãguineos in viuis ſuperſtites habent; ne tamen pro contractis culpis diutiùs in purgatorio detineantur, ſupplicat pro illis Virgo, vt de amaro ignis ſudore ad iuucundum cœleſtis gloriæ refrigerium aſſumantur.

Ecce igitur vini ſpiritualis defectum vobis oſtendi. Deficit vinum concordiæ, in nuptijs inter coniuges. Deficit vinũ ſinceritatis inter fideles: mediumq; non aliud ſuppetere, niſi Beatam Virginem, per quam vinum hoc poſſumus comparare: nam licet illa in cælo conſtituta ſit, minimè tamen alienum à ſua dignitate putat, ſi noſtris miſerijs atq; neceſſitatibus medeatur. Nam ſi olim Mardochæus ad Æſther in regale ſolium euectam dixit: *Quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore præparareris.* Aſther 4. quaſi diceret; Regina facta es, non ſolùm vt dignitate regiâ perfruaris; ſed etiam vt in noſtra neceſſitate patrocineris, ſic planè Beata Virgo, quaſi hominum cauſa in cælum, aſcendit. Igitur ad illam, confugiamus, vt omnibus nobis vinum ſpirituale, & charitatis, & vnanimitatis, & ſinceritatis, impetret, Amen. Eſther. 4.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Vocatus eſt autem & IESVS, & diſcipuli eius ad nuptias. *Ioan. 2.*

Oſtenduntur duplices nuptiæ, aliæ ſpirituales, aliæ corporales, & ad vtraſq; Chriſtum eſſe vocandum.

NOn caret myſterio, quòd Chriſtus Dominus, quem ſacræ literæ nunquàm riſiſſe, aut prophanis interfuiſſe nuptijs memorant, hodierno tamen nubentium interfuerit conuiuio. Siquidem longè alienum eſt à perſonis ſpirituali vitæ addictis, & præſertim ſacris initiatis, mundanæ ſeſe intermiſcere lætitiæ, vt dicit Eccleſiaſtes cap. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij* Idcirco in exquirendis huius rei cauſis magnam viri eruditi difficultatem patiuntur, indagare volentes, curnam Chriſtus Dominus omnis perfectionis Archimagiſter, iſtis nuptijs in Cana Galileæ adeſſe voluerit? Et quidem D. Cyrillus libro 1. in Ioannem cap. 22. Chriſtum Dominum ideò nuptijs affuiſſe docet, vt haberet occaſionem inſigne illud miraculum patrandi, conuerſionis aquæ in vinum, quo facto & ſuam oſtenderet potentiam, & inaudito miraculi prodigio incredulos hominum animos ad ſe pertra- Eccleſ. 7.

S. Cyrill. pertraheret: ſic enim ibi dicit D. Cyrillus. *Honeſtæ celebritatis nuptijs tam Mater, quàm ipſe cum diſcipulis inuitatus adeſt, miraculi potiùs, quod facturus erat, quàm conuiuij gratiâ permotus.* Sed verior mihi ſententia videtur ſancti Epiphanij, & D. Auguſtini docentium, Chriſtum ideò ad nuptias deſcendiſſe, vt matrimonium quod in ſtatu Innocentiæ conſtituerat, approbaret: & Hæreticorum inſaniam, qui illud erant impugnaturi, refelleret. quemadmodùm dicit ſanctus Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 22. *Oportebat certè quoniam totam naturam hominis ad meliùs reſtaurabat, non ſolùm natis iam hominibus benedicere, verùm etiam naſcituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam auctoritate miraculi, & præſentiâ ſuâ ſanctum efficere.* Cùm enim ad mulierem propter peccatum dictum eſſet, in dolore paries filios: ne condemnata videretur ſanctitas nuptiarum, non aliter hæc maledictio depellenda erat, quàm præſentia Saluatoris: qui cùm ſit verum gaudium, ſolus deplorandum veterum nuptiarum mærorem, ſuâ præſentiâ depellere potuit. Similiter D. Aug: tract: 9. in Ioannem dicit. *Quòd venerit ad nuptias Chriſtus, confirmare voluit quòd eas ipſe fecit*: futuri enim erant, teſte Apoſtolo 1. ad Timotheum 4. qui prohiberent nuptias, eaſque malas eſſe aſſererent. Tales fuerunt Simonis magi ſectatores, aſſeuerantes matrimonium non eſſe opus Dei: teſte Clemente Romano Conſtitut. Apoſtol. lib. 9. cap. 5. Sic Manichæi damnabant nuptias, teſte Epiphanio Auguſtino, Theodoreto de illorum hæreſibus, tùm demùm Euſtachius Hæreſiarcha ita nuptias damnauit, vt dicere auſus eſſet, nullum eorum, qui ſunt in coniugio, in Deo ſpem habere poſſe. vt refert Concilium Gangrenſe, & Socrates lib. 2. cap. 33. ſed ruunt iam falſa eorum commenta, dùm Chriſtus Dominus, qui non eſt author malorum, ſuâ præſentiâ confirmat, nuptias, dicente Apoſtolo Epheſ: 5. *Sacramentum hoc magnum, ego autẽ dico in Chriſto & Eccleſia.* Videamus ergo iam, ad qualeſnam nuptias Chriſtus vocari & deſcendere ſoleat, & quale matrimonium inter mundi coniuges ſit ſeruandum. Duplices nuptias agnoſcunt Doctores; ſpirituales, & corporales. Inter ſpirituales primæ cenſentur illæ, quæ celebratæ fuerunt inter verbum diuinum, & naturam humanam Chriſti, de quibus dicit Apoſtolus Matth. 28. *Fecit Rex nuptias Filio ſuo* Et quis nam Rex ille erat? niſi æternus Pater; quis Sponſus, cui nuptiæ apparatæ: verbum diuinum: quæ ſponſa? natura humana, expreſſerunt hoc diuina eloquia Iſaiæ 61. *Quaſi Sponſum decoratũ coronâ, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis.* quaſi ſcriptura dicere vellet; apparuit in his nuptijs Sponſus ille æterni Patris Filius, diademate immenſitatis, & omnipotentiæ diuinæ cinctus. Vbi naturã humanam exornauit monilibus ſuis, communicatione ſcilicet idiomatum, participem faciens omnis diuinæ perfectionis & gloriæ, ad has nuptias deſcendit Dei filius in regalem illum thalamum, Beatæ Virginis vterum, puritate niridum, moribus ornatum, virtutibus decoratum, fragrantem caſtitatis odore, charitate feruentem, hic pretioſus virginei thalamus vteri, culpam abſtulit, & dedit gratiam, mundo contulit pacem, hominibus Deum, finem vitijs, vitæ ordinem, & moribus diſciplinam. Hic feliciſſimus thalamus, Virgo ſcilicet auro purior, chirographum aboleuit decreti, & primorum parentũ abſtulit opprobrium: quando pereunti mundo, & aquarum diluuio inundanti, portum aperuit ſalutis. Hic gemmis pretioſior thalamus, propter humilitatis meritum & feruentiſſimum charitatis affectum, ab æterno Patre eſt adamatus, electus à verbo, fæcundatus à Spiritu ſancto, ac demùm diuina prole ditatus. Hoc igitur primum matrimonium, verbi ſcilicet æterni cum humanitate coniunctio, ad quod primò Deus deſcendit, fuit celebratum in prophetarum oraculis, incarnationem Filij Dei prædicentibus, contractum in admiranda Chriſti in vtero Virginis conceptione,

Nuptiæ duplices. Matth. 18. Iſaiæ 61. S. Auguſt. Clemens Romanus. Epheſ. 5.

ptione, diuulgatum in desiderata eius natiuitate, ratificatum in portentis & miraculis omnipotenti eius manu factis, confirmatum in cruenta mortis cruce.

Aliæ spirituales nuptiæ sunt illæ, quæ per iustificationem, inter Deum & animam hominis iustificati contrahuntur, ad quas Deus specialiter cum incircumscripta sua omnipotentia venire solet. Nam si admirandum est opus Dei in productione hominis, in quo & altitudo diuinæ sapientiæ, & virtus omnipotentiæ summè eluxit, dùm vt inquit scriptura Gen: 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.*

Genes. 2.

Sed multò certè mirabiliora sunt opera gratiæ, quæ diuina in hominis iustificatione operatur maiestas. Siquidem profundam tanti mysterij rationem scrutari humanus intellectus nec audet, nec debet. Quis enim explorator esse potest, cur hunc elegerit Deus, & illum reprobauerit? cur vnum donis gratiæ spiritualibus cumulare dignetur, alterum verò in peccato lapsum non respiciat? hæc arcana Deus à nemine sciri voluit, vt scilicet per tàm occulta, & iusta Dei iudicia erudiatur peccator, ne desperet: Sed seriùs vigilet, quomodò ad libertatis gratiam redeat; iustus verò ne præsumat, sed potiùs vt in dies de virtute in virtutem proficere, & dona potiora sortiri curet. Inualuerat olim consuetudo, vt virgines Regibus iungendæ, per aliquod tempus regali apperatu ornarentur, antequàm descendissent ad thalamum Regis, quæ oculis eius magis placerent, vt testatur scriptura Esther 2. Vbi legimus, quòd postquàm Vasthi propter superbiam repudiata esset ab Assuero, tulit Rex edictum, vt de omni regno suo congregarentur puellæ speciosæ, traderenturq; in ciuitate Susan sub custodiam Ægæi Eunuchi, qui erat custos fæminarum, ibiq; accepto decoro habitu, vngerentur per sex menses oleo myrthino, & per alios sex pigmentis quibusdam vterentur, sicq; decenter in triclinio fæminarum compositæ ad Regis cubiculum transirent. Vt quæ ex omnibus magis regijs oculis placuisset, illa pro Vasthi, Regis solium conscenderet.

Esther 2.

Quid rex iste figurabat? nisi Christum æterni Patris filium, qui in hunc mundum venit, vt hominis animam assumeret sibi sponsam: sed illam duntaxat, quæ regalibus nuptijs digna esset. Et quid tàm præclarum in anima humana reperiri debet, quod illam Deo placentem & dignam reddat? non aliud certè, quàm ornamentum internum, debet igitur anima, quæ sponsa Christi fieri cupit, habere inaures, quæ ex auro purissimo, & gemmis conficiantur: purissimum autem illud aurum, quod mentis nostræ faciem venustam reddit, est intelligentia: dùm homo ea omnia intelligit & operatur, quæ diuinæ inspirationes ipsi ad cor proponunt; gemmæ autem, quibus inaures adornantur, sunt obedientia. vt dicit Propheta Psal. 5. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.*

Psal. 5.

Hæ sunt inaures, quæ animam humanam Deo commendabilem reddunt, dùm illa nec fallacijs seducitur, nec corpore deprimitur, sed intelligendo, & operando diuinam sine intermissione exequitur voluntatem, illud 3. Reg. 5. ingeminans: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.*

3. Reg. 5.

Habet & alia ornamenta anima, quæ illam Christo amabilem sponsam reddunt, scilicet oculos: vt dicitur Cantic: 6. *Auerte oculos tuos, ipsi me auolare fecerunt.*

Cantic. 6.

Et qui sunt isti tàm fulgidi, tàm perspicui, tàm decori oculi? qui Christum ita alliciunt, vt non accedere, sed aduolare videatur? scientia certè & Sapientia. Isti oculi Sponsæ Christi sunt necessarij, vno namq; oculo, nimirum scientiæ luce perfusa, cognoscere debet præsentia omnia esse caduca: altero veró oculo, videlicet Sapientiæ splendore, futura inamissibilia contemplari, quæ Deus electis suis præparauit. His duobus oculis anima christiana sponsū suum Christū intueri debet, iuxta mentē Psalmistæ, Psal. 15. *Prouidebam Dominū in conspectu meo semper.*

Psal. 15.

His oculis præsentem fore Deum pollicetur Propheta Isaiæ 33. *Videbunt* inquit *oculi tui Regem in decore suo.* id est; sponsæ nomen sortieris ô anima humana, si facie speciosa, dilectione feruens, & morum probitate venusta, gratiâ Dei efficaciter præmouente, & tecum cooperante efficiaris.

Isaiæ 33.

Ad has enim nuptias descendit Deus cum fideli anima initiandas, & contrahendas in sacro baptismatis fonte. Quod enarrat Propheta Oseæ 2. *Et sponsabo te mihi in fide.*

Oseæ 2.

Ratificantur istæ nuptiæ inter Deum & animam per opera virtutis & pietatis, quæ animam roborant & inexpugnabilem reddunt. iuxta Dauidis effatum Psal. 14. *Qui facit hæc, non commouebitur in æternum.*

Psal. 14.

Consummantur istæ nuptiæ in felici, & cum omni præparatione præuisa morte: *Pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* inquit Psalmista.

Psal. 113.

O felicem sanè animam, quæ propter virtutum suarum odorem, Deum allicit, & eius Sponsa esse meretur, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Felicem profectò, quæ ei nubere digna est, in quem Angeli desiderant prospicere. Beatā demùm, quæ ita à cœlesti sponso adamatur, vt sit socia mensæ ei⁹ regiæ, socia regni, socia diuini thalami.

Tertiæ demùm spirituales nuptiæ reperiuntur inter animam peccatricem, & diabolum: hæ initiantur in suggestione, quæ delectat: contrahuntur in consensu, qui lethali culpâ occidit animam: ac demùm consummantur in ipso peccati actu, fouentur in diuturna vt plurimum & pessima consuetudine, quæ ad contemnenda Dei mandata non rarò hominem perducit, dicente Salomone *Peccator cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* In his deplorandis & execrandis nuptijs, propinat etiam diabolus vinum, sed primo carnalis voluptatis, quæ momētaneè delectat, in fine autem porrigit illis vinum amarissimum, turbulentissimum, ac mortiferum, amarissimū: vt dicit Propheta. Hieremiæ 23. *Ecce ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle.*

Hier. 23.

Turbulentissimum vt testatur Dauid Psal. 196. *Turbati sunt, moti sunt sicut ebrius.* Mortiferum denique, vt indicant verba illa Prophetæ Hieremiæ 51. *In clamore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant semper somnum sempitertum.*

Hier. 51.

Ad tales nuptias non descendit Deus, quia ille primo vinum amarum suis Sponsis propinat, vinum scilicet pœnitentiæ, & doloris, vinum tribulationis, & arduæ continentiæ; in finem autem melius seruat, scilicet vinum æterni gaudij. Diabolus verò è contra priùs dulce vinum illicitæ libidinis porrigit, sed in finem amarum, quia perpetui cruciatus plenum reseruat, luculentum hac de re refert exemplum nobilis author Mefreth. lib. Viridarij Domini. 2. Post Epiphaniam vir vnus inquit nobilis, totus mundi voluptatibus deditus erat, & insuper magnus pauperum oppressor, & ecce dum placidam in mundi voluptatibus duceret noctem, Camerarius eius ante cubile dormiens, rapitur in extasi ante Tribunal Dei, vbi videt Dominum suum, accusari de omnibus, quæ gesserat, sententiamq; æternæ damnationis pro illo ferri, mox à Dæmonibus raptus ducitur ante Luciperum summo cum tripudio, is dedit ei osculum, inquiens: non sit tibi pax in sæcula sæculorum. Rursùs ait, consueuit ipse balneari, ducite illum ad belneum, vbi confestim dæmones vnguibus eum dilacerantes, in ardentes flammas iniecerūt tàm diris eum afficientes supplicijs, vt ad amussim in eo videretur impleri illud Isaiæ 14. effatum, *subter te sternetur tinea,* ac demum dixit Luciper. Date ei de calice iræ Dei, & propinatum est ei sulphur ignitū quod est potus calicis eorum, hic certè miserabilis potus, manet omnes Christianorum animas, quæ in omnem effrenatæ libidinem, sui brutalis appetitus laxant habenas. Delectat te quidem mundi voluptas, recreat fæda libido, exhilarat vinum carnalis concupiscentiæ, sed cum tot annorum spatio Deus te ad pænitentiam præstolatur, si nolueris resipiscere, & ad Deum tuum conuerti, amara erit potio tua, quia pæna infinita

infinita, cruciatus æterni, dolor nunquàm leniendus, quem cùm sustinere non valebis, cogeris, in quo cum mori voles, iustâ Dei sententiâ non permitteris.

Sed iam ad nuptias corporales descendamus, & matrimonij humani consideremus excellentiam, quam Apostolus Ephes 5. illis descripsit verbis. (Ephes. 5.) *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Magnum certè sacramentum, quia matrimonium decenter initum est, imago, & typus sanctissimæ Trinitatis. Etenim sicut Adam à nulla creatura factus erat, sed omnipotentis dexterâ formatus, ita Pater æternus à nullo alio, sed à seipso cæpit. Quemadmodùm Eua ex costa Adæ formata est, ita vnigenitus de substantia Patris per æternam & internam formatur generationem: demùm, sicut Abel non ab vno, sed à duplici parente Adamo & Eua prodijt, ita planè Spiritus sanctus, non ab ipso Patre, nec à solo filio, sed ab vtroq; simul processit. Magna matrimonij laus, vel ab ipso statu petitur, quia in felici illo Innocentiæ statu, vbi nondum homo peccauerat, institutum fuit: magna eiꝰ commendatio ab antiquitate, siquidem à primordio statim mundi creationis illud cæpisse manifestum est: magna dignitas & à loco, quia illud Deus, non alibi, quàm in paradiso voluptatis instituit Gen. 1. Magnum est & in virtute, quia nubentibus specialem gratiam confert, scilicet sacramentalem, quam ei Christus sua passione promeruit. Nam sicut in baptismate datur gratia hominem regenerans, per quam spiritualiter Christo, & Ecclesiæ gignimur, sicut in confirmatione obtinetur gratia ad profitendam Christi fidem confirmans, si in Eucharistia infunditur gratia nutriens, & restaurans vires: in Pœnitentia gratia vulnera sanans, & à morte peccati suscitans. In extrema vnctione gratia consolidans, contra languores animi, & tentationes inimici: in ordine gratia specialiter sanctificans, ad dignè obeunda ministeria sacra. Ita planè in matrimo- A nio infunditur gratia specialis coniuges sanctificans, ad subeunda matrimonij onera adiuuans, concupiscentiam refrænans, ne ad illicita diffluat, sed quia non in omni matrimonio hæc singularis gratia conceditur homini, verum in illo tantùm, ad quod Christus vocatur, ideò ante omnia hæc prima nubentiũ intentio esse deberet, vt Iesum ad suas inuitent nuptias. Gentilibus olim in more positum erat, vt suis nuptijs Deum Hymenæum laudibus & hymnis aduocassent, B vt nouo coniugum nexui benediceret. Quem depingebant tanquàm iuuenem speciosum, coronâ ex floribus odoriferis redimitum, vna manu gerentem facem, altera velum sericum pallidi coloris, sed ad quid oro tantus dij illius fictitij apparatus? ad hoc certè, vt corona illa è floribus conserta, lætum, & festiuum Dei signaret animum, simulq; cùm eiusmodi corona breui marcescat, coniugij quoq; non diu perduraturas indicaret voluptates: fax accensa ruborem, & verecun- C diam sponsæ monstrabat, simulq; affectum coniugalem etiam in media nocte, hoc est in rebus aduersis sola morte extinguendum: velum deniq; in sinistra manu denotabat subiectionem perpetuam, quam sponsa sponso profitetur, simulq; vt disceret sponsa oculos qui sunt sedes pudoris, sub velo castitatis & continentiæ gestare. Boni etiam Catholici superstitiosum quidem hunc gentilium cultum vitare debent, sed verum nuptiarum Deum ipsum Iesum inuocare discant, à quo D plenitudinem benedictionis haurire possint, vbi enim ille adest, omnia sunt felicia, & dæmonium nullum inter coniuges potestatem suam habere potest, ipsius namq; præsentia & thorum immaculatum, & honorabile cõnubium efficit, & vinum spiritualis gratiæ coniugibus propinat, vt ab vbertate dulcedinis eius inebriati, desideria sancta in cordibꝰ suis foueant, & per rectè ac timoratè viuendi merita, coronam sibi æternæ gloriæ texant.

Quid igitur opus est coniugibus, vt ad ipsorum nuptias descendat Iesus, vnitas

vnitas certè & mutua nubentium voluntas, ac concordia, quod ipsemet Dominus pulchrè expressit in creatione primi parentis, cùm enim Deus formasset hominem è limo terræ, inspirauit ei inquit scriptura spiraculum vitæ, factusq; est homo in animam viuentem; cum autem simile ei adiutorium ædificasset ex eius costa, nullam de hac inspiratione vitæ, mentionem scriptura facit. Quid est hoc? subtilisant hic Doctores, potissimùm verò D. Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, & Glomeron, atq; Tertullianus, asserentes, voluisse Deum per hoc ostendere mutuam concordiam, & vnitatem, quod in duobus corporibus, quasi vna anima idem semper volens, & consentiens, atq; vinculum matrimonij, indissolubile conseruans, esse debeat. Si etenim separatam quoq; mulieri Deus inspirasset animã, tunc illâ æqualem se viro faceret, immò excellentiorem: (quia ex costa ædificatam) seipsam esse putans, altiùs se extolleret, sicq; rixæ & perpetuæ discordiæ in connubio fouerentur. Ideoq; vt Deus ad matrimonium contrahendum meliùs disponeret Adamum in paradiso, immisit soporem in illum, & tulit vnam de costis eius, ex qua formauit illi vxorem. Glossa inquit raptum fuisse tunc Adam in spiritu, & interfuisse, cœlesti Curiæ, vt ibi spectaret omnimodã Sanctissimæ Trinitatis concordiam, vidensque quomodò tres illæ personæ vnum sunt, & æqualem ab omni creatura referunt honorem, disceret cum socia vitæ suæ, & laborum omnium, atq; molestiarum adiutricè, vnum esse debere voluntate, vnum concordiâ, vnum honore. Quod comprobat D. Augustinus, in commento eiusdem loci inquiens: extasis rectè intelligitur ad hoc immissa Adamo, vt mens eius particeps redderetur Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei nouissima intelligeret, vnde euigilans spiritu prophetico ait: *Hoc nunc os de ossibus meis.*

Sed quid est, quòd Deus veluti Sacerdos & minister proprius, adduxerit A mulierem ad Adam, vt eam sensibiliter cum viro coniungeret, inquiente scriptura: *Et adduxit eam,* vbi quæso fuit? quoniam ex eius costa ædificata erat. Tertullianus asserit, quòd post ædificationem suam oberrauerit inter syluæ arbores, adeò vt ipse Deus illam apprehendens, adduxerit illam ad Adamum, cudostiæ eius ipsam tradens, vt esset caput illius, ne duo capita imperarent in matrimonio (sic enim esset monstrum in natura) sed vnum iuxta doctrinam Apostoli, *vir* B *est caput mulieris,* per quod manifestũ fecit, summè displicere Deo, cùm mulier sui iuris esse vult, aut inter syluas oberrat, vbi periculum semper imminet à fera deuorante, sed voluit Deus semper mulierem sub custodia, aut viri, aut parentum esse, ne iacturam patiatur: sicut enim os etiam leuissimo in terram lapsu frangitur, sic mulier, vt potè vas fragile & vitreum. Quapropter status connubij præsentia semper diuinâ indiget, Qui enim coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & C sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet dæmonium potestatem super eos. Refert Macrobius lib. 1. Saluian. c. 23. Syrijs fuisse morem, vt cùm Solis imaginem per publicas vias suis humeris gestarent, priùs capitibus abrasis per longum tempus, castitatem colerent. Quid aliud coniuges connubium aggredientes faciunt, nisi imaginem solis diuinæ scilicet cum carne vnionis suis humeris imponunt, ac proinde vt D præsentem Deum, suis nuptijs habeant, priùs mentem suam debent omnimoda pietate expurgare, vt cum casto corde, & pura conscientia ad tantùm sacramentum accedant. Vocandus est semper Christus ad nuptias, vt tria illa præstantissima matrimonij bona in coniugibus augeat, fidem, prolem, & sacramentum. Fidem coniuges inter se seruare debent, ne ad vitia illicitæ libidinis, adulterij, deflectant, vt insinuat Aristoteles lib. 1. Oeconomiæ cap. 4. inquiens: Primum leges sunt inter virum, & vxorem, vt iniu-
ria

ria cesset, & sic nec ipse iniuriam patietur, quasi diceret, caueat vir, ne iniuriam infidelitatis inferat vxori, alio quin vicissim simile iniuriæ genus, mulier ipsi irrogare cupiet. At, quid quæso istam fidem conseruare poterit inter coniuges, nisi solus Deus, siquidem fides est donum Dei supernaturale, necessarium ad salutem, tale autem donum homo non à semetipso, sed à Deo tantummodò habere potest. Alterum matrimonij donum est proles, quod edocuit Angelus Tobiam Tobiæ 6to. dicens: Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem consequaris. si ergo omne donum optimum desuper est, & donum matrimonij melius cogitari nequit, quam liberorum procreatio, quis dubitabit vocandum esse Iesum ad nuptias, vt hanc copiosam benedictionem coniugibus sua infundat præsentia. In procreanda autem prole inquit August: attendendũ est, vt amanter suscipiantur, benignè nutriantur, ac religiosè educentur vnde D. Petrus Epist: 1. cap. 2. dicit quasi modò geniti infantes lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Ad hanc prolis educationem incitat Diuus Gregor: lib. 6. Epistola 137. Verba inquit nutrientium, aut lac erunt si bona sunt, aut venenum si mala, talia ergo nunc eis suggerant; quæ postmodum ostendant, quàm bona fuerunt, quæ à nutritiorum suorum ore suxerunt. Idcircò S. Chrysost: hom. 6. in Matthæum acriter reprehendit parentes, eorumque segnitiem in rectè educandis filijs & libr. 3. aduersus cultores vitæ monasticæ inquiens: Nulla alia ex ratione peruersi vt sint filij contingit, nisi quòd eorum Patres circa vitæ præsentis commoda æquo ampliùs incumbunt, & fere dixerim insaniunt, cùm enim illa solummodò inquiunt, nihilq; illis præferendum censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Tertium deniq; matrimonij donum, & bonum, est sacramentum, quo vtriusq; coniugis naturalis contractus ad supernaturalem eleuatur ordinem. Et quia sacramentum ex communi Theologorum doctrina, est signum rei sacræ perfectè nos sanctificans, res autem sacra quæ hominem sanctificat, est sola gratia è Christi meritis in animas nostras dimanans. Hinc nemo inficias ibit, Iesum ad nuptias vocandum esse, vt ipsemet non tantum vtriusq; coniugis mutuum foueat consensum, sed etiam gratiam sanctificantem illis conferat, vt vnusquisq; vas suum possideat in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut gentes quæ Deum non nouerunt. Aduocandus est Iesus, vt vnanimem concordiam, & honorem in coniugibus accendat, quemadmodùm Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis par 6. cap. 35. dicit. Facta est autem mulier de latere viri, vt ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte si fuisset de capite facta, præferenda videretur viro ad dominationem, aut si de pedibus, subijcienda ad seruitutem. Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, ideò nec de capite, nec de pedibus sed de latere fuerat producta, vt iuxta se ponendam cognosceret, quam de iuxta se sumptam didicisset.

Habetis igitur duplices nuptias à me vobis descriptas, spirituales, quæ fuerunt verbi æterni, cùm carne humana in illa ineffabili vnione hypostatica contractæ, deinde quæ per gratiam interiorem inter animam iusti hominis, & Deum per iustificationem celebrantur. Habetis & alteras nuptias corporales, quas in sacramento matrimonij iniuistis. Ad vtrasque ergo istas nuptias vocate Iesum, & primò quidem ad nuptias spirituales, animas vestras in omni puritate, & sanctitate Deo coniungendo, sæpiùs recogitantes, non alia de causa Deum humanam sibi associasse carnem, nisi vt animam quoq; cuiuslibet hominis in desponsationem sibi allicere posset. inuitate Iesum, & ad nuptias corporales, vt ille sua præsentia triplici bono matrimonij vos fæcundet, scilicet, & prole copiosa, & fide inuiolata, & gratia salutifera, ad quam in coniugibus producendam matrimonium in sacramenti dignitatem in Ecclesia Christi voluit eleuare, vt inquam vos in hoc statu coniugali præsens Iesus, dulci mero quod hodiè, ex aqua in vinum commutauit, tractare dignetur, vino inquàm pretiosi sanguinis sui, quod vos in omni mærore, & tribulatione in præsenti vita, & in futura immensa Dei gratia impleat, cui laus honor gloria cedat in æternum Am̃.

DOMINICA III.
POST EPIPHANIAM.
CONCIO PRIMA.

Domine si vis, potes me mundare. *Matthæi 8.*

Solus Christus verus amicus, & in aduersis consolator.



Grauè est in aduersis amico carere: quia & iustus Iob in summis ærumnis, & extremis planè angoribus, saltem horum cõsolationem requirebat. *Miseremini* inquit *mei saltem vos, amici mei*: nec mirum: quia commune prouerbium fert, dulce est socios habuisse doloris; etiam iucundum esse debet, habere consolatores mæroris. Quia minuitur dolor, vbi diuiditur, & in plurium diffusus pectora, magnum gementi affert leuamen. Sed nec minus acerbum, aut æstuante febri, aut grassante periculosa infirmitate, aut vltimis ægritudinum pressuris imminentibus, medicorum defectum pati; tunc enim desperatio magis vim morbi auget, cùm non est, qui malæ valetudini consulat: & mors citiùs instat, vbi remedia deficiunt. Quod si quispiam dixerit, vtique Deus ab æterno certum viuendi tempus definiuit, cuius decreta quoniam sunt immutabilia, certum est, quòd homo etiam in grauissimis morbis, si nondum determinata vitæ eius hora enit, etiam sine vllis medicamentis fractam valetudinem recuperabit, si verò hora destinata instat, etiam in morbis leuioribus frustra quæretur auxilium; quia contra vim mortis semel homini destinatæ, non est medicamen in hortis. Verùm licet sit indubitatum, fatorum necessitatem esse immutabilem, tamen quia mors quam Deus homini propter cõmissum scelus indixit, inter pænas cõminatorias, numerari debet, scilicet nisi in morbis, qui sunt velut internuntij futuræ mortis, diuinam imploraueris misericordiam: ideò sæpiùs etiam desperata hominum salus inuocato Dei auxilio prolongatur, quod ne semper miraculosè fiat, medijs ad id destinatis, scilicet medicamentis nonnunquam vti oportet, non autem desperatè in mortem ruendum. Quod ipsemet Deus videtur præcepisse apud Ecclesiastem, inquiens: *honora medicum propter necessitatem*, idcirco proponam ego vobis hodiè Amicum ad consolandum, & medicum ad sanandum optimum: & quâ mercede ab afflictis, & ægrotis sit accersendus, edisseram.

Iob. 19.

Non mediocri melancholiâ mundus his temporibus laborat, quia omnia in pessum abire videt, vastantur enim regna, incenduntur vrbes, expugnantur arces, & omnes hominum cætus atq; communitates, mutuis inter se odijs certant. Tristitia replet genus humanum, quia in dies nouæ consurgunt oppressiones, augentur tributa, & indubitatæ regnorum clades vltrò quæruntur, quasi iam pax, & tranquillitas filijs discordiæ sit omninò abominabilis. Et quem in tantis ærumnis, vel ipsa Dei christianitas, amicum

amicum inueniet ? qui dolentem ſoletur ? nullum fortaſſe ; quia hic Phœnice rarior, ſi enim illum quærere volet in mundo, errabit : quia cùm totus mundus ſit fallax, nulla in eo ſincera amicitia comparatur. Vnde di-
1.Reg.12. cit Sapiens 1. Reg. 12. n. 21. *Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neq; eruent vos, quia vana ſunt.*
S.Gregor. Quod D. Gregorius de mundo exponit, inania ſunt omnia in mundo, & vana omnia bona temporalia. Quidquid enim in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublimè, aut proſperum cernitur ; vanum profectò, quia difficilè comparatur, & citò amittitur. Et alta ſæculi repentè corruunt, & pulchra facilè tranſeunt, & læta atq; proſpera in momento euaneſcunt. Nam cùm ſtare in his floribus ſuis mundus blandiens cernitur, ſubitaneâ plerumque fortunâ turbatur, aut feſtinâ & omnia conturbante morte concluditur. Et certè hanc rerum in mundo durantium inſtabilitatem pulchrè ex-
Sapien. 3. preſſit ſapiens : dùm inquit : *Fulgebunt iuſti, & tanquàm ſcintillæ in arundineto diſcurrent* Sap. 3. Vbi totum mundum non quercetum, non robuſtis arboribus munitum, ſed arundinetum, & mobilibus calamis conſi-
S.Gregor. tum appellat. Vnde dicit D. Gregorius lib. 33. Moral. cap. 3. *Arundinetum*, inquit, *vitam ſæcularium appellat : qui more arundinum per temporalem gloriam, foris quaſi ad alta proficiunt, ſed intùs à ſoliditate veritatis inaneſcunt.*

Non eſt igitur in mundo amicus, qui triſtem hominem conſoletur: quia hic debet eſſe immutabilis, in mundo autem omnia mutationi obnoxia. Debet eſſe obſequentiſſimus, fideliſſimus, & fortiſſimus, qualis erat ille amicus verus Ionathæ, qui & vocanti ad pugnam ſedulus paruit, & contendenti in præruptos ſcopulos indiuiduus adhæſit, & irruenti in medios hoſtes proſiliens, & ipſe præſidium attulit ſingulare. Vnde meritò dicit Sapiens. *Amicus* inquit *fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum, quia eſt medicamentum vitæ & immortalitatis.* Amicus ſincerus debet eſſe, qui ſuum ſocium ad honores promoueat ; qualis erat puer ille, quē ſibi ex ampliſſima familia paterna ſui itineris comitem adoptauerat Saul : is enim ſua fidelitate inueniendi regni author fuit, vt Saul dùm paternas aſinas quærendo fatigaretur, regnum inueniret. Nam dùm pueri illius conſilio acquieuit, Samuelem adijt, à quo ſtatim in regem totius Iſraelis inauguratus erat : & qui ſuo ductus arbitrio, non ſolùm ſine regno ; ſed etiam ſine aſinis paternis domum redire feſtinabat, bono ſocio & amico auſpice, cum aſinis & regno repatriauit. At talis amicus in terris non facilè reperitur, quia plerumq; quos amamus, eos maximè ab honoribus remouemus, ne nobis pares, & æquales habeamus, quibus externam tantùm præſtare ſolemus amicitiam.

Bonus amicus debet eſſe talis, qui vel vnus pro mille, etiam in maximis periculis, ſtet periclitanti ſocio, qualem ſolus Gedeon nactus erat, cùm enim videns validiſſima caſtra Madianitarum, qui in valle fuſi, non ſolùm locuſtarum ; ſed etiam arenarum multitudinem ſuperare videbantur, timeret valdè, ecce ad illum Deus
ait: *Surge, & deſcende in caſtra.* Iudic. 7. Iudic. 7.
Sed Gedeone adhuc cunctante, & deſcendere metuente, rursùs ad illum
Deus dixit : *Si autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus,* quaſi Ibidem.
poſſet vnus tantùm puer, fide tamen ac probitate inſignis, magnum ſatellitium compenſare. Et ita verum eſt, quia ſtante vel vno fideli amico, ſtat noſtra felicitas, & illo cadente cadit. Sic fortiſſimus Gedeon, vno comite ſtipatus, non ſolùm inimicas acies, intrepidus circuiuit ; verùm etiam & certiſſimam de victoria ſpem, lætabundus reportauit. Vt proinde meritò dicat Sapiens : *Amicus fidelis, protectio fortis.* Sed & talem amicum raró inueniri in mundo docuit ipſemet Chriſtus, Lucæ 9. vbi cùm ei quidam adoleſcens, ſuum obſequium ſpondere-
ret, inquiens : *ſequar te quocunq; ieris,* Lucæ 9.
& tamen tàm alacrem eius animum videns Chriſtus, non illum admiſit,

ſed potiùs excluſit, reſpondens : *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos ; Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet,* in quem locum
S. Ambr. D. Ambroſius ſcribens, per vulpes intelligit hypocritas ; qui ſub externo amicitiæ colore, venenum fraudulentiæ geſtant ; & per volucres cæli, intelligit ſceleratos homines, qui àereas poteſtates, hoc eſt diabolicas nequitias, imitantes, tandem in terrenæ voluptatis nidos ſe abijciunt, & recondunt. Ac proinde Chriſtus D. optimus, animorum explorator atque cordium ſcrutator, aſtutum illius adoleſcentis animum exploratiſſimum habens, meritò affectanti ſuam amicitiam, reſpondit : *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.* Quaſi apertiùs diceret : amicum te ſimulas, & vulpes fraudulenta es, abi potiùs in tuas foueas, vbi tuas fraudes conſerues, & machineris. Amicum te Deo eſſe oſtendis, & volucris cæli es, àereis poteſtatibus ſubiecta. idcircò faceſſe potiùs in tuos nidos, vbi tuis voluptatibus & iniquitatibus ſecuriùs incumbas. Si ergo erga Chriſtum, quem nullum latebat ſecretum, & tamen impius homo auſus eſt ſimulare fictā amicitiam ; quid erga nos ? qui voci tantùm confidimus, & quid intus lateat, omninò ignoramus. Non ergo Chriſtianus orbis habet fidelem amicum, quem ſuarum tribulationum cōſolatorem experiatur, & non alia de cauſa, niſi quia amicitia, apud homines iſtius ſæculi, per munera & adulationes comparari ſolet. quod maxi-
Seneca. mè reprehendit grauiſſimus ſapientiæ cultor Seneca. Epiſtola 3. ad Lucilium. *Errat,* inquit, *qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat.*

Vnum tamen ego verum amicum reperio, qui nos conſolari poſſit, Deum ipſum : hic enim ſolus ſuæ Chriſtianitati ſe verum præbet amicum, noſq; omnes in ſuam amicitiam reci-
Ioan. 15. pit. Ioan. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis.* hic eſt ſolus fidelis amicus : Qui & in proſperis tuetur, & in aduerſis ſolatur, & in periculis non deſerit. Vnde de illo dicit Sa-
piens. 1. Reg. 12. 12. *Et non derelinquet Dominus populum ſuum, propter nomen ſuum magnum, quia iurauit Dominus vos ſibi facere populum,* in quibus verbis Propheta Dei Samuel, manifeſtam Dei miſericordiam populo fideli pollicetur. *non derelinquet* ait *Dominus populum ſuum,* quaſi diceret, non ſolùm non deſtruet, verùm etiam non deſeret : non ſolùm ſupplicium non inferet ; verùm etiam præſidium non auferet, ſed ſtudioſiſſimum ſe præbebit ſuo populo defenſorem. Cuius miſerationis rationem ſtatim reddit propheta, *Propter nomen* inquit *ſuum magnum.* At, cur nō dicit potiùs, propter ipſius populi pœnitentiam ? credo, ne populus ſuperbiret, & ſuis moribus arrogaret, quod diuinæ miſericordiæ debebat. Sic olim rege Ezechiâ, & Prophetâ Iſaiâ pro Ieroſolyma depre-
cantibus, reſpondit Deus, 4. Reg. 19. *Protegam* inquit *vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* At, cur non dixit, propter Ezechiam aut Iſaiam ? quorum ſine dubio preces gratiſſimæ exſtiterunt. Optimè reſpondet Elias ſecunda parte Annalium in Gloſſa citatus. Hæc verba ideò diuinitùs prolata eſſe, ne putaret Ezechias orationem ſuam iuſtitiæ cauſâ, quâ præditus erat exauditam fuiſſe.

Verùm vt aliquis Chriſtum habeat amicum, & in aduerſis conſolatorem, duo illi ſunt neceſſaria. Primùm, vt moribus probis & rectâ viuendi ratione illi quantum poteſt aſſimilari curet ; qui enim moribus ſimiles ſunt, arctiori vinculo ſecum colligantur. Alterum, vt humiliter & confidenter eius amicitiam quærat, ſuperbum enim ille deſpicit, & deſperantem repudiat. Quod triſtis paralitycus ho-
diè præſtitit: inquiens : *Domine ſi vis, potes me mundare,* in eo enim, quia Matth. 8.
patrem agnouit, fidem oſtendit ; in eo autem humilem obedientiam declarauit, quòd ſe totum diuinæ voluntati ſubmiſerit, non importunè à Deo ſanitatem extorquens ; ſed ſuam quaſi indignitatem agnoſcens, id eius

beneplacito submisit. Sed videtur qui- A busdam, quòd dubitauerit de diuina voluntate; quoniam non dixit: *Domine munda me*, nisi: *si vis, potes me mundare*: verùm, non mihi videtur in hoc vllam dubitationem, aut hæsitationem præseferre: sciebat enim optimè Deum esse pronum ad benefaciendum, & id semper velle, quod hominibus vtile, atque necessarium esse solet; sed potiùs indicare voluit duplicem esse in Deo voluntatem. Quod ipsum etiam Origenes lib. 9. in Epist: Rom. 11. ad Rom. ad illa verba ex cap. 12. *Quæ* B *sit voluntas Dei*, præstitit. Vbi distinxit diuinam voluntatem in beneplacentem, Origenes. & irascentem. *Dei quidem* inquit *voluntas semper bona est, sed non semper eius bona voluntate dispensari meremur, neq; beneplacitâ & perfectâ.* Tunc autem Deus nobis ex voluntate beneplacente succurrit, quando bonâ conscientiâ ab eo petimus aliquid, tunc verò irascente, quando corde duro, id quod nobis potiùs obesse potest, quàm prodesse, importunè postulamꝰ.

Sic quando vltra consilium Diui- C num populus Hebræus, petijt sibi regem dari, Deus quoq; precibus eorum molestatus, voluit vt Saul vngeretur in regem: sed voluntate irascente, vt hoc facto iniurijs grauibus eos affligeret, & per omnes contumelias, atque pænas superbum populum calcaret, & premeret. Quod præclarè di- Ibidē qui supra. xit Origenes supra citatus: *Vt* inquit *vngeretur Saul in regem, fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita, neq; perfecta; irascens enim populo, qui refutauerat Deum habere super se Regem, re-* D *gem eis hominem iussit institui.* Et quid causæ? quòd modò electiones, tàm in regnis, quàm in Ecclesijs, quàm in omnibꝰ alijs ciuitatibus pessimè fiant? vnica causa, quia Deum non habemus amicum: quod ideò fit, quia non id facimus, aut nobis fieri petimus, quod eius est voluntatis; sed potiùs duro corde id nobis Deum præstare volumus, quod nostri est affectusꝰ. Quamdiù fiebant electiones secundùm cor Dei, tam diu omnia erant sancta; sed postquàm ad nostram vo- A luntatè Deū trahere cæpimus, omnia in pessum eunt. Fit ne moderno tēpore, ante aliquod arduum opus inuocatio Spiritꝰ sancti cum humili postulatione? *Domine si vis* nequaquam: sed prius antecedunt factiones, & tandem composita in vnum maleuola mente, audemus Deum inuocare, vt nobis succurrat, audemusque iactare, etiamsi pessimè aliquid fecerimus, *Deus sic voluit*. Sed quia sic magis tentamus Dominū, quàm postulamus, vult quidem propter nostram importuni- B tatem, ea quæ imploramus, sed voluntate irascente, & in maiorem nostram afflictionem. Vt docet D. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 14. alias 20. qui expendens illud Iob 34. Iob. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Per hypocritam intelligit eum, qui fictam simulat pietatem atq; prudentiam, additque: S. Gregor. *Nullus* inquit *qui talem rectorem patitur: eum quem patitur accuset; quia nimirum tui fuit meriti, peruersi rectoris subiacere ditioni, culpam ergo propriȷ magis accuset operis,* C *quàm iniustitiam gubernantis.*

Afflictio igitur vndequaque; quia & temerè agimus, & malis ducimur rectoribus, atq; vtinam hæc saltem afflictio nos permoueat, vt consolatorē tristitiæ Deum, & amicum Christum ocyus quæramus; ad huc enim nostrū dolorem leniret, & acerbum mœrorem in suauem lætitiam commutaret.

Sed non tantùm melancholiâ laborat Christianus orbis; verùm etiam periculosis ægritudinibus agitatur. Grassatur pestis in tota Christianitate, quæ D non iam mortalium corpora, sed animas immortales lethaliter inficit. Augetur febris maligna, in populo fideli; quæ non iam capita; sed corda ipsa adurit. Insurgit nouum morbi genus, quod hominem immundum, deformem, fœtidum, atque raucum reddit. Quod deplorat propheta Threa. 1. Thren. 1. *Egressus est* inquit *à filia Sion omnis decor eius.* Et vnde hæc tàm malignantis naturæ qualitas? vt etiam in animum ipsum agere possit; certè non aliunde, quàm ex iniquitate mundi: propter quod morbus iste grauis, lepræ

lepræ nomine venit: quia sicut per A lepram super omnes ægrotantium species, fit corpus hominis maximè deforme; sic per peccati infectionem fit anima tantæ deformitatis; vt omnem rerum deformium turpitudinem superet. Denigratur enim super carbones, quæ antea solem pulcherrimum exprimebat. & vt paucis dicam? quemadmodùm luciper in ima baratri decidens, assumpsit turpitudinem & horrorem cum pænis; ita peccantis anima amisso Deo ex gratia decidens; ad conformitatem caco- B dæmonis deuenit. Qui certè morbus omnium est grauissimus: nam quemadmodùm leprosi in lege mosaica quinq; incommoda grauissima sustinebant. Primò, habebant dissutam vestem, vt eorum turpissima infectio neminem lateret. Secundò, caput ge- Theodor. stabant nudum, cuius rationem assignat Theodoretus quæst: 17. in Leuit. *Vt* inquit *notus esset, ne fierent impuritatis participes, qui accedebant ad illum.* Mendoza Mendoza verò sup. 1. Reg. c. 8. n. 18. propterea leprosum aperto capite C iussum fuisse incedere censet, vt pro seruo ab omnibus reputaretur, siquidem hic est habitus seruorum, vt non tecto capite corā Dominis suis stent. Tertiò, leprosus habebat os veste contectum, ne scilicet alios alloquendo, fœtido suo halitu inficeret. 4to. leprosus clamabat se sordidum & contaminatum esse. 5to. deniq; solus extra castra habebat habitaculum, quia non erat dignus, vt in aliorum con- Leuit. 13. sortio moraretur, quæ Leuit. 13. ius- D su Dei sic præscripta habentur. *Habebit* inquit sacer textus *leprosus vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Vbi exprimitur imago totius mundi in peccato mersi. Et in peccantis enim animam hæc ipsissima damna redundant ex peccati habitu, quæ in corpus, ex lepræ contagione. Nam quod in laudem animæ sanctæ Hugo. dicit Hugo, de claustro animæ. *Anima* inquit *insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine Chri- A sti, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps.* Sic per oppositum malis titulis adumbratur peccatoris anima, quia est fœtida, dissuta, nuda, segregata à conuersatione Dei, quia stolam innocentiæ, qua vestiebatur, peccando dilacerauit: fit nudata; quia anima iusti hominis duplici potissimùm diademate cingitur: regis, quia fit Dei filia adoptiua: & Prophetæ, quia sibi indubitanter prophetat regnum cum Deo & sanctis ex meritò Christi; quod B duplex diadema in peccato perdit, quia fit captiua diaboli, & spem regni cœlestis amittit.

Ex qua contagione, quam difficulter homo erigi possit, docuit ipsamet sanctissima Deipara, quam (refert Surius) cum Beata Coleta ordinis sanctæ Claræ reformatrix, feruentissimè pro peccatoribus oraret, vt pro illis apud filium interueniret; & ecce sic oranti obtulit Deipara discum plenum particulis carnis, quasi infantis, infrusta concisi: dicens. *Quo pa-* Serius. C *cto ego deprecabor pro his filium meum, qui quotidiè suis sceleribus, etiam in minores eum discindunt particulas?* In qua visione duo certè exprimuntur: peccati scilicet mortalis grauitas, & enormitas animæ peccatricis, quæ ita per peccatum mutatur, vt omne indecorum occupet eam. Pro splendore enim gratiæ, quo fulgebat, horrore impletur: pro Angelo custode, dæmonem viarum suarum comitem habet: pro gaudio, luctu premitur, nec inuenit, qui manum supponat, nisi ad dolorem, irrisionem, malum addendum.

Ecce vobis Catholici totum mundum ægrotantem grauissima paralysi? à cuius infectione, quis nostrum liber est. Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, mentimur, & nosmetipsos seducimus. Et quem medicum aduocabimus? qui tàm desperatum morbum curet? non est in mundo profectò vllus Æsculapius, qui animam nostram ægrotantem sanare possit: quia cùm illa non sit terrenarum particeps qualitatum, nulla terre-

la terreſtrium herbarum vis mederi ei⁹ infectionibus valet. Verùm, quoniam animus de cælo ortus eſt, è cœleſtibus ſolùm herbis ſalubres & efficaces medicinas quærere debet. Clamando ſæpiùs: *Domine ſi vis potes me mundare.* Solus enim Deus in morbo animæ remedium vitæ ægrotanti afferre poteſt, quando voluntate ſua efficaci, remedia nobis gratiam infallibiliter operatura præſcribit, & omnipotentà animam à priuatione ad habitum ſubleuat. Scio medici cuiuſdam Hiſpani inuentum à multis laudari, quòd is cupiens ſanare ægrotum, iam fermè tabe confectum, hac arte vſus fuerit, quòd ille non aliter erat ſanandus, niſi teſtudinum carnibus, à quarum eſu maximè abhorrebat: tunc prudens medicus præcepit pullos, quibus libenter ægrotus veſcebatur, carnibus teſtudineis ali, vt pullos poſtea manducans, & remedium quoq; ſumeret, quo artificio illuſus ægrotus ſanitatem recuperauit. Quid? an non hoc modo peritiſſimus medicorum Chriſtus Ieſus in ſanandis animarum veſtrarum morbis procedit? videbat ille non aliter ægrotantem mundum ſanari poſſe, niſi carne & ſanguine ſuo, quorum (vt ore medicorum loquar) *Recipe* præſcripſit nobis omnibus apud Euangeliſtam inquiens: *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum.* Sed quia non poterat homo, ſenſibus aſſuefactus diuina percipere, manducare Deum horrebat, nauſeabat ad eius humilitatē, ſtomachabatur pœnitentiæ nomine audito; erat amara & ingrata eius palato, laborum dolorumq; perpeſſio. Verùm his omnibus incommodis, cœleſtis ille medicus ſubuenire volens, ſub ſpecie panis, quo homo libenter veſcitur, carnem ſuam humano ſtomacho præparauit; vt ſic per eam Deo conformemur; vt eius humilitate noſtra deijciatur ſuperbia, eius moderatione caſtigetur intemperies, ei⁹ manſuetudine placetur iracundia, eius magnanimitate noſtri animi paruitas & impatiētia corrigatur.

Igitur afflictum habemus totum mundum, quia vndique premitur aduerſitatibus; & nos omnes, qui in eo manemus, aſſiduò infortunia tentant, & mali inimicorum affectus mœrorem ſæpiùs afferunt. Videmus ægrotare totum orbem, & quidem periculoſo morbo, quia non tantùm mors depaſcit hominum corpora, verùm etiam quod maximè dolendum, infernus plurimorum animas abſumit, quibus tamen ſatiari non poteſt. Verùm ſpe Chriſtianâ erecti, inuocemus amicum & conſolatorem Chriſtum, qui noſtrum dolorem leniat. Atque ne morti æternæ ſuccumbamus, remedium in ſacratiſſimo eius corpore quæramus, humiliter, & confidenter ſupplicando: *Domine ſi vis, potes nos mundare.* hoc eſt; licet noſtra demerita hoc impediant, tua tamen clementia & miſericordia, te faciat deſcendere, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens. Domine ſi vis, potes me mundare. *Matth.* 8.

Adoratione, & oratione omnia apud Deum aſſequimur.

TOta hominis vita in ipſis duntaxat expectationibus fundatur Auditores, ad quarum deſideratam poſſeſſionem aſpero ſatis graditur itinere, videlicet humili poſtulatione, vt grauiſſimus morum & ſapientiæ caſtigator Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 2. prudenter edixit. *Moleſtum* inquit *verbum eſt & oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, rogo.* Nec certè vllum beneficium in ditionem mortalium venire poteſt, quàm moleſtis precibus emptum. Conuertite quæſo ad aulas Regum & Principum veſtros animos, an non facilè videbitis omnia de manibus Monarcharum precibus emi? cùm vacante aliqua Oeconomiâ, aut honore, vndique patriæ ciues feſtinato curſu properant, & plena ruboris facie, ac perfuſo vultu pudore, moleſtum

Seneca.

ſtum regijs auribus porrigunt verbum *rogo:* dummodò ſuis debitum meritis aſſequantur præmium. Proſpicite inferioris fortunæ homines, & quid illi ſuæ ægeſtati, de munifica ditiorum manu prouidere poſſunt, niſi per verbum rogo? immò & ipſe Deus, nil niſi oranti dare conſueuit, vt ſcilicet tantò meliùs diuina eius munera æſtimemus, quantò difficiliùs ea impetramus, ſiquidem vt dicit Seneca libro 2. de beneficijs. *Nulla res cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt.* Hinc Regina Eſther, non prius damnato Iudæorum populo Aſſueri gratiam impetrauit; quam ante conſpectum eius, corpore proſtrata, & in faciem cadens, verbum rogo humiliter porrexit audienti Regi. Hinc Moyſes & Aaron non priùs Dei iram à populo Iſraëlitico auerterunt, quàm cùm procidentes in facies ſuas, verbum illud *rogo* ad Deum tollerent. num. 16. *Fortiſſime Deus ſpirituum omnis carnis, num vno peccante, ira tua ſuper omnes deſæuiet?* Et hodiernus quoq; leproſus, non priùs mundationem a lepra obtinuit; quàm adorans Chriſtum, illum rogaret, vt dicitur Marci 1. *Ieſus autem miſertus eius, extendit manum ſuam, & tangens eum dixit, volo, mundare.* Nimirum Deus in benefaciendo hominibus, naturam leonis imitari voluit, cuius ea eſt indoles, vt neminem proſtratum lædat, ſed abblandiatur potiùs. Deus quoq; videns hominem proſtratum & rogantem, ſtatim ad miſericordiam inclinatur. Cùm igitur vita hominis aſpero ſæpiùs vti debeat verbo iſto *rogo*, vt aliquid & apud homines, & apud Deum impetret; nos hic potiſſimùm coſiderabimus, qualiter homo Chriſtū adorare debeat, & orare, vt efficaciter aſſequatur, quod petit.

Ibidem.

Numer. 6.

Marci. 1.

Adorationem eſſe ſubmiſſionis & humiliationis notam aſſerit Damaſc: oratione 1. de Imaginibus, & oratione 3. *Eſt* inquit *adoratio animi colentis ſubmiſſi atq; humilis ſignificatio.* Triplicem autem adorationem agnoſcunt Theologi, concordi ſententia cùm S. Thoma 3. parte, quæſt: 27. nimirum latriam, duliam, & Hyperduliam. Latria eſt cultus ſoli Deo debitus, propter increatam eius excellentiam, & ſupremum in omnes creaturas dominium. quod reſpexit D. Paulus 1mæ ad Timoteum 2. inquiens: *Soli Deo honor, & gloria.* quaſi diceret; ſicut Dei excellentia, propter omnimodam eius ſingularitatem, nulli alteri eſt communicabilis; ita etiam ſumma reuerentia, quæ eſt Deo ſingulariſſima, ita ſoli Deo competere debet, vt nulli creaturarum tribui poſſit; nam quemadmodùm propter infinitam Dei bonitatem, debetur ei ſumma dilectio, ſic planè propter infinitam excellentiam, ſumma quoq; veneratio eſt ipſi exhibenda. Vt infinitam eius perfectionem, ſupra omnia æſtimare diſcat vniuerſa creatura. Hic iam ingens controuerſia oritur inter Doctores, vtrum homo volens aliquod beneficium à Chriſto impetrare, eandem latriæ adorationem aſſumptæ humanitati exhibere debeat, quā & ipſi diuinitati? ſed litem dirimit D. Auguſtinus ſerm: 58. de verbis Domini, & in illud Pſ: 98. ſcribens: *Adorate* inquit *ſcabellum pedum eius*, manifeſtè oſtendit, prophetam ibi loqui de Chriſti humanitate, quæ quia eſt ſcabellum ſanctiſſimæ eius diuinitatis; quod verbum æternum conſcendens, viſibiliter mundo apparuit, ideò eadem latria adorari debet, quâ & perſona verbi, ex mente D. Auguſtini, quod comprobât D. Epiphanius, tali documento. *Si* inquit *cùm adoramus regem purpurâ veſtitum, eodem ſimul & regis purpuram veneramur cultu; ſi cùm adoramus ſacram Euchariſtiam, eadem ſimul colimus reuerentiâ & eius ſpecies; quia ſcilicet compoſitum illud Euchariſticum, ex Euchariſtia & ſpeciebus conſtituitur; quantò magis cū adoramus Chriſti diuinitatē, pari etiam adoratione colere debemus & eius humanitatem, propter inſeparabilem inter hæc duo vnionem.* Non ſatis igitur eſt, vt homo rogaturus aliquid, ad Chriſtum accedat cum interna mentis pietate; ſed etiam opus eſt, vt & cum externa corporis reuerentia; quo facto ſe ipſius excel-

S. Damaſc.

Quid ſit latria.

1. Tim. 2.

Pſal. 98.

us excellentiæ plenè ſubmittat. Vt docet D. Baſilius homil. 29. Admonit. ad fil. ſpirit. inquiens : *Tu fili cùm acceſſeris ad precandum Dominũ, proſterne te humiliter in conſpectu eius.* Quod comprobat D. Ioannes cap. 4. *Hoc eſt* inquit *adorare in ſpiritu & veritate* (vt ſcilicet) humilitati cordis, quæ eſt neceſſaria ad orationem, externa quoq; humilitas corporis reſpondeat. Si enim mente humili, & corpore ſuperbo, vel certè mente inflatâ, & corpore humili aliquis oret, in mendacio potiùs; quàm in veritate adoraret Deum. Placuit hæc externa corporis veneratio & humilitas hodierni leproſi Chriſto, adeò, vt non tantùm ſummam ei oſtenderit miſericordiam; ſed etiam manu tetigerit, & turpitudinem corporis mundauerit. Et certè pudeat mundi incolas, quòd cùm multa à Chriſto poſtulent, Manichæos tamen imitati, ſolo cultu interno illum adorare volunt; corpore verò Deo in ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento exiſtenti inclinari, ne dicam, genu flectere erubeſcunt; quaſi ſolam animam, non verò etiam corpus à Deo acceperint. Sed videant quanta non ſolùm mentis; ſed etiam corporis reuerentiâ vſus fuerit Dauid Rex erga Deum, cùm pro paruulo ægroto poſtularet : *Iacuit* inquit ſcript: *Rex ſuper terram* 2. Reg. 12. & ad hanc corpore etiam exhibendam adorationem, inuitant nos omnes, Pſal. 94. *Venite* inquit *adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* imò, & omnes Euangeliſtæ hoc notant, omnes quicunq; aliquod beneficium à Chriſto volebant impetrare, eum ſemper externâ corporis veneratione adoraſſe. Vnde Princeps ille, qui pro filia defuncta Chriſtum rogauit, *accedens adorauit eum.* Matth. 9. imò, vt teſtatur S. Marcus Marci 5. *Procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum.* Mulier quoque fluxum ſanguinis patiens, *cecidit ante pedes eius, beneficium ſanitatis poſtulans.* Lucæ 8. Leproſus ſimiliter Samaritanus, munditiem precaturus, cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens.

S. Baſilius Admonitione ad filios iuniores.

Ioann. 4.

2. Reg. 12.

Pſal. 94.

Matth. 9.

Marci. 5.

Lucæ 8.

Et nos certè ſi aliquod beneficium à Chriſto volumus impetrare, animæ aut corpori noſtro, orantes glorificatum Ieſum debemus adorare, cadentes in terram, & omnem corporis ſubmiſſionem ei oſtendentes. Vt dicit Paulus ad Philipp. 2. *Cùm metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* Secundùm adorationis genus eſt. *Hyperdulia* : quâ adorari debet B. Virgo, vt docet S. Thom. 3. parte quæſt: 25. art. 5. in corpore, inquiens : *debetur ei non qualiſcunq; dulia, ſed hyperdulia.* hic ſpecialis honor debetur ſanctiſſimæ genitrici, propter dignitatem maternitatis Dei; quia ſicut omnes creaturas etiam Angelicos ſpiritus excedit; ita quoq; maiorem hunc cæteris ſanctis hyperduliæ cultum meretur. Hoc certè cultu vnigenitus Dei Matrem ſuam in terris coluit, cùm illi in omni re ſubditus eſſet; hac eam & in cælis etiam veneratione excepit, dùm illi primum dexteræ ſuæ locum conceſſit. Cuius honoris Matri Dei debiti, typum habemus in Bethſabea matre Salomonis, cui Salomon ad ſe venienti, omni honoris ſignificatione obuiam proceſſit : *Surrexit* (inquit ſacra pagina) *Rex in occurſum eius, adorauitq; eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſituſq; eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* talem certè honorem exhibuit Deiparæ Chriſtus teſte Diuo Bernar. ſerm. 11. *adorauit* inquit *eam.* Et quæ fuit iſta adoratio? filialis certè, dùm illam in throno ſuæ Deitatis ſedere voluit, vt oſtenderet, longè maiori cultu dignam eſſe Virginem ſanctiſſimam; quàm omnes cæli incolas. vt dicit Gregor. Nicomed. in oblat: Deiparæ. *Quis honor* inquit *exhiberi poterit puritati Deiparæ ex æquo reſpondens? cuius amore captus opifex, ex ea ſolùm conſtruxit tabernaculum; in quo minimè recuſauit habitare, in quo paterna voluntas eſt impleta, quænam gloria ei poterit tribui pro meritis; cuius ſuperiorem gloriam præter ſe oſtendit creator, o donum quod nullo poteſt honore vt par eſt affici!* Ecce ſecunda adoratio ad obtinendum nobis à Chriſto beneficium ſummè neceſſaria, cùm enim

Philipp. 2.

Hyperdulia quid ſit.

S. Thom.

S. Bernar.

Gregorius Nicomed.

enim per Mariam Chriſtus mundo ſit datus, per eandem nos quoq; ad ſe venire voluit; dùm enim illam præ cæteris ſanctis excellentiori cultu veneramur, etiam ipſum ſtatim Deum latriæ cultu colimus, facileq; illa mediantè, cuncta impetramus. Apud Perſas fuit templum quoddam (miſericordia dictum) quod nulli intrare licuit, ſine ſenatus vniuerſi conſenſu, idque ideò, quòd ibi eſſent quædam ſimulachra, quæ aduenientibus ſummoperè opitulabantur. Cùm autem quodam tempore vna mulier mæſta, & lacrymis perfuſa illud ingrederetur, Claudianus Imperator hoc viſo, de ſella regia deſcendens, oculos illius abſterſit. Templum certè hoc, eſt Virgo immaculata, ad quam, cùm in noſtris tribulationibus ſupplicaturi accedimus, procumbentes ante imaginem eius, & orantes, ipſius ſtatim interuentu placatus Rex cæli & terræ, de ſede maieſtatis ſuæ deſcendit, vtque noſtræ opituletur miſeriæ, omnes lachrymas ex oculis noſtris abſtergit. Ad hunc Deiparæ cultum excitat nos Propheta Iſaiæ 51. *Attendite* inquit *ad Abraham patrem veſtrũ, & ad ſaram quæ peperit vos,* Quaſi diceret; attendite ad Chriſtum patrem veſtrum, qui mortem occumbens, per gratiam vos in filios adoptiuos ſibi genuit, illique ſummum reddite honorem & ſubiectionem; attendite & ad Virginem Matrem, & veſtrarum per illam poſcite apud Deum illuminationem animarum. vnde D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, inquit : *Oret Eccleſia, oret fidelis anima, & dicat, illumina Domine lucernam tuam ſuper nos.* id eſt; in noſtris neceſſitatibus, per Mariam nos exaudi: ipſa enim eſt lucerna Eccleſiæ ad hoc illuminata à Deo, vt per ipſam contra tenebras mundi illuminaretur Eccleſia. Ecce ergo quàm vtilis eſt cultus hyperduliæ, quem dùm genitrici Dei reuerenter exhibemus, ſtatim miſericordem eius ſentimus dexteram.

Iſaiæ 51.

S. Bonau.

Tertium tandem adorationis genus eſt, *cultus duliæ*, quem debemus exhibere ſanctis, propter participatam eorum excellentiam ſanctitatis; hunc honorem ſanctis reddendum eſſe ſuaſit Deus, cùm eius iuſſu duæ imagines Cherubim, ſuper Arcam veteris teſtamenti poſitæ erant. Exodi 25. Vbi D. Hieronymus Epiſtola ad Marcellum ſcribit, tabernaculum illud fuiſſe adoratum à Iudæis, quia illic erant Cherubim; in Chriſtianorum quoque Eccleſijs imagines ſanctorum exponi voluit, vt faciliùs illorum recogitando exempla, ad perfectionem vitæ inclinemur, & vbi noſtra non ſuppetunt merita, eorum ſuffragijs ad Deum placandum vtamur. Et licet blaſphemus Caluinus cultum hunc Dei ſanctis debitum conetur tollere, nixus illo Dei præcepto. Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile neq; adorabis illud.* reſpondet tamen D. Auguſtinus & Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 59. & lib. de exhort: ad Martyr. cap. 1. & Tertull. lib. 2. contra Marcionem. Deum nihil plus in his verbis præcepiſſe, niſi vt homo ſculptile non adoret, quod ex ſe non eſt capax, vllius cultus & honoris, vt potè res inanimata; non tamen prohibuit, ne adoremus eã, quæ nobis idola repræſentant : id eſt; ſanctos Dei. Vt tamen impius Caluinus omni honore exuat ſanctos Domini, Achillem mouet ex decalogo; *Non* inquit *habebis Deos alienos.* Sed debilis gladius, vno crine rumpitur; non enim hic præcepit Deus colendos eſſe ſanctos, ſed tantùm, honorem ſuum non illis tribui voluit; ſiquidem minore aulicus Regis dignus eſt veneratione, quàm Rex. Necdum tamen malitia Caluini euidentiſſimis contenta eſt rationibus, ſed ad acriora properat arma. Cùm inquit ſancti nihil in cælo mereri poſſint, ad quid inuocandi & colendi ſunt? ſed reſpondent communiter Doctores, faſſi nihil ſanctos in cælis mereri poſſe, cùm omne meritum non vltra ſtatum viæ duret, idq; ideò, quia meritum fundatur in operibus liberis, in Dei obſequium libenter præſtitis, quæ opera in Patria à nullo beatorum exerceri poſſunt, cùm clara Dei viſio omnem illis adimat libertatem,

Typus adorationis ſanctorum in veteri teſtamẽto.

S. Hieron.

Error Caluini circa cultũ ſanctorum.

Auguſtin. Cyprian. Tertull.

Sancti in cælo nihil poſſũt mereri, & quare.

Sancti possunt multa impetrare.

bertatem, & in sui amorem ac obsequium suauiter captiuet, & necessitet. Possunt nihilominùs multa impetrare, quia impetratio fundatur in sola gratia & beneplacito dantis, quàm Deus sanctis gratiam nunquàm denegat, respiciens antecedentia eorum merita. Hæc proinde triplex adoratio petituro aliquid à Deo, est necessaria, vt scilicet Deum omnimoda mentis & corporis submissione veneretur, vt sanctissimam genitricé quanta potest prosequatur veneratione, vt sanctis quoq; cultum obsequij impendat, quò faciliùs his mediantibus potiri possit fine illo, quem intendit, sed iam ad orationem descendamus.

Magnam inesse vim orationi, vel ex hoc ipsò patet, quòd illa in diuinam quandam pulchritudinem animam & corpus hominis transformet. Orabat Exodi 35. Moyses Dominum in monte, & ecce ex illa oratione prodibat, tanquàm sol vndequaque fulgurans, *& ignorabat* (inquit scriptura) *quòd cornuta esset eius facies* 70. verò in caput 34. Exodi vertunt. *Apparuit glorificatus vultus eius*. Hæc certè luminis claritas euenit animabus nostris per orationem feruentem cum Deo agentibus, iuxta mentem Pauli Epistola ad Corinth. 2. cap. 4. *Ipse* inquit *illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem claritatis scientiæ Dei, in facie Christi Iesu*. Verùm, vt hanc admirandam metamorphosim oratio in nobis valeat operari 6. condimenta habere debet.

Exodi 35. 70.

2. Cor. 4.

Primùm, vt anima orantis ab omni labe peccati mortalis sit pura & libera, vt scilicet in corde petentis non desit charitas omnipotentis, Quod nos Christus docuit sua oratione, quâ nos vti voluit. Ad quid enim aliud nos orare iussit hac forma? *Pater noster*: nisi vt oraturus curet, se filium esse miserentis Dei, quod sola ipsi diuina gratia tribuit, quæ iam turpitudine lethalis culpæ stare nequaquam potest. Cùm enim per peccatum desinamus esse filij Dei, & in mancipia conuertamur diaboli, certè si tunc aliquid rogauerimus Deum, paternam

Oratio in peccato mortali nihil valet.

A nobis negabit gratiam, cùm filialem in petentibus non videbat affectum, & obedientiã, frustra proinde ad Deum supplicaturi accedimus, si vinculis peccatorum ligati detinemur. Deus enim peccatores non audit teste Psalmistâ Psal. 165 *Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet*. Sed quid execranda hominum malitia ad hæc respondeat, audiamus? si (inquiunt scelesti) Deus hominem peccatorem nõ exaudit, igitur frustra iam peccator, Ecclesiam aggreditur, frustra sacrificijs B inest, frustra orare debet. Sed errat humana impietas: Non exaudit quidẽ Deus hominem in peccato mortali manentem, quia oratio amicitiam inter Deum & hominem præsupponit; tenetur tamen peccator & diebus festis sacrificijs adesse, & pietatis opera exercere. Primum ad hoc, vt Dei & Ecclesiæ præceptis satis faciat. Deinde vt in persona Ecclesiæ orans, ampliorem saltim peccati obicem amoueat, & vt illum Deus non quidem ex iustitia, sed ex sua infinita miseri- C cordia citiùs respicere & subleuare dignetur. Euidens est huius rei documentum 1. Reg. 14. Vbi Saul consulens Deum de successu belli, quod contra hostem apparabat, cùm responsum differri intelligeret, seriò cuiusnam peccatum id impediret, inquirere cæpit. *Videte* inquit *per quem acciderit peccatum, viuit Dominus Saluator Israël, quia si per Ionatham filium meum factum est, absq; retractatione morietur*. Placuit zelus iste Deo, adeò vt responsum statim impetraret. Doctri- D nam hoc facto vobis Catholici mei Deus proponere voluit; si enim vultis vestris desiderijs & precibus Deũ respondere, tollite de medio vestri filiũ Ionathã, qui Dei retardat oracula, id est; peccatũ: & confestim votorũ vestrorũ & petitionũ sortiemini effectum, quia hoc vnicum est, efficacis orationis cõdimentum, interna mentis iustitia, & peccati iugulatio.

Psal. 165.

Peccator sacrificijs adesse & orare debet & quare.

1. Reg. 14.

Secundùm efficacis ad Deum orationis condimentum est, humilitas; quod ostendit Abraham, qui antequàm Deum alloqueretur, se puluerem

Gen: 18.

rem & cinerem appellauit Gen: 18. *Cùm sim puluis & cinis, loquar ad Dominum?* hanc humilem sui cognitionẽ laudat Spiritus sanctus, Prouerb. 18. *Iustus* inquit *in principio orationis, accusator est sui*. Et certè hoc vnicum est vallum, quod tribulis peccatorum ab anima extirpatis, & dolente illorum memoria reuulsis obstat, ne feroces & immundi spiritus; animam nostram inuadant, & perturbent orantem, atque semen bonum, quod Deus plantauerat, (scilicet iustitiam inhærentem) euellant. Typum magnæ istius in orando humilitatis nobis præbet Elias 3. Reg. 18. qui oraturus Deum, vt terram aquarum inopia laborantẽ, imbribus irrigaret, *caput inter genua posuit*, modum ostendens, quomodò aliquid postulaturus à Deo homo, & mente reuerenter, & corpore humiliter, se coram Deo inclinare debet, hoc condimentum orationis, humilitas, tantæ virtutis & ponderis est, vt preces hominis faciat Deo acceptas, & cælum induratum ac velut æneum potenter moueat, ad mittendos in terram Dei gratiæ copiosos imbres.

Prou. 18.

3. Reg. 18.

Tertium orationis condimentum est, Attentio, vt dicit Apostolus, 1. Corint. 4. *Psallam spiritu psallam & mente*. Non placet Deo oratio prolata ore, sed mente interim impeditâ alienis cogitationibus. Vt dicitur Marci 17. *Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*. Cuiusmodi distractæ orationis symbolum, nobis effinxerunt duo illi, auarus, & lupus templum oraturi quondam ingredientes. Vbi auarus orabat inquiens: *aurum aurum*, lupus verò, *Oues oues*: sed ô quot sunt hisce temporibus auari, qui multa quidem in templis recitant orando; sed mentem totam diuitijs affixam habent, & veluti lupi voluptatibus tantùm & escis carnalibus addictam. de quibus dicit Dauid Psal. 109. *Oratio eius fiat in peccatum*. quasi diceret; dùm sic oras ô homo! ore tantùm & non corde, potiùs Deum ad furorem incitas, quàm ad misericordiam inclinas; in quo autem ista attentio consistat, docuit S. Tho-

1. Cor. 14.

Marci 17.

Oratio auari lupo similis.

Psal. 109.

A mas 1. 2. scilicet in pronunciatione, & expressione verborum: in consideranda significatione, & in Dei contemplatione. Et hæc vltima attentio est cæteris excellentior, vt orantes totam mentem suam ad Deum conuertant: si enim Deum tuæ orationi intendere cupis, ipse pariter totum eò animum intendas, necesse est. *Deus enim*, vt inquit Dionysius, *adest omnibus, sed ipsi non adsunt omnia*. Agnouerunt hoc & ipsi gentiles, quantum diuinis precibus vacantes opor- B teat animum habere attentum. Scribit enim Plutarchus de templo Apollinis, quòd templum illud ingredientes admonerentur à quodam sic clamante. *Hoc age, hoc age*, id est; deuotê, attentè reuerenter ora. Sed & nos ad parem in orando attentionem inuitamur illis sponsæ verbis Cant: 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Miratur hoc Plinius de historia animalium scribens, nullum esse animal terrestre cor habens, quòd non dormiat, idq; ideò, quia cum in cunctis animali- C bus, cor sit vitæ principium, & fons, à quo in totum corpus, vitales spiritus dimanant, indiget somno, vt per illum reficiatur cor, vt sic in eo noui spiritus generentur, quòd meliùs fit inter dormiendum, quiescentibus animæ facultatibus, & ab opere suo cessantibus. Quomodò igitur sponsa Christi dicit, se dormire, & cor suum vigilare? siquidem & cor, sine somno esse nequit. Sed indicare per hoc voluit, hominis ad Deum attentionem. *Ego*, inquiens, *dormio, & cor* D *meum vigilat*. quasi diceret; licet fatigatum corpus hominis sternitur in thalamo; cor tamen vigilare debet animo; licet claudantur corporis oculi; mentis tamen patere debent: licet obturentur aures corporis somno; animæ tamen, diuinis aperiri debent inspirationibus.

Orationis attentio in tribus consistit.

S. Thom.

Cantic. 5.

Quare multum sit animal sine somno.

Quartum orationis condimentum vt sit efficax, est firma diuinæ bonitatis & Christi meritorum fiducia, vt firmiter speremus nos posse consequi, quod petimus. Vt dicitur Ioannis 3. *fiduciam habeamus ad Deum, & quidquid*

Ioann. 3.

quid petierimus; accipiemus ab eo. Et quid est aliud fiduciam in Deo habere, nisi eius cognoscere potentiam: quemadmodùm hodiernus leprosus inquiens, *potes me mundare*, vbi licet conditionatè loquitur; non tamen dubitauit de Christi bonitate, an ille tàm bonus & misericors esset; sed quia de sua metuebat indignitate, dubitabat an Christi volũtas ad miserendum illi inclinari vellet, & ideò se totum eius voluntati submittere voluit. & talis certè oratio nostra debet esse, si quid volumus apud Deum impetrare, vt dubitemus de nostra dignitate, quò cum maiori reuerentia ad illum accedamus. vt inquit S. Chrysost: de incomprehensibili Dei natiuitate. hom. 5. *Magna ad Deum confidentiâ accedes, si te arbitraris meritò carere, vnde confidas; contra summum dedecus, summa condemnatio, si te arbitreris posse fidenter agere.* Similiter S. Basilius, in admonitione ad filios spirituales docet, *ne postules* inquit *quidquam quasi ex gratia meritorum, etsi est tibi conscientia aliqua boni operis, cela illam, vt te silente, à Deo multiplicetur: Deus enim euulgabit omnia opera humilis, qui animæ suæ virtutes celare festinat.*

S. Chryſ. — S. Baſil.

Quintum orationis efficacis condimentum est, perseuerantia: quæ desideriorum felicem obtinet euentum, & si illa deficiat, fit sæpè bonæ voluntatis abortio: necesse est enim vt non tantùm reuerenter ores, humiliter adores; sed etiam patienter Dei misericordiam expectes. Sic fecisse Elisæum refert script: 4. Reg. 2. qui percutiens aquas pallio, vt diuiderentur, sibique liberum concederent transitum, cùm videret non esse diuisas, cæpit iterum orare, & expectare Dei clementiam, iterumq; percussit aquas, & ecce obedierunt in orando perseueranti, & securus flumen pertransijt. Moyses quoq; numeror. 20. Cùm semel mystica virga petram percussisset, aqua tamen non effluxit, orauit iterum expectans: & ecce secundò ictu rursùs inflicto, erupit subitò magna aquarum scaturigo. Et quid aliud est causæ? quia crebro non impetramus, quod petimus, nisi quia deficimus, & in orando nõ perseueramus. Planè similes esse volumus Pardo, qui vt referunt naturalistæ, si primò vel secundo saltu prædam non assequitur, illico desistit: ita nos planè petimus semel & iterum aliquid à Deo, & mox si nostris non respondet votis, deficimus ab orando: non talis certè debet esse oratio, vt placeat Deo, cùm enim tibi Deus nihil debeat, sed omnia ex placito conferat, idcircò nunquàm desinere debes, vt illum roges, vt ad gratuitum opus tibi impertiendum aliquando inclinetur. licet enim in nobis nullam viderit dignitatem, saltem *propter importunitatem dabit.* vt dicitur Lucæ 12.

4. Reg. 2. — Lucæ 12.

Sextum tandem ac vltimum orationis efficacis condimentum est, eleemosyna cum ieiunio sociata: hæc enim sunt duo pondera, quibus anima ad Dei amorem mouetur; hæ sunt rotæ, quibus currus mentis in cælum vehitur; hæ alæ, quibus ad ipsum vsque Dei cor anima fidelis euolat. Pulchrum nobis huius rei symbolum proposuit Salomon 3. Regum 6. vbi cùm totum illud templum cedrinis tabulis exornasset, ipsam tamen templi portam, quæ pretiosâ magis & elegantiori semper materiâ construi solet, ex lignis oliuarum ædificauit, non aliam ob causam, nisi vt omnibus inculcaret, qui illud templum erant ingressuri, debere pauperum misericordiæ opitulari; nam oliua misericordiæ symbolum est. Vnde in Sacra Script: misericors, oliua fructifera appellatur. Hinc Græcorum legati (vt referunt historici) ad Reges rogatum aliquod auxilium missi, manu portare solebant ramum oliuæ, vt eius aspectu ad misericordiam regem mouerent. Accedis & tu ô homo auxilium aliquod & beneficium à Deo postulaturus, intrare debes in templum Dei, sed per portam ex lignis oliuarum constructam (id est) per misericordiam, necesse est quoq; vt ramum oliuæ portes in manu tua, id est; vt in pauperes aliquid de tuis bonis eroges. *conclude eleëmosynam in manu pauperis, & ipse exorabit pro te ob omni malo.* quodsi adhuc orationi adiungatur & eleemosynæ, ieiunium; tantam inde sumit efficaciam oratio, vt non tantùm Deum nobis propitium reddat, sed etiam omne dæmoniorum genus vincat, iuxta illud Christi responsum Apostolis. *Genus hoc in nullo potest vinci, nisi in ieiunio & oratione.*

Quare cùm his duobus modis, omne Dei beneficium acquiratur: adoratione, & oratione: hodiernum imitati leprosum, adoremus immensam Dei maiestatem cultu latriæ, supremum illius in nos recognoscendo dominium, nostrumque illi debitum seruitium, non mentis tantùm affectu; sed etiam corporis humili prostratione contestando, adoremus & sanctissimam Genitricem cultu hyperduliæ, primam & summam illius post Deum recognoscendo excellentiam; veneremur & sanctos cultu duliæ, illorum suffragijs nosmetipsos cõmendando: & mente peccatorum maculis expurgatâ, humili, attentâ, fideli, perseueranti, & in pauperes munificâ, rogemus Deum, vt omnia in nobis vitia extirpet, & felicem regni successum instauret.

DOMINICA IV.
POST EPIPHANIAM.
CONCIO PRIMA.

Ipse dormiebat: & accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum. *Matthæi 8.*

Tripliciter nobis Deus obdormire solet, videlicet in cruce Sancta, per nostram desidiam, & per crebras tribulationes.

EXtremam imminere perniciem, vbi præpotens Deus irretortum misericordiæ & prouidentiæ suæ oculum, palpebrâ furoris operit, & veluti in profundum somnum componit; nemo est qui ambiat? si enim dormienti Leoni, & imbelles muscæ insultant; quantò magis dormiente Deo, etiam vilissima locusta totum mundum infestare, & conturbare potest. Dormijt aliquantum Deus, cùm non minus potenter, quàm prudenter prima totius mundi ædificia consummaret, atque erectis fundamentis immobiliter affigeret; & ecce ab vno ferarum & reptilium abiectissimo serpente, vniuersum genus mortalium, leuissimo astutiæ morsu punctum, de regali paradisi throno cecidit, atq; deliciarum aulâ pulsum, vt insanabile virus euomeret, non in balneis temperato calore æstuantibus; sed in terrenis laboribus sudare debuit, donec vnigenitus à Patre, cum efficacissimo tanti mali, & morbi antidoto ad nos veniret. Dormijt iterum carne coopertus; & ecce illo dulcem somnum capiente, gentium flabra, Iudæorum turbines, persecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ, ruebant cum tanto impetu, vt totius mundi fieret vna tempestas. Regum spumabant vndæ, feruebant potestatum fluctus, sonabat rabies tyrannorum, populi gurgites rotabantur, & vnanimis in Dei nomen fiebat omnium conspiratio, quasi iam totius mundi vltimum discrimen & naufragium adesset. Dormiente itaq; Christo, omne malum redundat in orbem, quod diuino afflatus spiritu præuidens regius vates, clamabat ad dominum Ps. 43. *Exurge Domine quare obdormis.* quasi diceret: te sine vniuersa machina mundi dissoluitur: exurge ne pereat. Te sine

Psal. 43.

ſine genus humanum grauiſſimis vndiq; agitatur periculis : exurge, ne atrocius preſſum, penitùs opprimatur. Te ſine Chriſtianitas ſancta ab hoſtibus fidei, immenſa iacula ſuſtinet; verùm cum ſit vnicum fidei propugnaculum, exurge in occurſum hoſtium, ne oppugnati expugnentur fideles, qui tibi ſincerè & debitè ſeruiunt. quoniam igitur tàm eſt perniciosa Dei dormitio toti mundo, idcirco hodiè conſiderabimus, quomodò nobis aliquando Deus obdormiat, & quâ arte illum ex iſto ſomno poſſumus ſuſcitare. Auditores.

Diuerſa profectò eſt Dei dormitio ab hominibus, homines enim ceu mortales, clauſis oculis, vt in ſe mortis imaginem exprimant, dormiunt. Deus autem veluti Leo inuictus, apertis oculis dormit, vt non tantùm vigilantem ; ſed etiam dormientem nihil omninò lateat : homines laboribus fracti ; aut curis & ſolicitudinibus nimium grauati, ſomnum capiunt, vt fatigata membra in placidam compoſita quietem, reficiant ; ſenſus diuerſis intentos officijs copulent, & amiſſas iterum recuperent vires. At Deus cùm ſit ſpiritus puriſſimus, & per eſſentiam infatigabilis, non eget vlla reſpiratione aut requie. Nam Deus, Angeli, cœlum, & elementa, nuſquam vacant ab opere, nec per momentum temporis feriari aut ceſſare poſſunt. Etenim ſiue ſpectemus internas Dei operationes, ibi Pater æternus Filium ſemper generat, & hic viciſſim cum illo ſpirat inceſſanter Spiritum ſanctũ, ſiue verò conſideremus opera Dei ad extra, videbimus in comprehenſam deitatis Trinitatem, ab ipſa mundi origine non ceſſare, nec abſtinere à rerum quas condidit, conſeruatione & gubernatione, atteſtante id ipſomet Chriſto Ioannis 5. *Pater meus operatur vſq; modo, & ego operor.* Angeli pariter non deficiunt in operando, ſed ipſius Dei qui prima omnium cauſa eſt, cognitioni & contemplationi ſemper intenti, mutuò ſeipſos illuminant, purgant, & perficiunt, iuxta tres operationes, ex Dionyſio Areopagita de cœleſti Chierarchia cōmemoratas ac etiam omnes cœleſtes ſpirit⁹ vt ait Propheta Iſaiæ 6. numquam à celebratione diuinæ maieſtatis quieſcunt, verùm ſine vlla intermiſſione, proclamant. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quod ſi intueamur ipſos cælorum orbes, nemo ignorabit eos perpetuo & certo motu reuolui; planetas rebus inferioribus influere, ignem inter propriam ſpheram, proximam ſibi aëris partem calefacere; animantibus ad reſpirandum adeſſe præſto aërem; fluxu refluxu quotidiano agitari mare, piſcium receptaculum ; terram præter argenti & auri fodinas, arborum & plantarum eſſe altricem, iuxta illud diuinum præceptum Geneſ. 1. *Germinet terra herbam virentem.*

Ioann. 5.

Iſaiæ 6.

Geneſ. 1.

Si ergo creaturæ iſtæ, ſunt in aſſiduo motu, & opere, quantò magis ipſemet Deus, qui eſt primum mouens, omnium mouentium ſecundorum, actione ſempiternâ ſeſe exuere nequaquam poteſt. quia ſi vera eſt Philoſophantium doctrina, quòd ceſſantibus cælorum reuolutionibus, ceſſarent quoq; ſublunaria, & omnis eorum generatio, propterea quòd hæc dependeant ab aſtris, tanquàm à cauſis ſuis vniuerſalibus ; quantò magis verum eſſe debet ? quòd ſi vel per minimum inſtans, Deus ab agendo ceſſaret, & cæli, & Angeli ; & creaturæ omnes, dubio procul euaneſcerent, cùm hæc omnia non ſuâ, ſed Dei mouentis virtute ſubſiſtant. Dormiebat tamen Deus, non in molli ; ſed in aſpero crucis lecto, quando pro vniuerſo mortalium genere, ipſam mortis imaginem induere minimè recuſauit. Sic locum iſtum exponit, S. Auguſtinus, libro de eſſentia diuinitatis, tomo 4. inquiens : *Dormire Dei eſt, cùm vnigenitus Filius Patris in aſſumpta carne mori dignatus eſt.* Et hic ſomnus dulcis erat Dei filio, quando vidit plurimos, mortis ſuæ remedio ad ſalutem vſuros, quod ipſemet fatetur per Prophetam Hierem. 31. *ideò* inquit *quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum. & vidi, & ſomnus meus dulcis eſt mihi.* quaſi diceret : non

S. Auguſt.

Hieron. 31

non mediocri lætitiâ afficior, quando ad me in hoc lecto dormientem ſuſcitandum, plurimi accedunt, propter quod Chriſtus dominus, virtutem ligno crucis contulit viuificandi, vt quiſquis moribundus ad illud accedit, vitam recipiat.

Verùm ego animaduerto, quòd Chriſto in hoc lecto ex animi ſententiâ quieſcente, paucioribus vita, plurimis mors æterna, obrepat ; quaſi verò non propter omnium ſalutem, ſomnus mortis Chriſtum in cruce ligauerit. Sed tanti cauſa diſcriminis, ipſa hominum varietas in moribus, & diuerſitas in rectè viuendo, eſt. Quod pulchrè arca illa veteris teſtamenti figurauit, ex cuius præſentia alijs ſupplicium, alijs præſidium crebrò eueniebat : imò quandoq; minora abſente illa eueniebant mala, præſente verò grauiora oriebantur incommoda. Nam refert ſacra pagina 1. Reg. 4. quòd dùm abſente arca Dei pugnarent Iſräelitæ contra Philiſthæos, quatuor tantùm millia virorum ab hoſtili gladio ceciderunt : at verò poſt arcæ aduentum, multò acerbiorem cladem pertulerunt, triginta millibus hominum interemptis, caſtris ſpoliatis, Filijs Heli interfectis, captâ ipsâ arcâ, ac deniq; omni ſpe recuperandæ victoriæ, penitùs reſciſsâ ac deploratâ, quia addit ſacra pagina. *Et fugit vnusquiſquè.*

1. Reg. 4.

Quid prodigij quæſo ? abſente vtique arcâ Dei, ſi quando Iſräeliticus populus in ſummo diſcrimine erat, ſaltem canebat receptui, & compoſito agmine referebat pedes, de puluere Martio ; præſente verò arcâ Dei, quæ munimentum ſingulare eſſe debebat, ecce inordinata & effuſa fuga fit, & quam cuique viam timor demonſtrat, palans atq; pallens ne vitam amittat, irreuocabilis ruit. Reſpondet doctiſſimus Rupertus in Geneſim libr. 3. cap. 13. Deum tunc in illa arca dormiuiſſe, propter quod fuſus totus exercitus erat. Equidem Catholici mei, arcam illam typum Chriſti in cruce pendentis præceſſiſſe arbitror. Nam & poſt huius aduentum, plures multò hominum miſerè pereunt in æternum ; quàm ante eius aduentum perierunt, atteſtante hoc ipſum Dei filio Ioann. 15. *Si non veniſſem* inquit, *& locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* immò autem excuſationem non habent, de peccato ſuo ; cuius ratio non alia eſt, niſi quia Chriſtus Dominus, in lecto crucis obdormijt, delinquentis populi peccatis defeſſis, & calice furoris iræ ſuæ inebriatus quodammodo, iuxta illud Pſal. 77. num. 67. *Tanquàm dormiens tanquam potens crapulatus à vino.* & non eſt qui illum ſuſcitet, cùm omnes, iniquitatem ſectari virtuti ducunt. Tantùm autem abeſt, vt improbi peccatores ex diuina præſentia adiuuentur, vt potius in majus exitium deuoluantur. quod pulchrè elucidat Dio Carthuſianus artic. 10. myſticæ interpretationis. *Per Iſraëlitas* inquit *arcam Dei afferentes, intelliguntur Chriſtiani, qui inſtante tribulatione quapiam aut peſtilentia, circumferunt ſacramentum, atq; reliquias ; non tamen emendant ſuam conuerſationem & mores, ideò propter ſua demerita, frequenter non iuuantur, immò interdum grauiori peſte ceduntur : & hoc iuſtiſſimo Dei iudicio fit, qui cordium videns arcana, ſcit illos pro euaſione & ceſſatione periculorum corporalium deprecari, non ex recta radice, hoc eſt ; non ex charitate, neq; ſincera intentione, ſed ex amore carnali quo diligunt vitam præſentem, ac proſpera eis, ſicq; oratio eorum fit in peccatum, & indignationem prouocat Deitatis, quoniam importunè & indiſcretè orant, pro his rebus, de quibus ignorant, an ſaluti eorum expediant ? ea verò quæ Deus requirit ab eis, & ſunt de neceſſitate ſalutis, frequenter amittunt.* Verùm ſi tantum dormiendo, ſic populum ſuum labefacit Deus, quantum deijciet & in exitium deturbando impios, qui illo præſente, & in hoc ſuo ſomno minima eorum opera apertis oculis proſpectante, impudenter delinquũt, ſiquidem acrioribus multò flagellis dignus eſt ille ſeruus, qui præſente ac vidente domino delinquit ; quàm is, qui eo abſente multò peiora cōmittit. Secundò

Rupertus.

Ioan. 15.

Pſalm. 77.

Carthuſ.

Secundo modo dormit, per fidem fuam & religionem, in multorum cordibus languefcentem : taliter enim fomnum Dei interpretatur D. Augu-

S. Auguft.

ftinus tom. 4. lib. 4. de effentia Dei. *Dormire* inquit *dicitur Deus, cùm fides eius inter profpera huius mundi, in quorundam, fidelium corde non vigilat, fed dormit* : illis ergo dormit Chriftus, quorum etiam fides in Chriftum dormit, propter quam fidei euacuationem, & religionis negligentiam, & Ecclefias fanctas, & regna Chriftiana, & loca fibi confecrata, aufert nõ rarò Deus à populo fuo, & ea in manus gentium, tradit, in maiorem malè credentium, aut in fide hæfitantium, confufionem.

Quærunt Doctores, quare DEVS cum multa alia occurrerent fuppliciorum genera, hoc tamen ex omnibus elegerat Deus, vt fuos Ifraëlitas negligentiùs in fide & religione agentes puniret, arcâ fæderis eos fpoliando. Refpondent aliqui inprimis, id factum fuiffe ideò, vt in captiuitate illius arcæ, præmitteretur expreffa figura diuini verbi ; in naturam humanam vniendi ; & in Iudæorum manus ad mortem mancipandi. Sic enim D. Ephrem fermone de pretiofa margareta, ad finem, ex hoc loco contra Iudæos argumentatur.

S. Ephrẽ.

Dicunt Iudæi fe non credere Deum cum hominibus conuerfatum effe vt hominem. At, quid maius ô Iudæi, Arca an homo ; fi in Arca creditis, conclufum fuiffe Deum, quomodò fuper terram, in humana ipfum natura non creditis : Nos inquiunt non credimus, cum fi Deus erat, crucifixum fuiffe. Sed cur in eo non eftis increduli ; quod arca quæ Deum continebat, ab aligenis capta fit,. Nam ficut illa videbatur fuftinere ignominiam ; ita etiam Deus quamuis impaffibilis effet, per affumptionem tamen humanitatis, iniurijs & contumelijs affectus eft ; dùm ipfa fcilicet affumpta caro crucifigeretur. Et quemadmodùm Arca illa inter alienigenas, ipfum Dagon deftruxit atq; fubuertit ; ita etiam in cruce Chriftus diabolum profligauit ac vicit, & blafphemos corripuit, cognitionemq; diuinæ fuæ potentiæ infidelibus etiam inuitis præbuit. Vnde per hoc quòd Deus Iudæos peruerfos Arcâ fpoliauerit, fignificare voluit, Iudæos propter fuam impietatem non facilè in veri Meffiæ, & Chrifti Saluatoris cognitionem venturos.

Secundò refpondent alij, Arcam veteris teftamenti, ideò in manus hoftium traditam fuiffe, vt Ifraëlitæ, qui arcam contempferant fpontè, eandem inuiti amitterent. Violabant enim filij Heli facrificiorum ritus : adeò, vt propter graues eorum iniurias, homines à facrificijs Dei auerterentur, videbat Heli Iudex & Pontifex fummus, morum facrorumque ruinas ; & tamen diffimulabat. Tota denique illa fanctuarij religio paulatim euanefcebat ; Deus quoq; obdormiuit, & quafi fomno obrutus permifit, vt arcâ priuarentur, qui eam debito cultu nolebant venerari. Nam Deus in illis rebus frequenter homines punire folet, in quibus peccant. Quod palam eft vel in ipfis Ægyptijs, qui peccarunt innocentes Hebræorum pueros in Nilum fubmergendo Exodi 1. Quid ergo Deus ? Nili aquas in fanguinem conuertit. Exodi 7. vt qui innocentium aquas fanguine tinxerant, eafdem poftea in fanguinem verfas ipfi epotarent, vt præclarè argumentatur Auctor mirabilium fcripturarum l. 1. cap. 18. *Hæc vindicta* inquit *Ægyptijs cum Rege, conuenienter euenerat, vt qui Dei populi infante, in flumen iactare præceperat, eiufdem fluminis aqua in fanguinem verfa exilium bibentibus inferret, & non bibentibus pænam præftaret.* Deinde ranarum plagis ijdem Ægyptij puniti funt Exodi 8. vt qui puerorum vagitus, ac matrum eiulatus immiti aure refpuerant ; ipfi quoq; importuno ranarum coaxantium ftrepitu obtunderentur.

Exodi 1.

Auctor mirabilium.

Deniq; alij probabiliffimè opinantur, Arcam illam Ifrâëlitis captam, & in manus hoftium traditam fuiffe, vt intelligerent peruerfi Hebræi in fuis peccatis fordefcentes, nullum fibi fore etiam in locis facris aduersùs diuinam vltionem munimentum. Quamuis enim facerrimum illud fuerit ; fi tamen peccatores illo abutantur, de-

2. Mach. 5.

ftruetur ; quia dicitur 2. Machab. 5. *Non enim propter locum gentem, fed propter gentem locum elegit Deus.* Quid olim erat fanctius Hierofolyma, in qua Chriftus præceperat, vt nullus omninò iuraret, neque per cœlum, quia thronus Dei eft : neq; per terram, quia fcabellum eft pedum eius : neq; per Hierofolymam, quia ciuitas

Matth. 5.

eft magni regis : Matth. 5. & tamen illam propter peccata Iudæorum, fecit defertam. Ieremiæ 12. *Reliqui domum meam, dimifi hereditatem meam.* imò etiam à facris locis in quibus religio violatur, dormiente domino Angeli recedere folent, quod refert Iofephus de bello Iudaico, l. 7. c. 17. vbi fcribit, propter enormia peccata

Hier. 12.

Hierofolymæ patrata, auditam fuiffe cuftodum inuifibilium vocem, de

Iofephus.

interioribus templi. *Tranfeamus ex his fedibus.* neq; verò illis facra loca pro funt, qui fanctitatem proijciunt, ficut nec loca horrida obfunt his, qui domini gratiâ proteguntur. Quid denique facratius Ezechielis templo ? & nihilominus Deus præcipiens Angelis, ferro ad vltionem armatis, vt quofcunque Hierofolymis inueniffent,

Ezech. 9.

occiderent, ait illis : *A fanctuario meo incipite.* Ezechielis 9. ne quis fortè exiftimaret, habiturum fe effe in fanctuario afylum. Verùm Angelis adhuc cunctantibus, & à facro loco reuerentiæ causâ abftinentibus, iterum

Ibidem.

Deus efficaciùs imperauit. *Contemnite* inquit *domum, & implete atria interfectis*, ibidem.

Et quid aliud caufæ, quòd fancta illa loca fanguine Chrifti confperfa, Apoftolorum martyrio decorata, quæ à Conftantino magno in poteftatem Chriftianæ religionis Imperatorum venerant, Deus à nobis amouerit, & in dominium turpiffimi gentilis tradiderit ? hæc fola, quia in cordibus Chriftianorum frigefcebat in dies religionis zelus ; Deus quoq; ne protegeret languefcentes in fide, obdormierat. Quid caufæ, quòd his ipfis noftris temporibus, templa fancta, & Deo dicata monafterja, honorem Saluatoris propagantia, ab vno abominabili fcyta, aut barbaro, aut rebelli fubdito profanari permiferit ? profectò in fupplicium malè credentium, aut fidem negligentium id fecit. Quia enim dormit in nobis ardor fidei, religionis feruor, diuini obfequij zelus, ideò nobis in Dei cultu dormientibus, & Deus ad impetum hoftium dormiebat, vt oftenderet, non illi hæc, fed nobis potiùs faluari cupientibus neceffaria effe.

Deniq; dormit Deus, electos fuos ab impijs huius mundi opprimi permittendo. Sic locum hunc exponit D. Auguftinus, libro de effentia diuinitatis. S. Augu**ft**.

Dormire inquit *Dei eft, electis fuis in tribulationibus huius mundi pofitis, tardius fubuenire.* Quod facit primum ideo, vt per immiffas afflictiones iufti magis probentur, & expientur ; hanc enim rationem affignat D. Auguftinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 3. *Iuftis* inquit *quidquid malorum irrogatur, non eft pæna criminis, fed virtutis examen.* Nam quò grauiora foris aduenìunt detrimenta, eò pretiofiora intus in animo lucra coäceruantur, etenim vtilitatem tribulationum fatis illis verbis inclufit Deus, Deutoronomij 33. *Cornua Rhinocerotis cornua illius.* Quafi diceret : quemadmodùm cornua Rhinocerotis acuta quidem funt ad feriendum, verùm falutaria ad medicandum : fic planè afflictiones, quas iufti fubeunt Deo permittente, plagas quidem corporibus inferunt, fed animis fimul fanitatem præbent. Diu vixit Iacob in terra Chanaan orbatus filio fuo Iofepho, quem præ cæteris diligebat. Immò & ipfum Iofephum venundatio & incarceratio apud Ægyptios, regni gubernatorem fecit, vt poftea patris fui anguftias abundè cumularet ; fed verius crediderim, Deum in tribulationibus iuftorum dormire, vt impij faltem hoc facto terreantur. hanc rationem allegat D. Chryfofthomus ci- S. Chryf.

tatus in Gloffa, dum inquit, *vt in his quifq; confideret, quæ pæna maneat iniquos, fi ita Deus caftigat iuftos.*

Sed eheu dolendum; quòd cùm noſtrâ culpâ, ne ipſa quidem iam iuſtorum innocentia tutum præſidium reperiat, ſed tot caſibus & periculis exponatur; nos tamen nedùm euigilamus, neq; his territi malis, ad excitandum dormientem Deum accurrimus, qui nobis opituletur. Frigeſcit religio, contemnitur Eccleſia, deſpicitur ſpiritualium poteſtas, ridetur vita innocentium, ludibrio exponitur aſſiduitas dæuotionis, & abſtinentia pro crapula, iuſtitia pro iniquitate, ſanctitas pro luxuria, timor Dei pro reſoluta audacia peccandi, vitia denique pro virtutibus commutantur, omniaq; inuerſò fiunt ordine, & eccleſiaſtica beneficia violantur auri ſacra fame: nec iam Aaronicis gradibus, ſed manifeſtis ſimonijs, pinguis Chriſti panis occupatur, diuina autem officia negliguntur. Sed ne vos miſeranda illa Ieroſolymæ clades opprimat frigidi Catholici, quæ negligentiâ pariter Pontificum, & auaritiâ populi euenerat, quando ſacra prophanis ex æquo permutabantur, ſuſcitate tandem aliquando Deum, deprauatos corrigendo mores, & Deum cuius iam planè obliti eſtis, feruenti oratione in auxilium euocando. Hunc enim vnicum modum adhuc vobis reſeruatum eſſe hodiernum proclamat Euangelium, quando in vltimis periculis fluctuantibus in mari procellis, acceſſerunt timidi Apoſtoli ad Ieſum, importunè etiam ſuſcitando eum.
Matth. 8. *Domine ſalua nos perimus.*

Sed nemo fortaſsè veſtrum audebit diuinum intrare thalamum, & dormientem Chriſtum tangere: neque enim ad tentoria Principum omnibus liber aditus. Fateor eum nimis audacem eſſe, qui Deum ſuſcitat. Verùm ſi vrgentibus negotijs, etiam nocturno tempore, conceditur ſupremis cãcellarijs in palatia regum ingreſſus; & Deus pariter in terris idem munus ſuis conceſſit ſacerdotibus, vt in omni neceſſitate, liberè ad eum accederent. In cuius rei teſtimonium & in veteri lege, cùm iratus Deus aliter placari non poſſet, Samuelem ſibi aſſumpſit Sacerdotem, qui pro vniuerſo populo offenſum numen deprecaretur, aſſerente id ſacrâ paginâ, primi Reg. 2. num. 28. *Elegi mihi ex omnibus tribubus Iſraël ſacerdotem, vt aſcenderet ad altare meum, & adoleret mihi incenſum, & portaret Ephod coram me.* In quibus verbis ex triplici capite ſacerdotij prærogatiuam oſtendit, ſacer textus. 1. Reg. 2.

Primò, ex ſingularitate, quòd non omnibus hanc dignitatem Deus conferre voluerit, ſed tantùm electis ex omni populo: quia beneficium aliquando facilè vileſcit, quandò ad plures extenditur; eò verò magis ſplendeſcit; quò ad pauciores limitatur. Ad quod reſpiciens Salomon, meritò regale ſacerdotium appellauit, quia licet ſæculare imperium, magnum videatur beneficium hominibus à Deo collatum; illud tamen Deus in veteri lege non ad vnam tantùm tribum reduxerat, ſed ad omnes extenderat. Nam ex tribu Iuda Princeps & Iudex fuit Othoniel: ex tribu Leui, Moyſes: ex tribu Ephraim, Ioſue: ex tribu Manaſſe, Gedeon: & Iephte: ex tribu Beniamin Aad & Haud: ex tribu Dan, Samſon: ex tribu Zabulon, Ahilon: ex Izachar, Thola. At verò ſacerdotium vni tantùm Aaronicæ domui conceſſerat; ſic planè & his temporibus imperium ſæculare, omnibus gentibus commune fecit Deus, & barbaris, & Chriſtianis; ſacerdotium autem verum in ſola Chriſtianitate voluit perennare, vt dignitatem illam, quam pluris faciebat, paucioribus impertiret, quam verò minùs æſtimabat, pluribus communicaret; vt meritò ſoli Chriſtianitati quadrare videatur illud diuinum effatum, Deut. 4. *Quæ eſt enim alia gens, ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtaq; iudicia, & vniuerſam legem, quã ego proponam hodiè ante oculos veſtros.*

Secundò, Prærogatiua ſacerdotij oritur ex eò, quòd ſacerdos debuerit aſcendere ad altare, & adolere incenſum, hoc eſt; noua holocauſta, & victimas Deo immolare. Tertia prærogatiua, quia ſolus ſacerdos dum aſcenderet ad altare, debebat portare Ephod,

re Ephod, hoc eſt; veſtes Pontificias cum ſuperhumerali polymito. Et nobis reuera opportunè hodiè nouum introduxit ſacerdotem, vt cum vulgari homini ad Deum, acceſſus non facilè pateat, illum tanquàm electum ad id munus, ad Deum ſuſcitandum præmittamus. Tria verò tibi ô electe ſacerdos Dei hodiè peragenda, & totâ vitâ ſunt: ſingularitas, vt angelicum planè obeundo miniſteriũ illæſam vitæ tuæ puritatem ſemper Deo conſerues, quam eminentiſſimus ſacerdotij ordo, ex ipſa Chriſti & Eccleſiæ inſtitutione requirit. Alterum, aſcendes ad altare, vbi triplex incenſum adolebis, vnum ad holocauſtum, in cultum ipſius Dei, recognoſcendo eum ſupremum omnium creaturarum Dominum: alterum, ſacrificium pro peccatis totius populi, offenſum placando Deũ. Tertium denique, hoſtiam pacificam in gratiarum actionem, pro beneficijs Chriſtianitati, atq; tibi collatis, & in obſecrationem pro accipiendis. Tertiò denique, portabis Ephod coram Deo, id eſt; veſtibus diuino cultui conſecratis indueris, vt ex illarum multiplici textura, perfectionem tàm ſublimi ſtatui competentem aſſumas, vt præclarè monet S. Gregorius 2. parte paſtor. cap. 3. *Sacerdotis* inquit *habitus aurum fulget, vt in eo intellectus ſapientiæ principaliter emineat; cui hyacinthus adiungitur, vt per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, ſed ad cæleſtium amorem ſurgat. Purpura permiſcetur in eius veſtibus, vt ſacerdotale cor in ſemetipſo, ſuggeſtiones vitiorum reprimat; eiſquè veluti ex regia poteſtate contradicat. Bis intinctus coccus adiungitur, vt omnia virtutum bona ex charitate decorentur, quæ quia Deum & proximum diligit, quaſi ex duplici tinctura fulgeſcit.* Quid verò per byſſum, niſi candens decoræ munditiæ caſtitas deſignatur. Quæ byſſus torta, pulchritudini ſuper humeralis innectitur, quia tunc caſtimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cùm per abſtinentiam caro fatigatur.

Apoſtrophe ad nouum celebrantem.

S.Gregor.

Vidimus igitur iam tripliciter nobis Deum obdormijſſe, primò, in cruce: cùm pro omnibus nobis mori dignatus eſt. Secundò, per noſtram deſidiam, quandò fides eius & religio ſancta in noſtris animis dormit. tertjò tandem, per crebras tribulationes, quas Chriſtianitati aut ad maiorem virtutum exercitationem, aut potiùs ad ſcelerum correctionem, & peccantium terrorem immittit. Sed ne concidite animis Catholici; bono omine nobis hodiè Chriſtus obdormijt, quia in hoc ſomno nouum ſibi elegit ſacerdotem. Tu igitur vltra Angelorum miniſteria ſublimatus, quod nemo noſtrum, immò nec puriſſimi illi beatarum mentium ſpiritus audent, audacter; non tamen ſine Dei timore tenta. Accede ad altare holocauſtorum, cùm diſpoſita ſufficienter & præparata mente, & adole incenſum diuinæ rememorationis, placationis, atq; gratiarum actionis; atq; nobis dormientem Deum feliciter non in regali lecto, aut cœleſti ſmaragdo, ſed in tuis hodiè manibus geſtatum reſuſcita. Tu verò præpotens Deus, qui ſacerdotum victimis placari voluiſti, odorari digneris nouum hoc incenſum, & nobis ad te confugientibus ne obdormias: ſed exurge in præſidium, ſolatium, & vitæ culpatæ emendationem, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas maxima. *Matth. 8.*

Oſtenditur ſolum hominem inter omnes creaturas maximè non eſſe Deo obedientem.

POſtquàm Redemptor noſter ſuos diſcipulos, multa de fide ſalutifera edocuiſſet, vt vrgentibus periculis fidei rationem repoſceret, ſcaphã cum illis ingreſſus eſt: mare in fidei ſtadium diſcipulis apparauit, & tantiſper indulſit ſomno, vt diſcipulorum confi-

Lucæ 8.

confidentia ipſo corroboraretur periculo. *Obdormiuit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur: accedentes autem ſuſcitauerunt eum dicentes: Præceptor perimus.* Lucæ 8. Res ſtupenda, aduerſus diſcipulos dormiente magiſtro depræliabatur tempeſtas, commoti venti carbaſa validiùs cōcutiebant, horribilis ſtridentium ſibilus aures verberabat, nauigium aduerſùs gubernaculi dexteritatem contorquebatur: diſcipuli, alijque nauigantes, metu conturbati circumcurſabant, adhortabantur mutuò, cùm Deus interea dormiret. Ne miremini: arcano certè Dei conſilio nauicula hæc periclitabatur: quia Eccleſiam ſanctam deſignabat, quæ nunquàm ab aduerſariorum impetu ſecura manet. Hæc eſt mens Clementis Romani, qui adhuc tempore Apoſtolorum ad Iacobum fratrem Domini hæc verba ſcripſit: *Similis namq; eſt ſtatus omnis Eccleſiæ. magnæ naui, quæ per vndoſum pelagus, diuerſis è locis, è regionibus viros portat, ad vnam potentis regni urbem properare cupientes.* Idem ſentit Clemens Alexandr: qui Eccleſiam Dei non lembo, qui ex vno integro ligno conſtat; ſed naui ex multiplici genere lignorum, velorum, remorum, rudentium conſtanti aſſimilat, quæ omnem conſcenſorem recipit, præter latronem, & piratam. Vt ergo nauicula Chriſti Eccleſiam deſignat; ita procellæ, & venti ipſas calamitates, tribulationes, quibus toto hoc peregrinationis ſuæ tempore vexatur, diſcruciatur, iactatur. Quibus etſi illa iactabatur, & feriebatur ſemper, tàm in lege naturæ; quàm in lege ſcripta, quàm etiam ſub Euangelio; ſubuerſa tamen non eſt. Nunquàm enim Abeli defuit ſuus Cain, nunquàm Iacobo Iſmaël, nunquàm Ioſepho iniqui fratres, nunquàm Moyſi ſuus Core, & Abiron, nunquàm Dauidi ſuus Abſalon, Chriſto Domino Iudas, & Phariſæi. Nihilominùs licet ſemper tot procellas pertulit, nunquàm tamen iactari magis cœpta, quàm vbi primùm eam Dominus conſcendit, in eaq; à cruce ſancta dominari cœpit. Nam vt omittam illa communia idola, ac dæmones, magos, diuinos, illa perpetua improborum erga probos odia: inanem Philoſophiam, quæ longè ante, quàm res noſtræ ſtetiſſent, impugnabat ea, quæ in poſterum in Eccleſia magnam fidem habitura erant, nimirum animæ immortalitatem, corporum reſurrectionem, Dei prouidentiam, ac gubernationem, rerum præſertim ſingularium. Paruane procella fuit Synagogæ Iudæorum obſtinatio, & pertinax rei Chriſtianæ expugnandæ ſtudium. Refert enim Iuſtinus Martyr, in quamcunq; prouinciam proficiſcebantur Apoſtoli, eodem duodecim præſtantiſſimos Doctores legis mitti ſolitos, qui ex lege Prophetis, & Pſalmis, ſanctos Apoſtolos in fide diſſeminanda impedirent, licet ſemper irrito conatu. Paruane procella fuit, regum ac principum terræ inaudita tyrannis, qui primum aperta vi, per omnia tormenta, omnes cruciatus, carnifices, ignes, feras, equuleos, per quadringentos propemodùm annos, decem continuis perſecutionibus, Eccleſiam ſanctam perſecuti ſunt; donec confectis tormentis, feſſis manus conciderunt. Ceſſit ferrum, ignis extinctus, cataſtæ fractæ, carnifices defatigati, ſanctis Dei canentibus: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei, num perſecutio, an gladius? Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Paruane procella fuit tot hæreſum excogitatio, quarum cultores vultu quidem & ſpecie ſe amicos profitentur; re autem ipſa peſtes, & labes nocentiſſimæ ſunt: qui per omnia perdere ſe Eccleſiæ filios arbitrabantur. Sed fruſtra, quia ſurgens Dominus imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Et vnde obſecro fluctus ad vnicam Ieſu vocem, venerunt in tantam tranquillitatem? Equidem quia omnia elementa voci diuinæ, in omnibus promptè obediunt, vt docet S. Baſilius Seleucian: orat: 22. *Modica Ieſu voce ingens elementum refrenabatur: recognoſcebat enim veterem vo-*

Clemens Romanus.

Synagoga Iudæorum per ſuos Doctores Apoſtolorū prædicationē impedire conabatur.

Eccleſia ſancta per quadringētos annos cōtinuas perſecutiones paſſa.

S. Baſil.

cem:

cem, recordabatur antiqui præcepti, nimirum congregentur aquæ in vnum locum, & appareat arida. Geneſ 1. Ita vt meritò hodiè erubeſcere debeamus, qui frequenter diuinis mandatis reſiſtimus: iubet mari, & non contemnit: præcipit ventis, & obediunt illi; ſoli homines contemnunt; cùm tamen non mediocris pudor ſit, elementa rationis expertia, mandatis Dei obedire, ſolos verò homines eadem contemnere. Oſtendam igitur, ex omnibus creaturis ſolùm homines maximè Deo inobedientes eſſe.

Geneſ. 1.

Præclarum eſt, quod de Canuto Anglorum rege memorat Saxo Grãmaticus, is circumuentus à coruis aulicis, hoc eſt, ab aſſentatoribus, qui omnia ad illius nutum euenire, dictóque parere, magno verborum artificio proclamabant, crebriuſque dicebant: *O te beatum regem, qui terræ & mari imperas.* Vt hanc impudentem aſſentationem eluderet, cunctis inſpectantibus, ſellam regiam propè maris littus, collocari præcepit. Omnibus autem rem inſolitam demirantibus, poſtquàm reſediſſet, hæc verba protulit: *Tu* inquit *mare ditionis meæ es, & ſolium in quo ſedeo eſt meum, tibi igitur impero, ne in terram meam conſcendas, neq; membra Domini tui vndis perfundas.* Sed mare ſurdum ad regis monita, fluxum ſuum concitauit, ingentiq; imbre ſinum illius, & circumſtantes aſſentatores perfudit. Tunc ſubridēs Rex eos affatus eſt: en quàm verè dicatis, omnia meo imperio parere. Quin ſciant hoc experimento omnes, qui terram incolunt, ſiue reges, ſiue inopes fuerint coloni, fragilem & impotentem eſſe Regum potentiam: vnum verò eo nomine dignum, cuius potentia omnipotens, qui imperat cœlo, terræ, & mari. Et mox diademate detracto, ac cruci impoſito, deinceps pietatis & religionis feruentiſſimus cultor extitit, inquiens: *Non mihi, ſed Chriſto dicite: hic enim Dominus cæli, & terræ, cui mare, & venti obediunt.* Solus homo tantæ inſolentiæ, & malitiæ eſt, vt Deo præcipienti reſiſtere audeat, ad eiuſq; vocem obſurdeſcat. Acceperat primus parens à Deo legem, non guſtandi de arbore ſcientiæ boni, & mali, moriturus ſi guſtaſſet; ipſe autem illius interdicto eſu, ſe cum tota poſteritate præcipitauit, & mulctæ notis conſignauit. Miſertus tamen erroris Deus, ad corrigendum properauit, accurritque non mutatione loci, ſed imagine quadam terribili, præſentiam conteſtans. Accerſiuit reum: vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei, *vbi es.* Geneſ. 3. O Domini in homines amorem! tanquàm ignarus quæſiuit, vbi Adam eſſet; Adam verò comparere noluit, quia abſconderat ſe à facie Domini Dei ſui, & receſſerat à loco ſuo. Vt ingenioſè diſcurrit Rupertus in citatum locum: *Rectè* ait *dicitur illi, vbi es: quia videlicet mouet pedem ſuum, & in loco ſuo non eſt: locus enim hominis Deus eſt, extra quem nuſquàm benè eſt.* En quanta inobedientia hominis, vt ne Dei quidem voci obedire velit, ad cuius nutum omnes creaturæ præſtò ſunt.

Canuti Anglorū Regis contra aſſētatores mira prudentia.

Deus veniens locū nō mutat.

Geneſ. 3.

Rupertus.

Conſiderate vel ipſam mortem, quæ iuxta etymologiam nominis, à morſu nomen ſuum trahit, vt potè à primo illo peccato, quod protoparentes noſtri, Adamus & Eua, morſu pomi conſciuerunt enata. Quàm fera, quàm crudelis, & implacabilis ſit, quæ ſine vllo reſpectu paruos, & magnos: fortes, & imbecilles: diuites, & pauperes: dominos, & ſeruos: Reges, & ſubditos perimit, nec eſt, qui crudelem ipſius manum poſſit effugere. Atq; hanc ob cauſam pingitur ſine oculis, vt ſignificetur eam nullius omninò perſonæ, cuiuſcunq; illa potentiæ, aut opulentiæ ſit, reſpectum habere. Non reſpicit, nec reueretur thronos Pontificum, diademata Imperatorum, coronas Regum, ſceptra Principum, mitras Ducum, purpuras, & byſſum magnatum, margaritas mulierum; ſerica, & bombycina veſtimenta diuitum. Sed æquè infeliciter tractat tàm hos, qui pretioſis, & ſplendidis hiſce indumentis ſeſe amiciunt, & exornant; atq; illos, qui vilibus, & laceris pannis veſtiuntur.

Mors à morſu dicitur.

Mors cur ſine oculis pingitur.

tur. Neq; minus audacter munitissimas arces, & magnifica opulentorum palatia ; quàm peuperum viles casas, & exigua tuguria ingreditur, iuxta illud Claudiani in raptu Proserpinæ.

Sub tua purpurei veniunt vestigia Reges,
Deposito luxu, turba cum paupere mixti,
Omnia mors æquat.

Mors cur sine auribus.

Pingitur mors sine auribus, quia ad furoris sui mitigationem, nullas preces, ac supplicationes admittit, vt agnoscant docti, & sapientes, apud surdam mortem, nihil valere suam sapientiam, scientiam, & eloquentiam. Non enim auscultat Philosophorum rationes, & argumenta ; non Iurisconsultorum, persuasiones, non oratorum facundiam, non Dialecticorum subtilitates, non elenchistarum fallacias, non Pòetarum lepores, & ornamenta. Non flectitur lachrymis fæminarum, non suspirijs afflictorum, non deniq; humilium precibus, & vanis assentatorum blanditijs, atq; adulationibus.

Mors cur sine naribus.

Pingitur sine naribus, quia lasciua mulierum, atq; iuuenum suauia odoramenta, ex zibetto, mosco, & ambra, quæ secum circumferunt, non curat, nec magni æstimat aquas suaueolentes, vnguenta summa, & acerrima suauitate condita, vestes gratissimo odore imbutas, sed omnia cum fœtore permiscet. iuxta illud Isaiæ 3. *Erit tibi pro suaui odore fœtor, & pro crispanti crine caluitium.* (Isaiæ 3.)

Mors cur nuda.

Pingitur nuda, vt demonstretur, eam non magnifacere terrenam substantiam, non diuitias, non munera, ne diuites & opulenti, spem & fiduciam suam, in amplis possessionibus, & facultatibus collocent. Non enim pecunias, non opes, non munera exigit, sed nuditate sua contenta est. Vt præclarè ait S. Bernardus. (S. Bernar.) *Non inqvit miseretur inopiæ, non veretur diuitias.* Pingitur sine pelle, sine carne, sine sanguine, quia humanæ venustatis nullam habet rationem. Non magnipendet tenerrimas carnes, & sanguinem viuacissimum. Non æstimat fucos, & figmenta muliebria, non cerussatas & pictas facies, non pellem in facie & fronte distentam. Imò quò homo corpulentior, mollior, & delicatior fuerit, eò lautius ac splendidius epulum vermibus de illo facit.

Mors quare cũ falce pingitur.

Pingitur demùm cum falce acutissima, vt palam fiat eam homines ex hoc mundo demetere, sicut messores frumenta de agris. En quàm cæca, quàm surda, quam nuda, quam deformis, quàm atrox & immanis est mors, quæ nullius rationem habet, sed omnes æqualiter irridet. Non respicit summas in terris dignitates. Vbi enim sunt tot summi Pontifices, quibus suprema ligandi, atq; soluendi potestas tradita fuit? vbi magnanimus Assuerus, magnus Alexander, Cæsar inuictus? vbi fortis Cyrus, audax Darius, superbus Xerxes, arrogans Antiochus, mitis Dauid? vbi mirabilium patrator Moyses? robustus Iosue, mansuetus Samuel, iustus Simeon? omnes implacabilis mors rapuit : quia nemini parcit. Non respicit viros doctos, & sapientes : sustulit enim argutum Pythagoram, diuinum Platonem, doctum Aristotelem, magnum legislatorem Lycurgum, eloquentem Ciceronem, Laureatum Homerum. Non respicit diuitias : rapuit enim Midam illum auro refertum, plenum thesauris, Marcum Crassum, argenti contemptorem, & auri diuitem Salomonem, congregandorum thesaurorum primum auctorem, & inuentorem Midam, opulentissimum Cræsum, ditissimum Callicratum. Non respicit inuictum robur virorum fortium : nam fortissimos quosque, & celeberrimos mundi Heròès prostrauit, Samsones fortissimos, Hectores robustissimos, Achilles inuictissimos, Hercules fortissimos interemit. Paucis multa? vnicuique toto vitæ tempore insidiatur; multos in ipso iuuentutis flore prosternit, non paucos in ipsò in hanc lucem ingressu trucidat, frequenter ipsa viscera materna ingreditur, & infantulis inibi adhuc delitescentibus, lethales ictus infligit, illosq; ante lucis huius aspectum, vitâ spoliat.

Et tamen cùm tantæ potentiæ sit mors, Deo iubenti in omnibus promptè

ptè obedit, quod facilè quisq; ex sacris literis conijciet. Sciscitabantur diligenter ex D. Paulo Corinthij de hac re. *Quomodò mortui resurgent, & in quali corpore venient?* Quibus ille respondit : *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba : canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* 1. Cor. 15. (1. Cor. 15.) Per quod manifestè ostendit, mortuos ad vnicam Christi vocem paratos esse resurgere : quia Christus Dominus quemadmodùm vitæ corporalis; ita & mortis auctor est, vt testatur ipsemet Apocal. 1. dicens : *Habeò claues mortis,* (Apocal. 1.) vbi nomine mortis, dissolutio corporis intelligitur, quod Deus tradere possit in morte, & reuocare ad vitam. Hinc de se Christus Dominus per regium vatem dicit : *Similis factus sum pellicano solitudinis.* Psalmo 101. (Psal. 101.) Quia sicut pellicani natura talis esse dicitur, vt filios rostro confossos occidat ; rursùm pectus eodem rostro sulcatum vertat in sanguinem, quo superfusi filij subitò reuiuiscant. Eodem modo inquit D. August: super citatum locum, Christus Dominus mortificat, & viuificat : nam suo sanguine Paulum occidit persecutorem, & eundem viuificauit prædicatorem. Atq; hac de causa Christus Dominus in monte Thabor, inter Moysen iam vitâ functum, & Heliam adhuc superstitem, gloriosus apparuit. Matth. 15. Vt scilicet ostenderet se mortis, & vitæ auctorem esse, qui inter mortuum, ac viuum cerneretur. Sic ingeniosè obseruat D. Chrysost: (S. Chrys.) homil. 57. *Vt* inquit *discant, quoniam mortis, & vitæ potestatem habet, propterea & Moysen, qui morte defecerat, & Heliam, qui nondùm mortem passus fuerat, in medium adducit.* Hic mihi in mentem recurrit stupenda illa Lazari resuscitatio, quam refert S. Ioan. c. 11. Mortuus erat Lazarus in ipso iuuentutis flore, cùm venustiorem ætas valida explicaret pompam, & diuturniorem promitteret vitam. Sorores ipsius ingenti mœrore affectæ, pias lachrymas fundebant, deprecabantur Christum, varijsq; obsequijs obstrictum pulsabant affectu, & ad commiserationem lachrymarum mouebant singultu. Quid tunc Christus? *Soluite inquit eum, & sinite abire.* (Ioann. 11.) Quatriduanus iam in sepulchro iacebat Lazarus, squalebat tetro fœtore putre cadauer, contribulium ac cognatorum crebrescebat concursus, nutabat sororum fides, interea Christus voce magna clamauit : *Lazare veni foras, & statim prodijt, qui fuerat mortuus.* (Ibidem.) Eccur his verbis Lazari resurrectio peracta est? an certè sine prolatis hisce verbis, nõ potuit de sepulchro prodire mortuum Lazari cadauer? potuit fateor: Christus tamen verbis vsus est, vt ostenderet mortem ad nutum suum pendere, seq; mortuum de sepulchro vnica voce, tanquàm leuiter dormientem è somno excitare posse. Sic censet D. August: tract: 49. in Ioann. (S. August.) *Lasarus inquit Domino dormiebat, hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Nam Dominus tanta cum facilitate excitabat de sepulchro, quanta tu non excitas dormientem de lecto* Ad minimum ergo nutum Christi; mors obtemperat, solus homo recalcitrat.

Quid de terra censebimus, infimo omnium elemento? eam more aliorum elementorum inanimatam esse, ratione & sensibus destitutam, ex omnibus grauissimam, & ideò infra omnia elementa, pondere suo tendentem. Huic summam stabilitatem, & immobilitatem attribuit sacra pagina Ecclesiastæ 1. (Eccles 1.) *Generatio præterit, & generatio aduenit : terra autem in æternum stat.* Vbi nomine generationis, res mundiales perpetua varietate mutabiles intelligit. Alij autem volunt terram hoc loco induci, vt quasi testis, imò quasi pædagogus ac magister, homine stabilior, constantior, ac sapientior, redarguat hominum varietatem, & rerum inconstantiam. Itaq; terra est velut stadium mouentium, & mundialium varietatum : *Terra autem in æternum stat* : id est, permanet, consistit, nec circa cœli orbes rotatur, vt sidera : neque noua generatione præterit, ac redit. De quo pulchrè Nazianz: orat: 4. (Gregorius Nazian.) *Terra* inquit *est quasi hypostasis generationum sibi succedentium :*

tium: quia his mutationibus ſubſtat, eaſq; fouet, & ſuſtentat. quare de mutationis lenocinio, ad gratiam hominum compoſito, meritò arguitur, vnde terra à Plinio ſimilis dicitur arbori, cùm ſemper retineat comam, eadem tamen folia non durant, ſed ſubnaſcentibus alijs, areſcunt vetera. Ecce tibi terra ipſa, cum ingens moles eius ſit, ſtabiliſq; in æternum maneat, quanta facilitate tractetur à Deo. Audite Iſaiam cap. 40.

Iſaiæ 40.

Qui appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera. Vbi per tres digitos, Gloſſa Interlin: intelligit poteſtatem Trinitatis. Explicatius adhuc Iob cap. 26.

Iob. 25.

Appendit inquit *terram ſuper nihilum.* Quæ verba non ſunt accipienda poſitiuè, quaſi ſuper ipſum nihilum terra appendatur; ſed negatiuè, hoc eſt; abſq; vllo fundamento, quo ſuſtenteтur. Quo pacto dicunt Philoſophi, ac Theologi, Deum ex nihilo creare, non poſitiuè, tanquàm ex cauſa materiali; ſed negatiuè, hoc eſt, nullo præuio ſubiecto. En quàm facilè inanimata elementa Deo obediunt, vt ad vnicum ipſius *fiat*, de nihilo facta prodierint, vt ingens terræ moles, vnico eius digito ſuſtineri poſſit, cùm tamen ad hominem attrahendum, nè integra aliquando manus ſufficiat. O quot prodigijs, & plagis ſuperbꝰ Pharao tractus, ſemper tamen Deo rebellis? Quot miraculis Herodes, Pilatus, & Iudæi, à Chriſto ad veritatē agnoſcendam ſtimulati, in ſua nihilominùs obſtinatione permanſere? quia non eſt in creaturis, qui Deo vocanti, & aliquid iubenti magis reſiſtat, quàm homo, qui facillimè quouis trahitur ad humana; difficillimè verò ad diuina allicitur.

Ea quippè eſt hominibus vitiorum veluti innata libido, is rerum caducarum cupiditatis pruritus, pronusꝰ adeò in præterlabentia affectus, vt vel leuiſſimo excitatus flatu inardeſcat. Non præcepto, non conſilio egent mortales, vt nocitura, aut ſaltim parum profutura diſcupiant: ſatis eſt nutu, vt annuant, vt incitantibus promptiſſimè obediant. At verò veritatem ægriùs amplectuntur: quia ingenij peruerſitas honeſtate deterretur; voluptate autem aut emolumento allicitur. Cuius rei frequentia documenta in ſacris literis occurrunt: dùm enim Axa nuptiali pompa ſponſi traduceretur ad domicilium, ſuſpirauit, fuſiſque lachrymis exorauit patrem, & vt interpretes teſtantur, ab ipſo equo ſeſe ad terram demiſit: *Suſpirauit, vt ſedebat in aſino.* Ioſue 15.

Ioſue 15.

Et quæ obſecro huius ſuſpirij, ac lamenti cauſa fuit? Reſpondet ſacra pagina, virum ſuum hoc illi conſilium dediſſe: *Quæ, cùm pergerent ſimul,* inquit textus, *ſuaſa eſt à viro ſuo, vt peteret à Patre ſuo agrum, ſuſpirauitq́, vt ſedebat in aſino.* Et qualis fuit ſuſpiriorum ſcopus? audite: interrogauit eam Caleb ſuus pater · *Quid habes?* cui illa reſpondit: *da mihi benedictionem: terram auſtralem, & arentem dediſti mihi; iunge & irriguam.* En quo collimârunt ſuſpiria, en quid perſuaſum Axæ à viro, nondum ſi dici poteſt marito, idq; non importunis precibus, ſed curſim & in itinere. Lyranus ſcribit: *Lapſa eſt deſuper aſinum, quia ſubitò, voluntariè tamen, deſcendit de aſino, vt poneret ſe ad pedes patris ſui, vt ſic faciliùs impetraret.*

Lyranus.

vtique feminis innatus eſt celſitudinisꝰ appetitus, vt potè quæ circumferant Euam; & tamen Axa non ægrè tulit nuptialem intermittere pompam, & ſuadenti parere viro. Videte quàm facilè mulier ad petendum agrum fuerit ſuaſa; videte pariter quàm ægrè perſuaderi à cœleſti ſponſo anima fidelis patiatur.

Aduerterat quondā cœleſtis ſponſus, ſponſæ ſuæ amore illectus, quin montium impedierint prærupta, quin ſopierit ardorem rigoris offenſa, quin pruinarum morata fuerit iniurias. Eiuſq; cubiculum accedens blandè vocauit, amatorijs verbis ſolicitauit: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cantic. 5. O quàm duri hi labores.

Cantic. 5.

dulces demerebantur affectus! Quid verò illa? inciuilis renuit, & cauſas

friuolas allegauit: *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodò induar illa?* Hæccine eſt muliebris polities? ſponſam ornari, renuere à ſponſo blandiſſimè illectam, cùm Axa filia Caleb etiam nuptialem pompam facilè omiſerit, à viro Suaſa. Ne miremini: hoc ſemper feminis de more facillimum eſt, illud ſummè arduum. Quia ergo ſponſa ſuadebetur ſpiritualia ſequi, Deum hoſpitio recipere, ideò cunctanter egit; Axa verò; quia temporalibus ſuaſa eſt inhiare: *Iunge & irriguum.* promptè obediuit: Nam ad temporalia ſectanda, leui homines perſuaſione mouentur; ad ſpiritualia verò etiā prolixas preces morantur. Sponſa itaq; noluit lectum ne ad tantillum relinquere: quia in rebus ſpiritualibus exercendis, etiam minima videntur eſſe aſpera; Axa verò etiam nuptialem pompam deſeruit, quia temporale commodum quæſiuit: *Lapſa eſt deſuper aſinum, quia ſubitò, voluntariè tamen, deſcendit de aſino, vt poneret ſe ad pedes patris ſui, vt ſic facilius impetraret.*

Homines ad temporalia ſectāda facilè mouētur, ad ſpiritualia verò difficile.

Sed quid muliebri exemplo in re tanti momenti vtor, cùm etiam virorum, & quidem ſanctitate illuſtrium non deſint? Apparuerat Chriſtus Dominus inferni, mortiſq; deſtructor, poſt ſuam reſurrectionem diſcipulis, illiſq; ad metu trepidantibus lucis ſuæ candorem impertijt. Solus Thomas tunc aberat, quem cæteri diſcipuli ad fidei meritum, ad lætitiæ partem trahere felici nuntio conabantur: *Dixerunt ergo ei alij diſcipuli. vidimus Dominum,* Ioann. 20.

Ioan. 20.

Quibus ille duriuſculè reſpondit: *Niſi videro in manibus eius figuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Res ſtupenda? Renuit Thomas tot diſcipulorum amplecti ſententiam, imò ſi fas eſt dicere: duram aduerſùs illorum credulitatem tulit cenſuram, & nullatenùs perſuaderi Petri iudicio, ac reliquorum aſſenſu paſſus eſt. Et tamen poſtea Petrum ad mare Tyberiadis piſcatum euntem, etiam non vocatus vltrò ſecutus eſt. *Erant ſimul Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galileæ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus vado piſcari: dicunt ei: venimus & nos tecum.* Ioann. 21.

Ioan. 21.

Inquirite, cur alibi Thomas paſſus non fuerit perſuaderi ſententiâ Petri, hic verò eiusꝰ ſententiæ nullatenus refragetur, ſed ſine cunctatione probet decretum, ſequatur veſtigium, contendatque ad piſcationis negotium. Si enim idem Petrus, ſi idem Thomas vtrobiq; fuit, cur alibi Chriſtum reſurrexiſſe aſſerenti credere noluit; alibi verò ad piſcationem euntem ſecutus ſit. Equidem diſcrimen peperit rerum differentia: alibi enim ad credendum alliciebatur diuina; alibi verò ad lucra ſectanda humana. Quia ergo facilè ad caduca trahimur, & difficulter ad honeſta mouemur, ideò Thomas Petrum comitatus eſt ad mare, & à Petri fide reſilijt. Non traxit Petrus credens ad fidelitatis obſequium; ſed piſcator traxit ad maris fluctum: renuit Thomas credere, non renuit piſcari: comitatus eſt Petrum ad caduca, refragatus ad honeſta. Quod pulchrè elucidat Chryſologus ſerm: 78. in perſona Chriſti loquens: *Pueri nunquid pulmentarium habetis? ibi erat Petrus, qui negauerat, Thomas qui dubitauerat, Ioannes qui fugerat.* hoc eſt, ibi erat Thomas cum alijs diſcipulis piſcantibꝰ, qui renuerat annumerari credentibus, vt agnoſcas, quàm facilè tractus fuerit ad incertum piſcationis emolumentum, qui trahi non patiebatur, ad certiſſimum reſurrectionisꝰ iudicium. O quot hiſce temporibꝰ ad diuinæ contemplationis otium, ad quærendum ſupernæ gratiæ lucrum, ad lucroſum charitatis commercium, trahi non patiuntur etiam importuniſſimis precibus; cùm tamen ad epulas, ad ſpectacula, ad libidinis negotia, ad momentanearum voluptatum deliria, ſine moleſtis precibusꝰ vltrò excurrant.

Chryſol.

Quid de lapidibus, (qui ob nimiā grauitatem, minimè idonei videntur ad iuſſa peragenda) loquar? & hi ſi-

ne dubio promptiores sunt ad obediendum Deo, quam homines. Cuius rei certum sumite documentum ex sacra Scriptura. Pessimus Ieroboam, crudelis in Deum, & in homines, qui à Deo factus Rex, ita ingratus extitit, vt vniuersum Israël à Deo segregaret, & ad idola conuerteret. Et licet ob hoc vltimis dignus esset supplicijs, antequam tamen Deus ad vindictam descenderet, prius illum de cælo admonuit, tum oraculo Prophetæ concionantis, tum miraculo altaris subitò fatiscentis. Cum enim munus sacerdotale, sibi per summum sacrilegium vsurpare non vereretur, protinùs sacrificante illo, quasi volans ad eum ex præcepto Domini, venit Prophetes Dei, cui astanti super altare, & thus incendenti, sic cominatus est. *Altare, altare, hæc dicit Dominus, ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* 3. Regum 13. Statimque præbens signum huius rei addidit: *Hoc erit signum, quod locutus est Dominus, ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est.* Quod licet lapideum, imò marmoreum esset; illud tamen Prophetæ tonitruum non ferens, illicò *scissum est, & effusus est cinis de altari.* Videte, quanta promptitudine, & facilitate lapides iussa Dei exequantur, ad quorum adimpletionem, homines lapidibus duriores fiunt. Quid enim Ieroboam à viro Dei, tanta dicendi vi ob idololatriam increpatus, tamq; certis signis, ac prodigijs, ea omnia, quæ dixerat Propheta, firmari videns? Destititne à sacrilega audacia? Imò verò sacrilegium sacrilegio cumulauit: nam audiens sermonem hominis Dei. *Extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum.* Proinde, & sacerdotium retinuit, & Prophetæ exitium tentauit: cumq; alteram manum à thuribulo sibi indebito non auerteret, alteram in Prophetam innocentem violenter inijceret, vtramq; duplici sacrilegio inquinauit. Et sic tantùm abfuit, vt ex illa pœna emendaret culpam, vt potiùs eandem duplicaret. Quid tandem? cœpit Deus Ieroboamum lentè punire: quia in vna tantùm manu, siquidem ad illud altare, in quo pessimus Princeps sacrificalem operam impendebat, ferox illius dextera aduersus Prophetam extenta exaruit. Quam tanquàm paralysi correptam sibi obstupescere, & exarescere agnoscens, ab ira quidem deferbuit, à furore resedit, a superbia detumuit, & ad humiles preces conuolauit. *Deprecare* inquit, *faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi,* 3. Reg. 13. Vbi vides eum nihil ad suum sacrilegium, sed tantùm ad suum supplicium commoueri, neq; pro delenda culpa, sed pro auertenda pæna deprecari. Vt ingeniosè obseruat Theodor. q. 42. super citatum locum. *Id* ait, *quod accidit altari, eum non stupefecit, sed id, quod manui, valdè anxit: cùm autem esset valdè stultus, supplex rogauit Prophetam, vt sibi peteret, non sceleris remissionem, sed manus curationem.* En, quanta durities humana ad obediendum Deo, ipsis lapidibus durior! Impius Ieroboam duplici flagro diuinitùs percussus fuerat, videlicet arescente manu, & altari fatiscente; & tamen non resilijt ab insania, non abstinuit à sacrilegio; imò sacrilegia, & quidem grauiora multiplicauit. Antea enim solus ipse sibi sacerdotale munus vsurpauerat; postea verò illud plurimis alijs, etiam infimis, & perditissimis hominibus delegauit, dicente sacra pagina: Post verba hæc, non est reuersus Ieroboam de via sua pessima, sed à contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum. *Quicunq; volebat, implebat manum suam.* hoc est ipsius Regis: *& fiebat sacerdos.* Quoniam vt interpretatur Lyranus, Rex vendebat sacerdotium: & qui ei manum non modico, sed copioso pretio implebat, sacerdotium ab eo reportabat.

Ieroboam populũ Dei ad cultum idolorum induxit.

3. Reg. 13.

Ibidem.

3. Reg. 13.

Theodor.

Ieroboam sacerdotia vendebat.

Ibidem vt supra.

Audistis iam, quòd homo ex omnibus creaturis, maximè sit Deo inobediens: mors, terra, lapides, & cætera inanimata, ad nutum DEI omnia faciunt, solus homo, nec monitis, nec miraculis, à suis peruersis actionibus retrahitur. Igitur ne ipsa nos aliquando elementa, in die iudicij condemnent, studeamus totis viribus Deo in omnibus obedire, Am.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

CONCIO PRIMA.

Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem. *Matth. 13.*

Christus in regno suo probos cum improbis, & incredulos cum fidelibus patitur, propter eorum conuersionem.

ETiam inter asperam hiemem regnum Christi nescit sterilitatem pati, sed licet minus clementi syderum aspectu foueatur, prematur grauioribus cælorum iniurijs, & spirante gelido Aquilone terræ viscera fortius constringantur, in magnam tamen fæcunditatem exundat, quando & niuibus cooperta tellus purpurascentes rosas germinat, candida lilia producit, cœlesti candore rutilantes rosas gignit, & desolatam humum nunc aureis, nunc luteis floribus depingit, quorum grato spectaculo pascuntur oculi, & odoris suauitate, qui longè lateq; spargitur, complentur mortalium nares. Et vnde obsecro tàm ferale solum in Christi regno? vtiq; omnes terreni patres familias, licet in excolendo agro suo perpetuò laborent; fructus tamen non nisi alternis vicibus colligunt, quia si eis terra semper parturiret segetes, dubio procul eneruata omnem germinandi virtutem citò amitteret. Vnde inquam tanta vis in regno Christi fructificandi? vt neque brumali tempore terra eius desistat parturire: cùm vtique in mundo oppositum videamus euenire: vbi nisi clementior solis calor tepefecerit terras, & quodammodò radijs suis fouerit, non potest germinare terra. Vt propterea gentes plurimæ diuinum honorem deputauerint Soli, quòd ille virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaq; foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Num fortè ideo, vt hoc facto facessat vana hominum opinio, & grauissimus gentium error confundatur, qui solem authorem nascentium esse voluit. Non enim Sol, sed Dei clementia terram relaxat: Dei prouidentia prorumpere facit omnes fructus, in cuius veritatis comprobationem, prudentissimus mundi opifex, antequàm solis fieret luminare, terram, herbas virentes parturire imperauit. Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem.* Nunquam proinde in Christi regno fructus recentes deficiunt, quia terra eius ipsummet Christum cultorem vigilantissimum habet. Vt fatetur ipsemet per Prophetam Ps. 49. *Et species agri mecum est.* quasi diceret: vbertas omnium in terra gignentium ex mea operatione procedit. vt exponit August: in eundem Psalmum. Considerabimus igitur, quo artificio cœlestis iste pater familias, regnum suum administret, & terram eius excolat, atq; rationem inquiremus, quare Dei filius in regno suo vtraq; crescere permittit, scilicet cum vtilibus lethalia & perniciosa, cùm tritico zizania.

Genes. 1.

Psalm. 49.

Christum Dominum non habuisse in terris vllum temporale regnum, plurimi Doctores opinantur, quòd duplici potissimùm ratione deducunt: Inprimis ex eo, quia regnum temporale cum diuitiarum abundantiâ, satellitum præsidio, atque externo apparatu coniunctum esse debet; quibus

bus tamen omnibus Christus cùm inter homines conuersaretur, caruit: nam omnimodam paupertatem amplexus erat, vt fatetur de seipso apud Prophetam Psal. 68. *Ego sum pauper & dolens.* Proinde quia voluntariè non tantùm vsum rerum, sed etiam dominium abnegauerat, nullam diuitiarum affluentiam habuit, consequenterque nec regnum: nam paupertas non Regem maiestatis plenum, sed hominem reddit contemptibilem, vt præclarè cecinit Poëta Iuuenalis.

Psal. 68.

Iuuenalis.

Quid enim maiore cachinno,
Quam miser excipitur vulgo.

Quod & ipsamet sacra Scriptura efficaciùs multò comprobat. Nam Ecclesiastici 9. n. 16. dicit Salomon. *Sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita;* diuitis autem sermonem, licet alias imprudentis, vniuersus populus, tanquam oraculum aliquod admiratur, dicente scripturâ Ecclesiast: 13. n. 28. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsq; ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt, quis est hic?* Si ergo Reges turpe est ludibrio, & contemptui populi ob paupertatem exponi, igitur & ipsum Christum, vt se ostenderet regnum aliquod habere, decuit affluere rerum copiâ, & nullâ inopiâ laborare. Præterea, deficit Christo famulantium caterua, nam sola Virgine & Iosepho comitantibus, in Ægyptum peragrabat, idq; alieno insidens iumento, eò quòd proprium non haberet Matth. 21. n. 2. attestante id Apostolo. Deniq; defuit illi externus vestium apparatus, quia vnica tantùm veste inconsutili, quam ei Mater sua, à pueritia præparauerat, vsq; ad mortem induebatur. Quid ergo cum tam eximia paupertate, regia potestas temporalis commercij potuit habere?

Eccl. 9.

Matth. 21.

Alterâ ratione conuincunt Christum non habuisse regnum temporale, quia vel illud haberet Iure donationis, vel iure successionis, vel electionis, vel deniq; occupationis per iustum bellum. At neutro ex his modo: non enim titulo donationis, quia nullus hominum potuit Christo dare ius in totum mundum: cum tale quoq; ius nemo haberet. Non etiam titulo successionis, quia nullus ex progenitoribus Christi fuit Rex totius mundi; proinde & Christus nulli potuit in tale regnum succedere. Non insuper titulo electionis, quia saltim moraliter loquendo, impossibile erat, pro dominio totius vniuersi in Christum Dominum transferendo, fieri electionem: oportet etenim, vt totus ad hanc electionem orbis conueniret, quod nec potuisse fieri, nec de facto fuisse alicubi exstat. Non denique titulo iustæ occupationis, per externum & militare bellum, quia talis assequendi regni modus Christum non decebat, cùm esset Princeps pacis, nec vlla secum deferret sanguinolenta arma. nisi fortè solo aspectus decore pro horrore armorum, vagitu infantili, pro classico clangore vti voluisset. Sed talibus non regnum terrenum, sed sola hominis anima expugnari & in salutem æternam occupari potest. Non ergo videtur Christum Dominum vllum in terris regnum habuisse. Verùm litem dirimit hodiernum Euangelium, dum regnum cælorum, homini seminanti, id est Christo, comparat: si enim regnum illi simile est, igitur Rex esse debet: cui enim magnificentia regni, nisi regi assimilari potest?

Et reuera malè cessit Iudæis, Christo regnum terrenum denegantibus, Ioann. 19. num. 21. *Nolite scribere Rex Iudæorum.* Nam propterea, quòd illum regem habere nollent, cuius admiranda diuinitatis fragrantiâ, & humanitatis odore totus mundus impletur, grauissimo fœtore corporali puniti sunt Iudæi (vt docet Carthagena tomo 1. lib. 5. hom. 21.) vbi dicit, propterea quòd Iudæi ad Christum regem suum spernendum & vilipendendum assurrexerint, diuinam iram ita in eos exarsisse, vt in tolerabilem eorum corporibus fœtorem inderet, vt nomen fœtentium consequerentur. In cuius rei comprobationem, Ammianus, Marcellinus, lib. 2. de Mario

Ioan. 19.

Carthag.

Cur Iudæi fœtent.

Imperatore scribit, quòd cum ille in Palæstinam transiret, Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum & tumultuantium circa se tædio percitus, dolenter exclamauerit, *ò Marcomani! ò Quadrij! ò Sarmatæ! tandem, alios vobis deteriores inueni.* Quod magis adhuc illustrat Cæsarius, venerandæ pietatis & reconditæ doctrinæ Auctor, Ordinis Cister. l. 2. miraculor seu Histor. Mirabil. c. 26. qui ante quadringentos fermè annos refert contigisse, quòd veniente quodam Iudæo cum suis amicis & cognatis ad Monasterium, in quo filia eius illo inuito Christianæ militiæ nomen dederat, vt eam inde educeret, tunc virgo illorum aduentûs alioquin ignara, sentire cæpit fœtorem magnum, adeoque intolerabilem, vt audientibus cunctis in hunc modum verba protulerit: *Nescio quid sit, fœtor Iudaicus me grauat.* Qua id loquente, & Iudæis interim ianuam pulsantibus, Abbatissa illi dixit, Catharina (quia hoc nomen in baptismo acceperat) parentes tui cupiunt te videre, cui illa statim respondit: *Ecce iste est fœtor, quem sensi, non videbo illos.* Quamdiu ergo Iudæi Christum Regem venturum sperabant, tamdiu erant ita odoriferi, vt Oseas suauecolentibus lilijs eos comparauerit Oseæ 14. *Israël germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.* Verùm, postquàm Christum in terras venientem Regem habere noluerunt, totus ille odor, post immaturæ mortis Christi patratum scelus, conuersus est in fœtorem horrendum, ita vt in eis illud Isaiæ impleretur. *Et pro suaui odore fœtor.*

Ammian. Marcell.

Cæsarius.

Oseæ 14.

Duplex autem regnum Christus habet, spirituale, quod ad saluandas hominum animas pertinet, & hoc regnum secundùm diuinitatem suam habuit ab æterno, quia cùm ab æterno accepisset essentiam ex Deo patre, simul etiam omne regnum accepit, iuxta illud: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Secundùm humanitatem verò accepit illud, non ab hominibus, sed à Deo Patre in tempore, iuxta illud 1. Reg. c. 2. *Dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi.* Alterum regnum Christus habet temporale in omnes creaturas, sed excellentiùs multò & eminentius; quàm singuli Reges terreni, sic docet D. Anton. 3. parte, titulo 3. cap. 2. Almian. in tract: de potestate Ecclesiastica cap. 3. Turrecremata lib. 2. sum. cap. 116. Aragon. 2. 2. quæst. 67. art. 1. §. *Cæterum.* quod probatur ex ipsius Christi verbis, qui Matth. 28. n. 18. de seipso dicit: *Data est mihi omnis potestas, in cælo & in terra.* Vbi signum illud *omnis* distribuit potestatem Christi per omnes species potestatis, sub potestate in communi contentas; & cùm potestatis vt sic, duæ tantùm sunt species, spiritualis nempè, & temporalis, consequens est, quòd si Christus dicit omnem sibi potestatem datam, eò ipso affirmat & spiritualem & temporalem sibi potestatem diuinitùs concessam: qui enim dicit omnem, nullam excludit. Deinde eadem veritas deducitur ex illo Prouerb. 8. vbi Christus de seipso dicit: *Per me Reges regnant.* si ergo per Christum omnes mundi Reges regnant, igitur Christus excellentissimo & eminentissimo modo, est omnium regnorum Rex. Quod certè nascente statim Christo, optimus licet gentilium Augustus Cæsar agnouit, qui tanquàm Christi vicarius, licet alias tanti mysterij ignarus, imperauerat, vt totus orbis describeretur, non tàm sibi; quàm Christo nato seruiturus: animo tandem diuino magis; quàm humano consilio inductus voluerat, ne quis eum deinceps Dominum appellaret, vt refert Suetonius in Octauio cap. 53. cuius facti multiplicem causam allegat Suetonius citatus, & Tertull. in Apolog. cap. 34. & Philo Hebræus, de legatione ad Caium, scilicet, vt propriam arrogantiam fugeret, tùm vt populi beneuolentiam sibi conciliaret: tum vt ciuium odium euitaret; tum vt pietatem (vtinam non adulterinam) redoleret: tum denique vt voces adulatorias respuendo, sincerus veritatis amator videretur. Sed illa

Psalm. 2.

1. Reg. 2.

S. Anton. Almianus. Tertullian. Aragon.

Matth. 8.

Prou. 8.

Suetonius. Tertull. Philo Heb.

Augustus Cæsar cur renascente Christo Dominum vocari prohibuit.

S.Thomas Orosius. Pelagius.

illa eſt omnium potiſſima ratio, quam D. Thomas lib. 3. de regimine principum, cap. 12. Oroſius lib. 6. c. 18. Pelagius lib. 1. de planctu Eccleſiæ, cap. 40. referunt, qui dicunt, huic Cæſari oſtenſum fuiſſe à Tyburtina

Sibylla Tyburtina.

Sibylla pulcherrimum in cælo infantulum, auguſtiore formâ; quàm humanâ præcellentem, & in ſinu caſtiſſimæ virginis æque ac ſplendidiſſimæ recubantem, qui ſolus ac verus Dominus diceretur. Cuius ſpectaculi nouitate ac dignitate, non mediocriter commotus Cæſar, negauit ſe vlteriùs Dominum appellandum, vt verò dominatori ſuo, cederet dominatu, certè vel vnicus iſte gentilium Monarcha, innumeros Catholicorum Principes, immò etiam minores perſonas in die iudicij confundet, quibus licet meliùs cæleſte lumen fidei affulſit, & licet Chriſtum eſſe ſuum Regem non ignorent; ne tamen digitum de ſuo arroganti faſtu recedere volunt.

Deniq; illud ad illuſtrandum hanc rem poteſt addi teſtimonium ex ſacris literis, quòd Chriſtus Pilato interroganti, an eſſet Rex Iudæorum, annuit ter ſuum regnum nominando? primò, cùm dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, deinde cùm inquit: *ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum.* tertiò tandem, quandò ſubiunxit: *Regnum meum non eſt hinc.* in quibus verbis manifeſtè declarauit, ſe regem eſſe: adeò, vt benè Pilatus inferret: *Ergo rex es tu?* cui conſenſit Chriſtus reſpondens: *Tu dicis, quia Rex ſum ego.*

Ioann. 18.

Ioann. 18. Et quoniam Pilatus non de alio regno Chriſtum interrogabat, quàm de temporali & proprio, quale cæteri reges habuerant, quia hoc ſibi vſurpare accuſabatur Chriſtus, & de hoc ſollicitus erat Pilatus, ne quid de Cæſaris poteſtate minueretur, ideò Chriſtus ad mentem iudicis reſpondens ſe regem eſſe, declarauit etiam temporalem, qualem inquirebat Pilatus. Propter quod fortaſſè vſus fuit illa affirmatione, *Iudicis*: quaſi diceret: quale regnum de me inquiris, tale habeo. Habet ergo Chriſtus Dominus regnum & temporale: *ipſius enim eſt orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.*

Pſalm. 13.

Vnde omnis poteſtas regnandi in terrenos principes, ab illo deriuatur. Habet & regnum ſpirituale, in quo potiſſimùm ſalutem animarum noſtrarum intendit, quod quia in Eccleſia ſancta, & populo fidei principaliter obeat, idcirco regnum hoc Chriſti Eccleſiæ, nunquam ſterile manet; ſed & æſtate, & hieme, & vere, & Autumno fructus dulciſſimos diuinæ gloriæ parturit, & immarceſcibiles virtutum garminat flores.

Duplici potiſſimùm modo omne regnum feliciùs auſpicari, fortiùs roborari, clementiâ ſcilicet & Patientiâ, docuit inprimis ſuo exemplo Rex Dauid, qui licet necem Abner à Ioab, & Abiſai fraude doloque patratam, indigniſſimè tulerit; non tamen homicidas illos ſtatim puniuit, ſed aliquantùm diſſimulans punitionem tanti ſceleris in aliud tempus diſtulit, quia recenter creatus Rex, manſuetudine potiùs & patientiâ; quàm puniendi ſeueritate regni ſui exordia ſtabilire debuit, hanc enim rationem ipſemet ſuis domeſticis indicauerat, ne tamen ſcelus impunitum videntes, ſiniſtram de Regis iuſtitiâ opinionem conciperent. *Ego* inquit *adhuc delicatus & vnctus Rex porrò viri iſti filij Saruiæ duri ſunt mihi.* 2. Reg. 3. n. 39.

2. Reg. 3.

quaſi diceret: ne putetis me tanti ſceleris conſortem eſſe, quia non ſtatim me vltorem exhibeo: alia enim diſſimulandi cauſa eſt, nam filij iſti Saruiæ duri ſunt præ me, hoc eſt plus potentiæ & authoritatis in regno obtinent, quàm ego; qui tenerrimæ inſtar plantulæ modo regnare cæpi. Vnde Eleganter D. Iſidorus lib. ſent: cap. 50. *Plerumq;* inquit *Princeps iuſtus, etiam malorum errores diſſimulare nouit, non quòd iniquitati eorum conſentiat, ſed quòd aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire.*

S. Iſidor.

Quemadmodùm Rex Dauid conuitia Semei petulanter ſibi in faciem irrogata, non ſolùm patienter tulit, verùm etiam Abiſai illum ad vindictam impellentem,

2. Reg. 19.

tem, acriter reprehendit. *Quid mihi* inquit *& vobis filij Saruiæ, cur efficimini mihi hodiè in Satan: Ergone hodiè interficietur vir in Iſraël.* 2. Reg. 18. num. 22. Quaſi dicat, minimè: rationemq; ſtatim reddit, quare à punitione abſtineat. *An ignoro* inquit *me hodiè factum Regem ſuper Iſraël.* Quaſi diceret, non ignoro me tanto hodie periculo ereptum, vt vitam veluti, & regnum denuò à Deo accepiſſem, proinde beneficijs potiùs, quàm ſupplicijs; indulgentiâ, quàm ſæuitiâ me in regno ſtabiliendum. Quod ipſum euidentiſſimè docuit grauiſſimus Seneca, lib. 1. de Clementia.

Seneca.

Regibus inquit *certior eſt ex manſuetudine ſecuritas, quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* & paulo inferiùs eodem libro concludit:

Idem.

Clementia ergo non tantùm honeſtiores, ſed tutiores præſtat, ornamentumq; imperiorum eſt, ſimul certiſſima laus.

Et reuera meritò in paremiam abit: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* quod in Roboam filio Salomonis Dauidiſq; nepotè palam innotuit, qui in ipſo regni veſtibulo, nouis tributis populum grauans, duriuſq; & aſperiùs tractans, ita ciuium animos exulcerauit, vt ad defectionem eos impelleret. Nam inde factum erat, vt regnum omni patientiâ partum, & parentis ſapientiâ conſeruatum, ſtultus filius ſeueruſque Roboam, magna ex parte amitteret. Quia onera eius non ferentes decem tribus Iſraël, ab illius ſubiectione & obedientia ſeſe exemêre. 2. Paralyp. 10.

2. Par. 10.

Non eſt inquit *nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Iſai. Reuertere in tabernacula tua Iſraël.* Quod expendens D. Bernard. dùm ſcriberet ad ſuum Eugenium nuper ad ſummum Pontificatum euectum, hoc vnum illum monuit, ne nimium eſſet exactus in puniendo.

S. Bernar.

Pauca inquit *caſtiges, multa diſſimules.* & meritò: ita enim fit, vt non ſolùm Princeps populos ſibi ſpontè ſubditos obſequentiores habeat; ſed etiam dubios & ſuſpectos, immò & aduerſos fidentiores faciat, quod illuſtri exemplo docuit Fabius ille cognomento Maximus, cuius non dimicare, vincere fuit. is cùm præcipuè fortitudinis militem dubia fide ſuſpectum in caſtris haberet, ſuſpicionem ſuam diſſimulauit, immò illum plenè pro tribunali laudando, omniq; genere honoris proſequendo, animam ſuam à pænis ad Romanos reuocare coëgit, teſte Valerio Maximo lib. 2. cap. 3. num. 7.

Valerius Max.

Et quid aliud oro cauſæ eſt, quod tot Romanis Imperatoribus ferro interemptis, venenoque clandeſtino à ciuibus ſublatis, ſolus Auguſtus quadraginta & amplius annos imperium ſumma pace & felicitate potitus, regnaret? quia duabus hiſce virtutibus, clementiâ, & patientiâ, ita ſibi ciuium animos conciliauerat, vt etiam inimicos vitæ ſuæ inſidiantes, ad amorem amicitiamq; compulerit. Nam Cinnæ viro primario ſibi inſidias necemq; paranti, non ſolùm pepercit; ſed inſuper conſulem creauit: quibus ita fidum ſibi reddidit amicum, vt moriens non alium, quam Auguſtum (cuius antea hoſtis erat capitaliſſimus) bonorum omnium hæredem inſtituerit, teſte Seneca libro de clementia ad Neronem cap. 10. Vbi hortatur Neronem ad imitandam hanc Cæſaris clementiam.

Seneca.

Ignouit inquit *Abauus tuus victis, nam ſi non ignouiſſet, quibus imperaret? Salluſtium & Coccæios & Drullos, & totam cohortem primam interioris admiſſionis ex aduerſariorum caſtris conſcripſit. Nam Domitios, Meſſalas, Aſinios, Cicerones, & quicquid floris in ciuitate erat, clementiæ ſuæ debebat. Hæc eum clementia ad ſalutem ſecuritatemq; perduxit. Hæc gratũ & fauorabilem reddidit. Hæc hodiè vſq; præſtat illi famam, quæ vix viuis principibus ſeruit,*

Quodſi Romanum imperium clementiâ & patientiâ Auguſti dilatatum, diuturnum floruit: nonne ideo pariter & orbis Chriſtianus, atq; vniuerſa fidelium Eccleſia, toto mundo dilatata, inter ipſos hoſtium inſultus, ſecurè conſeruata floret? quia regia Chriſti ſupremi Principis clementiâ & patientiâ gubernatur. Nam etiam grauiſſima opprobria & perſequentium cala-

um calumnias, non furore repentino vlcisci, sed animo Rege digno dissimulare nouit. paruane erat Christi contumelia, quando Nathana in lege peritus, dùm contra manifestam scripturarum veritatem, negabat Christum à Nazareth prodeuntem, & in Bethleem natum Deum esse, audi-
Ioann. 1. ens à Philippo illud Ioan. 1. n. 45. *Quem scripsit Moyses & Prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*, qui inquam hoc audiens non solùm igno-
Ibidem n. 46. ranter reiecit, sed etiam vt rem risu dignam contempsit. *A Nazareth* inquit *potest aliquid boni esse?* n. 46. ibidem. quasi diceret: absit vt à Nazareth tàm vili humiliq; oppido Galileæ, bonum aliquod prodire censeam, nedum supremum, quale est Messias. quem tamen Dominus non se-
Ibid. n. 48. uerè arguens, sed benignè inspiciens. *Ecce* inquit *Israëlita in quo dolus non est*. ibidem n. 48. cui Nathanaél, quasi nouo illo encomio turbatus: *Vnde* inquit *me nosti?* & Dominus ad eum: *Priusquàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te*. Quibus auditis Nathanaél continuò, fide plenus exclamare cæpit: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël*. At vnde tàm repentina mutatio in illo legis Doctore? vnde subodoratus est Christum esse Regem, Messiam, Dei filium? certè ex eo, quòd non plebeium, sed regium animum in Christo videret, & clementiam summo principe dignam spectaret. Hanc admirandam Christi clementiam in administrando terreno regno, optimè va-
Psal. 44. ticinatus est Regius vates. Psal. 44. inquiens: *Speciè tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna*. hoc est: vt exponit Rufinus in commentario huius loci, super Psal. 24.
Rufinus. *Specie gloriæ & clementiæ tuæ, intende ad multiplicandos fidei tuæ filios. Procede de vna gente ad aliam, & regna in acquisitis secundùm bonos mores & virtutes. Proinde inquam quousq; signum clementiæ tuæ, scilicet; signum crucis perueniat*. Nam eo vsque Christi regnum peruenit quo crucis hasta sese extendit. Quin immò, & ipse Christus

A hanc suam in regnando clementiam egregia metaphora significauit, Psalmo 107. inquiens? *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt*. Psal. 117.

Quorum verborum duplex sensus est. Primus, vt calceamentum significet idem, quod possessio; quia possessio idem est, quod pedum positio, quâ locorum possessiones sumuntur, vnde proijcere à se calceamentum, idem erat in lege veteri, quod cedere iuri alicuius possessionis, vt habetur
B Ruth. 4. Quando ergo Christus dicit. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, idem est, ac si diceret: *In omnes gentes extendam dominium meum*, per Idumæam enim omnia gentilium regna intelliguntur, vt in commentario illius loci obseruant, Hieronymus & Gregorius Secundus, sensus magis proposito nostro consentaneus est, quem tradunt Nazian. oratione in S. Luc: Augustin: Psal. 59. Basil. Psal. 62. Eucherius libro de formis. Hugo Psal. 59. & Rupertus in
C cap Ioan. 1. qui omnes per calceamentum, intelligunt sacram Christi humanitatem, quâ velut calceata erat diuina maiestas. vnde D. Gregorius Nazian. hom. 7. in Euang. & Ambrosius de instituto virginum cap. 14. verba illa Ioan. *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius*, de Christi humanitate verbo vnita explicant, probantes id metaphorâ satis congruâ, tum quia sicut intra calceum latet pes; ita sub sacra illa humanitate, verbi diuinitas delitesce-
D bat, vt meritò dixerit admirabundus Propheta Isaiæ 45. *Verè tu es Deus absconditus*, tum etiam, quia sicut calceus fit ex emortui animalis pelle, ita mortalis Christi humanitas, innumeris fuit percussa doloribus, & innumeris laboribus, immò, & clauorum ictibus in ligno crucis concussa, atq; emortua facta. Proinde quando Christus dicit: *In Idumæam extendam calceamentum meum*: tunc pollicetur se in possessionem gentium mediante sua humanitate, tanquàm regiæ clementiæ signo, & mediantè simul cor-

Ruth. 4.

Quid sit, in Idumæá extendere calceaméntum.

Nazianz. Augustin. Eucherius. Hugo. Rupertus.

Isaiæ 45.

poris passione atque cruce, tanquàm A certissimo inuictæ patientiæ indicio introducendum.

Hæc est certè causa, cur Christus Dominus vtraque in regno suo crescere permittit, & bona, scilicet & mala, quia summa eius clementia & patientia, non finit eum in zizaniorum euulsionem ferri: crescunt in regno Christi boni, & virtutum exercitio perfectionis incrementa faciunt; multiplicantur simul & improbi peccatores, qui belluis impudentius in enormia scelera diffunduntur, B vtrosq; tamen patitur Deus, & bonos sua clementiâ complectitur, & peruersos diuina patientiâ tolerat, do-
Rom. 9. cente id Apostolo ad Rom. 9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*. Sed quis obsecro tantæ illius patientiæ in dissimulando finis? vna certè delinquentium pænitentia, vt præclarè docet Sapiens: *Dissimulas* inquit *peccata hominum propter pœ-*
Sap. 11. *nitentiam*. Sapien. 11. n. 24. Non vnius autem aut aliquorum tantùm pænitentiam expectat, sed omniũ, vt C dicit Apostolus 2. Petri 3. n. 9. *Pati-*
2. Petri 3. *enter* agit *propter vos, nolens aliquos ex vobis perire*. Et quis fructus tam benignæ dissimulationis, cumulatissimus profectò multorum scilicet peccatorum resipiscentia: quos enim diuina iustitia, & iracundia rigor pridem in tenebris infernalibus sepelijsset, eos diuina clementia & patientia dissimulanter tolerans efficit, vt qui multum diuque à Deo auersi erant, quiq; ab illius castris deficientes, & ad Principem tenebrarum tran- D seuntes, maledictæ eius militiæ nomen dederunt, victi tandem Dei beneficentiâ ad offensum Patrem iterum redeant, & sopitis offensis, arctiori, vt plurimum amicitiæ vinculo, cùm eo constringantur. Nam plures quotidie eiusmodi reperiuntur, qui vel perfidiâ excæcante, vel irâ excandescente, vel auaritiâ stimulante, vel deniq; æstuante luxuria à Christi militia & gratia exciderunt; ijdem Dei clementiâ & patientiâ inuitante, ad eundem postea meliores & fidentiores; quàm antea fuère, redeunt.

A Crescit in regno Christi triticum fidei selectum, verùm, etiam simul perfidiæ corrium & zizania ab inimico Dei superseminata assurgunt, Hæreses inter fideles, inter sanctos peccata, inter pacificos lites, inter simplices doli, inter innocentes nequitia. Hæc tamen omnia tolerat Deus, vt conniuente eius clementiâ meliora fiant. Videant igitur Hæretici, an non mitior sit Christus in eorum impietatem, quàm illi in semetipsos. Nam an sint hæretici inter fideles tolerandi, B an potius puniendi & torquendi? Respondet Caluinus contra Semetrum publicè supplicio afficiendos esse, & Beza lib. de hæreticis asserit, à magistratu puniendos esse; Christus tamen benignior exstitit, nam feruorem & zelum seruorum suorum audiens de eradicandis ex agro Domini zizanijs, *vis imus & colligimus ea*. Matt. 13. Matth. 13.
non admisit, quin imò vt se optimum patremfamilias ostenderet, sua clementiâ ac patientiâ feruorem illorum cohibuit, & repressit, inquiens: *Non* C *ne fortè colligentes zizania, eradicetis triticum*. quasi diceret: tolerandi sunt potiùs, vt saltim hac clementiâ victi, in melius commutentur. Nam vt ingeniosè ostendit August: serm. 46. E- S. August.
tiã ipsa zizania in triticum sæpè transmutantur. Sic olim Deus Saulum, qui nimio Iudaismi zelo correptus, in zizania degenerauerat, immò & segetem Domini in zizania quoq; conuertebat, suâ clementiâ in triticum optimum commutauerat. Sic Matthæum publicanum, quem spinæ di- D uitiarum iam penitùs suffocauerant, fæcundissimo Christi verbo ad vigorem præstantissimi frumenti restituit.

Quam certè admirandam Christi virtutem edixit Propheta Psal. 147. *Qui dat niuem sicut lanam, & mittit* Psal. 147.
crystallum suam sicut buccellas. Quasi diceret: si miraculum est ex ipsa niue, ex qua frigus vehementius oritur, & quæ si corpus attingat, statim rigescit, vestem ad frigus arcendum texere, quæ instar tenuissimæ lanæ corpus foueat; nonne maius prodigium? cùm Deus ex peccatore scelerum frigore

gelato, fidei ſuæ zelantiſſimum propugnatorem facit, qui igne charitatis diuinæ potentiùs incaleſcens, alios etiam frigidos calefacit; & tamen hoc ipſum frequenter præſtat Deus.

S. Auguſt.

vt docet Auguſtinus inquiens: *Quid eſt ex niue veſtem laneam efficere; quàm de iſtis adhuc incredulis & frigidis ſpiritu, veſtem charitatis & pœnitentiæ alijs efficere.* ſi mirabile eſt, ex cryſtallo duriſſima, quæ vix ferro ſecari poteſt, panem ſuauiſſimum conficere, nonne multo mirabilius, ex peccatore reddere iuſtum, ex maledicto ſanctũ, ex hoſte Dei amicum. Et tamen Chriſti clementiæ hanc virtutem attribuit

Ibidem.

Auguſt: qui in illa verba: *Mittit cryſtallum ſuam.* &c. ſic diſcurrit: *Fuerunt* inquit *aliqui nimis duri, non iam niui ſed cryſtallo comparandi; & tamen ipſi prædeſtinati ſunt & vocati, & quidam eorum ita, vt paſcerent alios, & eſſent vtiles alijs.* Et ne per multos eamus? Paulum Apoſtolum intueamur, Cryſtallus ille erat dura obnitens veritati; & tamen factus eſt panis credentium.

Ecce igitur habemus Chriſtum Regem clementem & patientem, cui, gubernandi ſcientiâ & experientia nemo comparandus; cùm quo diſſimulandi patientiâ nemo conferendus: qui & cum probis improbos, & cùm fidelibus incredulos patienter tolerat, vt eos aliquando in melius conuertat. Non ergo deſperet nix, non deſperet cryſtallus, quia benignus paterfamilias è cælo emittet verbum ſuum, & liquefaciat ea. Dura cryſtallus erat Saulus, ſed quanquam durus, quanquam gelidus: ecce ille, qui emittit verbum ſuum, & liquefacit ea, clamauit de cælo feruidus: *Saule, Saule, quid me perſequeris.* Vbi protinus ad vnam vocem, tanta durities illa cryſtalli reſoluta eſt, Te ergo quæſumus Chriſte, vt præpotenti tuâ dextera, nos in agro tuo ſæpiùs in zizania degenerantes, penitùs nõ euellas, ſed patienter tantiſper diſſimulando, da ſalutis gratiam, da peccati veniam, da tempus contritionis acceptabile. Si enim perflabit ſpiritus tuus bonus, fluent aquæ amaritudinis ex corde noſtro ad te conuerſo: ſi flabit Auſter ille clementiæ tuæ, ſoluetur rigor captiuitatis noſtræ, & renouabitur pietas, reuiuiſcet filialis ſubiectio, & feruor charitatis in te Regem clementem, & patientem accendetur: quo tibi in infinita ſæcula occinamus læti gloriam & honorem.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt. *Matth. 13.*

Dùm homines Dei timorem & honorem negligentes, in peccatis dormiunt, tunc grauiſſimè à Deo puniri merentur.

IAm fortaſsè & debita fatigato corpori neganda erit quies, dùm vndiq; pericula inſtant. Et licet graue atque oneroſum eſt, fracta diurnis laboribus membra ſomno non reficere, aut certè laſſatos aſſiduis cuſtodijs, & tot vigiliarum pertæſos oculos, palpebris opertos in placidam non componere noctem; haud tamen in molli lecto ex animi ſententia quieſcendum erit, dùm ne ipſam quidem noctem ab hoſtium incurſionibus tutam liceat eſſe, dicente ſcriptura: *Et cùm dormirent homines, venit inimicus.* quaſi apertiùs diceret: innatum eſt hoſti, nocturnâ potiſſimùm ſub vmbrâ blandientem experiri fortunam, aut extremos cum ſumma deſperatione ruere in caſus: vbi profectò non vni militum & aduerſa mortis aleâ optimè vti ſcienti cor trepidat, & Imperatori licet alias belli gerendi peritiſſimo genua tremunt, dùm hoſtem aut per valla iam iam ſerpentem, aut enſem in ſuorum ceruices crudeliùs ſtringentem videt: tunc enim excitati milites incompoſito agmine, ac tumultuario non tàm ad pugnam; quàm potius ad cædem inopinato claſſico

cãtu perterrefacti prodeunt, nec tam bellaturi; quàm morituri. Quia corpus deditum quieti, loricæ opus non fert: caput opertum linteo, galeam recuſat, & manum ſomno debilitatam, durus exaſperat capulus: & quos Bellona peperit, ſomnus perdit. Teſtatur luculenter hac de re Liuius, decadis 1. lib. 5. Vbi ſcribit, quòd cùm Romæ Capitolium in ſummo eſſet periculo, hoſtes nocte ſubluſtri cum primo inermem qui tentaret viam præmiſiſſent, tradentes inde arma, vbi quid iniqui eſſet, alterni innixi ſubleuanteſque inuicem & trahentes alij alios, prout poſtularet locus, tanto ſilentio in ſummum euaſêre, vt non cuſtodes ſolùm fallerent, ſed ne canes quidem ſollicitum animal ad nocturnos ſtrepitus excitarent: iamq; perijſſet arx illa munitiſſima, ni anſeres ſuo clangore alarumque crepitu M. Manlium virum bello egregium excitaſſent, qui arreptis armis, dum cæteri expergefacti trepidarent, gallum qui iam in ſummo conſtiterat, vmbone ictum deturbauit. Perdidit profectò Regna & reges ſomnus; delicijs & placido ſomno deditum Balthaſarum, vna nox cum tota Babylone oppreſſit: quieſcentem tranquillè inuictum Holofernem, vna mulier Hebræa vicit, vt perinde ſomnus ſi non mortis filius, vera tamen eius imago cenſeri debeat.

Chryſolo.

Plus enim vigilare (inquit Chryſologus ſerm. 24.) *Plus viuere eſt. Nam quid tàm morti ſimile, quàm dormientis aſpectus? quid tàm vitâ plenum, quàm forma vigilantis.* teſte enim Diuo

S. Hieron.

Hieronymo ex vigilijs plurima eueniunt commoda: *vigilando* (inquit ille) *omnis tumor excluditur, fiducia naſcitur, caro maceratur, vitia tabeſcunt, charitas roboratur, recedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur, obtunditur error, & quod maximum, criminum caput Diabolus gladio ſpiritus vulneratur.* Et quid hac dilectione ſuauius? quid hac felicitate beatius: etiam beatum hominem reddit vigilantia teſtimonio

Pſal. m 1.

regij Prophetæ: *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Ex ſomno verò grauiſſima oboriuntur damna, nam vt inquit Clemens Alexandrin 2. Pædagogi cap. 9. *Nullus homo dormiens vllius eſt pretij, magis quàm qui non viuit,* quia ſomnus dimidium vitæ nobiſcum diuidit, & quod grauiſſimum: etiam Dei indignationem ſomnus prouocat: *Væ qui dormitis in lectis eburneis.* Amos 6. nam

Amos 6.

thalamo tanquàm tumulo plerumq; immerſi morimini. Et certè ſi cæca antiquitas, quantum ſomnus noceat agnoſcens, finxit vnum Iouem cæteris dormientibus inſomnem, apud Homerum Iliade 2. qui ad hoſtium furtiuos ingreſſus vigilaret, quantò magis dilectam Deo Chriſtianitatem, inter medios ſæculi & inferni hoſtes conſtitutam inſomnes ducere noctes decet, ne incauta circumueniatur, ipſomet adhortãte Domino: *Vigilate, ne forte intretis, in tentationem.* quaſi diceret, ſi præda hoſtibus fieri non vis, totam hanc mortalem vitam inſomnem age nam hoc tantùm modo Angelis exæquari, & immortalitatem aſſequi poteris, vt benè Clemens Alexandr. lib. Pædagogi monet: *Anima* inquit *Deum mente ſemper verſans, per continuam conſuetudinem corporis vigilantiam inferens, exæquat hominem Angelicæ gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ ſuſcipiens.* Et reuera, ſi Dominus in Euangelio dicit inimicum tunc tantùm venire, cùm homines dormiunt, idcirco ſemper vigilandum eſt, ne veniat. Igitur in hodierna concione ediſſeram, quomodò ſemper vigilare poſſit homo, & quiſnam ſit iſte fradulentus inimicus, qui non niſi dormientib' nobis venit.

Non me latet famoſum illud philoſophantium axioma, priuationem & habitum ſimul in eodem ſubiectò conſiſtere non poſſe? quia ad poſitionem vnius, conſequitur deſtructio alterius: ſic ad poſitionem lucis, cedit tenebra; & ſuccedente in oculum cæcitate, deſtruitur viſus: ſucceſſiuè tamen his duobus terminis regere totum hoc vniuerſum placuit Altiſſimo: ideoque fecit in cælis duo luminaria, vnum quod diei, alterum quod

præeſſet nocti, vt vmbræ lucem, & lux tenebras comitarentur, ne fortè quemadmodum ſæpè intenſus frangitur arcus, & mundus aliquam ſuccumberet iacturam, ſi ſemper in clariſſima luce verſaretur. Sed vt eſſet reſpirationi locus, noctem conceſſit quieti opportunam, & diem laboribus aptam. Equidem ſi hominem paruum mundum rectè vocitauit Ariſtoteles, quomodò ab hac vniuerſi conſtitutione abeſſe poterit, vt in illo ſibi alternis vicibus ſomnus & vigilia non ſuccedant? quomodò perpetuò vigilare poterit? cùm ſomnus (vt docet Ariſtoteles libro de ſomno & vigilia) ita proprius ſit animali, eiq; neceſſarius, vt abſque eo conſeruari nequeat, quin protinùs deficiat: immò ſi Philoſophi rectè diſcurrunt priuationem ſemper præcedere inductionem formæ; & ſomnus pariter vigiliam in homine anticipare debet.

Cur Deus ſoporem immiſit in Adam.

Atque hæc opinor cauſa erat, cur producto Adam immiſerit ſoporem in eum Deus, vt ſcilicet poſt illum delicatum ſomnum, magis eſſet idoneus laboribus in paradiſo obeundis: quoniam ad hoc in paradiſum tranſlatus erat, Geneſ: 2.

Geneſ: 2.

Poſuit illum Dominus Deus in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum, quomodò igitur ſemper homo vigilare poteſt, cùm ita omninò egeat ſomno, vt non minùs ſine illo; quàm ſine vita eſſe nequeat. Siquidem & Deus ipſe parentem humani generis Adamum, antequàm ad laborem mitteret, priùs tradidit in ſoporem.

Tertull.

Quod Tertull. lib. de anima cap. 43. recenſet. *Ille* inquit *fons generis Adam ante ebibit ſoporem, quàm ſitiit quietem, ante dormiit; quàm laborauit*, & certè ſi homo perpetuò vigilaret, & nunquàm dormiret, dubio procul mortis immemor eſſet, cùm etiam inter alias rationes & hanc aſſignet Tertull. quare perfectiſſimus ille, homo vitam potiùs à ſomno, quàm à vigilia exorſus fuerit, vt inquit ille & omnes eius poſteri mortis memores eſſent, inquiens:

Idem.

Somnus ille in publicæ & communis iam mortis affingitur exemplar, voluit enim Deus paradigmate Platonico pleniùs humani initii ac finis lineas quotidie agere nobiſcum, manum porrigens fidei facilius adiuuandæ, per imagines & parabolas ſicut ſermonum; ita & rerum. Proponit igitur ſibi corpus amica vi ſoporis eliſum, blanda quietis neceſſitate proſtratum, immobile ſitu, quale ante vitam iacuit, & quale poſt vitam iacebit, vt teſtationem plaſticæ & ſepulturæ. Quaſi diceret: idcirco Adamus ſtatim vt conditus eſt, iacuit conſopitus, vt in hoc ſopore intelligeret, quam humili ex principio natus eſſet.

Ecce humanæ gloriæ exiguitatem! vix Adamus vitam hauſerat, cùm mortem quodammodò prælibaret: vix imperium acceperat, cùm de interitu admoneretur: vix ſuam felicitatem aſpexerat, cùm ſtatim ad ſuæ fragilitatis & imbecillitatis ſpeculam conſulendum mitteretur? memor certè iſtius veritatis Dauid, quòd aſſiduò obeundis laboribus idoneus non eſſet, ſine virium ſuarum remiſſione, & fatigati corporis reſpiratione, diuinâ prouidentia ordinante, priùs ad ſomnum; quàm ad ſceptrum manus erexit, cùm regnaturus in Iſraël prius ingreſſus eſſet in tentorium Saulis, vt iacentem & dormientem eum intueretur 2. Reg. 26. diuinâ inquam prouidentiâ factum hoc erat, vt priùs ſomno mortis quieſcentem intueretur Saulem; quam ſeipſum in tentorio cerneret imperantem: quò faciliùs intelligeret bonus Rex, regnum non eſſe à laboribus ſegregatum, immò nemini magis, quam Regi laborandum, crebriuſq; quieſcendum eſſe.

2. Reg. 26.

verùm licet ſomnus adeò ſit mortalibus innatus, vt quemadmodùm vmbra ſolem, ſic ille ſequatur hominis vitam, adhuc tamen homo perpetuò vigilare poteſt, aſſiduis Chriſti meditationibus immerſus: quia cùm homini corpus hoc terrenum, & animam immortalem Deus dederit, optimè licet corpore fatigato ſomnum capiat, mentem tamen immotâ vigilare poterit. In hac certè vigilia Dauid, non ſolùm voluptatem, ſed etiam omnem felicitatem reponit, inquiens.

Pſal. 1.

Pſal. 1. *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* At, quomodò nocte ſubnubila in lege Domini meditari quiſpiam poteſt? certè ſola animi à curis ſæcularibus cum Deo vnione, quia ſi ex mente Philoſophorum pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, & animus inter mundi curas atq; anxietates verſatus, minus eſt ad ſcrutanda Dei myſteria aptus. Nec enim ſine myſterio D. Paulus externis oculis corporis etiam apertis nihil videbat, Actorum 9.

Actor. 9.

qui tamen internis oculis mentis, cœleſtia arcana perluſtrauerat, niſi vt palam eſſet, non corporeos oculos, ſed mentales diuinarum rerum ſpectatores eſſe.

S. Ambr.

vnde præclarè D. Ambroſius: *Fortaſsè* inquit *iſti ſunt oculi, quibus Paulus videbat æterna, vbi cæpit corporalia non videre: qui enim Chriſtum non videbat priùs, quàm oculos amitteret, vidit eum poſtquàm viſum amiſit oculorum.* Aptior certè in corpore dormiente eſt animus ad diuinam meditationē; adeò, vt cùm & ipſe Deus vellet arcana cæleſtia Abrahamo reuelare, priùs oculos eius ſomno ligauit Geneſ: 15.

Geneſ: 15.

Sopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Et cur obſecro dormientes potiùs; quàm vigilantes ad ſuum colloquium euocauit Deus? non aliam perfectò ob cauſam, niſi vt cùm illos in externum deiiceret ſoporem, meliùs ad internam erigeret vigiliam: & cùm illos excæcaret corpore, ne viderent res terrenas, eoſdem animo oculaLet, vt diuina aptiùs contemplarentur.

Philo.

Vt enim diſertiſſimus Iudæorum Philo libro de ſopore, quærens quis ſit rerum diuinarū hæres, Reſpondit: quia ille, qui ad mundana videnda dormit. Tomo 1. p. 446. inquiens: *Ex oriente diuino lumine, humanum occidit: ac rurſum occidente illo, hoc exoritur: emigrat enim à nobis mens immigrante diuino ſpiritu, quo recedente illa rurſum reuertitur: non eſt enim fas, vt mortalis cum immortali habitet, ideò rationis occaſus, & effuſæ tenebræ exceſſum, & diuinum furorem inducunt.* Quaſi diceret: non illuſtratur mens hominis, niſi cùm ad mundi caduca & vana ſomno emoritur corpus; nec ingreditur pignus gratiæ in animum, niſi cùm animus egreditur à ſenſibus. Non igitur ſenſibus, ſed animo vigilandum eſt homini: non corpore, ſed corde: quemadmodùm ſponſa vigilabat: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Cant. 5.

Cantic. 5.

quaſi diceret: licet corpus hoc mortale diurnis negotiis, & curis grauatum, ſomnum capiat, mens tamen vigilat, & tota Deo vacat.

Ferunt naturaliſtæ, quòd cor cùm inter omnia membra primum omnium vitâ gaudeat, ideò nunquàm quieſcit, adeò vt licet omnes dormientis potentiæ ab operationibus ſuis vacent, ita vt neque intellectus diſcurrat, nec memoria recordetur, nec voluntas amet, nec oculi videant, aut aures auſcultent; cor tamen ſemper vigilat, neque per momentum temporis operationi parcit, ſed perpetuo motu agitatur. Profectò Catholici mei, licet corpus miſerum in vigiliis aſſiduò obeundis grauitatem & moleſtiam non paruam ſentiat, cor tamen veſtrum, ſi vitam omnium viuentium Chriſtum Ieſum in ſe retinet, ſine intermiſſione die & nocte in lege Dei poterit meditari, nuſquàm á motu dilectionis ſupernæ ceſſando. Ecce ſummam Dei miſericordiam! quæ hominem ſine vlla moleſtia ad ſe trahit, tunc dulci ſomno recreans corpus, cùm vigilanti animo illabitur Deus. Ecce admirandam eius ſapientiam! quæ duo contraria in vno homine ſimul incluſit, vt, cùm ſoporato corpore placidam noctem ducit; mente tamen integra, & corde vigilet, vt hoc de homine verificari poſſit, quod S. Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum c. 9. de hominibus in ſtatu Innocentiæ ſcribit:

S. Auguſt.

Tàm felicia inquit *erant ſomnia dormientium, quàm vita vigilantium.* Et cui magis hoc, quàm dilectæ Chriſtianitati attribui poteſt? tàm enim felicia ſunt in Chriſti Eccleſia ſomnia, ſi in Chriſto capiuntur, dormientiū quàm vita vigilantium, ſi in lege Domini die & nocte meditantur. Et certè in rebus naturalibus reperitur

peritur aliquid tale, quòd hominem non permittat dormire, quemadmodùm D. Gregor. Nyssenus super c. 4. Cantic. Cinnamomo scribit, quod arbor illius hac speciali virtute prædita sit, vt si dormientis ori imponatur, nulla re illum impediri sinat, quominus interrogantibus respondeat. Equidem in Christi Ecclesia nobilius lignum excreuit crucis Christi, hoc quisquis capiti suo pro puluinari imponit, certus sit, se neque curis sæcularibus, neq; inferni tentationibus impeditum iri, quominus etiam dormiens libere Christo vocanti respondeat. Et quid est in cruce Christi dormire nisi duriùs corpus suum tractare, non in mollibus componere delicijs, neq; etiam delicatiùs viuentibus, sed afflictis, & multas tribulationes patientibus, cælum patere Deus voluit. Nam & Iacobo non inter paternas delicias quiescenti; sed super duros lapides contemplanti cœlestia arcana patuerant, vt testatur Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 9. *Iacob* inquit *humi dormiebat, & lapis erat ei puluinus, atq; visum habere dignatus est habitus, quod captum hominis superabat.* Hoc puluinari crucis Christi vti debet bonus Christianus, profundos somnos, & delicatos thoros fugiendo, atq; pro mollibus stratis, rigidas chameunias, id est ; humicubationes præoptando. Vt egregiè D. Bernardus de vita solitaria circa medium monet : *Caue* inquit *in quantum potes, serue Dei, ne toties aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis fatigati, non reparatio sed extinctio spiritus tui.* Et magis confirmat Thomas de Kempis. lib. 2. de disciplina claustrali. cap. 11. *Memor esto Christi in cruce pendentis, qui in patibulo non in molli lecto moriens obdormiuit.* Non sine mysterio ad tabernaculum illud, quod Salomon ædificauerat, inter cætera lucernam & ignem semper extitisse commemorat sacra pagina 3. Reg. 7. nisi vt ostenderet, hæc duo in Christianis quoniam templum sunt Spiritus sancti, etiam tunc, dùm somno vacant, reperiri debere; lucernam scilicet altissimæ contemplationis de Deo, & nunquàm deficientis in corde charitatis ignē, vt hoc de anima fideli dici possit, quod scribit Hieronymus sermone de Assumptione. *Totam incanduerat diuinus amor, vt nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus* Sed ardor continuus charitatis perfusi amoris.

Arbor cinnamomi facit dormientem interrogantibus respondere.

Clemens Alexandr.

S. Bernar.

Thom. de Kempis.

S. Hieron.

Sed heu terrenæ voluptatis balnea, & lucernam & ignem in mentibus Christianorum iam extinxerunt, vt nullus sit qui ad hostium incursiones excubare velit, nullus qui ad Christi custodienda mandata vigilet ? quod grauiter incusat Christus Matth. 2. inquiens : *Vna hora non potuistis vigilare mecum.* quasi diceret : hæc est vnica & summa hominis infelicitas, quòd vbi animæ suæ salutem curare debet, magis circa corporis oblectamenta versetur : & cùm è somno turpitudinis peccati euigilandum est, adhuc magis sopore vitiorum obruitur. Verùm si quando, certè his potissimùm temporibus de Christianis verificari potest : *dormiunt homines.* Nunc enim prostituitur vbiq; diuinus honor, nec est, qui læsæ maiestatis crimen vlcisci velit. Fit bonorum Ecclesiæ direptio, oppressio populi, subditorum vix non ad ipsum vsq; sanguinem depauperatio ; *dormiunt tamen homines*, quia non est qui aut insolentiam petulantium coërceat, aut miseriam afflictorum consoletur. Triumphat paganismus, gloriatur hæresis, crescit infidelitas, & altiùs in dies sua incrementa auget salutis error. *Dormiunt tamen homines*, quia non est, quem magis Dei cultus, quàm lucri cupido ; quem pietatis zelus, quàm propria habendi ratio permoueat. Figit in gremio Christianitatis suum tentorium libido, explicat impudica venus fædæ voluptatis thoros, & nil nisi ebrietas & ira per vultus & oculos spectantium micat. *Dormiunt tamen homines:* quia non est, qui sic viuentes arguat, aut luxuriosè debacchantes increpet, aut turpissimè in oculis solis & mundi delinquentes voluptatum amatores proscribat. Cùm tamen eius modi pecca-

Matth. 2.

di peccata nequaquam dissimulanda essent, iuxta doctrinam D. Benedicti in sua regula cap. 2. præcipientis. *Ne dissimulent* inquit *peccata delinquentiū, sed mox vt oriri cæperint, radicitùs amputent*, memores periculi sacerdotis Heli, quem Deus tripliciter puniuit, & ignobilitate : cùm illum de pristina dignitate deiecit ; & paupertate : cum eum in captiuitatem tradidit : & morte temporaria, quando audiens de morte filiorum suorum, retrorsùm de sella cecidit, & fractis cruribus exspirauit, propter hoc vnicum, quòd filios suos pro eorum delictis iusto non puniuerit supplicio : nam doctissimus Rupertus lib. 4. de victoria verbi, quæstionem hanc agitans, cur Heli qui quadraginta annis iudicauit Israèl, in libro tamen Iudicum à scriptura non recensetur. Respondet : propter contemptum verbi Domini id factum esse, quia in diebus eius calce abijcere verbum Domini, nimia fere omnibus licentia fuit. Sed malè cessit hæc conniuentia ignauo sacerdoti, quia enim cùm esset Iudex totius populi, seuerè in omnibus vitia castigare debuit, & hoc præstare neglexit, idcirco grauem illam pænam promeruit. 1. Reg. 17. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuabit te, coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam.* Quasi diceret sacer textus, quia tolerasti delicta filiorum tuorum, ideò te in Babylonem captiuum relegabit Deus, tuoq; te exuet sacerdotio tanta facilitate, quanta gallus plumis, aut homo vestibus denudatur, vt qui antea tanquam superbiæ & arrogantiæ simulachrum tibi gloriabundus complacebas, tuo tandem cultu pontificio spoliatus, detumescas : & rursus qui antea, tuâ illâ mitrâ aureâ, in qua erat magnificentia Dei, fastigiatus superbiebas, tandem tribulatione pressus à tuo illo fastu deprimaris. deniq; qui more ferculorum pompaticè incedebas, tanquàm volubilis pila vltro citroque agitata, in alia exilia deporteris ; immò ad maiorem eius afflictionem subdit adhuc sacra pagina. *Et vocabo* inquit *seruum tuum, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manus eius.*

S. Bernar.

1. Reg. 7.

Ibidem.

Sed vnde obsecro tanta indignatio Dei in illum senem, vtiq; tantam promeruisse pænam non videtur ! nam si filij eius peccârunt, satis illos admonuisse legitur. Num. 13. *Quare* inquit *facitis res huiuscemodi, quas ego audio. res pessimas ab omni populo.* Immò, etiam quod paterni erat officij, post illam admonitionem, etiam obsecrauit eos, vt in posterum ab illis criminibus abstinerent. Num. 24. *Nolite* inquit *filij mei, non enim est bona fama quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Respondent tamen sancti Patres, non ideò punitum esse tàm grauiter a Deo, quòd delinquentes filios non admonuerit, sed quòd debitam in admonendo seueritatem non adhibuerit, in tribus autem à iusta seueritate eius admonitio defecit. Inprimis, quia fuit nimis sera, cùm festina esse debuerit. Nam non priùs ad filiorum admonitionem euigilauit ; quàm totius populi illorum iniurijs oppressi clamoribus excitaretur ; cùm tamen in filiorum disciplinam parens dormire non debeat, ne cùm iam malo occurrere voluerit, non possit, si iam vis radicati veneni, antidoti efficacitatem superet. vnde docet D. Hieron: Epist. 22. ad Eustochium, & de custodia virginitatis. *Dum* inquit *paruus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescant,* eliditur in semine. Et D. Cyrillus Hierosolymitanus, Cathechesi 2. de pænitentia. *Priusquàm* inquit *floreat, radicitùs erue malum, ne si ab initio neglexeris. postea ne quicquam incidas, & ignē magis excites.* Hæc primaria Christianitatis principum cura esse deberet, vt excubent in suorum scelera subditorum, ne Dei vindictam in se & regna sua prouocent, & Deum cuius vices gerunt imitantes, necessaria remedia maturent. Ægyptij olim Deum exprimere volentes, pingebant oculum, cui baculum substituebant, vt testa-

Num. 13.

Num. 24.

S. Hieron.

S. Cyrill.

vt testatur D. Cyrillus Alexandr. l. 9. contra Iulianum . in oculo, quia omnia Deus videt, sapientiam; in baculo verò, iustitiam, quia omnia cöèrcet, adumbrantes : ideò autem cum oculo sapientiæ typo, baculum iustitiæ symbolum coniungebant, vt ostenderent, Deum nullum scelus eorum, quæ videret, relinquere impunitum; sed tàm velociter festinare quandoque ad castigandum, quàm velox
Eccles. 5. est eius oculus ad videndum, vnde dicitur Ecclesiast: 5. *Misericordia & ira ab illo citò proximant.* quasi diceret : B festinat quidem diuina ira ad peccatores in suis malis obstinatos puniendos ; sed in ea festinatione non procedit solitaria, sed comite misericordia, quæ tunc maximè elucet, cum peccatores citò feriuntur, ne si diutius suis vacare sceleribus permittantur, maiora ad supplicia reseruentur. Hanc profectò diuinæ iustitiæ ad punienda hominum peccata ne licentiùs grassentur, velocitatem imitari deberent Catholicissimi Principes, immò & Patres familias in suorum cor- C rectionem subditorum excubantes : nam si dormiant, & corripere morentur, mala impudentiùs grassabuntur.
Genes. 9. Quo pactò dormiente olim Noë statim filius eius Chan impudens euasit. Genes. 9. Dormiente Isboseth filio Saulis, illico ostiaria domus eius obdormiuit, & insidiatoribus liberum aditum ad necandum suum dominum reliquit. Nec enim satis est optimo Principi, subditorum scelera explorare, sed opus est vlteriùs, & refrænare. Nam Princeps qui dissimulat pecca- D ta, videtur illa imperare, iuxta illud Tragici Poëtæ in medea.

Qui non vetat peccare cum possit, iubet.

Defecerat præterea admonitio Heli à debita seueritate, quia fuit secreta, cùm publica esse debuerit nam publica peccata, non facilè secretis admonitionibus corripiuntur. Educendus est vir multorum scelerum in conspectum omnium, ibiq; delicti sui pænam luere compellendus, quo cæteri similia patrare faciliùs perhorrescant. Tertiò adhuc, admonitio He- A li à debita seueritate defecerat, quia fuit blanda : cum alioqui debuerit esse seuera, licet enim verba grauia & seueritatis plena dixerit ; oris tamen gestu, & vocis sono quandam lenitudinem ostendit, quia non contraxit frontem; sed exporrexit : non minas ; sed blanditias spirauit : non tonare, sed cantare visus est : non terribilem se exhibuit, sed amabilem; quod textus Hebræus satis expressit, verba illa scripturæ : *Non corripuit eos,* transferens, non fuit obscurus ad eos, seu B non fuit in rugas contractus ; cùm tamen vitia grauissima plerumq; magis gestu ; quam verbo emendentur, iuxta illud Sapientis Ecclesiast: 7. *Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* : nam dicit Propheta Abacuc 3. *Aspexit & dissoluit gentes.* Vbi prædicator Euangelicus, solo aspectu graui & seuero, totum orbem terruisse atque è pessimis sceleribus euocasse dicitur. Si igitur Heli cum esset summus Ecclesiæ Pontifex, totius populi Iudex, & tamen tam magnis à C Deo affectus est plagis, quòd filios delinquentes solùm admonuerit, & non castigauerit, quid fiet cum parentibus, qui filios in grauissima vitia ruere permittunt? quid cum Imperatoribus, qui suos milites rapinas exercere non prohibent ? quid cum Principibus, qui subditorum vt viuendi ; ita & peccandi licentiam fræno seueritatis non moderantur ? morte profectò grauissima opprimet eos Deus, quia non est æquum vt conniuens alijs ad culpam, ipse misericorditer iudicetur ad D pænam. Euidens veritatis huius habent Principes argumentum 3. Regum 20. Vbi Achab Rex Israël dum iniusta misericordia in Benadad Assyriorum Regem vsus esset, nam quem occidere Dei mandato debuerat, leuauit in currum, captis ciuitatibus donauit, fæderauit sibi in socium, ac tandem liberum ac impunitum abire permisit. Sed sibimet hoc facto magnum detrimentum strauit : qui enim iustas ab hoste pænas non exegit, iustissimas ipse soluit, dicente ad eum Propheta : *Quia dimisisti virum dignum morte de manu*

Eccles. 7. Abacuc 3. 3. Reg 20.

manu tua, idcirco erit anima tua pro anima eius. Pepercit Saul Regi Agag, &
1. Reg. 15. clementiorem se exhibuit, quàm oportebat, & ideò regnum amisit. *Abiecit te Dominus* (inquit Samuel) *ne sis Rex* 1. Reg. 15. Et profectò iure meritò qui debita seueritate non vtitur, regia maiestate priuatur : cùm enim regnum disciplinâ seruetur, aptus non est regno seruando, qui disciplinam relaxat. sint itaq; oportet optimi Reipub. Principes, cultores legum, altores virtutum, exterminatores flagitiorum, qui seueræ ministerio disciplinæ suos in officio subditos cöerceant, effrænem peccandi licentiam refrænent, omnesq; vitiorum pestes amoliantur. Sic fecit olim Samuel, quando Regem Agag scelestum, cui pepercerat Saul, in frusta concidit coram Domino 1. Reg. 15. rectè arbitratus, non minùs gratum Deo iustum illud suppliciũ, quàm pingue aliquod sacrificium futurum. Nec optimus Iudex Israëlitarum Gedeon priùs flagitiosissimis Soccothenis pepercit, donec
Iudicũ 8. omnes contriuit. Iudicum 8. vt noui supplicij atrocitate, & nocentes purgaret, & innocentes terreret, ac tandem omnibus euaderet salutaris. Quid commemorem Heliam, expressam Iustitiæ normam, viuum seueritatis exemplar ? qui in impios Sacerdotes Baal, non verbo, sed ferrò animaduertit, visus sibi vltrices manus non tàm profano sanguine imbuere,
3. Reg. 18. quàm oleo sancto consecrare 3. Regum 18. Equidem consecrata DEO Christianitas , si iam zelus religionis in te sopitus est, saltem virtutis amor reuiuiscat : si ardor pietatis, deuotionis feruor euanuit, saltem Dei timor non pereat : si decor sanctitatis extinctus est, si commiseratio lugentium sopita, saltem iustitiæ rigor in improbos euigilet ? quod si vnusquisq; se excusat, quia moribus sæculi viuit, iuxta Politicorum effatum dùm Romæ es, Romano viuito more, dùm alibi, viuito sicut ibi : proinde si inter raptores se non esse oppressorem, inter delinquentes non excedentem, impossibile esse allegat, A innocentem obsecro respiciat Samuelem : vtique & ille inter duos filios Heli & ingluuie obesos, & libidine incensos, tanquàm inter lebetes coquinarios, perpetua fuligine atratos, cõuersatus ; suas tamen semper alas deargentatas, aureis interlitas stellis, hoc est abstinentiam, & continentiam illæsam seruauit, & inter illos Reipublicæ hostes, ad rapinas exercendas, ad iniurias inferendas promptissimos, tantam didicit æquitatem, vt ad extremam vsque senectutem, nihil vn- B quam egisse iniquum, etiam inimicorum testimonio probaretur : inter illos nõ sacrorũ cultores sed osores, violatores tẽpli, profanatores sacrificiorũ, totius deniq; religionis euersores, & profligatores, vnus Samuel promptus, tàm sedulus, tàm studiosus diuinorum rituum curator exstitit, vt nihil habere terrenæ concretionis, nihil corporeæ molis gestare videretur. Sed teste Philone lib. de Temulentia inter gulosos ieiunus, inter obscænos castus, inter iniquos iustus, inter sa- C crilegos religiosus perseuerauit. Si igitur Samuel in tanta scelerum colluuione tàm illibatam omnium virtutum puritatem seruauit, vt viueret inter homines par Angelis, non humanam, sed Angelicam sanctitatem præferens, vt degeret inter peccatores maior sanctis, & cùm puer adhuc esset, resplenderet velut inter vepres rosa, aut Sol inter tenebras. Quis obsecro se corruptis sæculi moribus excusare poterit ab iniquitate, cùm libera sit cuiq; voluntas, etiam inter D pessimos rectè viuendi. Sed ecce dùm homines magis voluptatem sæculi, quàm Dei timorem præ oculis habentes securè obdormiunt, venit inimicus, & superseminat zizania in medio tritici. Et quis obsecro iste est inimicus ? Diabolum plurimi opinantur, vt fatetur ipsemet August : in quæst: Euangelij. *Venit* inquit *Diabolus, & superseminauit malos filios.* Verùm si Diabolus esset, facilè vinceretur à Christianis, quia hic totus Christi passione eneruatus est.

S. Aug. st.

Quærunt enim Euangeliorum interpre-

terpretes, cur Christus permiserit se à Diabolo tentari ? & respondet Petrus Chrysologus serm: 11. (Chrysolo:) *Christus inquit diabolo se quærenti patienter indulsit, vt à Christo victus cederet Christianis,* hanc rationem dat & D. Hieronymus Epist: 8. ad Demetriadem, de seruanda virginitate inquiens : (S. Hieron.) *Saluator generis humani assumitur à spiritu, vt pugnet contra Diabolum & oppressum atq; contritum tradit discipulis conculcandum.* Vnde si Diabolus ita victus est à Christo, vt etiam nomen Christiani sit illi formidabile, reuera non ille dormientibus nobis venit, sed alius quispiam potentior. Et quis itaq; ? iniquitas incorrigibilis, quam & ipsa Ecclesia in peruersis filijs enecare non potest, vt docet Chrysosth: hom: 19. (S. Chrys:) in Genesim. *Anima semel captiua, si se peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & considerare noluerit, quæ sibi sunt vtilia, etiamsi quis innumera inculcet illius auribus, nihil proficiet :. sed quasi mortuæ essent aures, nullam ex admonitione suscipit vtilitatem, non quia non potest, sed quia non vult.* Hic inimicus iniquitas, dum homines in suis sceleribus dormiunt, seminat in populo fideli zizania, scilicet; bella, & seditiones. 40. annis inter Hebræos & Philisthæos pax erat, siluerant arma, cessauerant bellorum turbines, & aurea quædam tranquillitas atque serenitas vernauerat, sed filiorum Heli iniquitas ad martis furorem, & suæ gentis deletionem hostes compulit. Nam hanc rationem dat scriptura Leuit. 16. (Leuit: 16.) *Si non feceritis omnia mandata mea, ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos.* Seminat inimicus iste iniquitas, fames : nam postquàm vitijs innumeris aggrauata esset natio Hebræorum, septem annis terra sterilis permansit, vt etiam inediâ pereuntes homines, proprijs corporibus vesci cogerentur. Quid aliud in florentissimo Poloniæ regno ignaui hostis ensem mouit ? quid tot innocentes saluis sceleratis perdidit ? iniquitas incorrigibilis. Et tamen dormimus hucusque nulla ex tanta pœna

A correctio, sed crescit quotidiè, quod puniatur. *Ecce* inquit Propheta Ierem. 5. (Hieron. 5.) *Verbera de super, & flagella non desunt, & tamen trepidatio nulla, nulla formido est.* Quid si adhuc non intercederet rebus humanis vel ista censura, quantò adhuc maior esset in omnibus audacia, facinorum impunitate secura. Et paulò post addit, *Miraris* inquit *in pœnam generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie, quod puniatur.* Hostem quereris exurgere, quasi non ferociùs intus & grauiùs B de iniurijs potentium domesticæ impugnationis tela grassentur. De sterilitate aut fame quereris, quasi famem maiorem siccitas; quàm rapacitas faciat. Pestem aut luem criminaris : cùm peste ipsa & lue vel detecta sunt, vel aucta crimina singulorum, dùm nec infirmis exhibetur misericordia, nec postulantibus venia : sed memento pia Christianitas te selectum Dei triticum esse, vt sis rubicunda per Dominicæ passionis recordationem, candida per munditiæ & casti- C tatis conseruationem : diuisa per propriam compassionem. Quare Hebræos imitemur ; de quibus refert scriptura Num. 11. quod, cùm exercitus eorum nō solùm ad oculorum speciē pulcherrimus esset ; sed etiam hostibus ad incutiendum terrorem aptissimus : erat enim pulchritudo eius prato suis floribus distincto similis, & cælo syderibus micanti. Num. 24. (Num. 24.) *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui.* cùm in- D quam cæsum & profugum viderent illum exercitum, causam tanti mali suam iniquitatem recognoscendo, tunc conuenerunt in Masphath, præterita flagitia abiurârunt, vbertis lachrymis diluerunt, atq; ad fidem & religionem colendam mentem conuerterunt, vbi misertus Dominus liberauit eos. Et nos pariter quicquid hactenus mali actum est, propter nostra vitia id euenisse cognoscendo, expergefacti de somno iniquitatis ocius surgamus, & abiuremus malam peccandi consuetudinem : ne verò inimicus

inimicus iste, iniquitas, in animos nostros ampliùs irruat, vigilemus puro corde, & Deum timente, & Deus pacem, atque misericordiam faciet populo suo.

DOMINICA VI.
POST EPIPHANIAM.
CONCIO PRIMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo. *Matth. 13.*

Granum sinapis significat Christum, glóriam æternam, Ecclesiam sanctam, & prædicationem Euangelicam.



Mbram soli, tenebras luci, lutum auro, terram vnionibus componere ; non magis ridiculum ; quàm insanum est ? quæ enim aurei illius sideris per tot sæcula mundo incessanter nitentis, ad vilissimæ vmbræ exiguitatem comparatio ? quæ amænissimæ lucis, hominum oculos mirificè recreantis, ad tenebrosæ & horrendæ noctis abiectionem proportio ? quæ inappretiabilis auri, quo viscera terræ superbiunt, gloriatur orbis, triumphant regna ; cum luti fæditate, quo vilissima etiam animalcula ne contaminari quidem patiuntur, licet iam insequentibus præda canibus fiant, societas ? quis in æstimabilium vnionum, quorum splendore superbit mortalium genus, & in fastum erigitur ; ad terram, quæ omnium pedibus calcatur ; respectus ? insaniret profectò quisquis hæc vilissima cum pretiosis, & infima cum summis confunderet. Sed ecce me stupor obruit : cùm immensa illa cæli & terræ gubernatrix sapientia diuina, pretium regni cœlestis, vilissimis etiam terrestribus granis exæquat. Vestri fortassè pauperes causâ, ne de salute vobis ab æterno præparata desperetis ; sed licet vos omni diuitiarum supellectile destitutos esse voluit inconstans & mutabilis fortuna. Vt tamen regnum cælorum velut parui pretij granum, quod columba in agro colligit,

A possideatis. Vnde meritò dicit Apostolus : *regnum cælorum vim patitur.* quia & pauperes licet sinè sumptu, violenti rapiunt illud. Sic sane est ? quia paruus mundus est homo, non aliter ad vastissimum & amplum illum cœlestem mundum potuit eum Deus allicere, nisi per parui similitudinem grani. Et quò diuersis hominum conditionibus & statibus satis faceret, regnum suum ad captum illorum accommodare voluit. Voluit diuites & agricolas ad se trahere : & B ecce regnum cælorum thesauro abscondito in agro illis comparatum, proposuit considerandum. Matt. 13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo,* (Matth. 13.) *præ gaudio illius vadit, & emit agrum illum.* Vt cùm sciant diuites, quid sit thesaurus : sciant & agricolæ, quid sit agrum colere : ex his quæ animus illorum nouit, surgant ad incognita, in cælo reseruata sollicitè quærenda. Voluit promouere opulentos mercatores ad stadium salutis : ecce illis C regnum cœleste sub margaritarum similitudine agnoscendum ostendit. Matthæi 13. *Iterùm simile est regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas,* (Ibidem.) *qui inuentâ vnâ pretiosâ, dedit omnia sua, & comparauit eam.* Voluit inuitare piscatores, vt illum sequerentur : & ecce capturæ piscium regnum cœleste composuit : *Simile est* inquit *sagenæ missæ in mare.* Voluit reges ad

ges ad

ges ad ſe vocare : & ecce dixit : Matth. 22. *regnum cælorum ſimile eſt homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo*, Matthæi 22. Voluit virgines ſibi deſponſare, & his aſſimilauit regnum ſuum. Matth. 25. Matth. 25. *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus*. Voluit deniq; pauperes : hic iam laborioſiùs aliquantum quæſiuit, cuinam illud aſſimilaret ; Lucæ 13. *Quid* inquit *eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud* ? ſi enim paupertati illud aſſimilaſſet, facilè omnes deterrerentur ab eo ; nam quis paupertatem libens amplectitur ? & ecce inquit Chryſol. Chryſologus ſerm: 98. *Quærens in cælo & in terra nihil inuenit, niſi granum ſinapis, atq; illud regnum ſingularitate potens, æternitate felix, diuinitate fulgens, diffuſum toto cælo, totâ terrâ dilatatum, in grani ſinapis redegit anguſtias : & magnitudinem illam immenſam, poteſtatem ſummam, minimâ minimorum ſimilitudine concluſit* ; quia ſicut infirmum Dei fortius eſt hominibus ; ſtultum ſapientibus : ſic etiam minimum Dei, totâ magnitudine magnificentius ? quoniam igitur regnum cælorum eſt granum ſinapis, igitur ſeminabo illud Deo auſpicante hodiè in terram bonam.

Quatuor nobis hoc granum ſinapis ſignificat. Primò, Chriſtum Dominum. Nam ipſemet grano ſinapis ſeipſum comparauit, acri ſemini & omnium ſeminum minimo, cuius virtus preſſuris accenditur. hoc vnum ex illuſtrioribus, & myſticis magis nominibus, ſibimet Chriſtus principaliter impoſuit. Lucæ 1. inquiens. *Niſi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*. Hoc nobiliſſimum granum ſeminatum fuit à S. Spiritu in Virgineâ terrâ viſcerum Mariæ ; irrigatum imbre gratiæ copioſo : quia omnis plenitudo gratiæ in illo repoſita eſt. Natum erat admirabili pulchritudine : quia non tantùm ſtella duce, mundi reges traxit ad ſui adorationem ; ſed & ipſos Angelos è cælo deſcendere fecit, qui omnia ei præſtarent obſequia : creſcebat granum hoc ſingulari decore toto vitæ ſuæ curriculo ; adeò, vt etiam diuinitatis eius fulgorem ipſa elementa ad mirando, protinus voci eius obedirent, & turbulentum mare ſuos fluctus in placidas componendo vndas, & vehemens turbo flatum ſuum aſperum in iucundos commutando zephiros. Fuit granum hoc in ſpica mortalitatis humanæ adultum : meſſum falce paſſionis ; tritum in area montis Caluarij ; molitum in mola crucis, vi tormentorum & omnis generis cruciatuum ; & tunc primùm ſaporem delicatum humanæ ſalutis dedit, toti orbi guſtandum. vnde dicit Gregor. 19. Moralium cap. 1. S.Gregor. *Ipſe quidem Chriſtus granum eſt ſinapis, qui in horto ſepulturæ plantatus in magnam arborem excreſcens, ſurrexit. granum fuit per humilitatem carnis ; ſed arbor per potentiam maieſtatis*. ô admirandam iſtius grani fæcunditatem ! pertingit à terra vſq; ad ipſum cælum arbor eius ; quia & in cælo ad dexteram patris Chriſtus ſedet ; & in terra ſub ſpeciebus ſacratiſſimi Euchariſtici epuli conuerſatur ; dilatati ſunt rami eius, à meridiê in Aquilonem : ab occidente, in orientem ; in quibus requieſcunt volucres, hoc eſt ſanctæ animæ, quæ pulcherrimis virtutum pennis ſe à terrena contagione ſubleuant ; hæ enim poſt fatigationem vitæ mortalis, gratiſſimo Saluatoris conſpectu perfruendo, ſuauiter requieſcunt. Et quæ obſecro tàm pretioſo digna erit grano terra, in qua ſeminari poſſit ? profectò non alia ; quàm vniuerſa mortalium pectora : iuxta ſententiam Apoſtoli Actorum 5. Actor. 6. *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*. quia à Chriſto, in Chriſto, & per Chriſtum omnes nationes clarificatæ ſunt, & glorificatæ ; ſi ergo omne mortalium genus idoneus eſt ager ad ſuſcipiendum granum : igitur ſemino illud, Chriſtum in cordibus ſapientum, & omni cultiſſimorum eruditione virorum. Recipite ô ſapientes intra cordis veſtri penetralia, granum hoc ſinapis ; Chriſtum IESVM : quia eſt liber omnis ſapientiæ intùs & exteriùs ſcriptus. teſte Bernardo S. Bernar. de Chriſti reſurrectione. *Verè* inquit *Chriſtus*

Chriſtus eſt liber ille. quem Ioannes in ſua Apocalypſi conſcripſit, ſcriptus intùs, & foris : foris enim Chriſti vulnera cernimus ; ſed intus immenſi eius erga nos amoris incendia contemplamur. hunc docti, & indocti vident : hunc omnes legunt, ſed non eodem modo myſteria intelligunt. B. Lauren. Iuſtini. Et confirmat Beatus Laurentius Iuſtinianus, de triumphali Chriſti agone. *In hoc libro habet foris ſimplex & indoctus, quod legat ; habet ſpiritualis imperfectus, quod intùs intelligat, legit ſimplex, & lætificatur atq; compungitur ; excitatus verò intelligens irradiatur, atq; accenditur ; legit ſapiens, & plenè exſatiatus redditur : quia & charitatis compendium, & perfectionis celſitudinem, & virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, in hoc ſui corporis incluſit volumine Chriſtus*. Fæcundet ergo corda ſapientum hoc inæſtimabile granum : augeat veræ ſapientiæ acrimoniam, & à terrenis ad cœleſtia ſcrutanda arcana imbecillum ſubleuet intellectum. Semino granum hoc ſinapis & in cordibus diuitum, theſauros amantes ô diuitiarum cultores ! ecce Chriſtum habetis ; tanquàm gemmam pretioſam, annulo noſtræ humanitatis affixam, cuius inæſtimabili pretio, & infinito ſplendore hominis natura, tàm pretioſa & lucida refulſit, vt iam nihil illa præter Deum excellentius cogitari poſſit. Imprimite proinde granum hoc veſtro pectori, quia ab ipſo regnandi felicitas, & origo in vos dimanabit. Mitto granum hoc in animas peccatorum ; quia granum hoc habet virtutem ad conſumenda venena, ſcilicet peccata. hoc illi tribuit Ioann. 1. D. Ioannes : *Ecce qui tollit peccata mundi*. Ioan. 1. tollit autem efficienter, quatenùs Deus ; quatenus verò homo, multipliciter : tum efficienter per ſacramenta, tanquàm per inſtrumenta effectiua gratiæ ; tum viâ meriti, & ſatisfactionis : tùm deniq; per modum ſacrificij, non modò cruenti in cruce, ſed etiam incruenti in Euchariſtia. Tollit granum hoc, delicta omnium mortalium cum ſumma ſapientia : quia in adultis præparationem exigit ex diuinæ gratiæ auxilio procedentem, ſine qua peccata decenter & congruè non condonarentur. Quærit hic D. Chryſoſt: hom: 11. cur Euangeliſta non dixit de Chriſto, *tollet peccata, ſed tollit* : S. Chryſ. reſpondetque ingenioſè ; *Vt* inquit *exprimeret naturalem Chriſti virtutem ad remittenda peccata*, quod ea *penitùs efferat, & radicitùs euellat*. Nam licet in iuſtificatis vtrumque maneat, & reatus ſeu obligatio ad pœnam temporalem ſoluendam : & licet etiam in ijſdem maneant priſtini vitioſi habitus ; tamen & illa per Chriſti gratiam exhibitâ ſatisfactione deletur ; & iſti iteratis virtutum actibus abiguntur. vnde dicit D. Chryſoſthomus S. Chryſt hom: 17. *Ita Deus peccata delet, vt nec eorum remaneat veſtigium ; ſed cum ſanitate pulchritudo ſimul reſtituitur*. Hoc exprimere voluit Propheta : Iſaiæ 44. Iſaiæ 44. *Deleuit* inquit *vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nubilam peccata tua*. quaſi diceret ; quemadmodùm vehementiſſimo flante vento, toto æthere nubes depelluntur, & nullum illorum relinquitur veſtigium ; ita diuina operante miſericordia, toto animo peccata fugantur. Sed quoniam de hoc ſemine omnes gentes benedicuntur, ne quiſpiam tanto fraudetur commodo, mitto hoc granum ſinapis in corda omnium fidelium, cùm Diuo Paulo inclamans ; Rom. 13. Rom. 13. *Induite Dominum Ieſum Chriſtum*. in quibus verbis, quid aliud nobis præcipit Apoſtolus, niſi vt intus & cute amiciamur Chriſto ; hoc eſt, vt & animas, & corpora noſtra donis, moribus, & virtutibus Chriſti adornemus. Nam ſi cætera grana habent hoc, quòd terræ mandata, iucundâ viriditate eam veſtiant; etiam Chriſtus IESVS habet hoc, vt in cuiuſcunq; animum illapſus fuerit, mirâ venuſtate & planè Angelicâ, illum condecoret. Sed hic pretioſus amictus, dupliciter tantùm nobis aptari poteſt : primò, per ſacramentorum ſuſceptionem, iuxta illud ad Gal. 3. Galat. 3. *Quicunq; baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Quaſi diceret : cœleſtibus donis

& Spi-

& Spiritus ſancti talentis abundè locupletati eſtis. Secundò, induimus Chriſtum per imitationem: Epheſ: 4. *Spoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, induite nouũ.* Et quomodò magne Apoſtole nouum hominem induere poſſumus? Reſpondet Doctor gentiũ Paulus, Rom: 13. *Non in commeſſationibus & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitijs; non in contentione & æmulatione: hi enim ſunt actus veteris hominis,* quos homo abijciat neceſſum eſt, ſi nouam iuſtitiæ & ſanctitatis veſtem vult obtinere, ſuper quem locum Theophylactus ſcribens, ait; *Exuit nos prauis veſtimentis Apoſtolus, deinceps nunc exornat nos, non porro luminis armis nos veſtiens, ſed quod longè eſt mirabilius, imò & terribilius, ipſum Dominum pro indumento nobis largiens.*

Epheſ: 4.
Rom. 13.

Secundò, granum hoc ſinapis ſignificat nobis gloriã æternam; quemadmodùm enim qui ſuccum de grano ſinapis guſtare vult, amaritudinem non modicam ſentit, & vultum ac totam faciem præ illa confricat; ſic qui cœleſtem illam gloriam aſſequi cupit, per multas illum tribulationes currere oportet; non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit, quia gradus ad honorem labor, & via ad gloriam æternam perſecutio eſt. Hoc Deus adhuc in paradiſo homini manifeſtè oſtendit. Cùm enim ſerpentem argueret, quòd mulierem deceperit, hanc illi aſſignauit pænam. *Terram* inquit *comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Gen: 3. Cùm autem hominem increparet, quòd tentatori facilè acquieuiſſet: hanc in illum tulit ſententiam: *In laboribus* inquit *ex ea comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quid eſt iuſtiſſimé Deus? & ſerpentem, & hominem ad terram damnas, ſed illum qui fragilitatem humanam fraudulenter circumuenit, mitiori pænâ caſtigas, dùm hominem de terra in laboribus; ſerpentem verò ſine labore manducaturum prædicis; cauſa eſt Auditores: quia labores, viæ ſunt ad coronam, ad quam non ſerpens, iam extra viam poſitus, ſed homo, adhuc in via conſtitutus aſpirare debuerat. ideò quia ſerpens iam, â corona æternæ gloriæ excluſus erat, non adiudicatur laboribus: homo autem quia aſpirabat ad cœleſtes delicias, quibus nullum cum otio commercium, iuſtiſſimè laboribus deputatur. Rem mihi tetigiſſe videtur D. Ambroſius lib. de Paradiſo. cap. 15. Adiectio inquit iſta, nempe; *in laboribus* ſeu in triſtia, diſcretionem facit. *Nam bonum eſt mihi in triſtitia magis terram manducare; quàm in delectatione. Nam triſtitia ſecundùm Deum ſalutem operatur.* 2. Corinth: 7. quaſi diceret quia homo, & non ſerpens ad regnum cœleſte aſpirabat, idcircò homo, & non ſerpens, per laborum tolerantiam, tânquàm per viam regiam incedebat. Et certè ſi Chriſtum Dominum oportuit acerbiſſima quæq; pati, *& ſic intrare in gloriam ſuam.* Lucæ 24. cùm tamen ei æterna gloria, non tanquàm externo candidato; ſed tanquàm legitimo heredi deberetur. Quam ob cauſam, non priùs illum Angeli, tanquàm Regem gloriæ ſalutârunt; quam ſtrenuum in ſua paſſione bellatorem agnoſcerent. vnde Tertullianus libro de corona militis cap. 14. de Chriſto dicit. *Fauos* inquit *poſt fella guſtauit, nec ante Rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus eſt; quàm Rex Iudæorum proſcriptus in crucem.* Quaſi diceret: priùs â Iudæis repudiatus eſt; quàm ab Angelis adoraretur; priùs ſubijt crucis acerbitatem; quàm regni obtinuit maieſtatem; vt hæc dignitas ab illa humilitate, hæc gloria ab illo contemptu orta eſſe intelligatur. Minoratus inquit à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus. ſi igitur hæres, ad quem ſponté ſua, & ſine labore gloria illa pertinebat, & tamen pro ea aſſequenda laborauit? quâ temeritate aut dementiâ homo miſer, cùm ſit mercenarius, cui non niſi laboranti merces debetur, audebit otioſus ad gloriam aſpirare? præſertim cùm grauiſſimas pænas eiuſmodi hominibus imprecetur regius vates, Pſ: 82. *Qui dixerunt, hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* hoc eſt; non pugnando,

Geneſ: 3.
S. Ambr.
2. Cor. 7.
Lucæ 24.
Tertull.
Pſal. 82.

dò, nec laborando, ſed ſedendo, & quieſcendo; quaſi ſolo iure hereditatis regnum cœlorum inquiramus. *Deus meus* (inquit Propheta) *pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Quaſi diceret: non ſunt minoribus ſupplicijs digni, qui æternam gloriam per labores, & ſudores, per cruces & neces acquirendam, hereditare volunt otioſi: non violenti expugnare; cùm tamen regnum cælorum, non otio aut hæreditati; ſed labori & virtuti concedatur. Granum igitur ſinapis eſt gloria æterna, & beatiſſima illa ſempiternæ pacis viſio: quia nonniſi per magnas tribulationes & labores acquiritur. vnde dicit Chryſologus; *Spes iſta eſt credentium, tota expectatio fidelium, ſumma felicitas Virginum, longis continentiæ laboribus parta, ita eſt gloria martyrum totius effuſione ſanguinis conquiſita: hoc eſt, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominum aſcendit: hoc eſt, quod ineffabili ſacramento promittit Apoſtolus eſſe præparatum.* Vbi tandem concludendo hunc ſermonem, dicit: *Audiſtis quale granum eſt ſinapis; audi & tu ſi vis terrenas beſtias non timere; ſi vis euitare aues rapaces, vultures voraces, hoc eſt nequitias ſpirituales. Eleuare à terra, terrena deſere, ſume pennas diuini ſolis fulgore radiatas, & in tantis ac talibus ramis ſemper requieſcas.* Si etenim gentiles pro vana hac & exigua mundi gloria, multa aduerſa æquo animo tolerauêre, vt etiam filios, quos cùm gaudio viuos aſpiciebant; eoſdem ne vllo quidem mœroris ſigno mortuos deplorarent. Nam Anaxagoras illuſtri pallio Philoſophus, cùm in amicorum conuentu ſubitã filij mortem inaudiret; nihil perturbatus reſpondit: *noueram* inquit *me mortalem genuiſſe*; propterea vt tantùm magnæ ſapientiæ opinionem haberet apud populum. Pericles inſignis orator audiens duos filios in vno prælio occubuiſſe, coronâ inſignitus candidaq; veſte de more patrio indutus, prodijt ad orandum, nec tàm mœrorem quàm lætitiam præſeferens, magis adhuc ad bellum Athenienſes adhortatus eſt, vt tantùm patriæ ſuæ amans videretur. vnde ingenioſè argumentatur D. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate cap. 18. *Quid ergo* inquit *magnum eſt, pro illa æterna cœleſtiq; patria, cuncta ſæculi huius blandimenta contemnere? ſi pro hac temporali atq; terrena, etiam filios morte ſibi eripi minimè permouit gentiles. Quid inquit pro hoc grano ſinapis quod parit delicias ſine ærumnis, voluntatem ſine amaritudine, gloriam ſine contumelia, boni Chriſtiani ferre recuſabunt?* cùm dicat Apoſtolus: *Quid nos ſeparabit â Charitate Dei, neq; fames, neq; nuditas, neq; mors, neq; tormenta, nec inſtantia pericula poterunt nos ſeparare ab eo.*

S. Chryſo.
Anaxag.
Perides.
S. Auguſt.

Tertiò, granum hoc ſinapis repræſentat nobis Eccleſiam ſanctam; primò propter paruitatem: granum ſinapis ab initio eſt vile & abiectum, quantitate minimum; ſed virtute ſua & efficacia maximum: quia excreſcendo in arborem, ſua magnitudine facilè omnes frutices ſuperat. Eccleſiam pariter ſanctam, ex minimis principijs Deus propagare voluit, iuxta illud Baruch. 3. *ô Iſraël quàm magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius, magnus eſt, & non habet finem: excelſus, & immenſus.* Et certè non tanta fuiſſet præpotentis Dei laus, ſi ab initio ſplendidam ſtatim oſtendiſſet Eccleſiam ſuam, quia in hoc ſolo maximè Dei potentia & ſapientia excellit, quòd ex humilibus & viliſſimis principijs; glorioſa & magnifica educere ſoleat opera: quia magnus eſt in paucis, & in omnibus admirabilis. Si enim conſideres primum opus creationis; admirabilem iſtam machinam reperies Deum eduxiſſe, non ſolùm è minimo, ſed planè ex nihilo: & tantùm pondus non Athlantis ferendum humeris, ſuſtentare in minimo, ſcilicet, in puncto terræ. Si ſpectes opus ſecundùm redemptionis? & hoc pariter fundatur in minimo: quia in verbi diuini exinanitione, cùm formam ſerui accepit ille, qui per omnia DEO ſimilis erat; ſi deniq; reſpicias, tertium genus glorificationis

Baruch. 3.

ficationis noſtræ ? & hoc de minimo pullulat, quia de humilitate, quæ eſt fundamentum exaltationis ad gloriam. Nam hoc, quod eſt momentaneum noſtræ tribulationis, æternum gloriæ pondus in nobis operatur. Imò & tota Chriſtiana perfectiò, nonniſi de minimo procedit, & in minimis radicatur, quia in abnegatione ſui ipſius, in mortificatione, in patienti omnium tribulationum tolerantia, in quibus virtus ignea eluceſcit. Eccleſia pariter ſancta velut viliſſimum granũ ſinapis, ex minimis initijs maximum diuinâ virtute ſuſcepit incrementum. vilis erat ab initio Chriſti Eccleſia, cùm Chriſtum adorandum gentibus prædicaret, qui ex egenis parentibus, in vili ſtabulo ob inopiam natus, & ab omnibus contemptus erat ; cùm ad fidem eius omnes alliceret, qui a Iudæis comprehenſus, ab impijs Pontificibus illuſus, à crudeli ſatellitio flagellatus, demùm velut ſceleratus aliquis inter latrones in crucem actus erat. vnde meritò dicit Apoſtolus.

1. Cor 1.

1. Corint. 1. *Prædicamus vobis crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus verò ſtultitiam.* Quid enim magis ſtultum poterat infideli & barbaro populo proponi ; quàm aut DEVM à Chriſtianis manducari : aut ſub Euchariſticis ſpeciebus Chriſtum cùm tota ſua diuinitate, & humanitate corporea contineri : aut exiguâ aquæ baptiſmalis guttâ omnem peccati maculam deleri. Delirabat audiens iſta populus, & ſapientes mundi ludibrium merum, ac figmentum eſſe reputabant. Nec immeritò, Deus adeò vilem Eccleſiam ſuam initio eſſe voluit : niſi vt oſtenderet, quales eſſe oporteat omnes Chriſtianos. Quid enim eſt Eccleſia, niſi cætus fidelium à Chriſto ad verum Dei cultum conuocatorum. hos itaq; oportet minimo ſemini, ſcilicet ; grano ſinapis in humilitate pares fieri, ſi creſcere volunt in immenſam æternæ gloriæ ſpicam. Exprimitur ſecundò Eccleſia ſancta per granum ſinapis, propter admirandam virtutem, & efficaciam. Nam quemadmodùm granum ſinapis, nonniſi tritum, odorem ſpirat ; & Eccleſia pariter nonniſi trita, & ſanguine purpurata, creſcere debuit. ſi enim Naturaliſtæ docent, ijſdem rebus facilè & commodè nutriri homines, quibus conſtant; & Eccleſiam pariter quia de ſanguine Chriſti profluxit, ſanguine quoq; augeri oportuit. Sed ecce exiguum hoc granum, & primo intuitu vile, creuit in pulcherrimum pomum granatum. Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici : itâ genæ tuæ.* Excreuit granum hoc in hortum omni amænitate concluſum. Nam hoc Eccleſiæ militanti ſubſcribit Chryſologus : *Hortus* inquit *Eccleſiæ, ſtimulus diſciplinæ, ab omni peſſimo gramine, Apoſtolico labore purgatus : fidelium plantarijs, lilijs virginum, martyrum roſis, confeſſorum viriditate amænus ; fragrans floribus ſempiternis.* Creuit granum hoc in fructum viuentem : cùm enim Eccleſiā de latere Chriſti egreſſa eſt, vt docet Auguſtinus, in Pſal. 26. idcircò caput illius eſt, humanitas Chriſti, anima, & vita diuinitas : vt docet Auguſt: 10. de Ciuitate oſſa eius ſunt Apoſtoli : idem Epiſtola. 200. veſtimenta fideles Gregorius. 3. Moral. columnæ prædicatores, 17. Moral. Quartò deniq; nobis granum ſinapis ſignificat prædicationem verbi Dei ; ſic enim illud vocauit Chriſtus Lucæ 13. *Regnum Dei intra vos eſt.* quaſi diceret : annuntiatio ſalutis, & redemptionis verſatur in cordibus veſtris. Dicitur enim prædicatio verbi diuini *regnum cælorum* ab effectu : qui non eſt alius quam conſecutio beatitudinis æternæ, iuxta illud : *Venite benedicti Patris mei ; percipite regnum Dei.* Et quis benedictus, niſi qui credit in nomine vnigeniti ? quem ex auditu verbi DEI cognoſcit ; regnum cælorum eſt verbum DEI ab officio : hoc enim vnicum illud cæli pignus Chriſtum IESVM mundo annuntiat, & ad illius ſuſceptionem corda præparat : regnum cælorum eſt verbum Dei à fine, quia in hoc principaliter prædicatio Euangelica deſudat, vt immenſum DEVM cognoſcamus,

Cantic. 4.

Chryſolo.

S. Auguſt.

S. Gregor.

ſcamus, & cognitum amemus.

Ecce igitur habemus quadruplex granum ſinapis : Chriſtum IESVM, quem veluti granum fæcundum in humana carne ſeminauit æternus Pater ; gloriam æternam : quam ſeminauit in peregrinatione mortalium : *ſic currite, vt comprehendatis.* Eccleſiam ſanctam : quam velut lilium inter ſpinas, aut roſam inter vepres ſeminauit. Verbum DEI : quod teſte Chryſologo radicatum eſt in Patriarchis, natum in Prophetis : creuit in Apoſtolis : & tandem in Eccleſia Chriſti fecit arborem magnam : præbeamus itaq; agrum tanto ſemini bonum, cor noſtrum humile, & virtute ac pietate cultum ; vota noſtra ad Chriſtum conuertendo. Tu domine, qui nos ad regnum cælorum vocaſti, & qui hoc regnum tuum grano ſinapis aſſimilare voluiſti : admitte nos inter volucres cæli, vt ſuper terram & mare ſæculi volitantes, ramis illius arboris, gloriæ æternæ aſſideamus. Fac, vt granum illud viuificans, teipſum ; cum vera compunctione & contritione cordis in hac mortali vita colligamus ; illoque ſuauiter paſcamur, intus ſaporem percipiendo : donec tandem in æternitatis horto & paradiſo pleniùs detur nobis refici regni tui delicato fructu, in grano ſinapis hic abſconditi, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis. *Matth. 13.*

Regnum cælorum in hoc mundo eſt Eccleſia ſancta, in qua homo tanquàm granum ſeminatur per gratiam Chriſti.

FÆcundum in producendis fructibus cælum, exiguo comparatur ſemini in hodierno Euangelio. Audit. vt nobis palam fiat, in illo perpetuæ fructificationis agro, nonniſi minima grana ſeminari poſſe : id eſt homines iuſtos & humiles, quorum cor minimum eſt in malitia ; quorum anima minima in iniquitatibus ; quorum conſcientia minima in DEI offenſis ; hæc grana in illud fertile ſolum proijci poſſunt, quia ſinapis inſtar, è minima ſua humilitate, in maximum æternæ gloriæ fructum creſcere queunt. Docent Philoſophi cum Ariſtotele 1. Phiſycorum cap. 4. 36. & 2. de Anima cap. 4. tex. 41 & 4. de generatione animalium, cap. 4. Viuentia creata non poſſe augeri & creſcere, ſine certo fine & menſura ; ſed omnia habere certum conſiſtentiæ terminum, ad quem cùm peruenerint, omnis augmentatio ceſſat. rationem aſſignant ; quia in viuentibus calor vitalis, & humidum radicale, ſunt inſtrumenta augmentationis, quæ quia reagentibus alimentis, ſenſim debilitantur, & imminuuntur ; eò tandem deuenitur, vt in viuentibus defectu horum inſtrumentorum, deficiat & vis augmentatrix. In ſolo cæleſti regno, diuerſa vis creſcendi & augmentandi reperitur ; ibi enim quodcunq; granum ſeminatum eſt, per gratiam in immenſum augeri poteſt : etenim cùm inſtrumenta augmentationis iuſtorum ſint, gratia & charitas quæ tantùm abeſt, vt delicato illo diuinæ viſionis alimento debilitentur ; vt potiùs roborentur magis ac magis ; idcircò homo quoties per ſua opera meritoria dignus fit, vt in cœleſti illa turma velut granum ſeminis aſſeruetur, tantam vim acquirit, vt ampliùs & ampliùs in Dei charitate augeri, & creſcere poſſit ; idcirco hac copioſa cælorum fructificatione, allicere puto voluit Deus vniuerſam creaturam, ad quærendum hoc regnum. Grano ſinapis illud comparat, quia nobis ex minutiſſimis rebus multos profert fructus, dùm ex exigua terræ portione puriſſimum generat aurum, ex minimis puluerибus pretioſa gignit metalla, ex paucis rore cadente guttis, inæſtimabiles producit vniones : ex gelida glacie, diaphanam cryſtallum : ex arena maris ; adamantas, & lapillos ; vt ſic ex his,

Viuentia creata nõ poſſũt creſcere in immenſum.

quæ animus nouit, & quæ nobis quotidiè cælum generat, surgat mens nostra ad incognita, quæ non nouit, & quæ vastissimo illo cæli ambitu continentur; vtq; exemplo se visibilium, ad inuisibilia rapiat. Quare quoniam Christus eo fine nobis hodiernam parabolam proponit, vt nos ad cæleste regnum conuocare possit: regnum hoc dirigente Spiritu sancto considerabimus, & hanc eius cum grano sinapis similitudinem scrutabimur, vt intelligamus, nos omnes in regno Dei debere esse grana sinapis.

Regnum cælorum cuius hodiè mentionem facit Christus, est ipsa Ecclesia in terris agens: quæ veluti granum quoddam seminatum in mundo, perpetuò crescit, & ad maius debitæ in dies perfectionis incrementum assurgit; quæ ideò regnum cælorum dicitur, quia Christus in cælo residens Ephes. 1. caput illius est, & Rex, Ephesiorum primò. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Quia Regina cælorum, virgo sanctissima, est collum eius; sicut enim à collo exit caput; sic ab ipsa natus est Christus, caput hominum Matth. 1. & Angelorum. Matth. 1. *De qua natus est Iesus.* regnum est cælorum Ecclesia: quia oculos perspicacissimos, velut solem & lunam habet, Antistites: qui tanquàm vigiles speculatores sublimi locò positi, hostium insidias & dolos explorant, & quasi pastores seduli, conscendentes in montis verticem, gregem suum per pascua vagantem perspiciunt, vt si quando in aliena, aut vetita intrauerit, eundem coerceant. Regnum cælorum est Ecclesia, quia vt cælum linguas habet Angelos; sic Ecclesia Doctores, qui eam instituunt, & illi verbum Dei interpretantur. quales sunt Chrysosthomus, Augustinus, Ambrosius, plusquàm Delphica & Apollinea mysticæ & Scholasticæ Theologiæ oracula. Regnum cælorum est Ecclesia, quia vt cælum stellas habet, quasi dentes, quæ sua luce incomprehensam Dei omnipotentiam nobis manifestant; sic in Ecclesia Christi, dentium vice funguntur Euangelici verbi promulgatores, qui alimenta spiritualia sermonibus frangunt, id est, diuina verba multipliciter & minutatim explicantes, ad animarum nostrarum vtilitatem & virtutum incrementum. Regnum cælorum est Ecclesia, quia vt cælum aures habet, orientem & occidentem, quibus incomprehensam Dei sapientiam omnibus annuntiat; sic in Ecclesia Christi aurium munus sustinent sacramenti pœnitentiæ ministri, dùm peccata veluti occasum quendam in animis verè pœnitentium abolent, & mox eosdem, ad orientem in cordibus eorum Christi gratiam reducunt. Regnum cœlorum est Ecclesia; vt enim cælum duos habet axes, in quibus voluitur, polum scilicet arcticum, & Antarcticum; sic Ecclesia axium loco habet misericordes in egenos, qui eleemosynas indigentibus largiuntur. Regnum deniq; cælorum est Ecclesia, quia ab ipso Deo per fidem, spem, charitatem, gratiam, & alia cælestia dona regitur · quia eius origo de cælo est; quia legibus cælestibus gubernatur, & finem ad quem tendit, nō alium habet; quàm cælum. de hoc regno ait Apostolus. Lucæ 15. *regnum Dei inter vos est, quod non venit cum obseruatione.* id est; cum fastu arroganti, cum pompa sublimi, quemadmodùm regna istius mundi; sed cum humilitate & sanctitate, vt Ecclesia Christi: quæ primum grano sinapis comparatur, quia quemadmodùm granum sinapis in omnibus seminibus minimum est quantitate; sed virtute magnum, quia in fruticem & arborem excrescit; sic Deus suam Ecclesiam ab initio paruam esse voluit, quia deprauatæ hominum rationi repugnantem: inordinatis cupiditatibus contrariam; & insanienti in suis iniquitatibus mundo abiectissimam: fundamenta igitur & principia Christi Ecclesiæ fuerunt debilia & humilia, propter quod venerabilis Beda putat dominum dixisse discipulis suis: *Nolite timere pusillus grex, pusillum inquit gregem electorum vel ob comparationem maioris numeri reproborum, vel potiùs ob humilita-*

Lucæ. 15.

Beda.

humilitatis deuotionem nominat; quia videlicet Ecclesiam suam quantumlibet numerositate iam dilatatam, tamen vsq; ad finem sæculi in humilitate vult crescere, & ad promissum regnum humilitate peruenire. Sed ista Christi Ecclesia, virtute cælitùs sibi inditâ, magna est: quia in illa propaganda excellit immensa Dei potentia, & incomprehensa sapientia; siquidem ex tàm vilibus & humilibus principijs, gloriosam adeò & magnificam Ecclesiam pullulare fecit, quod in maximis quibusq rebus ostendere consueuit.

Magnum certè est opus creationis, quo tàm amplam mundi machinam produxit; & tamen si consideremus principium admirandi istius operis? certè minimum est: quia nihilum. Si spectemus & ipsum fundamentum, in quo totum hoc vniuersum voluit sustineri? minimum est: quia centrum terræ, & punctum quoddam. Alterum quoque omnipotentiæ diuinæ opus, scilicet redemptio, maximum est, & omne creatam excedens intelligentiam; & tamen tam nobilissimum opus in minimo fulcro Devs fundari voluit, scilicet in exinanitione verbi diuini, quando formam serui accepit, qui ab æterno æqualis Deo patri erat. Magnum est & tertium infinitæ Dei potentiæ opus, scilicet glorificatio nostra, & tamen & hoc ex minimo educitur fundamento, quia æternæ glorificationis primum fundamentum est humilitas, quæ æternæ beatitudinis in nobis fructum operatur. Et quid maius cogitari potest ipsa perfectione Christianâ? & hanc tamen Deus è minimis oriri voluit, & in minimis consistere: scilicet; in abnegatione sui ipsius, in mortificatione passionum animi, in patienti tolerantia aduersorum. Sed hæc omnia maximè in Ecclesia nostra elucent, quæ veluti granum sinapis, ex exiguis initijs magnum postmodùm incrementum diuinâ virtute fecit. exigua erant Ecclesiæ initia, quia in parua carne latentem Deum hominibus adorandum 1. Cor. 1. proponebat; quemadmodùm dicit Apostolus primæ Corint: 1. *Prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: irridebant doctrinam hanc mundi sapientes, & vt vilem conculcabant: ideoq; Christi Ecclesia in sua primæua paruitate & ignobilitate, grano sinapis meritò assimilatur.

Sed vt in paruo sinapis grano magna virtus est, & efficacia; quemadmodùm dicit sanctus Ambrosius serm: 1. *Granum sinapis prima fronte speciei sui paruum est, vile & despectum, non sapore præstans, non odorem circumferens: at vbi teri cæperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore, vt mirum sit in tam friuolis granis, tantùm ignem fuisse conclusum.* Sic planè Ecclesia Christi prima fronte vilis apparuit & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, sed vbi persecutorum sæuitia teri cæpit, statim acrimoniam in fide diuina ostendit, corda non solum fidelium; sed etiam barbarorum, igne diuini amoris succendens, omnemq; seruitutis diabolicæ impuritatem expolians, vt dicit Apostolus, Actorum 15. *Fide purificans corda eorum.* Effecit tunc Ecclesia Christi per doctrinam salutaris fidei, animas gentilium, quæ erant idola dæmonum, Dei viuentis tabernacula. vnde Ephesiorum. 3. dicitur. *Christum per fidem habitare in cordibus nostris, nosq; per fidem ad interiora tabernacula Dei ingredi, & profunda scrutari.* granum sinapis contritum, calorem & acrimoniam confert: Christi Ecclesia in salutari fide erecta, exercita laboribus, probata rebus arduis, persecutionibus agitata, compressa tyrannide, fortior extitit, nouos spiritus induit, & vim suam admirabilem ostendit. vnde sanctus August. serm. 21. de sanctis, pulchrè ait · *granum sinapis acrimoniam exerit, Christi Ecclesia dominicæ credulitatis odorem spirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa ardeat, & participantem sibi ardere compellat.*

S. Ambr.

Actor. 15

Ephes. 3.

S. August.

granum ſinapis membrorum viſcera calefacit, diuina in Eccleſia Chriſti fides ſuo vigore peccata hominum comburit, illud, aſperum algorem frigoris remouet, hæc delictorum diabolicorum frigus expellit, acediæ torporem diſcutit. ſinapis noxios humores decoquit corporum; Chriſti Eccleſia per fidei zelum libidinum fluenta conſumit. per illud, medicina capiti procuratur, per Chriſti Eccleſiæ fidem caput noſtrum ſpirituale, quod eſt Chriſtus, in ſuis membris fouetur. Inſuper ſicut ſinapi, quantò maiorem amaritudinem in ore ſumentis excitat, tantò plus ad vitæ ſanitatem conducit: quemadmodùm Ambroſius ſerm: 2. & Auguſt: ſerm: 33. inquiunt. Sicut cùm ſinapis ſuccum ſumimus, vultu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lachrymas prouacamur, & ipſam ſalubritatem corporis noſtri cum quodam fletu auſteritatis accipimus: illinc enim nos amaritudo exaſperat, acrimonia penetrat: hinc calor ignei ſaporis accendit, & toto perturbati corpore magis ſani efficimur, cùm ampliùs deploramus: ita omninò cùm in Eccleſia Chriſti fidei diuinæ præcepta percipimus, cõtriſtamur omninò, affligimur corpore, ad lachrymas prouocamur, & ipſam noſtram ſalutem cum quodam fletu & mærore proſequimur. dùm inde nos ieiunia exaſperant, hinc peccatorum conſcientia macerat. illinc patrimonij iactura perturbat, & toto contriſtati habitu magis ſalutem conſequimur, ſi ampliùs defleamus; quemadmodùm dicit Dominus. *Vos plorabitis, mundus verò gaudebit.*

S. Ambr.

Tertiam adhuc ſimilitudinem Eccleſia DEI habet cum grano ſinapis, quia quemadmodùm illud excreſcit in arborem, ita vt volucres cæli in ramis eius nidificare poſſint: ſic Eccleſia Dei per totum orbem dilatata eſt, adeò vt in ramis eius quiſq; mortalium nidum ſalutis æternæ habere poſſit. Cuius rei tres potiſſimùm in ſacra Scriptura figuræ fuerunt. Inprimis, Eſther. 10. Mardochæus in ſomno vidit paruum fontem, qui ſenſim creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit. Paruus iſte fons, ſanguinem é ſacratiſſimo Chriſti latere profluentem ſignificabat, cum quo ſimul initia Chriſti Eccleſiæ dimanârunt; ſed paruus iſte fons creuit in fluuium, quia totum iam orbem in aqua baptiſmatis abluit; in lucem & ſolem conuerſus eſt: quia illuminauit omnes mundi partes fidei lumine, & Chriſti diuinitatis agnitione. Altera figura habetur 3. Reg. 18. Vidit Elias nubeculam quaſi veſtigiũ hominis, quæ aſcendebat de mari, & ecce illâ contenebrati ſunt, & facta eſt pluuia grandis; nubecula hæc, Chriſti Eccleſiã ſymboliſabat, quæ eſt veſtigium hominis, quia verbi æterni cum carne vnionem nobis repræſentat; aſcendit de mari, quia é puriſſimo virginei ſanguinis rore cum Chriſto ſimul nata eſt: cælos obtenebrauit, quia tot martyribus, tot confeſſoribus, tot mirificâ fulgentibus ſanctitate hominibus, deſolata à deiectis dæmonibus, loca cæleſtia adimpleuit. facta eſt pluuia grandis, quia ſerpentem per omne mortalium genus originalem maculam aboleuit, & omnem ad pænas inferni reatum ſuſtulit. Tertia propagandæ Chriſti Eccleſiæ figura habetur Danielis 2. Vbi Daniel vidit lapidem, qui de monte abſciſſus eſt ſine manibus, & percuſſit ſtatuam; & factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Symbolum hoc erat glorioſæ per totum orbem futuræ Chriſti Eccleſiæ; quid enim lapis de monte abſciſſus ſine manibus, niſi fidelium Eccleſiam denotat? quæ ab alto delapſa eſt, & diuinis erecta miraculis, ſine manibus: id eſt; ſine armorum potentiâ & ſanguinis profuſione, ſed ſolâ diuinæ veritatis doctrinâ & prædicatione: percuſſit iſte lapis ſtatuam: id eſt; gentilium ſuperſtitionem, & barbarorum idololatriam: ad primum enim Chriſti Eccleſiæ in terris ortum, omnes collapſi ſunt errores. Factus eſt lapis iſte mons magnus, quem aquæ diluuij terrenæ iniquita-

Figuræ Eccleſiæ propagandæ.

quitatis, operire non valent, & in quem fuga omnibus ab inordinatis cupiditatibus oppreſſis patet, ſecuraq; habitatio conceditur. Impleuit deniq; iſte lapis vniuerſam terram? Quis enim locus, quæ regio cogitari poteſt? vbi Eccleſia Chriſti non creuerit; vbi fidei orthodoxæ lumen non affulſerit? vnde meritò Iſaiæ 2. hæc Eccleſia vocatur mons & domus Dei, quæ ipſius ſummi numinis myſteria edocet, & gloriam propagat, ſola omnipotentis virtute, conſeruata & dilatata. vt dicitur Iſaiæ 54. *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos: ad dexteram enim & ad leuam penetrabis.* id eſt; te protegente immenſe Deus, tua Eccleſia in orientem & occidentem vſq; pertinget. quod diuino afflatus ſpiritu prædixit Iſaias cap. 60. *Minimus* inquit *erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam.* id eſt; minimus Eccleſiæ ſurculus excreſcet in mille ramos, & plurimos germinabit fructus? id eſt, copioſam omnibus ſalutem conferet. Magnum igitur Eccleſiæ Chriſti incrementum, magnus ſplendor; magna exaltatio, magnum ſolium. Sed quid faciendum eſt, vt in ramis tàm fructiferæ arboris habitare poſſimus? neceſſe eſt nos grana ſinapis fieri.

Iſaiæ 54.

Ferunt Naturaliſtæ de grano ſinapis, quòd cùm caput ſanandum eſt, iubemur abraſos deponere capillos, impedimenta cutis vniuerſa deponere, & tunc primum nudo capiti impoſitũ ſinapis granũ fit efficaciſſima humano corpori medicina: ita ſanè anima noſtra curanda eſt, quia magnam peccatorum febrim patitur; ſed quæ medicina illi applicãda? fides quæ eſt veluti granum ſinapis; ſed vt noſtris medeatur animabus, priùs vult ſubſtantiam huius ſæculi à nobis auferri, impedimenta omnia, quæ potiſſimùm ſunt auaritia & cupiditas, deponi; & tunc primum nudæ & ſoli animæ applicata diuina fides, ſaluberrima fiet ſalutis medicina: quiſquis enim caducis iſtius mundi rebus & cupiditatibus obuolutus eſt, mentis ſuæ cogitationes & deſideria in illis infixa gerens, huic fidei medicina prodeſſe nequit. Amarum quidem eſt hoc granum, nòn inhærere tota mente terrenis rebus, ad quæ ſuo pondere corpus hoc noſtrum mortale propendet; ſed amarum duntaxat ſenſualitati & carni, non rationi. Pulchrè hoc in ſcriptura Angelus DEI expreſſit, qui Apocal. 10. Ioanni librum deuorandum porrexit, inquiens: *Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Venter noſter eſt ſenſualitas, os animæ, intellectus & ratio; liber vitæ, in quo ſalus noſtra & prædeſtinatio ſcripta eſt, eſt fides bonis operibus adornata, hunc librum amarum eſſe ſenſualitati, agnoſcimus, quia hæc ad otium & voluptatem, ad delicias & lapſum inclinat; in ardua verò virtutum tendere renuit: amarus eſt, quia petulantiam còërcet, & deprauatæ naturæ licentiam comprimit; ſed in ore dulcedinem parit: quia veritatem rationi aperit, & viam cæli intellectui oſtendit. Plinius libro 20. quàm ſit ſalubre granum ſinapis teſtatur, inquiens: ſinapis in nares & cerebrum penetrat, ad ſerpentum ictus & ſcorpionum tritum cum aceto illinitur, contra pituitam tenetur in ore, ad dentium dolorem manditur, ſtomacho vtiliſſimum contra omnia vitia. ecce vt in ramis nouæ & frugiferæ arboris Chriſti Eccleſiæ habitare, & omnes venenoſos peccatorum ictus ſanare poſſimus, granum ſinapis hodiè nobis Chriſtus proponit; verbum ſcilicet diuinum, in cuius ſalutaris verbi contemplatione, dùm intentiùs immoramur velut grana ſinapis in ſublimè creſcimus, ad ipſum vſq; cælum pietatis operibus pertingendo. Penetrat hoc Dei verbum nares, quia intellectum noſtrum phantaſmatibus obtenebratum illuminat. Pſal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Penetrat & in cerebrum, quia voluntatem noſtram malis affectam paſſionibus purificat. Ioan. 15. *Iam vos mundi eſtis*

Apoc. 10.

di estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Deniq; verbum Dei efficax est ad sanandos serpentum & scorpionum morsus, id est; dæmonum insidias, & tentationes. Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones*, id iest, super dæmones, vt exponit Athanasius in Psal. 28. Granum sinapis nos vult fieri Deus, vt in ramis Christi Ecclesiæ habitemus, id est; vt efficiamur parua grana nosmetipsos minimos existimando, inter electa Dei vasa: requirit hanc paruitatem scriptura à nobis tertij Reg. 4. in opere Elisæi puerum a mortuis excitantis, qui tam inusitatum opus effecturus, clausit ostium post se, atq; ita seipsum puero æquandum contraxit, vt oculis oculos, os ori, manus manibus, ac pedes pedibus componeret. Admiratur hic intellectus humanus, quomodò viri illius proceritas, cum paruitate pueri æquari potuit? sed æqualitas ista fuit humilitatis & innocentiæ, dùm in summa humilitate, dùm in vitæ integritate & innocentia quasi infans feruenter Dei omnipotentiam inuocaret. Et talem nostri cum grano sinapis æquationem vult Deus, vt in nobis abundet humilitas ea, vt nosmetipsos agnoscamus esse minimos in conspectu Dei, quasi atomos & pulueres, vt in nobis appareat vitæ innocentia, quæ est in infantibus, hoc est vt immunes simus ab omni terrena labe, vt in deprauata natura nostra luceat omnis modestia & carnis abstinentia, hæc autem facere nequimus, quamdiu pabulum mundi nostræ carni non adimamus: quia dicit scriptura, *homo factus est quasi equus & mulus quibus non est intellectus.* Vbi Psalmista deprauatam naturam nostram, cùm effrenato equo comparat, quia si voluptates terrenas illi A non minuimus, facilè nos vt equus insolescens in abyssum inferni adducit. Scribit Chalchondyla lib. 3. Baiazetem Turcarum Imperatorem habuisse celerrimum equum, cuius veloci cursu fugit Tamerlanem, sed cum in fuga fluuium quendam tranaret, permisit, vt æstuans equus sibi largiùs biberet, & ecce grauior factus equus, herum hosti insequenti prodidit, à quo pòstea in ferream caueam compactus est. equus iste velocissimus hominis naturam denotat, quæ suis desi- B derijs ad bibendam mundanæ corruptionis & instabilitatis aquam, quasi volatu quodam propendet. Verùm si transeundo flumen hoc prætereuntis vanitatis, indulserimus nostræ carni, si concesserimus quas desiderat voluptates, facilè nos grauior facta pondere isto terreno perdet, & in manus circuientis perpetuò hostis tradet, iuxta illud Ecclesiast: 18. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, facies te in gaudium inimicis tuis.* Eccles: 18

Quare habemus hodiè regnum cæ- C lorum ad quod nos Christus inuitat, sed semen istius regni est Ecclesia; in qua priùs per gratiam IESV Christi seminari nos oportet, quæ est semen æternæ gloriæ; idcircò cùm arbor ista fructifera, habet ramos protensos, scilicet Dei misericordiam, & bonitatem, sanctorum patrocinium & supplicationem, curemus hodiè fieri grana sinapis, vt seminati in Ecclesia Christi, excrescamus in arborem, vt hos attingamus ramos, vt & infinita Dei misericordia nos in suam grati- D am recipere, & immensa bonitas conseruare, & sanctorum patrocinia velut rami nostram sustinere infirmitatem dignentur, Amen.



DOMI-

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ,

CONCIO PRIMA.

Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. *Matthæi 20.*

Ostenditur quid nomine vineæ intelligi debeat, & qualis merces in ea laborantibus promittatur.



B humano DEVS vsu ne latum quidem digitum discedere vult: præmijs illi virtutem in ardua prouocant; humanam quoque DEVS mentem muneribus promissis ad arduum vineæ suæ laborem allicere cupit. & quò faciliùs vocanti generosa hominis consentiat indoles, contractibus fidem suam roborat, ne consentientes in negotium laboris, de accipiendo munere desperent. Quis enim quidpiam speraret à DEO, nisi fide crederet promissa sibi esse ab eo præmia. Itaque sequi voluit consuetudinem humanam æternus ille Paterfamilias. Refert Lucianus in Herodot. Romanos olim sollicitos fuisse, vt in ludis olympicis pulcherrimas imagines habere possent; sed cùm id frustra attentarent, iustum proposuerunt præmium, quicunque pictorum pulcherrimam in medium proferret imaginem. Sed palmam omnibus præripuit insignis ille pictor Ælius, qui (Artificiosa nuptiarum delineatio.) subtiliter admodùm & nimis artificiosè in exigua tabula nuptias Alexandri magni, cum Roxane filia Regis Darij descripserat: vbi omni colorum varietate & pulchritudine depinxit in vna parte Alexandrum iuuenem venustum, aurea circumdatum chlamyde, coronam manu porrigentem Roxanes sponsæ suæ, quæ ex altera parte stabat plena venustatis, multæque formæ depicta puella, in medio autem illorum pinxit thalamum, aureis ab eo cortinis pendentibus, ante quod sedebat Hymenæus (quem antiqui Deum putabant nu- A ptiarum) accensam lucernam in manu tenens, vtrumque verò sponsum circumdabant varij cupidines ridentes: inter quos à tergo Roxanes sponsæ aderat vnus, qui clanculum mira subtilitate ornamenta capitis illius detrahebat, & subridens eadem porrigebat Alexandro: alter verò inter purpuram Regis iacebat, impellens Alexandrum in locum Roxanes sponsæ suæ. Sed ecce hodiernus quoque Euangelista, singulari artificio depingit nobis speciosum formâ præ fi- B lijs hominum, Christum scilicet IESVM, qui contractus nuptiales cum anima fideli contrahere vult: hoc vnum postulans, vt stemus à latere eius; de cuius profluente sanguine omnem mundiciem accepimus. Ecce thalamum nuptialem posuit in vinea sua; scilicet in Ecclesia, cui astant cupidines inextincti: scilicet; diuini amoris ignes ad celebrandos hosce contractus cum Deo nos impellentes. Considerabimus igitur, quænam sit ista vinea, & quale iustum seu mer- C ces, quam nobis promittit Christus.

Vinea triplicem habet sensum iuxta mentem Doctorum: literalem, Allegoricum, & Moralem. Literaliter significat Synagogam, teste Propheta (Isaiæ 6.) Isaiæ 5. *Vinea Domini Sabaoth, domus Israël, viri Iuda, germen eius delectabile.* huius vineæ vites fuerunt Prophetæ sancti; agricolæ verò ipsius principes sacerdotum. Sed in hac vinea Domini succrescentes inutiles vrticæ, pulcherrimas & fructiferas illas vites, viros scilicet iustos suffocarunt. quod innuit Sapiens Prou. 24. *Per agrum* (Prou. 24.)

inquit

inquit *pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum operuerunt vrticæ, & repleuerant ſuperficiem eius ſpinæ.* Etenim Synagoga illa, quæ ante in Dei laudem propagandam fuit ædificata, incarnato poſtmodum eius filio, in omnem contumeliam & opprobrium verſa eſt.

Deinde, ſenſu Allegorico ſignificat Eccleſiam ſanctã Catholicam, quam ipſe Deus in omni ſanctitate & infallibilitate fundare voluit, vt nil niſi optimum, nil niſi Deo dignum pro-
Hierem. 2. duceret : iuxta illud Ieremiæ 2. *Ego te plantaui vineam electam, omne ſemen verum.* Hanc vineam quia Deus voluit eſſe indefectibilem, ſed ad conſummationem vſq; ſæculi duraturam, conſtruxit circa eam murum, & ſepem, ædificauitque in ornamentum eius turrim, & torcular. Et certè murus & ſepes huius Eccleſiæ, ſunt cuſtodiæ & protectiones Angelorum, eam ab omni incurſu ferarum, dæmonum ſcilicet & vitiorum, protegentium. Turris ipſius, eſt ſpecialis Dei prouidentia, & ſublimis doctrina, quã ſe ad cælum vſq; attollit, & contra inſurgentium hæreſum turbines firma, atque errorum nebulas inexpugnabilis manet. Torcular eius, eſt multitudo ſacramentorum atq; ſacrificiorum, in quibus Chriſti paſſionis memoria recolitur, & dulce ſalutis vinum propinatur fidelibus. Structuram huius vineæ, (ſcilicet Chriſti Eccleſiæ) vidit quondam Ezechiel c. 40. Vbi vidit templum in tres partes diuiſum, prima eius pars dicebatur *vulgi locus* ideò, quòd mundis pariter & immundis patebat : altera pars vocabatur *atrium exterius*, ſeu *ſanctuarium*, ideò, quòd non niſi iuſto populo, & Deo ſanctificato illam licuit ingredi. Tertia verò pars vocabatur *atrium interius* ideo, quia ſacrificijs offerendis erat præparata, quam ingredi nulli licuit, præterquàm altaris miniſtro. Et quid tres templi partes niſi Eccleſiam Chriſti figurabant ? Deo qui vnus eſt in eſſentia, & trinus in perſonis, conſecratam. Prima pars iſtius templi, eſt *locus vulgi*, quia & bonis & malis, & fidelibus & perfidis, ingreſſus ad illam patet, dummodò per ianuam baptiſmi intrent. Altera Chriſti Eccleſiæ pars, eſt *atrium exterius*, ſcilicet theſaurus Chriſti meritorum, in iuuamen credenti populo relictus, è quo nulla vtilitas dimanare poteſt, niſi in membra viuificata fide, & ſanata gratia habituali. Demùm, tertia pars iſtius Eccleſiæ, eſt *atrium interius*, ſcilicet lumen Spiritus ſancti, dùm homo diuinis præſens ſacrificijs, ſub ſpeciebus ſacramentalibus, non tantùm fide imputat ibi Deum eſſe; ſed veram eius exiſtentiam & realem agnoſcit, ac veneratur. Ad quem locum non iam patet aditus peruerſis hæreticis, qui in ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento non agnoſcunt Dei præſentiam, ſed fide tantùm aſſequuntur : quos ipſamet naturalis ratio confundere poteſt. Si enim credunt ibi Deum eſſe, certè cùm fides ſit non apparentium rerum, ne fides hæc illorum ſit otioſa, aliquid præſupponere debent inuiſibile : (quod certè ipſemet erit Deus) vt eum non tantùm credant, ſed de facto eſſe agnoſcant, & adorent. Nec etiam malis Catholicis ad hanc alteram Eccleſiæ partem, ſcilicet ad Spiritus ſancti illuminationem datur acceſſus, quorum creſcentibus peccatis, etiam auerſio Dei ita creſcit, vt non raro ampliùs eos reſpicere nolit. Et certè recoligant ſe omnes, an nunc poſſent meritò illud Prophetæ dictum vſurpare : *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* certè videbunt conſcientias ſuas plenas eſſe nebularum, plenas vani tumoris. vidit quondam Ezechiel in illo templo tres portas, vna erat verſùs ſeptemtrionem, altera verſùs Meridiem, tertia verſùs Orientem. Quid myſterij quæſo portæ illæ habebant ? certè hoc, quia cùm pars ſeptemtrionis ſit frigidiſſima, quicunque per portam ſeptemtrionalem Chriſti Eccleſiam ingrediuntur, dùm eorum conſcientia tenebris peccatorum obfuſcata eſt, & mens Spiritus ſancti calore ac Dei amore frigeſcit, illi tantum modò vulgi atrio conti-

continentur, ne plus in conſpectu Dei habeant, niſi quòd homines ſint. Sed per Orientale portã intrare neceſſum eſt, vt in cordib⁹ eorũ noua lux Chriſti oriatur : feliciſſimi verò qui per portã meridiei introeunt, dùm ſcilicet cæleſtis ille Sol recto fulgore iuſtificatas eorũ mentes illuſtrat, & ſecretas per ſeipſum Deus præbet reuelationes.

Tertiò, ſenſu morali vinea ſignificat animam iuſtificatam, vt docet Chryſoſt: homil. 34. in opere im-
S. Chryſ. perfectò, inquiens : *Chriſtus cui cæli & terra quaſi vna eſt domus, familia autem cœleſtium terreſtrium & omnium creaturarum vinea, eius iuſtitia eſt.* quaſi diceret ; iuſti anima, quam Dominus excolit gratiâ ſuâ irrigando, & lumine interno Spiritus ſancti calefaciendo : hæc vinea parturit pulchras vites, quia virtutes cœlo dignas : producit varios & delicatos fructus, nimirùm manſuetudinem, caſtitatem, patientiam, cæteraq; pietatis opera : ſed principalem curam huius vineæ ſoli commiſit homini, vt ille propter naturalem corporis cum anima coniunctionem, omnem mouere velit lapidem, ne tàm pulcherrimo fructu mens eius vacua relinquatur.

Deniq; ſenſu Anagogico, vinea ſignificat gloriam æternam, ad quam conditi ſumus, & electi ſumus per gratiam IESV Chriſti, iuxta illud Ioann. 15. *Ego vos elegi, vt eatis, &*
Ioan. 15. *fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Ad hanc vineam cœleſtis ille Paterfamilias exit omni hora, vt aliquos introducat operarios : id eſt ; omni ætate. *Exiit* inquit ſcriptura *primo mane.* quaſi diceret ; prima mundi ætate, quæ durauit ab Adamo vſq; ad Noë : vbi omnes per ſola interna rationis dictamina ad beatitudinis ianuam vocabat. Egreſſus eſt circa horam tertiam, id eſt, ſecunda ætate, quæ à Noë vſque ad Abrahamum durauit. Exijt iterùm circa ſextam horam, id eſt ; tertia ætate, quæ ab Abrahamo vſque ad Moyſen permanſit : vbi per Patriarchas iuſtos, certa illis proponebat documenta, quomodò ad brauium æternitatis currere poſſent. Rurſùs exijt & hora nona, id eſt ; quarta ætate, quæ à Moyſe ad aduentum Chriſti vſq; pertingit : vbi prophetarum oraculis, mentes hominum erudiebat, quomodò à præfixo ſibi æternitatis termino non aberrarent. deniq; exijt etiam circa horam vndecimam, id eſt ; vltima hac noſtra ætate, quâ Chriſtus naſci voluit, vt præſentia ſuâ, & doctrinâ defectum humanæ imbecillitatis in cognoſcendo DEO suppleret : tum, vt Apoſtolicis traditionibus hominem in ſua fide ſtabiliret. Et certè magna veniente in mundum DEO huius vineæ apparuit fertilitas, quia per incultiſſimos etiam populos vbique gentium & terrarum propagata eſt, atteſtante Paulo : *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* Et in hac certè ſua vocatione Deus, ſummam prouidentiam atque benignitatem circa ſalutem noſtram oſtendit, quia omni ætate, omni tempore exire voluit, vt nouum ſemper in creatura operaretur effectum ; ſcilicet ſui ipſius cognitionem. Quod fatetur D. Auguſt: ſerm: 59. de verbo Do-
S. Auguſt. mini : *Hoc eſt* inquit *exire patremfamilias, innoteſcere ; quoniam qui in domo eſt, in atrio eſt, nec videtur ab eis, qui foris ſunt : cùm autem exijt de domo, videtur ab eis, qui foris ſunt. Chriſtus ſimiliter quandò non intelligitur, & nõ cognoſcitur, in ſecreto eſt : quandò autem cognoſcitur, exijt conducere.* Deus igitur non aliter exit, vt nos in vineam ſuam introducat, niſi per ſuam prouidentiam, & miſericordiam humanæ ſalutis cauſam agens, ſeq; ipſum & ſuam voluntatem nobis patefaciens, vt eam cognitam promptius exequendo, ſalu-
Ioann. 5. te optatâ potiamur, iuxta illud Ioann. 5. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me Chriſtus loquitur,*

Exit Deus vt nos vineæ ſuæ participes efficiat, per internam gratiam intellectum mirabiliter illuminans, & pertinacem voluntatem in ſui obſequium ſuauiter inclinans, vt dicitur
Apocal. 3. Apocal. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit*

rit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Vocantem igitur sequi Deum, & vineam eius introire, quid est aliud, nisi quamdiu viuit homo, bonis operibus insudare? quorum tanta est necessitas, vt sine illis fides sit mortua: nec aliter quisquam salutem adipisci potest, nisi piè laborado, cùm nil nisi duro vita labore det mortalibus. Ad quod demonstrandum apud Ethnicos, Iupiter omnia habuit venalia labore: siquidem homines nihil agendo, tantùm abest, vt aliquid mereantur, vt
Loërtius, potiùs vitia imbibant: vt dicit Laërt. lib. 6. *Homines nil agendo, malè agere discũt.* idcircò lege sancitum erat apud Ægyptios, ad vitandum otium, vt singuli nomina sua apud præsidem profiterentur, & quâ quisque viueret arte, ostenderet: quod si quis repertus esset, qui iniusto viueret quæstu, capite plectebatur. Quid modò magis in patria nostra consulendum, & inspiciendum esset, nisi vt iniusta viuendi ratio auferatur? dum omnes laborem fugiunt, & ad latrocinia, spoliationes, rapinas, & quod magis dolendum, ad cædes innocentum se conferunt: nec vlli labore viuendum esse placet; sed iniusto quæstu, & Dei læsiuo, scilicet adulterijs, & prostitutionibus vitæ suæ consulere cupiunt: quasi solius corporis, & non etiam animæ curam gerere debeant. verùm audiant Apostolum
1. Cor. 3. 1. Corint. 3. dicentem, *vnusquisq; propriam mercedem accipiet, secundùm laborem suum.* Sed insurgent fortassè Hæretici, hominem ab æterno prædestinatum esse ad æternitatis gloriam, ex mera & gratuita Dei liberalitate,
Ephes. 2. iuxta illud Ephes. 2. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, & quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* idcircò, cùm Deus gratis hominem elegerit ad beatitudinem, non est homini tantoperè curandum,
Prædestinatio quid sit. & laborandum: siquidem gratuita dona, & certò homini destinata, etiam minimè laboranti infallibiliter conferuntur. Sed litem dirimit D. August: libro de prædestinatione. 15. cap. 10. Vbi dicit: prædestinationem nihil aliud esse, quam præparationem gratiæ efficacis, cuius vsu certissimò liberatur, cuicunq; illa confertur: gratiam verò ipsam esse talis beneficij donationem. Prædestinauit igitur Deus hominem ad gloriam gratuitò, hoc est; præparauit illi danda auxilia ad salutem efficacissima, sed illa postea conferre non vult homini in tempore, nisi propter merita. Quod tetigit D. August: serm: 3. de
S. August. verbis Domini inquiens: *Quos voluit, inquit, hos elegit: elegit autem secundùm suam gratiam, & secundùm illorum iustitiam.* Quasi diceret; ex Dei gratia homo conditus & electus es ad gloriam, sed vt illam obtineas, iustitiâ opus est: vt scilicet bonis operibus eam merearis, ne scilicet cum pudore tantum Dei beneficium suscipias, si nulla ad illud habendum, dignitas in te reperiatur. Et licet Deus operibus nostris non egeat, iuxta
Psal. 15. illud Psal. 15. *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* grata nihilominùs sunt ei, quia non tantum benè merendo de Deo, supremum eius dominium recognoscimus; sed etiam nostræ in eum gratitudinis manifestum perhibemus affectum: & quod caput rei, facilè ad benefaciendum nobis illum flectimus. Ad quod significandum Antiqui pingebant Iouem tribus fulminibus vniuersam terram concutientem, & extento brachio mundo minitantem: & ecce vt primum ei thus oblatum erat, retraxit manum furoremque deposuit. Æternus pariter trinusq; & vnus Deus, tribus plerumq; fulminibus orbem terrarum tremefacere solet, scilicet peste, fame, & bello: & extento brachio, duo iam fulmina in patriam nostram proiecit: gladium scilicet hostis, & pestem in aliquibus iam grassantem locis. tertium adhuc in sua omnipotenti dextera tenet, nimirum famem: vt scilicet thure meritorum nostrorum occurramus ei, quo placatus, retrahat manum, & iram deponat. atq; præparata salutis beneficia ab æterno propter merita nostra

exigua;

exigua; nobis in tempore conferre velit. Cùm igitur æterna gloria contineat in se & gratiam, & mercedem: idcircò prædestinati quidem sumus gratis ad semen gloriæ æternæ, quod est gratia; quâ salui sumus. Sed ad gloriam vt mercedem, nonnisi ex meritis sumus electi, quia merces solis datur operibus. Quod tetigit Christus in hodierno Euangelio, inquiens:
Matth. 20. *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis.* Quasi diceret; quantum laborando promerueritis, tantùm præmij accepturi estis, & cùm nostra opera nullam in se habeant dignitatem, vt vitam æternam pro-
Rom. 8. mereri possint. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* idcircò Deus pactum inire voluit cum homine, quò opera nostra fundata in gratia & meritis Christi, grata sibi esse, & non tantùm ex gratia, sed etiam ex iustitia meritoria vi-
1. Cor. 5. tæ æternæ ostenderet, iuxta illud 1. Corint. 5. *Fratres stabiles estote, abundantes in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non sit inanis in Domino.* Miratur hic D. August: in Ps: 93.
S. August. dicens: *Quid tam venale habes Domine, quod nostris operibus bonis commutare vis? si regnum cœlorum quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Quod confirmat Beda. serm: 18.
Beda. de Sanctis: *Regnum inquit cœlorum in tuâ est potestate ò homo! aliud pretium non quærit, quàm teipsum: te da, & habebis illud. Non turberis de pretio: si enim Christus semetipsum tradidit, vt acquireret te in regnum Deo Patri; ita & tu teipsum da, vt possideas regnum eius.* Sed fortassè ab hoc labore in excolenda Christi vinea, remouet nos exigua merces, quam Deus pro-
Denarius quid significat. misit: scilicet denarius. Nam ex denario omnes conducti sumus. Sed denarius iste magni valoris est, quia regis imaginem habet, scilicet Dei præsentiam: quâ nihil carius cogitari potest. ideoq; iuxta Sanctorum Patrum mentem, beatitudinem & claram Dei visionem significat. Et quemadmodùm denarius decem germanicos continet; sic denarij istius pretium in decem consistit.

Primò in lucidissima claritate: etenim inquiunt Doctores, beatis in cæ-
Beatorum decē prærogatiuæ. lo infundi lumen gloriæ, quod ita suo splendore clarificat & eleuat oculos illorum, vt inaccessam illam Dei præsentiæ lucem, quam Angelorum oculi sine velamine sustinere nequeunt, clarè intueri valeat, fiatq; homo velut fulgidum in conspectu Dei a-
Matth. 13. strum, iuxta illud Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei.* hæc claritas Sanctis Dei erit pro ornamento gloriæ, hæc pro veste & indumento regio, hæc pro diademate aureo rubinis & adamantibus fulgente. Quod
S. August. considerans D. August: in Manuali cap. 13. animam suam ad curandam hanc claritatem incitat, inquiens: *ò anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tollerare, vt Christum in gloria sua videre possimus, & sanctis eius sociari, nonne dignum esset? pati omne quod triste est, vt tanti boni & luminis participes haberemur..* Et licet Devs omnib' æqualem promiserit mercedē scilicet denarium: id est; seipsum clarè videndum; non omnes tamen eandem luminis copiam habebunt, quia pro quantitate meritorum confertur, adeò vt quò quisq; plura meruit, maius etiam habeat lumen gloriæ: nimirum & in intensione quoad claritatem, & in extensione quoad pluralitatem obiectorum secundario-
1. Cor. 15. rum. Quod docet Apostolus 1. Corinth. 15. *Stella inquit differt à stella in claritate, sic erit & in resurrectione mortuorum.* Quasi diceret; sicut non omnes stellæ sunt æquè splendentes, sed quædam plus luminis, quædam minus habent; sic planè quantò homo plura secum merita afferet resurgens in iudicium Dei, tantò maiorem luminis plenitudinem præ alijs accipiet.

Secundò, pretium huius mercedis nostris debitæ operibus, consistit in Angelica subtilitate: quia quemadmodùm solis radius penetrat

vitrum

vitrum, ſicut fulgur ab Oriente in occidentem patet, vt Angelus penetrat turres & palatia, ex duriſſimo lapide fabricata : ſic planè beata anima, non quidem vi naturæ vt ſol, & Angelus, ſed virtute Dei illam glorificantis, ad talem quoque erigetur ſubtilitatem, vt videndo Deum, ſimul videat ea, quæ in terris aguntur, in verbo diuino : cuius eſſentia velut ſpeculum hæc omnia beatæ animæ repræſentabit. Senſit hanc ſubtilitatem B. Agathon Abbas, qui triduum ante mortem apertos oculos & immobiles tenuit, apparenti tunc ſibi Deo defixos. certè ſi iuſtus vir iam planè moribundꝰ, & corporis, & mentis, ſimul oculis immobiliter in conſpectu DEI hærebat, quantò magis beata in æternitate anima, apertis & per omne æuum immobiliter fixisꝰ oculis, delicium illud, præſentem Deum intuebitur.

B. Agathõ ante mortem tribus diebus defixis oculis iacebat propter diuinam apparitioné.

Tertiò, merces bonis operibus promiſſa, conſiſtit in cæleſti agilitate : agilitas cœleſtis conſiſtit in mira celeritate, ita vt totum orbem terrarum, intra vnius diei ſpatium circumagat: beatarum quoq; animarum tanta futura eſt in cœlis agilitas, vt ſicut in terris viuendo, admirabili interiorum ſenſuum velocitate totiſq; deſiderijs ac pijs affectibus, in cœlum vſq; pertingebant ; ſic planè in cœlo videndo hominum poſtulationes ad ſe directas, illicò in terras deſcendant in opitulationem mortalium.

Quartò, merces nobis debita conſiſtit in impaſſibilitate, hoc enim ſingulare donum habebunt animæ iuſtorum, quòd ſicut per multas tribulationes intrauerunt in regnum cœlorum, vt dicit Paulus 1. Corinth. 12. *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* ita planè in cælo tantam animæ ſanctorum induent impaſſibilitatem, vt licet per impoſſibile anima beata in medijs inferorum pœnis ſtatueretur, nihil ibi pati poſſet, quia præſente Deo vbique gaudium inæſtimabile. Ad cuius rei illuſtrationem D. Hieronymus in vitis Sanctorum, nobile exemplum allegat de quodam Religioſo, qui cùm iniuſtè citatus eſſet apud quendam Principem ſæcularem, fatigatus veniens in curiam, per quàm radius ſolis protendebatur, depoſito pallio ſuper radium ſolis proiecit, & ſuſpendit, quò conſpecto Iudex innocentem, & ſolaris inſtar radij impaſſibilem eſſe debere iudicauit. Mortalium vita quid aliud niſi perpetuas apud mundum patitur accuſationes : ſed vbi temporaneis & in laudem Dei ſuſceptis laboribus laſſati, hoc mœroris pallium in radio æternæ gloriæ ſuſpenderint, omnimodam induent impaſſibilitatem.

1. Cor. 12.

Religioſus quidam in radio ſolis pallium ſuſpendit.

Quintò adhuc, denarius pro labore promiſſus, conſiſtit in mutua ſæculorum ſocietate ; & certè ſi magnum eſt, quòd Deus homini in terris viuenti promiſit Angelorum tutelam, & aſſiſtentiam. Pſal. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* certè longè maior futura eſt dulcedo, dùm cum Angelis in ſocietate regnabunt : maior enim felicitas eſt, Angelos & beatos habere ſocios ; quàm Reges & Magnatesꝰ.

Pſal. 90.

Sextò, merces æterna conſiſtit in omnimoda iucunditate, quam homo quamdiu viuit in terris habere nequit : quia illum ſæpè multæ miſeriæ perturbant, & mors ipſa omnem interrumpit lætitiam; in cœlis verò vbi homo Deum præſentem aſpiciet, tantis affluet voluptatibns, vt omnia eius impleta deſideria maneant ; nec quicquam illum amplius perturbare poterit : ſed inexhauſta ab intellectu creato lætitia, ita ſuauiter mentem eius perfundet, vt in æterno gaudio nullum patiatur tædium, ſed inenarrandam ſentiat delectationem.

Septimus iſtius mercedis ſplendor eſt, ardentiſſimꝰ diuinæ charitatis feruor : tanto enim beati in Deum æſtuabunt amore, vt eum perpetuò magis ac magis diligere velint, idque ideò, quòd Dei charitas vltimum magnitudinis ſuæ terminum non habeat, cuius figura habetur Leuit. 6. Vbi inquit ſcriptura : *Ignis ſemper ardebit in altari,*

Leuitic. 6.

altari, quem nutriet Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. Chriſtus nutriet ſuâ præſentia in beatis, vt nunquàm extinguatur.

Octauum æternæ mercedis pretium eſt, viſio glorioſæ humanitatisꝰ Chriſti : ſicut enim ſumma beatitudo animæ noſtræ erit, dùm oculis mentis Dei eſſentiam & perſonalitates contemplabitur ; non minor certè & corporum glorioſorum futura eſt felicitas, dùm hiſce oculis corporeis, ſpecioſum Chriſti corpus videbunt, iuxta illud vaticinium iuſti Iob : *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.*. cuius conſpectum beatis eſſe gratiſſimum fatetur Propheta Iſaiæ 6. *gaudens* inquit *gaudebo in Domino.* Quaſi diceret ; gaudebo videns naturam humanam aſſumptam à diuina perſonalitate, & ita vnitam Deo, vt idem ſit Deus, qui & Homo ; & idem Homo, qui & Deus.

Iſaiæ 6.

Nonò, merces nobis promiſſa conſiſtit in perfecta ſanctiſſimæ Trinitatis fruitione : beatorum enim animæ habebunt hoc, vt non tantùm diuinam poſſideant viſionem, non tantùm Sanctiſſimæ Trinitatis vnitatem cognoſcant, ſed & perſonas ipſas clarè intueantur, quæ omnia fide in terris dum viuerent credebant, iuxta illud Apoſtoli : *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Refert Sacra Hiſtoria Iudic. 18. cùm filij Dan domum Michæ intrarent, inuenirentq; ibi Idolum conflatile, abſtulerunt illud. Quo cognito Michæas illas inſecutus clamauit : *Deos meos, quos mihi feci tuliſtis.* Vbi verò recuperauit Idolum, ita de poſſeſſione falſi illius dij lætabatur, vt omnem mœrorem deponeret. Recolligite vos boni Catholici, an tantùm habeatis in Deum verum amorem, quem iam fortaſſis è cordibus veſtris abſtulerunt peccata : ſed perſequimini illa cum zelo abominationis, vt non tantùm amiſſum recuperetis Deum, ſed æternam eius habeatis poſſeſſionem.

Iudic. 18.

Decimus iſtius denarij groſſus eſt, felicitas æternitatis, dùm homo non ampliùs metuet, ne gaudium illud amittat, ſed ſecurus per incircumſcriptam æternitatem poſſidebit. agnouit hanc felicitatem B. Clara, Ordinis Sancti Dominici Regis Indorum filia, quam 60. Angeli in cælum deferebant quotidiè, ibi eam Chriſtus cum Sanctiſſima Genitrice veſte gemmisꝰ diſtincta induebant. Hæc quoq; vos omnes æternitatis felicitas manet, ſi voci Chriſti obedientes, & conducti ab eo mercede denarij, id eſt vitæ æternæ, ita ſanctè laboraueritis, vt nòn tantùm veſtras in cœlum deferant animas, ſed ipſe quoq; Chriſtus veſte gemmis deſtincta lumine ſcilicet gloriæ vos induat, vt præſentem ſemper intueamini, cui laus, Honor, & poteſtas, in omnem æternitatem, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis. *Matth. 10.*

Deus ad ſuum obſequium trahit hominem opulentia, honore, præmio, & voluptate.

QVatuor potiſſimùm modis homo inter proſpera huius mundi commorans, ad ardua quæq; inuicto animo ſubeunda allici ſolet. opibus, honore, præmio, voluptate. Quod ingenioſè Antiquitas expreſſit : pinxerat illa Iouem in excelſo cœlorum ſolio ſedentem, qui ad capiendos mortalium animos, in quatuor mundi plagas, quatuor etiam aureos funiculos ab alto demiſerat, is qui in Oriente pendebat, gemmis & adamantibusꝰ vndiq; fuit intertextus, atque his inſignitus literis : *omnem ſaicetatem explebo.* qui verò inter occidentis limites extendebatur, thronum honoris porrigebat hominibus, cùm lemmate : *Feſtina indefeſſus, conſcende, & inter ſidera extolleris.* Qui meridiem attingebat, totus ſpe & pollicitationibus erat plenus,

plenus, coronamq; auream tenebat, cùm hoc Epigraphe: *Cùm fiducia curre, & comprehendes.* Ille demùm qui in Septemtrionem erat demiſſus, plenus erat delicijs, & mira ſui amænitate atq; pulchritudine ſpenctantium oculos recreabat, cui inſcriptum fuit: *Fruere in æuum ſine faſtidio.* Quibus funiculis ita totus orbis adhæſit, vt ad ipſos vſque cælos attraheretur. nec immentò: allicit enim cuiuslibet animum opulentia: quia & reſolutus miles nunquàm cum tanta vitæ & ſanguinis ſui profuſione, inter medios hoſtium cuneos irrueret, niſi opimam inde prædam ſe ablaturum ſperaret. immò & populus Iſraëlicus languidiùs per deſerti aſpera præeuntem Moyſen ſequebatur, donec exploratores ad terram promiſſionis miſſi, velut ſummæ vbertatis & fecunditatis ſigna, adeò dilatata vini grana attuliſſent, vt humero viri impoſita, per terram vſq; traherentur, quâ manifeſta illius terræ opulentiâ ita accenſus erat populus, vt nec ſolis æſtu, nec itineris aſperitate, nec ſaxorum & montium duritie quicquam exaſperaretur. Allicit vnumquemque & honor: quis enim aliquando nocturnas lucubrationes, & vires atque vitam ipſam exhaurientes labores vnquàm ſuſtineret? niſi optimè ſciret, hanc vnicam ad honorum faſtigia viam ſupereſſe: cùm & ipſe Saluator non aliter diſcipulos ad ſequelam ſuam traxerit, quàm per honoris prærogatiuam, inquiens: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Allicit & præmium ad indefeſſos conatus, quia & in ludis Olympicis propter coronam auream in præmium gladiatoribus affixam, non vnus cruenta vulnera & necem ipſam animosè ſubijt. Denique non eſt, quem voluptatis iucunditas trahere non poſſit: cùm dicat D. Auguſt: *Trahit ſua quemq; voluptas.* Quocirca oſtendam & ego hodiè, Deum ſuorum fidelium animos, his quatuor aureis funiculis ad ſe trahere, opulentiâ, honore, præmio, & voluptate. quod dùm facio, date aures verbo, animos Deo Catholici.

S. Auguſt.

Hiſtoriæ rerum naturalium, Auctores ferunt, in montibus Riphæis pretioſiſſimos theſauros deliteſcere: quos immaniſſimi gryphi vigilantiſſimè cuſtodiunt. adeò, vt pauperem & inermem nullatenùs illuc admittant; ſed opulentus nimiùm, & ſatellitio atque armis benè munitus eſſe debet, qui gryphorum immanitatem ſuperet, & theſauros ab illis extorqueat. Præpotens quoq; Deus, qui mortalium filijs terram dedit ad habitandum, animis verò illorum omnes in cœlis recondidit theſauros, cùm videret pauperem & debilem ad tàm auguſtum & ſublime palatium aſcendere non poſſe, terrenis etiam opulentijs eos ſubleuare voluit: vt ſic diuitiarum præſidio muniti, montes illos cœleſtes ab Angelica militia cuſtoditos, faciliùs conſcenderent. Sic olim Abrahamum voluit allicere Deus: & ecce omnibus illum diuitijs locupletauit, aſſerente id eius Oeconomo. Geneſ. 24. *Dominus benedixit Domino meo valdè, magnificatuſq; eſt, & dedit ei oues, & boues, argentum, & aurum, ſeruos, & ancillas.* Voluit allicere Iobum ad ſuam humilitatem, & patientiam, & ecce ſupra numerum multiplicauit ſubſtantiam eius. Iob. 1. ſcriptura dicente: *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia Camelorum, quinquaginta quoq; iuga boum.* Hinc Scriptura Sacra hanc admirandam Dei virtutem in ditando homine extollit, 1. Reg. 11. n. 7. *Dominus* inquit *pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſubleuat.* Ditat plurimos, vt per temporaneam opulentiam ad inexhauſtam cœleſtium bonorum copiam quærendam aſſurgat homo, cor ſuum ad diuitias mundi non apponendo: vt ſuadet regius vates, Pſ: 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Sed potiùs ex affluentia boni temporanei, præſentem recognoſcendo Deum, & ipſum reuerendo. Cuius præſentia non ſolùm mala expellit; ſed etiam bona omnia inducit, ſicut ingreſſo Iacobo in domum Labani, ipſe

In montib. Riphæis magni theſauri.

Gen. 24.

Iob 1.

1. Reg. 11.

Laban ingenuè confeſſus eſt, quid boni ſibi eius præſentia apportauerit: *Experimento* inquit *didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Geneſ: 30. num. 27. Tranſlato etiam Ioſepho de terra Chanaan, ſubdidit textus Geneſ: 39. n. 5. *Benedixitq; Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph.* Si ergo Iacobi & Ioſephi præſentia benedictionem diuinam, ſub qua omnium bonorum affluentia ſignificatur, etiam in domos Ethnicorum importauit, quem quæſo bonorum cumulum diuina præſentia in populum fidelem non inducit? cùm dicat Philo Hebræus: *Fons vnde bona promanant, eſt cum benigno Deo familiaritas.* Quid enim boni tam ſpiritualis, quàm temporalis deeſſe poteſt præſente omnipotente Deo? Diuitias inprimis temporales, multiplicat diuina præſentia, quod fatetur Abimelech, ad Abrahamum veniens, amicitiam cum eo initurus. Geneſ: 21. n. 23. inquiens: *Deus tecum eſt in vniuerſis, quæ agis: iura ergo per Deum, ne noceas mihi.* & vnde quæſo cognouit Deum eſſe cum Abraham, niſi quia vidit illum bonis temporalibus abundantem, *quia erat diues, valdè in poſſeſſionibus auri & argenti.* Gen: 23. hæc autem bona, diuinæ præſentiæ, a qua communicantur, ſigna ſunt, vt docet Oleaſter. *Cùm* inquit *videris iuſtum etiam bonis temporalibus abundare, cognoſce eum Deum apud ſe habere.* Et Tertull. ſimiliter cauſam ſciſcitatus, quare Rex Abimelech, & alij Primates ad Iſaac venientes, diuinam illi præſentiam adeſſe fatebantur. Gen: 26. n. 28. *Vidimus* inquit *tecum eſſe Deum*, rationem aſſignat, *quia tàm citò illum Deus multiplicauit in bonis.* Verùm illud fortaſſè pleroſq; in admirationem rapiet, quare Deus, cùm ſingulos noſtrum in vinea cœleſti habere velit; non omnes tamen opulentiâ trahit, ſed plurimos etiam paupertate vexat, dicente ſcripturâ 1. Reg. 11. n. 7. *Pauperem facit, & ditat.* Verùm in hoc ſingulare diuinæ omnipotentiæ argumentũ elucet, quòd alios pauperes faciat & ditet. Nam & homines ſpoliando alios, & alios locupletando, ſuam ſibi videntur potentiam oſtentare: quemadmodùm arrogantiſſimus Pharao ſuam potentiam oſtenſurus, Hebræos cum magnis opibus ex Ægypto fugientes, pauperes reddere decreuerat. Exod. 15. n. 9. *Interficiet eos* inquit *manus mea.* textus autem Hebræus legit, *depauperabit eos manus mea.* Quaſi tunc Pharao potentiſſimum ſe fore arbitraretur, ſi diuites Hebræos, ſuis opibus expoliaret, & ad inopiam compelleret. Similiter Rex Sodomorum, ſuam quoq; potentiam inaniter iactaturus, ditare voluit Abrahamum, Geneſ. 14. n. 21. *Da nobis* inquit *animas, cætera tolle tibi.* Si ergo humana potentia, ex facultate depauperandi, & locupletandi alios innoteſcit, multò magis innoteſcet diuina: ſic enim olim Deus ſuam potentiam oſtendit, non tam in liberandis Hebræis ex Ægyptiaca ſeruitute, demergendiſq; Ægyptijs in mari rubro, quam in his ſpoliandis; illis verò locupletandis: vt præclarè diſcurrit D. Chryſoſth: in Pſal. 135. *Hoc* inquit *fecit Deus, volens omni ratione eſſe terribilis hoſtibus, & oſtendere quòd & vi, & authoritate poſſit omnia facere.*

Gen. 30.

Gen. 39.

Phil. Heb.

Gen. 21.

Ibidem 23

Oleaſter.

Gen. 26.

Tertull.

Exod. 15.

Gen. 14.

S. Chryſ.

Mouebit & illud non neminem, cur Deus qui plurium animos opulentia ad ſe trahit; nihilominus tamen bona fortunæ tàm multipliciter agitat, atq; verſat, & veluti pilam leuem huc atq; illuc torquet, & retorquet? vt illa nunquàm eundem habere ſtatum patiatur. An, vt eorum volubilitatem oſtendat? quæ in ſingula momenta fluunt, abeunt, & mutantur. An, vt eorum vilitatem demonſtret? quæ dignis atq; indignis, æquis atq; iniquis, ſapientibus & inſipientibus, tanquàm nullius momenti bona, perpetua viciſſitudine diſtribuuntur. An, vt malos ſpoliando puniat? bonos autem ditando conſoletur. An, vice verſa, vt malos ditando paſcat, & tanquàm pecora occiſionis æternũ alat, ſaginetq; in lanienam? bonos verò ſpoliando probet, & in camino paupertatis excoquat fruituros diuitijs æternis. Optimæ quidem rationes, nec

Cur diuitiæ mundi inſtabiles.

indignæ, quæ ſuos habeant patronos, vnam tamen exquiſitiſſimam omnium affert D. Greg. Nazianz. Orat. 7. Vbi contemplatus res humanas perpetua volubilitate fluentes ac refluentes, & admiratus diuinam prouidentiam, in hac bonorum & malorum temporalium viciſſitudine, nunc his, nunc alijs benignam, tandem eam ſubijcit rationem, cur ſic à Deo diſponatur, vt ſemper copia & inopia, proſperitas & aduerſitas alternent vices? *Ne* inquit *vel aduerſitas ſolatio, vel proſperitas fræno careat.* Nam ſi ſemper ſæuiret aduerſitas, nullum ſolatium deficientes animas releuaret; ſi quoque mulceret ſemper proſperitas, nullum frænum inſolentes ſpiritus cohiberet, dùm autem vtraq; alternis vicibus diſponuntur, felices pariter atq; infelices, ad mediocritatem ac temperantiam reuocantur. Cæterùm ego cauſam crediderim eſſe, quare opes & diuitiæ mundi, perpetua voluuntur viciſſitudine, vt eas Chriſtianus homo aſpernari diſcat, quandoquidem ſalutis æternæ ſtudium, cùm auri cupiditate difficulter cohæret: quomodò enim gerere poteſt animum in cælos intentum, qui velut ad effodienda metalla pronus anhelat. Et tamen pars maxima generis humani terrenos tanti pendit theſauros, vt cœleſtes neq; curare, neq; cogitare videatur. Quot oro viri, qui ſapientes exiſtimantur his temporibus, diuitiarum ſtudio ita ſe totos dedunt, vt neq; ſenectus ipſa morti contigua, neque morbi, neq; caſus aduerſi, neque inſtantis iudicij timor, ab ea cupiditate animos eorum diuellere poſſit. Exclamare prorſùs hic debeo cum ſancto Gregorio, qui cùm grande hoc malum perpendiſſet, alto cum ſenſu illa verba ſubiecit. Hom. 5. in Euang. *In cælo iam ſedet, qui de conuerſione nos admonet, iam iugo fidei colla gentium ſubdidit, iam mundi gloriam ſtrauit, iam ruinis eius crebreſcentibus diſtricti ſui iudicij propinquitatem denuntiat; & tamen ſuperba mens hominum adhuc non vult hoc ſpontè deſerere, quod quotidiè perdit in vita.* Sed fortaſsè excuſabit ſe non nemo, quòd iuſtè colligendis opibus inhiet, quia hæc omnia poſt modum in pios vſus, & pauperum ſuſtentationem conuerſurus eſt. Verùm reſpiciat volubilem eſſe fortunæ inconſtantiam; quis enim ſcit, an ea omnia, quæ tot annis ſollicitè congregaſti, vnus fatalis caſus, & vna hora tibi non ſit ereptura? cùm & ditiſſimos Cræſos, & opulentiſſimos Beliſarios, ad ſummam deueniſſe paupertatem non ignores. quis ſcit, an deſtinata ab alto veniente horà, dabitur tibi temp⁹ diſponendi de bonis congregatis? cùm plurimos in pari fortuna ante te deceſſiſſe videas, quorum theſauros alius rapuit, alius occultauit vita, vt neq; in pauperum manus quicquam eorum deuenerit, nec vllum miſeri animæ grauiſſimis fortaſsè pro hac imprudentia pœnis quaſſatæ ſubſidium attulit, ſed totum humana auaritia, nec quicquã remorſu conſcientiæ tacta, abſumpſit: verùm quemadmodùm aliena rapimus, & noſtra pariter multorum manibus præda fient. Volubiles ergo voluit eſſe mundi opulentias Deus, vt quilibet Chriſtianus cognoſcat, quòd non his diuitijs animus humanus, ad vineam Chriſti alliciatur; ſed potioribus, quia cœleſtibus; quæ omnes animi ſinus penetrant, mentem excæcatam illuminant, cor obduratum emolliunt: nec hominem Chriſto ſincerè vnitum, labi patiuntur. quoniam inquit D. Ambroſius: *qui Deo proximus eſt, lapſui non poteſt eſſe vicinus.* Et quoniam iſtas diuitias Chriſtus Dominus in cruce repoſuit, vt docet D. Bernar. ſerm. 1. in die Paſchæ: *Ditauit trophæum crucis, conſummatio Dominicæ paſſionis.* Quaſi diceret; ille infinitus cœleſtium diuitiarum theſaurus in cruce incluſus, Chriſto Domino non tam quidem crucem aſcendenti; quàm in cruce pendenti debetur. ideò non eſt mirum, quòd hominem aliquando depauperet, & bonis temporalibus ſpoliet, quia hoc tacto animum eius cœleſtibus diuitijs implere vult, quæ non iam ad terrena; ſed ad ſuperna bona totum hominem

Gregorius Nazianz. — S.Gregor. — S. Ambr. — S.Bernar.

minem efferant. his diuitijs illecti Apoſtoli, Chriſtum ſecuti ſunt: his opibus inflammati martyres, ad inexhauſtos cæli theſauros peruenerunt: his & totus orbis Chriſtianus incenſus eſſe debet, vt docet Apoſtolus: *potens eſt* inquit *Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Alter funiculus eſt, quo Deus mentes hominum trahit ad ſe, honor: ſic enim de illo dicit Propheta Pſal. 44. n. 17. *Cõſtitues* inquit *eos principes ſuper omnẽ terram.* quaſi diceret; hos omnes Domine, qui tuo amore inuitati ad te feſtinant, Angelis ipſis exæquabis, & ſuper omnes mundi iſtius creaturas, & Monarchas, principes conſtitues, nec immeritò: etenim qui Deo fideliter ſeruiunt, præſentem ſibi Deum habent; diuina autem præſentia omnes honores conciliat. Quod cuilibet patet in Abraham & Iſaac, quorum amicitiam vt maximè honorificam & glorioſam, Reges & Principes ambiebant, quia DEVM illis fauentem ac præſentem adeſſe iudicabant. Et quid iam illuſtrius atq; excellentius cogitari poteſt, quàm Reges illis ſubijci, & ſubſterni? quos Deus præſens comitatur. Sic Ioſephus in domo Putiphar tenuit principatum. Geneſ. 39. n. 8. dicente ſcriptura: *Ecce* inquit *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quicquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel quod non tradiderit mihi.* & cur quæſo vir Ægyptius Princeps ac diues, vni puero ignoto, vendito, & captiuo, omiſſis alijs ſenioribus, & meliùs de ſe meritis, tantam contulit dignitatem? Rationem reddit textus in litera ſacra: *Quia* inquit *optimè nouerat, Dominum eſſe cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manus illius.* ibidem num. 3. quaſi palam faceret, quòd non aliunde, quàm ex diuino comitatu Principatus naſceretur.

Verùm ecce viciſſitudo fortunæ! traditur poſtea Ioſephus ex falſa calumnia in carcerem, & fit ex principe captiuus. Verùm & tunc illum Deus voluit funiculo honoris aureo trahere ad ſe: ideò licet clauſus, imperabat: nam Princeps carceris, dicit ibidem ſacra Scriptura, num. 22. *tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur.* & quicquid fiebat, ſub ipſo erat. Et vnde tantus honor vni reo, qui ad ſupplicium non ad imperium depreſſus iam eſſe videbatur? rationem dat ſacra litera, ibidem n. 23. *quia Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* Si ergo non minores ſucceſſus habuit Ioſephus in domo ſeruitutis, & in domo carceris, quàm in aula regia Pharaonis? nam ſicut in hac, ita in illis gubernabat, quis non fatebitur, etiam contemptibilem in oculis mundi hominem, & in ſumma egeſtate poſitum, honore trahi à Deo, ſi Deum in corde ſuo præſentem habeat: nam vbi Deus adeſt, etiam ſi ſit vile ergaſtulum, non differt tamen à magnifico palatio. Paucoſne his temporibus etiam minus dignos, eleuat Deus in honorum faſtigia, eò tantùm fine, vt ſaltem indignitatem ſuam conſiderantes, tanto Dei beneficio magis permoueantur ad vitiorum deteſtationem, & Dei præpotentis amorem, atq; obſequium. quod ſi neglexerint, grauiores ſibi accumulent pœnas. quid cauſæ erat, quòd Deus primum hominem inter auguſtam paradiſi aulam collocauerit? Saulem licet alias improbum, ad regnum euexerit? Iudam deniq; proditorem in ſuum diſcipulum elegerit? niſi, vt cùm videret eos propter ſuam malitiam facilè à gratia Dei exciſuros, ſaltem tantæ dignitatis excellentiâ illos ſibi fortiùs vniret.

Sed torquet multorum hæreticorum ingenia hæc difficultas, quare Deus aliquandò eligat ad magnam dignitatem, quem alias præſciuit de illa ruiturum, vt contigit Angelis malis, Adamo, Sauli, Iudæ, &c. qui neſcientes diuinam præſcientiam cum humana libertate componere, alteram ex illis negare auſi ſunt. teſte D. Hieronymo, lib. 3. aduerſus Pelagianos, ante medium, huiuſmodi Syllogiſmum texentes: Aut ſciuit Deus hominem in paradiſo præuaricaturum eſſe, aut neſciuit: ſi ſciuit, non

Pſal. 44. — Geneſ. 39. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — S.Hieron.

 eſt

eſt in culpa is, qui pæſcientiam Dei vitare non potuit; ſed ille, qui talem condidit, vt Dei non poſſit ſcientiam deuitare; ſi neſciuit? cui præſcientiam tollis, aufers & diuinitatem. Ad quod argumentum reſpondent Theologi: illam diuinam præſcientiam, non inferre neceſſitatem, quia non eſt antecedens, ſed conſequens: neque enim quia illa eſt, res futuræ ſunt; ſed potiùs, quia res futuræ ſunt, illa eſt. Sic D. Leo ſerm: de Paſſione argumentatur. *Non* inquit *impias furentium manus immiſit in ſe Deus, ſed admiſit: nec præſciendo quòd faciendum eſſet, coëgit vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet, vt fieret. Deniq; inter crucifixum & crucifigentes ita diſpar ratio, vt quod à Chriſto ſuſceptum eſt,* non poſſit reſolui, quòd ab illis commiſſum, poſſit aboleri.

S. Leo.

Et certè, vt Deus indigniſſimos etiam ad honores efferat, requiritur hoc primò, ad diuinam eius miſericordiam oſtendendam, quæ propter futura hominum maleficia à præſentibus beneficijs auferendis minimè retardatur. Sic reſpondet D. Hieronymus lib. 3. aduerſùs Pelagianos: *Interroga* inquit *eum* (nempe Chriſtum Dominum) *cur Iudam elegerit proditorem? cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat? vis audire rationem: Deus præſantia iudicat, non futura; nec condemnat ex præſentia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat: ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum: dans ei poteſtatem conuerſionis, & pœnitentiæ.*

S. Hieron.

Effert etiam indigniſſimos aliquandò Deus in honores, ad oſtendendam humanam libertatem, quæ tàm multis DEI beneficijs præuenta, poteſt nihilominùs à DEO reſilire, hanc rationem inſinuat D. Cyrillus Alexan. lib. 9. in 10. Ioan. *Illud* inquit *maximoperè conſiderandum eſt, quia rationali creaturæ liberam poteſtatem creator largitus eſt, & ſuæ voluntatis habenas cuiquè commiſit, vt in eo ſit, quidquid probauerit eligere.* quaſi diceret; mirum non eſt, ſi à Deo reſiliant, qui à Deo eliguntur: quia acceptâ à Deo libertate perfuruntur.

S. Cyrill.

Tertiò, effert DEVS indigniſſimos etiam ad honores, ad præbendum nobis patientiæ exemplum in improbis & ingratis ſuſtinendis. Sic Auguſt. lib. 18. de ciuitate cap. 40. ratiocinatur, loquens de Iuda proditore: *Elegit* inquit *diſcipulos humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quicquid magnum eſſent, & facerent, ipſe in eis eſſet, & faceret. Habuit inter eos vnum, quo malo vtens benè, vt ſuæ paſſionis depoſitum impleret, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorum malorum præberet exemplum.*

S. Auguſt.

Quartò denique eligit Deus indignos ad honores, vt etiam digni, quos Deus ad gratiam aſſumit, non præſumant de ſua iuſtitia; ſed timeant de ruina, videntes etiam Saulem, & alios de regali throno à Deo excidiſſe. Sed quoniam iſte temporaneus honor, non eſt verus honor, ſed tantùm apparens: idcircò Deus populum ſuum fidelem, alio honore vero ad ſe trahere vult; nam & ipſa gentilium Antiquitas, vt oſtenderet omnes mundi dignitates eſſe caducas, honorem verùm hoc modo exprimebat. Pingebat regale ſolium ſuper aſperam rupem, quod ex vna parte laus manu ſuâ tenebat, ex altera verò, fama immortalis cum inſcriptione: *Non aſcendes, niſi omnes aſperitates itineris viceris.* quod ſolium quia vnus tantùm magnæ indolis & virtutis adoleſcens conſcenderat, protinùs illi Romana vetuſtas templum dicauit, illudque templum honoris appellauit. Et Deus pariter verum honorem in aſpera rupe, quia in cæleſti illo caucaſo propoſuit, ſed per multas tribulationes & moleſtias obtinendum: ſcilicet; gloriam æternam, quam qui aſſequitur, & laudis, & famæ iunctis manibus portatur. laus enim beatis perſoluitur in cælis, quòd in curſu virtutum non defecerint; Fama verò perſoluitur ab Eccleſia; dùm eorum nominis celebritatem & merita recolimus. Verùm, hoc ſolium nemo conſcendere poteſt, niſi qui omnia mundi inqui-

namenta vicerit, vt dicitur Apocal. 3. n. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius.*

Apoc. 21.

Tertium funiculum aureum ad illiciendos mortalium animos demiſit Deus, præmium: dùm illis laborum mercedem non ſolùm in futuro ſæculo promiſit, ſed etiam in præſenti; *Nemo* inquit *eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut Matrem, aut filios, aut agros, propter me: qui non accipiet centies tantum nunc, in tempore hoc; in ſæculo autem futuro vitam æternam.* Marci 10. n. 29. & 30. Si enim hominibus de ſolo præmio futuri ſæculi ſpes promitteretur, non ita fortaſſè auidi feſtinarent: cùm ad futura quæ longiùs abſunt, non tàm alacres incendantur: dùm autem præmio etiam præſentis ſæculi alliciuntur, quo ſperant ſe quàm citiſſimè fruituros, dubium non eſt, quin ad illud conſequendum velociores rapiantur: quemadmodùm D. Ambr. lib. 1. de pœnitentia cap. 16. diſcurrit: *Omne* inquit *ſtudium torpeſcit dilatione: Et ideò Dominus, vt præſentium fructu cumularetur deuotio diſcipulorum, dixit: quoniam qui dimiſiſſet omnia ſua, & Deum ſecutus eſſet, centies tantum recipiet, & hic, & in futurum.* immò priùs hic promiſit, vt faſtidia dilationis auferret. Nam ſi homines ſolùm futuri ſæculi præmium ſperarent, in præſenti deſides cunctarentur: ſi tamen certam illius ſtatim conſequendi ſpem haberent, moras omnes tollerent, & ad illud comparandum feſtinarent. Vnde propoſito præmio in præſenti ſæculo, ad currendum ocyùs inflammantur. præmium itaq; Deus omnibus in vinea ſua poſuit, ad quod omnes homines currunt; nec tamen omnes illud aſſequuntur, vt dicit Apoſtolus 1. Coloſſ: 13. *Neſcitis, quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus, accipit brauium.* & quis eſt iſte vnus, qui accipit brauium? Reſpondet Petrus Chryſologus ſermone 119. Currunt Iudæi per legem, Philoſophi per inanem ſapientiam, hæretici per falſam annuntiationem, Catholici per veram fidei prædicationem. Quis accipit brauium, & coronam: non Iudæi: quid enim illis prodeſt currere per legem, qui Chriſtum Dominum legis authorem ignorant. Non Philoſophi: quia veram Dei ſapientiam neſciunt. Non hæretici: quia falſa eorum fides veræ fidei gratiam accipere non meretur. Nam vt docet ſanctus Fulgentius de fide ad Petrum: *Firmiſſimè* inquit *tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, aut Schiſmaticum in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti baptiſatum, ſi Eccleſiæ Dei non fuerit aggregatus, quantaſcunq; eleëmoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine ſanguinem fuderit, nullatenùs poſſe ſaluari.* Qui enim Eccleſiæ Catholicæ non tenuerit vnitatem, nec baptiſmus, nec eleemoſyna copioſa, nec mors ſuſcepta pro nomine Chriſti proficere ei poterit ad ſalutem. Reſtat, quòd præmium & corona in illo cœleſti olympo propoſita mortalibus, ſolis Catholicis bonis ſit reddenda, quos Apoſtolus nominat illis verbis: *Sic currite, vt comprehendatis.* id eſt; vt propoſitum vobis præmium aſſequamini.

Marci 10.

S. Ambr.

1. Col. 3.

Chryſol.

S. Fulgen.

Quartus funiculus, quo Deus trahit mortalium animos, eſt gaudium ſempiternum, quod certè gaudium, non in mundi oblectamentis; ſed in cœleſtibus bonis incluſit Deus. quia temporalis lætitia, eſt temporanea, quæ nunquàm ſufficit: cœleſtis verò eſt tanta, vt nuſquam deficiat. Quod mihi ad vnguem expreſſum eſſe videtur in duplici oleo, altero virginum imprudentium, altero Heliſæi: quid enim cauſæ, quòd virginibus oleum defuerit in vaſis? Matth. 25. n. 3. Heliſæo autem non oleum, ſed vaſa potiùs defuerunt. 4. Reg. 4. n. 6. niſi quia virginum fatuarum oleum, caducam mundi voluptatem præſeferebat, quæ vix oritur, & ſtatim interit. Heliſæi verò oleum, figurabat gloriæ æternæ delectationem, cuius tanta eſt magnitudo, vt eam cor hominis capere non valeat. Vnde Hugo victorinus. lib. 1. Miſcellaneorum cap. 51.

Cur fatuis virginibus oleum in vaſis defecerit.

Hugo Victorinus.

cap. 51. Hæc duo loca inter se conferens & expendens, dicit: *Habet* inquit *oleum Deus, habet oleum & mundus: sed ad oleum Dei vasa deficiunt, oleum verò mundi in vasis deficit: oleum Dei est dulcedo æternorum, oleum mundi est delectatio præsentium. Illa sufficit, ista deficit.* Quod confirmauit Christus D. Matth. 25. n. 21. seruum bonum & fidelem alloquens: *Intra* (Matth. 25.) inquit *in gaudium Dei tui.* quasi diceret; vt ingeniosè in hunc locum obseruat Caietanus. (Caietan.) Tàm magnum est gaudium cœlestis patriæ de Deo, vt non possit includi in homine: & ideò homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, non verò gaudium in hominem. vnde meritò dicit D. August: lib. 3. de libero arbitrio cap. 25. (S. August.) in fine. *Tanta* inquit *est iucunditas lucis æternæ, vt etiamsi non liceret ampliùs in ea manere, quàm vnius diei morâ, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ, pleni delicijs, & circumfluentiâ temporalium bonorum, rectè meritòquè contemnerentur.* quia rectissimè dixit regius Propheta Psal. 83 n. 11. (Psal. 82.) *Melior est dies vna in atrijs tuis, super millia.* O felix certè delectatio, quæ omnes sine fastidio recreat, sine termino replet, est plenè exsatians, desiderium tamen fruendi non aufert. Quis iam fœdis terrenarum voluptatum oblectamentis immergi volet? quarum splendor vmbra est hominibus illudens, & ad amentiam inducens: quarum suauitas amaritudo est, cor hominis nimiùm exulcerans: quarum pretium est vilissima abiectio.

Ecce igitur quatuor aureos funiculos, quibus nos Deus ad vineam æternitatis suæ trahere vult: nimirùm opulentiam, vt sciamus nos tunc A omnibus bonis fore abundantes, cùm præsentiam Dei spectabimus. Honorem, vt in throno Christi sedeamus omnes. Præmium immortalitatis, ne aduersis istius mundi pressi de diuina remuneratione dubitemus. Voluptatem deniq; quam visione beatifica capiemus. Igitur quoniam his funiculis trahit nos Deus ad regnum illud augustum, cuius quot sunt habitatores, tot possessores: quot ciues, tot Reges, ad regnum inquam illud, cuius opulentia est infinitas, cuius am- B plitudo est immensitas, cuius duratio est æternitas, cuius honor est diuinitas. Contemnite Catholici mei temporaneas & illicitas voluptates, bona caduca & fallacia, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore relinquuntur; cuius oracula, non iam Hieronymos, non Augustinos, non Ambrosios sistite vobis stimulatores; sed vel vnum illum maximum Hispaniarum Monarcham Philippum tertium, & secundum Lusitaniæ: qui iam iam mori- C bundus Cygneâ quadam voce cecinit: *Nihil iuuat delicatè viuere, nihil confert Regem esse, nisi vt in morte cruciet fuisse.* & vos pariter despicite momentaneam hanc mundi dulcedinē, & regnum illud beatitudinis sempiternæ, toto animo arripite, vbi teste Augustino Soliloquior 35. (S. August.) *iuuentus nunquàm senescit, vbi decor nunquàm pallescit, vbi amor nunquàm tepescit, vbi sanitas nunquàm marcescit, vbi gaudium nunquàm decrescit, vbi vita terminum nescit.* vt ibi quoq; sine D termino votorum vestrorum delicio Deo, feliciter potiamini.



DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ, CONCIO PRIMA.

Exijt qui seminat seminare semen suum. *Lucæ 8.*

Duplex sator ex Euangelio inducitur, nimirum Pater æternus, & verbum incarnatum, semen gratia sanctificans, terra cor hominis debitè præparatum.

NOn sine causa lumen sapientum Aristoteles, patrem familias omnibus scientijs cultissimum habere voluit: quia summæ prudentiæ est. opportunitatem in omnibus actionibus spectare. quod nisi fiat, plerumq; iacturam tota domus subire solet. Hinc & piscatores captant opportunitatem temporis, ne frustra laborent: & agricolæ, terræ, cæliq; ingenium, seriò obseruare debent, ne importunè seminantes, sua semina perdant: iuxta Poëtæ in Georgicis præceptum.

At priùs ignotum ferro quám scindimus æquor
Ventos, & varium cæli prædiscere morem
Cura sit. ac patrios cultuq; habituq; locorum.

Hanc vt video prudentiam Christus Dominus in suis Apostolis desiderauit; cùm illos nubibus compararet. Isaiæ 6. num. 8. (Isaiæ 6.) *Qui sunt* inquit *isti, qui vt nubes volant.* quasi diceret: quemadmodùm nubes si in imbres soluantur extra tempus, sterilitatem inducunt: si verò in tempore, fertilitatem afferunt: rursùs si in agris pluant, fructuosos efficiunt; si in vrbibus, cænosas reddunt. ita etiam prædicatores, si extra tempus & locum debitum verba faciant, ruinas auditoribus moliuntur. quod si in loco & tempore, viam illis præparant ad salutem: vt præclarè insinuat Diuus Bernard. serm. 58. in Cantica exclamans: (S. Bernar.) *Væ* inquit *nubibus pluentibus imbres, qui lutum faciunt, fructum non afferunt.* Quinimò & ipse Christus Dominus Auditorum dispositioni consulens, non importunè suam doctrinam ingerebat; sed commodam in occasionem A reseruabat. Ioann. 16. n. 12. (Ioan. 16.) *Adhuc* inquit *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* quasi diceret: vt annotat D. Chrysosth: (S. Chrys.) Non est ignorantiæ meæ adscribendum, quòd non dicam, quæ dicere oportet; sed auditorum imbecillitati, quia tanto muneri non omne tempus suppetit. Si enim, inquit D. Thomas, in cap. 24. Matth: (S. Thom.) *Prædicator Euangelicus vult dicere verba, quando non competit, perdit.* Neq; solùm in tempore doctrina salutis præbenda est, sed etiam ad men- B suram; iuxta illud Euagelistæ Luc. 12. (Lucæ 12.) *Vt det illis in tempore tritici mensuram.* hoc est; vt non solùm commoditas temporis, verùm etiam capacitas Auditoris attendatur: ne si prædicator plura ingerat, quam auditor capiat, inutiliter refundantur. In cuius rei typum manna olim in deserto ad mensuram, non ad gulam; ad necessitatem, non ad voluptatem tribuebatur. afferente id scriptura Exodi 16. num. 6. (Exodi 16.) *Colligat* inquit *vnusquisq; ex eo quantum sufficit ad vescendum:* quia C sicut immodico cibo, non nutriuntur vires, sed obruuntur; ita vberiore cœlestium mysteriorum notitiâ, quàm fert animus, non pinguescit corpus, sed contabescit. Verùm, & sancta Ecclesia spectauit vt video hanc opportunitatem, quando hodiè nobis parabolam de semine aperit, cuius suscipiendi, iam gelido rigore resoluta tellus, apta esse videtur: & boni agricolæ sua præparant instrumenta, quibus sterilem terram excolant, & illi fæcunda semina mandent. Quocirca vobis qui desideratum seminan-

di tem-

di tempus auidè expectatis, non importunus puto erit meus sermo, dùm vobis seminantem Patrem familias producam, & quale semen seminat, atq; quæ eius suscipiendi & propagandi apta est terra, edisseram Audit.

Duplicem in hodierno Euangelio reperio satorem, inprimis Patrem æternum, qui vrgente suâ infinitâ misericordiâ, ne totus orbis in sterilitate periret, verbum illud sibi consubstantiale, terræ visceribus mandare cupiebat. Verùm quoniam & in lege naturæ propter beatam mundi incolarum simplicitatem, terra fuit inculta, & multiplicato postea mortalium genere, propter impudentem eorum vitam, turpissimè contaminata; distulerat tempus seminandi, ne fortè si cœleste illud semen fætosæ terræ mandaret, vniuersali postea diluuio perderet illud. Et quia in lege scripta etiam, cultibus idolorum, atq; aliis grauissimorum scelerum fæcibus, velut spinis quibusdam & sentibus terra fuit obruta: distulit & ibi seminis sui mandationem Pater æternus; ne fortassè fædata vitijs terra, semen Dei lilij instar purissimi crescens, inutilium herbarum plenitudine obrueret. Atque decurrentibus tandem mundi ætatibus, & ad vltimum iam planè occasum inclinantibus, cùm sapientia Salomonis, & pietas Dauidis, excultam ab omni immunditia, & fæcundissimam in sua progeniè haberent terræ portionem, (Virginem inquam sine macula conceptam) tunc primùm Pater æternus, & grauante immensâ eius bonitate, & pulchritudine istius terræ allectus, in fæcundissimis eius visceribus, Filium suum vnigenitum seminauit. iuxta il-
Psal. 84.
lud Prophetæ Psal. 84. *Benedixisti Domine terram tuam.* quasi diceret; tunc primum omnibus mundum satiasti delicijs, quando desideratum illud semen, verbi incarnationem misisti in terras. Quid enim profuit mundo, auri copiâ ab initio repleri, & suæ animæ detrimentum pati? quid profuit innumeris superbire thesauris? sine magno labore vberrimos terræ fructus colligere? diuitijs omnibus atq; voluptatibus in vita repletum esse? & post mortem in anima cruciari tormentis, atq; in horrendis limborum tenebris, acerbiùs; quàm in latronum carceribus detineri? vnde meritò & Reges, & Prophetæ ante Christi aduentum, summo afficiebantur tædio, quasi in summis mundi opibus prorsùs nihil esset, quod absq; Christo eos recreare posset. vt fatetur scriptura Lucæ 10. *Dico* inquit *vobis, quòd multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis.* quasi diceret scriptura; nec regalis eminentia, nec prophetiæ donum eis ad delectationem fuit, quos Christi venturi dilatio affligebat. Vnde D. Bernard. serm. 6. in Vigilia natiuitatis Domini, grauiter animaduertit in eos qui licet religionis Christianæ participes, & pietatis atque orthodoxæ fidei coheredes sint; indeuoti tamen & ingrati, Christum quem per peccatum à se expulêre, minimè requirunt, vt iterum ad cor eorum reuertatur.
S. Bernar.
Tu inquit *solus miser peccator nauseas ad ea mysteria, quæ ab omnibus sanctis auidissimè appetuntur; & Christum quem illi semper exoptabant, tu amissum nec appetis, nec desideras, nec toto vt par est animi affectu præstolaris. Rem profectò si qua vspiam esse potest, indignissimam.* Quoniam solus Christus est delicatum illud pignus, quod semper innouat mentes nostras; quod fructificare non cessat, quod in perpetuum non marcescit. An putas, quia gaudium hoc temporaneum, quo ad satietatem corporis frueris, tibi proderit? vertetur certè in amaritudinem animæ, nisi à Christo temperamentum, & refrigerium suscipias.

Mirum est, quòd Dauid in regale solium diuinâ ordinatione euectus, magna premeretur siti, & aquam de Cisterna Bethlehem vehementer cuperet; cùm tamen Regibus nusquàm desint etiam delicata vina, quibus non tàm sitim leuent; quàm potiùs hilaritatem in se excitent; ille tamen veluti vir in summa egestate constitutus, aquam in potum quærebat. *O si*

2. Reg. 23.
quis inquit *mihi daret potum aquæ, de cisterna, quæ est in Bethleem, iuxta portum.* 2. Reg. 23. num. 15. quam tamen postea oblatam noluit bibere, sed *libauit eam Domino,* inquit ibidem scriptura num. 16. cur obsecro non hausit, quam tantoperè concupiuit? sint aliæ alijs rationes, illa mihi videtur omnium potissima, quia illum premebat sitis non corporis, sed animæ: non æstûs, sed salutis; non bibit igitur aquam allatam, vt significaret se non illam aquam de cisterna Bethlemitica, sed fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam, id est; Christum Dominũ desiderasse. Hanc ipsam rationem tangit D. Amb. Apologia 1. de Dauid cap. 7. Vbi sic discurrit.
S. Ambr.
Quod si altiùs velis spectare, & introspicere mysterium: sitiebat Dauid, non aquã de lacu quæ est in Bethleem, sed oriundum ex Virgine Christum spiritu præuidebat; volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritualis: hoc est: non aquarum sitiebat alimentum, sed sanguinem Christi: deniq; non bibit oblatam aquam, sed Domino profudit; significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum, illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum; illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed qui pericula aliena depelleret. Huic sententiæ disertè & eleganter concinnit Sophronius Archie-
Sophron.
piscopus Constant. *Dauid* inquit *cùm aliquando coërceretur spirituali siti, arens ardensq; salutarem aquam de Cisterna Bethleem bibere desiderabat, quæ cisterna sanctissimam Virginem designabat, quæ & vterum gestura, & Deum paritura erat.*

Quid recensebo ditissimum Abraham? qui cùm omni copia rerum à Deo cumulatissimus haberetur; illas tamen amplissimas possessiones quodam modo contemnens, nouas erum-
Genes. 15.
pebat in querelas. *Domine Deus quid dabis mihi.* quasi diceret: quorsùm mihi tàm multa bona concedis, si semen illud salutis, verbum in carne abbreuiatum concedere tardas: cuius nonnisi delicato fructu anima adimpleri & satiari potest. Cuius ardentissimi voti vt illum certiorem redderet Deus. *Suspice* inquit *cælum, & numera stillas in potes.* ibidem num. 5. Ibidẽ n. 5.
At, quorsùm oculos cælo defigere iubetur? causam reddit Cornelius à lap. quia Abraham solebat sæpiùs stellas inspicere, & ad cælum suspirare, atque anhelare, vt suum sibi tandem roraret Saluatorem? Deus igitur vota eius implere cupiens, cælum suspicere illum iussit, vt qui de cælo sperabat Dei filium, eius quoq; promissionem inde susciperet. Nam postquàm cælum inspexit, subitò DEVS illum allocutus est. *Dabo* inquit *tibi filium cui benedicturus sum.* Genes. 17. Genes. 17.
num. 15. quam promissionem audiens inquit scriptura ibidem num. 17. Ibid. n. 17.
Cecidit in faciem suam, & risit. Sed quid rides inter Prophetas, & Dei proximos, maximè Abraham? beneficium ne contemnis, an de promissione diuina diffidis? neutrum profectò, neutrum. Sed tanto donatus beneficio, incredibiliter exultat: quia non modò temporalem filium, sed æternum præuidet sibi nasciturum, cuius beneficij immenso oneri ferendo impar ad terram ruit, saltem scabellum pedum eius terram adoraturus: si eum ipsum interim non liceret. Sic eleganter exponit D. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 11. *In hoc* inquit S. Ambr.
mysterio Prophetauit Abraham Dominum Iesum, quòd per susceptionem corporis, & resurrectionem tanti complenda oraculi gratia foret. Adorabat ergo non elementum terræ, sed scabellum Domini, de quo dictum est: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Tanti proinde faciebat Abraham desiderium Christi, vt inter omnes suos thesauros, pretiosissimum illud iudicaret. Vnde etiam quando miserat seruum suum Eliezerum in Mesopotamiam, dignam filio suo vxorem quæsiturum, inquit sacer textus: *Abijt ex omnibus bonis eius portans secum. In Hebræo* autem legitur: *omnia bona domini sui portans in manu sua.*

Sciscitantur hic pleriq; quo pacto potuit Eliezerus breui pugillo continere ingentes diuitiarum cumulos, quos Abraham ditissimus possidebat,

quos

quos etiam attestante scriptura non poterat capere terra. Ibidem num. 6. Respondent Hebræi cunctas Abrahæ diuitias fuisse in manu serui, non per seipsas, sed per literas, in quibus relatæ omnes diuitiæ includebantur. Verùm non videtur, quomodò breuis chirographus potuerit includere omnes illas summas, & rationes, quibus ampla chorea, & vastissimi campi non sufficiebant. Quare verius opinantur alij, nihil aliud in illa schedula scriptum fuisse; quàm hoc verbum: *Spes Messiæ.* quasi hæc essent Abrahami omnia bona: imò omnia optima, spes ac desiderium de Messia: sine quo omnis eius substantia planè accidens: omnis copia inopia, omnis deniq; vbertas paupertas videbatur. Si igitur nec Reges suus honor, nec prophetas omnimoda scientia à Deo communicata, nec opulentissimos summæ diuitiæ poterant ad contentationem reuocare, cùm Christus inter homines nondùm compareret. Considerate boni Christiani, si vos lubrica voluptas, & momentaneum corporis gaudium ad satietatem reficiet? si granum illud pretiosum verbum DEI, in quo restaurantur vniuersa in vestris animis seminatum non fuerit, quod fructum parturiens vberrimum, animæ redemptionem, corpori resurrectionem, & immortalitatem affert.

Alter sator exijt seminare Filius æternus humanatus; exijt inquam & à Patre, & à seipso, & à Spiritu sancto, quandò tota sanctissima Trinitas eius conceptionem & humanationem operata est. Quid enim aliud erat à summa Trinitate venire vnigenitum, nisi ad extra operante concipi, incarnari. Vnde dicit Propheta Ps: 10. n. 18. *A summo cælo egressio eius.* quasi diceret: egressus est Dei filius non secundùm diuinitatem: hæc enim cùm immensitate sua cælum & terram, & spatia vniuersa impleat, nequaquam à cælo egredi potest; quomodò enim suam vbiquitatem coarctaret? verùm egressus est secundùm nostræ mortalitatis assumptionem, vt

Psal. 10.

A qui inuisibiliter manebat in cælo summo, etiam in infimis terræ visibiliter & temporaliter conuersaretur. cuius egressionis causa ad nos non alia fuit, nisi vt nos diuinæ naturæ participes faceret, & qui exules eramus, dignos aspectu regio introduceret. Nam si alijs granis, quæ terræ mandari solent, ea virtus indita est, vt sibi similem in specie producant fructum; iuxta illud diuinum effatum Gen: 1. *Faciet semen iuxta genus suum.* igitur quoniam Christus est semen æterni B patris, vt docet Propheta Ieremiæ 33. *Suscitabo Dauid germen iustum.* hoc est; de progenie Dauid suscitabo Christum, vt sit hominibus in salutem. vnde Hieronymus ad Paulam de hoc fructu dicit, *Christus est sanctificatio nostra, Christus redemptio, Christus omnia.* Quid ergo hic sator exijt seminare: nouum certè semen Euangelij, regni cœlestis mysteria, gratiam, & sanctificationem.

Genes. 1.

Ierem. 33.

Sed non omnis terra tanto semini suscipiendo apta est, si enim semen hoc inappretiabile, gratia IESV Christi C ceciderit secus viam, conculcabitur? hoc est; gratia salutis & redemptionis in cordibus eorum, qui secus viam iniquitatis ad patranda scelera obambulant, perit; quia hi cùm magis voluptatem carnis æstiment; quàm æternas animæ delicias, indigni sunt, vt in illis aliquid boni fructificet Saluator. Si semen hoc ceciderit cœleste in Petram, arescet; hoc est; si gratia Christi stillauerit in potatores, quorum labia semper sicca, velut petræ, & igne infernali inflamma D ta sunt, euacuabitur; quia isti cùm humore salutis careant, in perpetua siti viuere volunt; quàm cœlesti rore diuinæ gratiæ refrigerari. Si semen IESV Christi, scilicet cruenta illa passionis victima ceciderit in spinas, ab illis suffocabitur? hoc est; si gratia Dei luxuriosis, & auaris data fuerit, nihil eis prodesse potest, quia illam libidinosis punctionibus, & cupiditatibus obruent. Vbi ergo Christus exijt seminare semen suum? si & infideles propter idololatriam, & peccatores propter iniquitatem, terra illius apta non

non sunt. Dicerem quia in cordibus Christianorum, hoc semen suum seminat; sed & inter hos paucine, fures, raptores, vsurarij, adulteri, iniqui iudices, pauperum oppressores, seductores simpliciũ? qui certè nõ semen gratiæ, sed semen iræ, & seueræ vindictæ merentur; nõ diuinam misericordiam, sed ignis infernalis inclementiam: non dona Spiritus sancti, sed tormentorum accumulationem: non delicatum salutis epulum, sed damnationis famem inenarrabilem; non redemptionis pretium; sed mortis æternitatem suis pessimè factis sibi accumulant.

Verum, quoniam Christus, licet pro omnibus, principaliter tamen pro populo suo fideli passus est; quia his vidit, passionem suam profuturam, ideò terram bonam & fructiferam, non aliam sibi ad seminandum elegit, quàm corda dilectæ Christianitatis, iuxta illud Prophetæ Isaiæ 4. *In illa die erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint, de Israël.* quasi diceret: in illis maxima redemptionis incrementa apparebũt, qui gratiam Iesu Christi amplexi semel, illam in corde suo custodiunt: vt autem semen hoc, gratia scilicet salutem operans, seminetur in nobis, duo præcedere debent: scilicet; munditia, & iustitia. Pulchrè hoc expressit magnus Dei Propheta Samuel, qui adhortans Iudæos vt dominum sibi placatum redderent, sic illos alloquitur. 1. Reg. 7. num. 3. *Præparate inquit corda vestra domino, & seruite illi soli, & eruet vos Dominus de manu Philisthym.* Quid sit autem corda præparare domino: respondet D. Gregorius, nihil esse aliud; quàm internam mentis puritatem, & munditiam curare. *Cor* (inquit ille) *Domino præparat, qui mentem non solùm ab immunda cogitatione separat, sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat. vt velut abiectis & comminutis idolis, se Dei templum efficiat? dùm illic diuinæ gratiæ sedem erigit, vbi improbos spiritus manere per praua desideria non permisit.* Diuus etiam Bona-

Isaiæ 4.

1. Reg. 7.

S. Gregor.

A uentura serm: 1. in 4. Dominica Aduentus; docet nos tripliciter posse corda nostra Domino præparare; primò, tanquam discipulos magistro sapientissimo, vt ei credamus omnia, quæcunq; per sanctam Ecclesiam ad instruendum nos proponit: iuxta illud scripturæ Esdræ 7. num. 10. *Esdras autem parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini.* Secundò, tanquàm subditos potentissimo Domino, vt illi ad nutum pareamus; qualem obsequentissimum DEI seruum B se fuisse protestatur Dauid Psal. 228. num. 90. *Paratus sum,* inquit, *& non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* Tertiò, deniq; possumus corda nostra præparare Domino, tanquàm pœnitentes iudici rectissimo: vt ei per contritionem de præterito, & emendationem de futuro satis faciamus; iuxta illud Sapientis consilium Eccles: 2. num. 20. *Qui timent* inquit *Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.*

Esdræ 7.

Psal. 228.

Eccles. 2.

Nihilominùs tamen, cùm semen C hoc IESV Christi, gratia scilicet, sit multiplex; alia præueniens, & omnium prima: alia sanctificans, & animæ inhærens: alia deniq; quæ vocatur augmentum gratiæ. ideò magna controuersia est inter Doctores, ad qualem nam ex his tribus gratiam Christi, homo Christianus cor suum præparare debet. Inprimis igitur ad gratiam præuenientem omnium primam, quæ hominem peccatorem excitat ad Deum, nulla requiritur ex parte hominis præparatio: quia etiam nul D la sufficit. Ratio, quia dispositio ex parte hominis est naturalis, gratia verò præueniens est ordinis supernaturalis: proinde indebita; quia dispositio ad formam disponens, debet esse eiusdem ordinis, cum illa. Si verò non sit eiusdem ordinis, & proportionata formæ, tunc nec requiritur, nec sufficit ad illam introducendam. Et quod reuera nulla præparatio, ex parte hominis requiratur ad gratiam præuenientem, patet inde: quia Deus quando vult, vocat, & excitat hominem ad se, antecedens eius voluntatem,

Gratia triplex.

tatem, & omnem eius diſpoſitionem,
Rom. 10. vt fatetur ſcriptura, Rom. 10. & Iſa-
Iſaiæ 65. iæ 65. n. 1. *Inuentus ſum à non quæ-
rentibus me, palam apparui ijs qui me
non interrogabant.* Sic Dauidem ma-
ximè obtenebratum adulterij pecca-
to, Deus illuminauit: Paulum ſum-
mè indiſpoſitum, imò in Eccleſiam
Chriſti ſæuientem atrociter, ad ſe vo-
S. Auguſt. cauit; vt obſeruat D. Auguſtinus, li-
bro de libero arbitrio, cap. 6. Vnde
meritò de hac præueniente gratia,
quæ homini minimè cogitanti, & præ-
parato plerumque inſtillatur, excla-
mat Auguſtinus lib. 5. Confeſſ: c. 1.
Domine inquit *quis ſimilis tibi, quia ocu-
lum tuum non excludit cor clauſum, nec
manum tuam repellit duritia hominum:
ſed ſoluis eam cùm voles, & non eſt qui
ſe abſcondat à calore tuo.* Quod etiam
ad gratiam præuenientem, nulla ex
parte hominis præparatio ſufficiat,
patet ex ſcriptura Ioan. 15. num. 5.
Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* quaſi dice-
ret; ſine auxilio gratiæ ſupernatura-
lis, nihil poteſtis facere conferens ad
ſalutem. Quod ſi homo poſſet ſe vi-
ribus naturæ diſponere ad gratiam
præuenientem, iam eo ipſo faceret
aliquid conducens ad ſalutem: ſicq;
haberet aliquid ſalutiferum ex ſe, &
non ex DEO; contra illud cap. 4.
1. Cor. 4. num. 7. *Quid habes, quod non accepiſti.*
quaſi dicat: quid habes ad ſalutem
conducens, quod non ex dono gra-
tiæ accipis? Hinc ſapiens miram hanc
Dei prudentiam in excitando homi-
Sapien. 6. ne extollit. Sap. 6. num. 4. *Præoc-
cupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior
oſtendat.* hoc eſt; illos Deus præoc-
cupat, qui diuinâ præuenti gratiâ, am-
plexum eius deſiderant. Proinde non
poteſt homo vllo modo ſe diſpone-
re ad gratiam præuenientem. Iam
verò ad gratiam ſanctificantem, &
requiritur, & ſufficit præparatio ho-
minis ex parte, quæ procedit ex auxi-
lio diuinæ gratiæ. Quod ad talem
gratiam homo ſe debeat præparare,
docet expreſſè Concilium Tridenti-
Concil. Trident. num ſeſſione 6. Canone. 3. *Si quis*
inquit *dixerit ſine præueniente Spiritus
ſancti inſpiratione, atq; eius adiutorio, ho-
minem, ſperare, credere, diligere, aut pæ-
nitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtifica-
tionis gratia conferatur, anathema ſit.*
Quod etiam præparatio hæc ex au-
xilio gratiæ præuenientis ſufficiat, de-
ducitur ex illo Theologorum prin-
cipio: *Facienti quod in ſe eſt Deus non
denegat gratiam.* hoc eſt; ei qui per
auxilium gratiæ præuenientis ſe di-
ſponit, completè ad gratiam ſancti-
ficantem, hoc eſt; per dilectionem
Dei ſuper omnia, & perfectam de pec-
catis contritionem, illi gratia ſancti-
ficans infallibiliter confertur: non
quidem de condigno, cùm adhuc il-
le homo exiſtat in peccato? pecca-
tori autem, nullum ſupernaturale do-
num ex condigno debetur. Sed ex
congruo: nam congruit diuinæ bo-
nitati, vt is, qui ſupernaturaliter diui-
nà miſericordiâ præuentus, ad grati-
am ſanctificantem ſe completè diſpo-
nit, ſanctificetur. Quod ipſa ratio phi-
loſophica ſuadet. Quia quando cauſa
ſecunda, materiam ſufficienter diſpo-
nit, & formam introducere non po-
teſt, tunc ad Deum pertinet eius ſup-
plere defectum; formam introdu-
cendo: quemadmodùm patet in ani-
ma rationali, ad quam generans di-
ſponit quidem materiam, ſed cùm eam
producere non poſſit, Deo relinquit
producendam. Ita ſimiliter pecca-
tor, cùm ex auxilio diuino poſſit ſe
tantùm ad gratiam ſanctificantem di-
ſponere; producere tamen eam non
valeat, ad Deum pertinebit, vt eam
infinita ſua bonitate, hominis defe-
ctum ſupplendo, in animam cupien-
tis & quærentis introducat. Deniq;
tertiò, ad augmentum gratiæ ſancti-
ficantis, debet ſe homo iuſtificatus
præparare, per operationem ſanctam,
& meritoriam, ex eadem gratia; quæ
operatio in gratia hominis iuſtificati,
licet habeat perfectam cauſalitatis ra-
tionem moralis; meritoriè de con-
digno; quia tamen Phiſycè non pro-
ducit illud augmentum, ſed Deo re-
linquit producendum: ideò homi-
nem ad illud augmentum dicitur præ-
parare. Et Scriptura ſacra clarè hoc
ipſum inſinuat Pſal. 83. num. 6. 4. 8. Pſal. 83.
Aſcenſio-

Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. & 1.
1. Petri 2. Petri 2. num. 2. *Creſcite* inquit *in gra-
tia, & in cognitione Domini noſtri & Sal-
uatoris Ieſu Chriſti.* ò beatum & feli-
cem hominem, qui ita ſe per ſuperna-
turales virtutum actus diſponit, vt to-
to vitæ ſuæ tempore, nuſquàm à gra-
tia Chriſti excidens, ſemper in illa
creſcat, iuxta illud ſapientis conſili-
Eccl. 22. um: Eccleſiaſt: 18. num. 22. *Ne ve-
rearis inquit vſq; ad mortem iuſtificari.*
quæ enim maior laus eſſe poteſt, quàm
ſemper amicum Dei eſſe, eiuſq; bo-
nis & donis abundare: cùm vel pro-
pter hoc ſolum, D. Paulus, gratias
DEO agendas eſſe cenſuerit, quòd
Theſſalonicenſes eius in donis cœle-
Theſſal. 2. ſtibus proficerent. *Gratias* inquit *age-
re debemus Deo, pro vobis fratres, quo-
niam ſupercreſcit fides veſtra, & abun-
dat charitas vniuſcuiuſq; veſtrum in inui-
cem.* ad Theſſalonicenſes 2.

Alterum, vt gratia Chriſti abundet
in nobis, requiritur: Iuſtitia. quod
docuit Propheta Dei, 1. Reg. 7. n. 2.
1. Reg. 7. *Requieuit* inquiens *omnis domus Iſraël,
poſt dominum.* Quod in editione ſixtia-
na habetur: *Reſpexit omnis domus Iſra-
ël poſt Deum.* In Hebræo autem legi-
tur. *Et luxerunt ſeu lamentati ſunt o-
mnes poſt Deum.* quaſi diceret; vera
pœnitentia Hebræorum effecit, vt ad
meliorem frugem feſtinarent, placa-
tus quoq; dominus ad illos rediret.
Hunc modum conſequendi diuinam
gratiam propoſuit iuſtus Iob. cap. 11.
Iob. 11. num. 14. inquiens: *Si iniquitatem,
quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, &
non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtus.
Tunc leuare poteris faciem tuam abſquè
macula, & eris ſtabilis, & non timebis.*
Nam quæ maior poteſt eſſe iuſtitia,
quàm ſine peccato viuere? quæ ſta-
bilior quies, quàm mentis tranquil-
litas; & à peccatis auerſio; conuer-
ſio autem ad Deum? Ecce ſi popu-
lum Iſraëliticum, quieſcentem à vitijs
Deus ad priſtinum amorem ſuſcepit,
quem obſecro Catholicorum gratia
ſuâ non replebit? ſi mundo ad ſuam
impietatem ſtimulante, quieuerit à
peccatis, nec luxuriæ, ſed continen-
tiæ ſe totum dederit. Tempus op-
portunum habetis & vos Catholi-
ci. exijt nunc DEI filius, vt gratiam
ſuam in vos diffundat. proinde
tàm fæcundo ſemini præparate
corda veſtra, & ſi peccatis grauata
ſentitis, omnes anteactæ vitæ noxas
diluite, abſtergite; & feruentioribus
amoris incendijs excoquite, & pror-
ſùs expiate. Quodſi iam reſipuiſtis
à peccatis, & diuinâ gratiâ veſtris ani-
mis inhærente fruimini, per opera
pietatis, ad altiora eius incrementa
tendite. Non patiamini gratiam vo-
bis diuinitùs communicatam langue-
re vacuam, ſed vſuras bonorum ſpi-
ritualium colligite, nec permittatis
fæcundum Chriſti gratiæ ſemen in vo-
bis præfocari: verùm ſinite, vt erum-
pat in fructus vberiores, quibus ve-
ſtrarum mentium horrea repleantur,
Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Et dùm ſeminat, aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt. *Lucæ 8.*

Tota Trinitas laborat in excolenda anima hominis per Scripturas Sacras, quas peruerſè operantes conculcant.

MAgna illa & æterna mundi mēs,
quæ ſuâ potentiâ, ſapientiâ, &
prudentiâ, totum hoc regit vniuer-
ſum; nō contenta ſupremi creatoris &
Domini titulo, etiam vnius agricolæ
officio fungi voluit. fortaſſè ideò, vt
etiam mundi Principes & Magnates
Paupertatis virtutem & humilitatem
edocuiſſet. Ne ſuperbo elati faſtu,
glebæ filios deſpiciant: ſed memo-
res ſe ex eadem quoq; terræ portione
creatos eſſe, illos non vt mancipia
(quod his temporibus paſſim fit) ſed
vt conductos operarios (quos maio-
res illorum, ſpontè, & liberè in ſui
laborem commodi conſentientes, iu-
ſtis conduxerunt pactis) vt inquam
velut operarios & proximos ſuos tra-
ctent, nihil grauius in tremendo Dei

iudicio,

iudicio, quàm subditorum oppressionem, puniendum arbitrati. voluit esse Deus mundi agricola, siquidem quarto statim creationis die, aquas diuidens ab aquis, in maria & flumina, terram eleuauit in montes, & insulas, eamq; exornauit syluis & nemoribus, atque inanem cooperuit graminibus varijs, & frugifero paradisi horto; vt scilicet homo & terræ frugum, & sibi omnia scientiarum semina indita esse à Deo cognoscat. Sed quid tamen causæ est, cur inaccessa Dei maiestas, tam vili & abiecto labore occupari voluerit? genuinam puto tetigit rationem Philosophus, Deum perpetuum esse mouens, in sua naturali Theologia agnoscens. ne ergo ab omni actu operis vnquàm destitisset, agriculturam subire voluit, cùm hæc assiduum requirat laborem, vt cultus ager aliquid producere valeat. docente id Seneca lib. de beneficijs 2. cap. 11. *Perdet* inquit *agricola quod sparsit, si labores suos destituet in semine, Multâ curâ sata perducuntur ad segetem, & nihil in fructum prouenit, quòd non à primo vsq; ad extremum æqualis cultura prosequitur.* Et licet duplices sint Dei operationes, aliæ internæ & immanentes: aliæ verò ad extra, seu emanantes. Et in hac interna operatione, nullo vnquàm momento DEVS per totam æternitatem cessare potest, siquidem ibi Pater æternus per assiduam suæ essentiæ cognitionem comprehensiuam, generat æternum filium, seu, verbum mentis: iuxta illud Ioann. 1. *In principio erat verbum*; id est; vt exponit D. Augustinus, *in Patre.* quod verbum quia Pater ab æterno cognouit, & nunc cognoscit, & omni æuo cognoscet: idcircò in tota æternitate illud & generat, & generabit. Et licet Pater cum filio per voluntatem & mutuum amorem spirant Spiritum sanctum; nihilominùs tamen, ne etiam Spiritus sanctus sterilis esset in operando, necesse erat actiones emanantes ad extra toti sanctissimæ Trinitati communes in mundo fieri, in excolendo terreno agro; ne circa inanem frustra fierent terram: cùm agricolæ semina arenis comittere non soleant. Tria igitur in hac concione considerabimus, primum, qualisnam debet esse ager, vt à Deo excolatur: deinde quod istud semen Dei: ac demùm, à quibus conculcatur. Audit.

Seneca. Ioan. 1.

Fertilis ager quem ipse Deus voluit excolere, est iusta & timorata hominis anima, quod innuit scriptura Genes. 8. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Vbi mirum in modum interpretes sacræ Scripturæ laborant, in exponendis his verbis, in quonam sit ista hominis ad Deum similitudo? certè non in corpore; quia Deus nullum corpus habet. non etiam in essentia animæ; quia hæc multò inferior est DEO: (cùm sit ille purissimus spiritus) similem itaq; Deus sibi voluit esse hominem in fructificando, vt fructum Deo seminanti non disparem germinaret. Vnde sanctus Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 12. dicit; hominem assimilari DEO in arbitrij libertate, quippe sicut Deus liberum habet arbitrium, & suarum actionum est Dominus ac moderator; ita homo adeò libera voluntate in suas actiones propendere debet, vt nihil sit in rerum natura, quod illum cogere aut inflectere valeat. vt illa Geneseos verba indicant. *Posuit Deus hominem in manibus consilij sui*, vbi non sine mysterio addit scriptura, *in manibus*: scilicet; indicare voluit summam hominis libertatem consistere in libera operatione, & spontaneo obsequio, in honorem Dei voluntariè præstito, vt scilicet homo memor se imaginem Dei esse, in similitudinem eius semper optima appetat, & meliora (quibus plus de Deo mereri possit) faciendo eligat. cuius rei nos admonet D. Bernardus sermone de Trinitate. *Consideremus* inquit *fratres in nobis opera Trinitatis, quæ profectò consideratio valdè fructuosa est. quoniam ad Dei cognitionem prælucet, viam aperit veritati, & impedimentum ac frænum est, quo ab offensione creatoris coërcemur.* Libertas igitur hominem DEO facit similem;

Genes. 8. Similitudo hominis ad Deum consistit in fructificando. S. Damasc. S. Bernar.

lem: sed quamdiu illâ homo vtitur in operando benè, quod si illâ abutatur, & in insolentiam vertat, in summam ipsi cedit miseriam. Quid primos Parentes deduxit ad illam calamitatem, vt pulsi paradiso, in sudore vultus sui panem ad vescendum quærerent. nisi abusus libertatis? dùm non contenti delicatissimo illo fructuum cibo, etiam ad vetitum pomi esum deflecterent. vbi inquit scriptura *Aperti sunt oculi amborum.* Quomodò? num fortè cæci creati erant? respondet sanctus Augustinus lib. 14. de ciuitate cap. 17. *Aperti sunt* inquit *non ad videndum, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant.* Et nobis certè in libertate natis, aperiuntur in dies oculi: sed ad quid? ad cognoscendum certè bonum, quod amisimus: detrimentum scilicet regnorum, & maculam nostræ illatam Patriæ, non ampliùs fortassè delendam: cuius causa est inordinata insolentia, dùm non eâ contenti libertate, quàm DEVS regno huic Christiano contulerat, vt extraneis hostibus terrori semper esset: ne illud attingere auderent, ad vetitum fructum auferendum, inordinata nos stimulauit concupiscentia, id est; ad pauperum contemptum, subditorum oppressionem, & inferiorum tyrannidem ac necem. Non talem Deus homini libertatem dedit? liberum quidem eum esse voluit, sed in sola operatione honesta, vt non ex necessitate; sed ex mera libertate, omnia in Dei cultum, libenter & reuerenter erogaret. ideoque legibus humanam libertatem arctari voluit, ne vnquàm vetitos transgrederetur fines. *Sub te* inquit *erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Genes. 4. quasi diceret; Non quod tibi libet ô homo, hoc fac, sed quod serena ratio bonum esse iudicat. Nam inquit Albinus in quæstionibus super Genesi: *Quia liberi es arbitrij, ideò non habet peccatum super te dominium; sed tu super illud, & in tua potestate est, siue compescere, siue concupiscere.* Potest quidem in te appetitus vltionis talem excitare vindictam, vt inimicum tuum opprimas; vel certè, vt libertate legum patriarum ductus, eundem ad infamiæ pœnam deducas, & per fraudes ac dolos interimas, nullam veritus pœnam. Sed hoc statutum legis conditione caret, & insolentiam sapit; quia hic quidem legibus humanis ab omni pœna liber esse poteris, sed lex diuina te ad restitutionem illius vitæ potentior premet, cui cùm non eris soluendo, in æternum carcerem traderis. Sed inquient fortassè politici huius mundi, appetitus coërcendi vim non semper esse in nostra potestate? proinde non semper illum cohiberi posse. Sed fateri oportet, appetitum plerumq; incitare hominem ad illicita etiam agenda, sed non cogere: ideoq; libertatis humanæ esse, aut annuere, aut inhibere. quemadmodùm dicit Plato. *Posse* inquit *per libidinem & licentiam omnia perpetrare, hoc non est habere potestatem: quoniam necesse est eum, qui ista perpetrauit, pœnas luere*, ideoq; talem libertatem, quæ hominem ducit ad agenda quæuis, etiam illicita, secundùm libitum suum, summè puniendam Deus esse voluit.

S. August. Genes. 4. Albinus.

Vnde 4. Reg. 11. cùm sacerdos Ioiada Regi recens electo, insignia daret regalia, coronam verò capiti eius imposuit, & simul librum diuinam legem continentem, similiter 2. Paralip: 23. Cùm Ioas vnctus esset in Regem, accessit ad eum sacerdos, vna manu coronam capiti imponens, & altera diuinæ legis librum ei porrigens. Nec certè sine mysterio cæremonias istas, in coronatione Regum scriptura recenset; scilicet vt discant libertatem debitis circumscriptam terminis seruare, ne aliquid à suis subditis contra Dei iura fieri patiantur. Imponitur illis liber diuinæ legis in caput, vt sciant præcepta diuina, summa veneratione, & capitis inclinatione digna esse, porrigitur ipsis idem liber & in manus, vt scilicet iustâ in insolescentes & licentiosos animaduersione insignes fiant. Principem enim (vt inquit Lipsius in sua politica) duæ virtutes maximè commen-

Plato. 4. Reg. 11. Ceremoniæ in coronatione Regum.

commendant, clementia ; dùm virtutes & præclara ciuium merita dignis afficit præmijs : & ſeueritas ; dùm quidquid illicitum & Dei offenſiuum eſt, grauiter punit. ideoq; S. Auguſtinus maximam hominis ad Deum ſimilitudinem dicit eſſe, in rectitudine : vt ſcilicet quemadmodùm imago concordat cum re, quam repræſentat ; ſic planè & mens humana concordet cum diuino intellectu, & voluntate, quam exprimit. vt ſcilicet memor ſe aliquid diuinum habere, nihil facere audeat, quod Dei imaginem in illo corrumpere poſſit. ſcribit Plinius de Rege Demetrio, (Plinius.) quòd is cùm opimam Vrbem Rhodon graui obſidione premeret, monitus à militibus, vrbe capi non poſſe, niſi templum (in quo Protogenis inſignis illius pictoris erat imago) incendio combureret, audiens hoc Demetrius, protinùs obſidionem amouit ; maius incommodum arbitratus, tàm præclaram excellentis viri ſtatuam comburi ; quàm optato victoriæ triumpho priuari. Si ergo Demetrius inane vnius hominis ſimulachrum tanti faciendum iudicauit ? vt illud igne attingere nollet ; quantò maiori in pretio animas veſtras conſeruare debetis, quæ ſunt imagines ſanctiſſimæ Trinitatis, & fertilis ille ager, quem ipſe Deus excolere, & fructum in eo centuplum producere vult. æquiſſimum profectò eſt, & cæleſti colono dignum, vt ab animabus veſtris, etiam minimam labem, & omnem peccati turpitudinem, oppoſito pudoris ac reuerentiæ velo prohibeatis ; nefas ſiquidem eſt, vel leuiſſimâ ignominiâ Dei imaginem lædere.

Tota igitur Sanctiſſima Trinitas, in excolenda hac (ſcilicet anima hominis) laborat. Laborat Pater æternus, vberrimo ſæpiùs gratiæ ſanctificantis imbre, cor hominis irrigans ; ne mundanæ iniquitatis æſtus, ſterile & aridum faciat. vt fatetur Propheta Pſ: 84. (Pſalm. 84.) *Benedixiſti Domine terram tuam.* & quænam alia iſta benedictio credi poteſt, quàm cœleſtis communicatio gratiæ ? à qua replente cor hominis, velut à niue operiente humum, impinguatur homo, & in opimas frugum vbertates copiosè excreſcit. Laborat circa hunc agrum & æternus Dei filius, velut alterum cœleſte lumen, lucis ſuæ æuiternæ radijs hominem illuſtrans : & calefaciens intellectum, ne inter enigmaticæ fidei tenebras fructu ſalutis priuetur. agnoſcit hanc Filij Dei circa hominum animas induſtriam Propheta Pſal. 84. (Ibidem.) *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum,* in quæ verba Diuus Hieron: ad Paulam ſic diſcurrit : (S. Hieron.) *Vis ô homo germinare ſemen æternæ gloriæ, quod eſt gratia triplex, præueniens mentem hominis, & ſuauiter dulcedine æternitatis ad abominationem peccatorũ impellens ; gratia adiuuans & cooperans : cuius virtute ſuffultus homo erigatur ad Deum, & ad condignè merenda futuri ſæculi præmia : & inſuper gratia ſubſequens : quæ hominem in bonis actionibus comitatur, ne fortè ſuccumbat. Vis inquam talem edere fructum, Chriſti rore perfundi velis, qui eſt ſanctificatio & redemptio omnium.* Et vt dicit Chryſoſthomus, (S. Chryſ.) *qui omnibus omnia factus eſt.* & cùm paupere conuerſatur : & cum lachrymante triſtatur : & cum ſobriè & cum timoratè conuiuantibus epulatur : & cum eſuriente ſitit. Laborat denique in excolendo homine & Spiritus ſanctus, mentem hominis ita aptificans interiùs, vt diuinis eius inſpirationibus, pronùs obediat, libens ſequatur, voluntariè aſſenſum præbeat. ſine huius profectò cœleſtis coloni numine, nihil eſt in homine, aut ad ſalutem proficuum, aut cœlo dignum, aut Deo delectabile. Laborat inquam, cor hominis fide roborans, ne mundi erroribus abripiatur, & à prima illa veritate in eſſendo, quàm illi DEVS in fide ſapiendam propoſuit, aberret, fortitudine rationem eius armans, vt inſidianti diabolo potenter reſiſtat, charitate deſideria ſalutis implens, vt nihil præter infinitam Dei bonitatem amet, & amplectatur : cùm hæc ſola creati & ad æternitatem ordinati appetitûs vnicum ſit obiectum. Terram igitur iam bonam

bonam habemus, hominem ſcilicet qui eſt Dei imago, non ſolùm in repræſentando ; ſed etiam in fructificando ; iam ad conſiderandum ſemen Dei progrediamur, quod huic cultæ terræ Deus mandat, quodnam ſit illud.

Sed ecce nobis difficultatem ſoluit hodiernum Euangelium, inquiens : (Lucæ 8.) *ſemen eſt verbum Dei.* vnde dicit Propheta : *Suſcipite verbum inſitum, quod poteſt ſaluare animas veſtras* & reuera iure merito, hoc DEI verbum rationem ſeminis obtinet ; quia ex ipſo omnes mundi creaturæ omnia gramina, omnes vbertates temporaneæ, & æternæ vitæ neceſſariæ pullularunt, vt dicitur Ioan. 1. (Ioann. 1.) *Per ipſum facta ſunt omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Proprietates ſeminis duæ potiſſimùm reperiuntur, virtus & neceſſitas. Virtus, quia ſemen habet propriam virtutem ad producendum fructum : vnde naturaliſtarum dogma eſt, in ſemine fructum totum virtute contineri. Altera ſeminis proprietas eſt, neceſſitas ; ideò enim DEVS in mundi exordio virtutem germinandi terræ, & graminibus indidit, vt eſſet vſui ad ſuſtentandam hominis vitam : ſine ſemine enim ſicut nullus haberi poteſt fructus, ita neq; ſuſtentatio. has duas proprietates habet verbum Dei : virtutem ſcilicet, & neceſſitatem ; virtutem habet verbum Dei ſeminis, quia præcipuum ſalutis fructum, ipſum ſcilicet Deum actionum noſtrarum, vltimum finem progenerat in nobis, vt dicitur Rom: 1. (Rom. 1.) *Euangelium eſt virtus ad ſalutem omni credenti.* magna virtus verbi diuini, quia illud igne charitatis diuinæ inflammat corda hominum : ideoq; à Propheta Pſ: 118. (Pſal. 118.) vocatur *ignitum eloquium vehementer.* verbum diuinum ſuâ efficaciâ, corda duriſſima emollit : ideoq; à Propheta vocatur *Malleus conterens petras,* Ieremiæ 23. (Hier. 23.) penetrat interna hominis viſcera, omnemq; affectum etiam deprauatiſſimum quandocunq; vult, etiam in ictu oculi, in melius mutat, & hanc ob cauſam (Hebr. 4.) *omni gladio ancipiti penetrabilius* eſſe dicitur Hebræor. 4. Eſt lucerna pedibus noſtris, quia vnumquemq; hominum, in viam ſalutis per mundi huius tenebras tutiſſimè ducit.

Neceſſitas porrò ipſius tanta eſt, vt ſine illo Deum cognoſcere ſit impoſſibile. Fides enim per quam accedimus ad Deum (inquit Apoſtolus ad Hebræos) *eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Verbi Dei tanta neceſſitas eſt, vt ſine illo anima hominis viuere nequeat, tanquàm ſine debito ſibi alimento : iuxta illud Chriſti Matth. 4. (Matth. 4.) *Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quid autem in re ipſa ſit hoc verbum Dei, fatentur omnes baptiſati eſſe Scripturam Sacram : quæ nihil aliud eſt, quàm locutio diuina ſcripta, aut tradita inſtinctu Spiritus ſancti, vt docet Tridentinum ſeſſ: 4. & 2. Petri 1. (2. Petri 1.) *Non voluntate humana, ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines.* Et Matth. 10. (Matth 10.) *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Vnde pulchrè ſanctus Auguſtinus concione 2. in Pſal. 100. (S. Auguſt.) *de Ciuitate inquit, à qua peregrinamur, ſcriptæ nobis venerunt literæ.* Ab hoc Dei verbo iuſti accipiunt gratiæ augmentum. Ab hoc Athei diuinum lumen : ab hoc impij amiſſam iuſtitiam. Fuit ciuitas illa Niniue magna mole, quia itinere trium dierum, ſed multò maior malitiâ, quæ cælos etiam ipſos penetrabat : vt dicitur Ionæ 1. (Ionæ 1.) *Peruenit vſq; ad cœlum malitia eius.* Et per quid illa impietas, ad ſanctam redijt pietatem ? certè per verbum DEI, cùm Deus futuræ præconem, ſuæ vindictæ mitteret Ionam, inquiens : *Vade ad Niniue ciuitatem magnam, & loquere ad eam prædicationem, quàm ego loquor ad te.* & quænam obſecro fuit prædicatio illa ? *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur* : & ecce vt primùm Ionas verbum diuinum cœpit ſupra ciuitatem illam intonare (inquit ſanctus Auguſtinus) (S. Auguſt.) *quaſi in altum iactata, euerſa fuit ciuitas illa.*

Ergone corruerunt fundamenta vrbis illius ? ergone ſolo æquata ſunt ſumptuoſa

ſumptuoſa ædificia ? minimè inquit ſanctus Auguſtinus : *non ſecundùm* inquit *materialia ædificia, ſed ſecundùm peccati ſtatum, ciuitas illa ad ſonum verbi diuini euerſa erat.* dùm ſinguli epularum muſicas, in pœnitentiæ lachrymas, cultum veſtium in cilicia, commeſſationes & ebrietates, in parſimoniam, & ieiunium conuerterent; nec plebs tantùm ; ſed etiam magnates : imò & Rex ipſe de ſolio ſuo in terram ſe demittens, etiam regalem purpuram in doloris ſaccum commutauit ? ſplendidam menſam depoſuit, epularum ingluuiem, in victum temperatiſſimum conuertit ? Hoc ſemen Deus iecit in corda noſtra toties : iam euerſionem regnorum, iam cædem innocentum, & Eccleſiæ profanationem, iam tot alia infinita mala, Patriæ noſtræ minitans, vt iſto omnipotenti eius verbo perterrefacti inueteratam peccati conſuetudinem deponamus, & ad amiſſam redeamus innocentiam, atq; vitæ emendationem. Sed nos contra hæc omnia obſurdeſcimus : quaſi ſurdis fabula narretur, nec meliores, ſed deteriores in dies fieri volumus.

Et quid obſtat, quominus Dei verbum, cùm ſit ſermo viuus & efficax, nos ab iſtis vitijs retrahat ? certè non aliud, niſi quia peruerſa conſuetudo noſtra, fructificationem eius impedit : cùm enim ſeminis naturam ſequatur verbum Dei, fructificare nequit, niſi in terra bona. Ac proinde, vt diuini verbi virtutem & efficaciam in nobis ſentiamus, neceſſe eſt, in animabus noſtris, diſpoſitiones virtutum præcedere, ſicut in agro culturam. Plinius. Refert Plinius & Sueton lib. II. capite 37. rem planè ſtupendam, quæ in funere Germanici accidit. Fuit inquit Germanicus vir illuſtriſſimus, Pater Imperatoris Cay Galigulæ, quem Romani omnes ſummo proſequebantur amore. Cùm igitur Germanicus per venenum occultè ei propinatum à Tiberio, occubuiſſet ; totus populus ſingulari luctu deplorans mortem eius, & ſplendidè exequijs eius cupiens parentare, Romanorùm more corpus eius cremare voluerunt : vt eius cineres in aurea vrna includerent ; quòd principum funeribus vſitatum erat, impoſuerunt alabaſtrino ingentem lignorum ſtruem, illaque combuſtâ, cineres colligere volentes, inuenerunt cor penitus intactum, quod fermè nec flammis, nec ardentibus prunis comburi potuit, imò ne calefieri quidem. Intellexerunt artis Medicæ periti, veneni malitiam illud occupaſſe, & ita cordis poros conſtrinxiſſe, vt nullum igni & calori locum ingrediendi relinqueret. Vnxeruntq; illud probatiſſima theriaca, cuius virtute venenum eneruatum, vſtionem ignis non ampliùs potuit impedire : & tunc primum igne ſucenſum, & in cineres redactum fuit. Hæc, certè cauſa eſt, cur potentiſſimum Dei verbum, non ſemper in nobis effectum ſalutis operetur, quia veneno peccati induratum, & conſtrictum hominis cor, omnem illi præcludit aditum. adeò, vt licet ardenti igne potentius ſit DEI verbum, peruerſam tamen peccatoris animam, etiam calefacere diuina charitate nequit. Quamdiu veneno concupiſcentiæ, quod antiquus ſerpens inuexit, cor tuum occupatur : tamdiu ad recipiendum verbi Dei fructum ineptum eſt. quouſq; humana indoles, concupiſcentiâ delectationis æſtuat, & mentem elatam inanis gloriæ aura occupat ; eo vſq; vox Dei clauſas animæ reperit aures. Quod conquerens Deus dicit per Prophetam Pſ: 68. *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, & tamen nihil profeci.* Pſal. 68. Quamdiu auaritia iniuſti quæſtus colligendi appetitum hominis implet, tamdiu licet præſentem Ieſum impiæ voluntati obijcias ; eius tamen amore minimè capitur, ſed in diuitiarum ardorem ſemper propendet. Quia vt dicitur Matth. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Matth. 6. Vnde cùm Aurifabro cuidam proximè moribundo, crucifixi imago, ſpectanda exhiberetur, tota aurea & gemmis ornata, ille nihilominus, plus auro ; quàm Chriſti paſſioni immerſus, etiam in extremo

extremo iam agone ſalutem ſuam negligens, quærere non erubuit, quanti vna auri illius vncia venderetur. Pſal. 61. Vnde Pſalmiſta dicit Pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Si enim fortiter cor illis apponas, pungent te : & quo ? morte æternâ. Altera cauſa eſt, cur verbum diuinum non ſemper virtutis ſuæ fructum in nobis operatur, licet ad aures noſtras perueniat ? quia non ſolùm verbum Dei audire; ſed etiam in corde, & ore illud ſeruare oportet ; vt dicitur Lucæ II. Lucæ 11. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* in cuius rei comprobationem D. Auguſtinus, & Gregor. homil. 45. lib. Moralium cap. 55. (S. Auguſt. S. Gregor.) auream Spiritus ſancti ſententiam allegant : *Theſaurus* inquit *deſiderabilis, requieſcit in ore ſapientis, vir autem ſtultus glutit illum,* quaſi diceret : cui diuinum verbum ita ſapit, vt veluti dulce alimentum per aures eius in cor deſcendat, ille magnum illius fructum refert. ſtultus autem glutit verbum Dei : hoc eſt, auditum obliuioni ſtatim tradit.

Planè in ſeminando verbo DEI Spiritus ſanctus, pulchra voluit vti Metaphora, ab aromaticis maſſulis. Maſſulæ iſtæ conficiuntur ex rebus cordialiſſimis ſuaueolentibus, & ſapidis, atq; aromaticis. Vnde vir ſapiens, qui vult fructum iſtarum Maſſularum ſentire, dùm aliquam ore ſumit, retinet illam diutiùs, donec paulatim humiditate linguæ liquefiat ? tunc primum enim virtus eius roborat cor, emollit pectus, abſumit oris fætorem, & anhelitum : qui verò ſtultus eſt, glutit eam, ideoq; nullam eius ſentit efficaciam : talis enim permanet poſt deglutionem, qualis antea erat : & homo taliter eam ſumens, eundem oris fætorem, eandem cordis compreſſionem retinet. Verbum diuinum eſt prorſùs quaſi Maſſula, confecta ex omnibus diuinæ Apothecæ cordialibus medicamentis, & aromatibus, ſed vt virtus illius alicui proſit, neceſſe eſt verbum hoc & auidè auribus excipere, & in corde diutiùs retinere, guſtum mentis recreando, & fætorem delicti per os expellendo. Sic enim ſumptum Dei verbum (inquit ſanctus Paulus Rom. I.) Rom. 1. roborat imbecilles, cor infirmum confortat, & in deſperatis infirmitatibus præſtat ſalutem, ſed circa cuius aures verbum Dei tantùm auolando ſonat, & ad cor non deſcendit, cor eius ſemper timidum, & ad vnius etiam muſcæ conſpectum expauens manet ; quia ſua quemq; arguit conſcientia : & cui vires gratiæ peccatum abſtulit, etiam fortitudinem corporis aufert. ſcribit Pierius. Valerius lib. 51. (Vas ex radice hederæ, vinum non poteſt ſuſtinere.) Herleraceum Vaſculum, ex hederæ radice confectum, cum in illud vinum defæcatum & purum infunditur, nullatenùs illud retinet, ſi verò infundatur vinum aquâ mixtum, aquam firmiter conſeruat, vinum verò per poros dimanare patitur. Conſiderate boni Chriſtiani, an non plurimi veſtrum huic vaſi ſint ſimiles ? qui dùm eis purum DEI verbum proponitur, tanquàm vinum defæcatum, iuxta doctrinam I. Corint. 2. 1. Cor. 2. *Non in plauſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & veritatis ſe fundans* : retinere illud nolunt, amarum & moleſtum ſibi ducendo talia audire, quodſi hiſtrionica & adulterina proferatur concio, dùm prædicator magis audientibus placere, quàm eorum conſcientias ædificare ſatagit ; hæc toto arripiunt animo ; quidquid autem diuinæ veritatis eſt, diffluere è corde ſuo ſinunt. Et hoc eſt, quod hodiernum exaggerat Euangelium. *Et dùm ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt.* quaſi diceret Propheta : verbum Dei ſeminat Deus in cordibus hominum, ſed fructum producere non valet, quia ab illis conculcatur & impeditur. Et quis eſt tàm impius, & ſacrilegus in Deum, qui verbum eius conculcare audeat ? ſunt profectò peruerſi Catholici, libidinosè & impiè viuentes, iſti conculcant verbum Dei, quia cùm verbum diuinum ſit ipſa puritas, in mente impura creſcere nequit. Conculcant verbum Dei & auari : quia ſuas poſſeſſiones & ſubditos fideles, in poteſtatem

tem perfidis committunt Iudæis : quo nihil grauius Deo eſſe poteſt, dicente ſcriptura ; *Quæ ſocietas luci ad tenebras : Fideli cum Infideli, quaue participatio Chriſti ad Belial.* Sed fortaſſè reſpondebunt ſe maius habere commodum, dùm Iudæis ſuis locant villas. Fateor equidem ſic eſſe : ſed quia propter auaritiam ſanguinem Chriſti vendis, & verbum illius euaneſcere facis, (quæ enim doctrina ſalutis Iudæo procurante fieri poteſt) ideò tibi æternæ damnationis acceſis periculum. Conculcant verbum Dei & magnates, atque potentes vt plurimum : non ego id obijcio, ſed ſcriptura Ioann. 7. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum* (id eſt ; in Chriſtum) mirabile eſt quòd ſcriptura dicit Ergone iam Principes & Magnates non credunt in Chriſtum ? abſit. Quid ergo ſcriptura in his verbis ſibi vult ; credunt quidem, ſed ac ſi non crederent (quia vt inquit Diogenes apud Laert. l. 6.) *Magnates* inquit *& nobiles liberos ſe eſſe arbitrantur, ideoq́; leges Chriſti nō liberè accipiunt, quia quidquid libet, agere volunt.* Et quid eſt magis conculcare verbum Dei, quàm ſecundùm brutalem appetitum, & ſuam concupiſcentiam viuere ? conculcatum deniq; eſt hoc verbum Dei à peruerſis hæreticis, dùm hoc Dei verbum, non publica Eccleſiæ ſanctæ authoritate, ſed priuata voluntate interpretantur, cùm tamen hoc manifeſtè ſcriptura, in qua illi fundantur prohibeat Deutor. 17. inquiens : *Si quid ambiguum atq́; difficilè occurrerit, aſcendes ad locum ſanctum, & ad ſacerdotes.* & Malachiæ 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Domini requires de ore eius.* Et quod caput rei eſt, maximè ipſo ſancti Pauli facto confundantur, qui licet habuerit infallibilem directionem Spiritus ſancti, tamen aſcendit in Hieruſalem, vt Euangelium ſuum cum Apoſtolis, & præſertim cum Petro conferret, teſte illo ipſo ad Galat: 2. ſi ergo ſanctus Paulus, qui non dubitauit de ſua doctrina, & tamen voluit ſuum Euangelium conferre cum alijs Apoſtolis, ideò ſolùm vt toti Eccleſiæ conſtaret euidenter, eum eſſe conformem publicæ regulæ, quomodò Domini diſſidentes, cùm tantam his temporibus (vt bona eorum venia loquar) ſcientiam non habeant, tantùm de ſua interpretatione ſcripturæ præſumere audebunt ? vt eam ſub cenſuram Eccleſiæ ſubmittere nolint. niſi fortè perfectiores ipſo Paulo Apoſtolo videri velint.

Ioan. 7. — Laertus. — Deut. 17. — Malach. 2.

Sed dicent illi fortaſsè, ſufficere ſolam ſcripturam à priuato cuiuſq; intellectu interpretatam, vt quilibet ſecundùm illam diſcernat inter credenda & agenda : nixi illo ſcripturæ fundamento Ioan. 5. *Scrutamini ſcripturas, illæ enim teſtimonium perhibent de me.* & illo 2dæ ad Timot. 3. *Scriptura eſt ſufficiens ad credendum ſalutiferè* Sed verbis DEI & Apoſtoli non benè intellectis, in infinitos errores abeunt ; iubet quidem DEVS ſcrutari ſcripturas, quia illæ ſunt fundamentum fidei ; ſed non iubet illas cuiuſq; priuato ſpiritu interpretari ; ex eo, quòd illa ſit obſcura, cum habeat duplicem ſignificationem, literalem & myſticum, & litera iuxta Apoſtolum 2. ad Corint. 3. occidit, genuinum autem ſenſum, non niſi ex ſpeciali Dei gratia intelligere contingit, cùm vſq; in hodiernum diem, quandò legitur Moyſes, velamen poſitum ſit ſuper cor eorum. Deindè eſt quidem ſufficientiſſima ſcriptura ad credendum ſalutiferè ; ſed tanquàm regula fidei, non tanquâm Iudex. quod patet ex officio iudicis : iudex enim ita ſententiare debet, vt duorum de aliquo litigantium vterq; intelligat, quænam ſit ſententia iudicis, & pro quo, aut contra quem finaliter lata ; poſſitq; non parentem cogere ad parendum. Sed ſcriptura à priuato cuiuſque intellecta critirio legentis, hoc præſtare non poteſt, ſiquidem Lutherani & Caluiniſtæ vnanimi conſenſu confitentes, Iudicem controuerſiarum fidei eſſe ſolam ſcripturam, à priuato ſpiritu intellectam, tamen ſecum in hanc vſq; horam de præcipuis fidei controuerſijs confligunt : vt de bapti-

Ioann. 5. — 2. Timo. 3.

baptiſmo paruulorum ; de Euchariſtia ; de Prædeſtinatione. Quod præuidens Deus in veteri teſtamento, praxim ſtatuerat, vt omnes in dubijs fidei recurrerent ad Pontificem : qui illis ſcripturas interpretaretur & aperiret. cui praxi quantum denegent Domini diſſidentes, dùm ſupremum Eccleſiæ caput, Chriſti videlicet vicarium, & ſancti Petri ſucceſſorem ad diſcernendam ſcripturarum veritatem relictum contemnunt ; & per hoc diuinam ſpernunt authoritatem, verbumq; illius contemnunt vt docet D. Auguſtinus lib. 18. contra Fauſtum cap. 39. *Videtis* inquit *Hæretici id vos agere, vt de medio tollatur diuina authoritas, dùm ſuus cuiq; animus author eſt, qui in vnaquaq; re probet aut improbet.*

S. Auguſt.

Habemus igitur ſemen DEI, verbum ſcilicet ſanctum ; quod nobis in ſcriptura DEVS aperuit ; cuius & virtus ad ſalutem eſt efficax, & neceſſitas omnimoda. Sed vt in mentibus noſtris Deus illud ſeminare velit, excolamus noſtras conſcientias virtutibus, diſponamus pænitentiali dolore, & ne ſeminatum, à nobis conculcetur ; illud non priuatâ ſcientiâ intelligere ; ſed communi totius Eccleſiæ authoritate interpretatum recipere, & ſecundùm illud agere, & credere velimus vnitrinoquè DEO, cui ſempiternus cedat honor.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ,

CONCIO PRIMA.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filiò hominis. *Lucæ 18.*

Chriſti paſsio ad comprimendam hominum inſolentiam efficaciſsima.

NVnquid iam Eccleſia Chriſti politiem ex mortalium cōſortio exterminare vult, quia imminentem Chriſti acerbam mortem, triumphanti hodie mundo præ oculis ſiſtit ? quid enim morti, cum ſplendida menſa ? funebri luctui, cum conuiuali gaudio ? epulis, cum melancholia ? recreationi cum triſtitia ? læto cantui, cum fletibus commune eſſe poteſt ? Rem profectò indigniſſimam & ex finibus humanæ mortalitatis penitùs proſcribendam cenſebit philoſophantium ſchola, quæ pro ſua politica acriùs pugnat, eam in virtutum numero ſtatuens. Verùm non virtutem politiei improbat ſancta Eccleſia, ſed vſum eius, non tàm innouat ; quàm potiùs piæ Antiquitatis exemplo præſcribit. Nec enim hoc nouum eſt inter hilares conſeſſus, acerba mæditari : cùm & apud Ægyptios Reges, illa ſemper conſuetudo viguerit, vt epularum tempore ferculorum miſſus à caluaria inchoarent, & caluariâ finirent. Hoc primum ferculum, hoc vltimum apud illos fuit. quamdiu alijs inferebat & efferebat dapes turba clientum. Hoc ſemper in menſa ferculum perſiſtebat, vt inter epulandi lætitiam, moriendi ſimul memoriam ſuggereret. Verùm immorigera ſaltim videbitur pleriſq; Eccleſia, dùm in ſumma lætitia decurrens, iam vltimum iucunditatis tempus, lugubri apparatu obtenebrat, ſed neque hoc nouum eſt inuentum. Vtiq; & ille potentiſſimus Romanæ gentilitatis Imperator, qui inſolentiùs paulò inter mundi voluptates debacchari cōſueuerat, ſuis ſenatoribus lautiſſimum apparans conuiuium ; nihilominùs tamen totum illud palatium in quo epulis

epulis delicatiùs indulgerent, aulæis non acu Phrygia depictis, aut auro intertextis, sed atris & solam mortis imaginem, vbique depictam præferentibus, exornari imperauerat. Culpanda igitur non est Mater Ecclesia, sed potiùs quare lugubre passionis Christi spectaculum nobis proponat, tanquàm veneranda parens, cùm humili submissione quærenda. Cuius ego interim vices obeundo, ad palatum curiosè sciscitantium, respondere conabor.

Atq; causam inprimis video, cur decurrentibus hisce insolentiæ dieb⁹, Christi Domini passio nobis consideranda proponatur, vt per illam tanquàm clypeum infractum, omnem insanientis mundi & inferni potentiam, aduersùs animas nostras expugnandas obuersam vincamus, vt docet Apostolus 2. Corint. 4. (1. Cor. 4.) Semper inquit *mortificationem IESV Christi in corpore nostro circumferentes, pugnemus aduersùs mundi iniquitatem.* & clariùs adhuc confirmat, antiquissimus Origenes, (Origenes.) Commentario in cap. 6. ad Romanos. *Certum est* inquit, *quia vbi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis mentis oculis inspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia, sed continuò ad eius præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.* Cuius euidentissima ratio Physica, quia duobus contrarijs iuxta se simul positis, illud quod est imbecillius, omninò cedere debet fortiori. sic vmbra soli, tenebra luci, aqua igni, frigus calori cedunt : quia nec vmbra solis radios, non tantùm vasa diafana, sed etiam opaca terræ viscera penetrantes ; nec tenebra lucis splendorem, nocturna phantasmata fugantem : nec aqua, ignis impetum; nec frigus, prædominantem caloris virtutem ferre possunt. At quæ magis contraria cogitari possunt, quàm Christi passio, & mundi peccatum ? docente id Apostolo Rom. 8. *Damnauit* inquit *peccatum in carne.* quasi diceret; omne peccati virus, tot mortalium animas lethaliter inficiens, per hostiam & sacrificium sanguinis, in acerba passione de suo corpore profluentis, expugnauit penitus & eradicauit. Et reuera habet Christi passio potentissima immensæ charitatis erga nos redemptionis arma, quib⁹ peccatum nusquàm resistere valebit.

Adumbratam pulchrè Christi passionis, cum peccato pugnam & victoriam reperio 1. Reg. 5. num. 11. (1. Reg. 5.) vbi dicit sacra pagina, ad præsentiam Arcæ fœderis corruisse Dagonem, simulachrum & Deastrum Azotiorum. nam dicit scriptura : *Tuleruntq; Philisthim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon? cumq; surrexissent diluculo, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini.* Vbi quidnam fuerit iste Dagon, respondent authores fuisse vnum è tribus præcipuis Idolis Philisthinorum, minus quidem quam Beelzebub, qui princeps dæmoniorum nuncupatur. Lucæ 11. n. 15. (Lucæ 11.) maius verò; quàm Astaroth. rursus dicunt, simulachrum hoc fuisse ex inauribus mulierum aureis, atq; delicijs earum fabricatum. ideoq; ad muliebres delicias, & omnem viuendi turpitudinem, sui cultores alliciebat : propter quod à fœminis potissimùm colebatur, tanquàm omnis lasciuiæ & voluptatis fomentum. Figuram huius Dagonis ferunt Hebræi monstrosam fuisse, nempe ex figuris diuersorum animalium constitutam. At quorum animalium figuras referret, omnes conueniunt hominem pariter & piscem repræsentasse ; hominem repræsentasse ex eo constat, quòd dicit scriptura. Illum duas palmas manuum habuisse 1. Reg. 5. num. 4. (1. Reg. 5.) *Caput* inquit *Dagon, & duæ palmæ manuum eius, abscissæ erant super limen, manus verò habere* soli homini conuenit. Quòd etiam piscem repræsentauerit, ipsa nominis Etymologia indicat : Dagon enim idem est, quòd piscis tristitiæ seu doloris, vt D. Hieronymus, Beda, Rabbanus, Hugo Victorinus, Rupertus (S. Hieron. Beda. Rabban⁹. Hugo Vic.)

tus sentiunt atq; Gaietanus, (Rupertus. Caietan⁹.) qui censet vocem hanc Dagon, ab Hebræo Dagach deduci, quod significat piscem : vnde propterea Siri diuinitatem piscibus tribuebant, teste Cicerone (Cicero.) de natura Deorum, abstinebantq; ab illorum esu, vt testis est Ouidius (Ouidius.) 2. Fastorum. (*mensis,*

Vnde nefas ducunt genus hoc imponere

Ne violent timidi piscibus ora Siri.

Vnde & ipse Deus Israëlitis in terram promissionis venientibus, prohibuerat seriò ne piscium imagines pingerent. Exodi 20. num. 4. (Exodi 20.) quia scilicet habitaturi erant propè Philisthinos, piscium simulacra venerantes. ideoque ne eorum Idololatriam imitarentur, tempestiuè præmonuit. Quamobrem, cùm Dagon hominis & piscis figuram gereret, quid miseriùs & absurdius improba illa cæcitate Philisthinorum cogitari potest ? qui hominem omnium animalium sapientissimum, in idem simulachrum, cum pisce omnium animalium stolidissimo coniungebant. Quid absurdiùs, quàm vni monstro diuinum honorem deferre, quod & ipse gentilium Philosophus Seneca (Seneca.) de falsis dijs scribens miratur. *Si viui* inquit *illâ fuissent formâ præditi, quam eorum simulachra præseferebant, non vt nomina colerentur, sed vt monstra ab omnibus fugerentur.* Et ipse S. Augustinus (S. August.) concione 2. in Psalmum 113. Ethnicos grauiter reprehendit, quòd cum bestias viuentes & sentientes adorare erubescant, eorum tamen fictas imagines, quæ sunt deteriores venerentur.

Certè per hoc simulachrum Dagonis, mundum malignum crediderim adumbratum esse : nam & hunc à pulchritudine dici putant Philosophi, quasi ex pulcherrimis quibusdam delicijs sit constitutus, & Aristoteles (Aristoteles) vocat illum compagem rerum, quasi monstrum quoddam ex pluribus naturis compositum : præsertim verò ex duabus ex homine & pisce, ex homine inquam, quia in manu eius omnia Deus posuit gubernanda, quæ mundi ambitu continentur : & ex pisce simul, quia quemadmodùm piscis summam inconstantiam præsefert, ita homo maximam leuitatem his temporibus in se effingit, dùm velut piscis mutus in profunda deliciarum & infernalium voluptatum demergitur. Verùm, si olim Deus eo vsq; suam potentiam dissimulauit, quamdiu Arca fœderis in domum turpitudinis, hoc est, in templum Dagonis introducta non fuit, tunc enim primùm suam potentiam monstrauit, cùm Dagonem è sublimi in ima terræ confractum deiecit, & nostra certè peccata ad hæc vsq; tempora patienter tulit, sed cùm iam insani homines mundo tripudianti, maiorem quàm Deo honorem soluant, diuinam tandem passionem suam in medio nostrum sistit, vt simulachrum hoc lasciuiæ ad præsentiam eius corruat, sic docet Apostolus Hebr. 12. (Hebr. 12.) *Recogitate* inquit *illum, qui talem sustinuit aduersùs semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.*

Tripliciter olim Arca Domini triumphauit de infirmitate Dagonis : primò, ratione loci, quia Dagon proprio in domicilio victus erat, Arca verò in alieno illum prostrauerat. Iam autem turpior est calamitas inflicta in natiuo solo, & gloriosior victoria parta in peregrino.

Sed nonne magis triumphabit Deus, si passio eius hodiè proclamata Christianitati ab Ecclesia, diabolum qui in mundo velut in proprio loco, ad omnes peccati illecebras mentes hominum impellit, prostrauerit & expugnauerit ? Nam dicit Apostolus, Lucæ 11. num. 21. (Luca 11.) *Fortior hæc est arca fidei nostræ, quæ principi tenebrarum victrix spolia impietatis eripit, & suis fidelibus pietatis arma & spolia facit* ; vt vbi fit omnis prostitutio virtutum ; ibi perfecta quiescat sanctitas ; vbi animæ macula impudenter delinquendo committitur, ibi salutis æternæ splendor radicetur. Triumphauit secundò arca fœderis de infirmitate Dagonis, ratione temporis : nam cùm ab hostib⁹ maximè deiecta videbatur, Dagon autem à stulta gentilitate vltra nubes sublimatus, tunc primùm Arca Domini poten-

potentiam ſuam oſtendit, & Dagon tanquàm abominandum quoddam ſimulachrum, in terram coram ſe deiecit. *S. Iſidorus.* *Cernis* inquit *Iſidorus, vt vbiq; gloria Domini emineat etiam tunc, cùm deiecta exiſtimatur, quando etiam capta ab hoſtibus, & poſita iuxta Dagon à virtutibus non ceſſauit.* Captus eſt nunc Deus à grauiſſimis peccatoribus, maieſtas eius profanata, timor excuſſus, & omnis authoritas ſpreta: inducitur in mundi theatrum, & contemptibilius, quàm in gentilium templo, penes Dagon hoſtem animæ collocatur, poſtponitur peccato, & momentanea voluptate leuius æſtimatur.

Quid ergo? diuinæ paſſionis potentia opus eſt, vt arceat inſolentiam, & impudentem laſciuiam comprimat, & ratione temporis triumphet, ſi homines quando minimè de Deo cogitant, ad ſe conuerterit. *S. Chryſ.* ſic præclarè diſcurrit D. Chryſoſthomus: *Hoc* inquit *eſt tempus diuini auxilij, & ideo nec pueros eripuit à principio, ſed poſtquàm fuerunt coniecti in fornacem.* Daniel 3. à num. 21. Nec Danielem, antequàm eſſet immiſſus in lacum leonum; ſed ſeptem poſt diebus. Daniel 14. à num. 30. cùmq; rerum humanarum nulla iam eſſet ſpes relicta, tunc ſuum oſtendit auxilium; & nunc certè ad triumphum Chriſti paſſionis ſpectat, vt cum totus in vitia ruit mundus, dexteram ſuam porrigat, qua retineat eum.

Refert ſanctus Chryſoſthomus lib. vno contra gentiles, fuiſſe olim in Daphne ſuburbio amæniſſimo Antiochiæ, celeberrimum Apollinis templum, & propè illud vrnam, in qua ſancti Martyris Babylæ oſſa condita fuêre; additque quòd quamdiu illud templum deſertum fuerit, nihil omninò detrimenti, à vicino Martyris tumulo ſuſcepit; ſed poſtquam frequentari cæpit ab Ethnicis, multiſque donarijs augeri, & torrente ſanguinis ex victimis cæſis circumfundi, tunc primùm ſanctiſſimi Martyris oratione impetratus è cælo ignis lapſus eſt, quo ſuccenſum illud templum conflagrauit. redditq; iſtius facti rationem: *Ba-* A *bylas* inquit *ſtatuam cum primo ſtare permiſiſſet, hanc ipſam tunc deiecit, cùm maximè impietatis flamma altior ferretur, planum faciens, vincere oportere, non quidem tàm depreſſis aduerſarijs, ſed tunc maximè, cùm efferuntur & clareſcunt.* Equidem Catholici mei, factum hoc apertè nobis indicat, non tàm graue Deo eſſe, quando eius templa deſolata, & debitis Deo laudibus atque orationibus fruſtrata manent, licet etiam hoc ſatis ægrè ferat; quàm dùm effuſa in omne ſcelus Chriſtia- B nitas, animis vitiorum colluuie conſpurcatis, & conſcientia per omne facinus fœdatâ, ſacra eius loca frequentat, nam cauendum maximè eſt, ne Sancti Dei, qui in iſtis ædibus corpora ſua depoſita habent, vindictam à Deo requirant, ad quorum prece efferueſcens Dei furor, atrocius nos; quam olim gentiles puniat: ſi enim Philiſthini Arcam Dei iuxta Dagonis ſimulachrum collocantes, tam atroces pœnas ob illud ſcelus meruerunt, quas obſecro impudentes Chriſtiani, Chri- C ſtum cum ſua libidine commiſcentes, ob tàm nefandum facinus ſubibunt?

Tertiò denique, Arca Domini triumphauit de infirmitate Dagonis, ratione modi: quo hæc victoria parta fuit. Nam inprimis Dagon non fugit penitus è templo, ne videretur effugere poſſe diuinæ iuſtitiæ vltionem; ſed iacuit ante arcam, vt eius imperio deiectus ac ligatus quodammodo videretur. Non cecidit reſupinus in tergum, ne adhuc putaretur ab Arca velle reſilire, aut contra Ar- D cam rebellare: ſed pronus in faciem cecidit, vt Arcam Dei, ſeu potiùs latentem operantemq; ex Arca Deum adoraret. quemadmodùm Ioſephus *Ioſephus lib. 6. Antiquitatum cap. 1.* lib. 6. Antiquitatum cap. 1. S. Theodoretus quæſt: 13. Magiſter ſentent. *Theodor. Lyranus. Abulenſis.* Dionyſius, Lyranus, Abulenſis, & alij plurimi interpretantur. Et clariſſimè exponit D. Baſilius in caput 10. Iſaiæ. *S. Baſil.* *In faciem* inquit *prolapſus erat ipſe Dagon, à claritate gloriæ deuictus, quæ circa Arcã Dei ſplendeſcebat.* Tandem Dagon non ſolùm clàm & in nocte Arcam adorauit; ſed palam & in luce omnibus,

bus, qui aderant Azotijs ſpectantibus; quemadmodùm ſeptuaginta expreſſerunt. *Surrexerunt* inquit *mane Azotij, & ingreſſi ſunt in domum Dagon & viderunt, & ecce Dagon pronus iacebat in terra ante Arcam.* Vbi manifeſtè exprimuntur Azotij teſtes oculati Dagonis in faciem prolapſi, ne in tenebris tantùm Arcam adoraſſe putaretur. Sic docet Theodoretus ſerm. 10. de prouidentia ad finem. *Deus* inquit *Theodor.* *Allophylis Arcam tradit, populi iniquitatem arguens, traditæ autem maieſtatem tuetur: Allophylos docens, quòd non Ie-* B *ſum viciſſent, ſed hominum iniquitatem. Propterea Dagon quoq;, quem illi Deum adorabant ante Arcam corruere facit, & eundem cultoribus ſuis ſpectandum exhibet, vt Allophyli diſcrimen inter falſum & verum Deum diſcerent.* quaſi diceret: voluit Deus vt Dagon omnibus Azotijs ſpectantibus Arcam adoraret, vt tandem intelligerent Philiſthini, quantum diſcriminis eſſet inter Arcam, & Dagonem: intet Deum, & dæmonem: debetur certè hæc vi- C ctoria Chriſti paſſioni, vt mundus ad proclamatam hodie eius memoriam cadat, in ſuis iniquitatibus, & proſtratus in faciem ante Deum, ſuam infirmitatem ingenuè fatendo, omnipotentis maieſtatem adoret, & de ſuis peſſimè factis reſurgat,

Illud tamen myſterio non vacat, quare Dagon toties à Philiſthinis erectus, & toties à Deo exturbatus fuerit. Verùm hoc pertinebat ad maiorem Dagonis ignominiam & Arcæ poteſtatem detegendam. Nam priores illæ ruinæ maiorem hominum fre- D quentiam ſingulis diebus in templum euocabant: rumores enim de illius ſimulachri ruina crebreſcentes, intuendi deſiderium in omnium animis acuebant, ideoq; vltima die qua tota ferè Palæſtina, ſuis veluti auulſa ſedibus aduenit, & in templum turmatim quaqua data porta ruit, apparuit Dagon non ſolùm terræ alliſus; ſed etiam miſerabiliter laceratus, Deo prudentiſſimè id diſponente, vt omnes ſimul & poſteſtatem Arcæ, & infirmitatem Dagonis; huius exiti- A um, illius triumphum, oculati teſtarentur. Diuina profectò bonitas, & humana prauitas, ſub hoc arcano mihi videtur eſſe adumbrata. Nam homines peccata frequenter renouant, DEVS pariter renouata præcipitat. Cõtendunt igitur quodammodò Deus & homo, hic peccando, ille parcendo: ſed vincat vtinam Dei bonitas hominum prauitatem, & ſicut Arca fæderis Dagonem quondam diruit ac deiecit, ita & nunc promulgata Chriſti Paſſio mundi laſciuientis peccata B deſtruat ac remittat, non tantum vſque ſepties, ſed etiam ſeptuagies, ſepties. Deniq; ſciſcitantur Doctores, cur præcipuè caput & manus Dagonis abſciſſæ, & ſuper limen templi proiectæ erant? Reſpondet Abulenſis quæſt: 13. *Abulenſis.* *Quia Dagon neq; incuruauit caput, neq; manus eleuauit coram Arca Dei, idcircò quibus corporis partibus peccauerat, in illis puniri debuit.* Sed non videtur quid peccati committere, quid ſupplicij luere debeat ſtatua Dagonis, vt potè ſenſus & rationis ex- C pers, verius proinde explicat D. Gregorius, qui per caput & palmas manuum Dagonis, intelligit vanitatem, & turpem peccati operationem, dicitq; ideò ſuper limen partes illas abſciſſas proiectas fuiſſe, vt diſcerent homines, Dei Eccleſiam ingredientes, Diabolicos ritus ac cerimonias conterendas & calcandas eſſe. *D. Gregor.* *Poſita* inquit *hæc ſunt in limine, vt ab introëuntibus conculcentur. Namq; qui Dagon caput atterere, & manus vitat, etſi fidelium numero contineri videtur, idololatra quo-* D *dammodo eſſe conuincitur.* Sed crediderim ego cauſam eſſe, cur Dagoni caput & manus abſciſſæ fuerint, quia monſtrum erat ex humanis & belluinis partibus conflatum: diuina ergo prouidentia effecit, vt humanas partes, quales erant caput, & manus à belluïnis abſcinderentur, vt palam fieret, eos qui per idololatriam in belluas degenerarânt, per fidei profeſſionem ad humanum ſtatum redituros.

Ecce Chriſti quoq; paſſio cum Dagone, mundo ſcilicet inſaniente in certamẽ hodie deſcendit, vt quoniam is mon-

is monstri cuiusdam speciem assumens, nunc hominem, nunc chimeram induens, viros in fæminas, & fæminas in viros transformans, iuuenes in Syluestres Satyros, vestitum Christianum in Iudaicum fætidum apparatum commutans. Quid ergo Christi passio segregare vult ? quod humanum adhuc reperit, in suam partem ; & quod belluinum, in limine mundi calcandum proijcit. Æquum enim est, vt impius mundus qui hominum capitibus se adorandum his diebus imponit, Christianorum pedibus conculcandus subdatur, vt hoc facto audaciores fiant Christi Athletæ, ea quæ mundi sunt, contemnere : sic olim bellicosus Iosue, postquàm vrbem Hai expugnauit, Regem eius suspendit in patibulo, & proiecit cadauer eius in introitu ciuitatis Iosue 8. num. 29. eius rationem reddit Theodoretus quæst. 11. *Vt* inquit *audaciores facti eius milites, alacriùs in acie consisterent*. Eandem potestatem Christus Dominus ad passionem suam iam hodie progrediens nobis tradit, vt alacriores stemus in acie aduersùs mundum. *Ecce* inquit *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super virtutem inimici*. & magis adhuc animos nostros fortificat D. Paulus Rom. 16. num. 20. *Deus* inquit *pacis conteret Sathanam sub pedibus vestris velociter*.

Iosue 8.
Theodor.
Rom. 16.

Alteram reperio causam, cur hodie sancta Ecclesia, passionem nostri Saluatoris commemorat, vt scilicet gloriam eius manifestemus, ruinam verò in anima factam per peccatum, erubescamus : debet enim dominicæ passionis fama, quæ ex charitate erga nos prodijt, palam euulgari, & omni gloriæ temporali præferri. Quid quæso gloriosius fuit apud Iudæos ; quàm vis miraculorum ? quid illustrius apud Græcos ; quàm philosophandi peritia ; & tamen vtrisq; D. Paulus maiorẽ gloriam obiecturus, Christi passionem obiecit : *Iudæi* inquit *signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum*. 1. Corint. 1. n. 23. quasi vna illa crucis humilitas, omni temporali & potentiâ & sapientiâ gloriosior existat. Hinc D. Hieronymus admiratur Christum Dominum clara die, & tota Ierosolyma spectante in cruce expirasse, at verò secreta nocte & omnibus arbitris remotis, è sepulchro viuum surrexisse ; cuius mysterij potissimam rationem assignat, quòd gloria morientis præferenda quodammodo videretur gloriæ resurgentis. Vnde hæc in nocturna silentia fuit reseruata, illa in meridiana luce omnibus spectanda exhibita. Cùm igitur tanta sit in Christi Domini passione maiestas, nemo illam stultè verecundus occultet. sed potiùs sapienter impudens manifestet : *qui enim Christum erubuerit, hunc & filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua*. Lucæ 9. num. 26. Tertiam deniq; causam esse video, cur Christus Dominus suam nobis passionem hodiè prædicat, vt illam tanto fortiùs memoriæ fidelium imprimat, ne etiam inter delicias eius obliuiscamur. sic docet Sapiens Ecclesiast. 22. *Gratiam* inquit *fideiussoris tui ne obliuiscaris : posuit enim pro te animam suam* : neque enim fas est obliuisci Christi passionem, per quam salutis & redemptionis beneficium accepimus. Veteranus quidam Augusti Cæsaris miles, dùm vocatus in iudicium periclitaretur, adijt Cæsarem, vtq; aures patulas linguæ eius præberet, petijt : obedijt Cæsar postulatis, miles exclamare cæpit : An non ego Cæsar periclitante te Actiaco bello, pro te ipso pugnaui, vbi apertâ veste detexit cicatrices, pro incolumitate Cæsaris susceptas : erubuit Cæsar & liberum fecit, si sic vnius militis ostensæ cicatrices Imperatorem Romanum mouere poterant, quem quæso verè Christianum Christi vulnera inspecta, passio considerata, mors ante oculos posita, non permouebunt.

Lucæ 9.
Eccles. 22.

Arripite ergo Catholici pijs animis propositam vobis passionem Christi, & illa tanquàm clypeo cælesti obarmati, pugnate aduersùs mundum, diuulgate eius gloriam, mentibus imprimite

mite beneficium, & instante iam quadragesimalis pugnæ tempore, maturè corda vestra præparate, vt armata Dei gratiâ, cùm hostem animæ senserint, non trepident, sed cum veniente IESV, palmam & victoriæ, & gloriæ referant.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Erat autem verbum istud absconditũ ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. *Lucæ 18.*

Ad cognoscendum Dei verbum humili & pia attentione opus est.

ARcanum imperscrutabile, lugubri veste Christi passionis memoriam, hodiè instaurans, Ecclesia nobis enodandum proponit, Auditores : ipsius scilicet incarnatæ sapientiæ verba, futuram eius concernentia passionem, ab ipsis etiam Apostolis fuisse abscondita ; nec vllatenùs percepta. Sacri interpretes eloquij, tripliciter verba hæc exponunt. Primò, aliqui dicunt. accipienda esse Synecdochicè, hoc est ; referendo illa ad aliquos audientium, sed non ad omnes : nixi illo fundamento, quia cùm Christus vt Deus infinitâ suâ sapientiâ ab æterno omnia præuisa haberet, quæ euentura erant postea in tempore, frustra verba hæc de sua passione protulisset si ab omnibus fore intelligenda sciret, cùm tamen ei nulla frustranea operatio competat. Quidam verò asserunt verba Christi fuisse abscondita, quia illa non plenè comprehendebant, hoc est ; intelligebant quidem illi Christum ob amorem vniuersi mortalium generis, mortem & passionem libenter subire velle, sed non agnoscebant circumstantias futuri illius temporis, quo inchoare humanam redemptionem oporteret, vt notauit Iansenius ad caput 11. concordiæ. Alij denique fatentur verba illa Christi, fuisse penitùs abscondita ab animis discipulorum ; quod tamen illa non cognouerint, id dicunt non ex ignorantia aut defectu cognitionis supernaturalium mysteriorum prouenisse, sed potiùs ex vehementi Christi præsentiæ lætitiâ, quâ ita absorpti erant, vt ad verba Christi quæ proferebat, minimè attenderent : nixi illo axiomate Philosophico, pluribus intentus, minor fit ad singula sensus. Duo igitur in hodierna concione breuiter considerabimus. primûm, cur hodiernâ Dominicâ quæ potiùs ad lætitiam ; quàm ad luctum toti mundo est composita, de cruenta sua passione verba faciat : alterum verò, quòd nullam aliam ob causam verba Christi non cognoscamus, nisi quia ad illa minimè attendimus.

Iansenius.

Duobus vnamquàmq; rem natura circumscripsit terminis ; scilicet inceptionis, & desitionis : qui se mutuò comitari solent : dùm enim aliquid in hoc terreno orbe corrumpitur, & desinit, alterum statim incipiendo, ipsi succedit. Hodierna Dominica habet vtrumque istum terminum, & desitionis ; quia iam mundi voluptatem terminat : & inceptionis, quia Christi passionem meditari incipit. Ne ergo desinentibus iam mundi voluptatibus homo nimiùm insolescat, cum in fine (vt inquiunt Philosophi) motus sit velocior, passionis suæ frenum, quo ab offensione, redemptoris arctaretur, inijcere ipsi voluit, vt dicit Paulus Hebr. 12. *Recogitate* inquit *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes*. quasi diceret, non solùm leuiter perpendite mortem Christi, sed toto animo iterum atq; attentiùs illam perpendite, quia hæc sola cogitatio inter honestas recreationes, vos ab omni peccato seruare poterit : vbi enim Christi passionis meditatio animo circumfertur, ibi peccatum nequaquã regnare potest. Quod deducit Origenes in cap. 6. ad Romanos, *tanta est* inquit *vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla possit superare*

Hebr. 12.
Origenes.

inuidia : sed continuò ad illius præsentiam, totus ille peccati ac carnis fugatur exercitus. cùm igitur his diebus totus fermè orbis ebrietatibus, & commessationibus, luxurijs atq; insaniæ deditus esse soleat, ne his periculosis semitis ad sacri tempora ieiunij progrediamur, sua nos passione stimulare voluit Christus : nam vt dicit D. Basilius hom. 3. de Ieiunio. [S. Basilius.] *Non est* inquit *per temulentiam aditus ad ieiunium, nec ad sobrietatem per lasciuiam, nec per malitiam ad virtutem. Neq; enim Plutoni, aut veneri, aut Baccho, sacra prius facienda sunt, vt postmodùm meliùs fiant Christo.* cùm tamen nihil grauiùs esse possit Deo, quàm hominem priùs vitijs indulgere, vt postmodùm pœniteat. Nam licet illi gratissima sit pænitentia, & omnis satisfactio pro peccato ; gratior tamen multò iustitia sine læsione. Scribit Gellius [Gellius.] lib. 20. cap. 5. Hominem quendam apud Romanos ita fuisse effrænatum in omnem insolentiam, vt pro summo habuerit delectamento, grauissimorum hominum ora palmis concutere. Et quia apud Romanos lex 12. Tabularum, pro alapâ inflictâ iubebat numerari mulctam, scilicet 25. asses. ideò nefarium illum hominem seruus vbiq; comitabatur, plenam assib⁹ crumenam gestans, vt cuicunque colaphum infligeret, eidem statim iuxta legem 12. tabularum 25. asses. numeraret. Auditâ hac insolentiâ Prætores Romani, sustulerunt legem illam, vt ampliùs tanta iniuria pro qualitate læsarum personarum puniretur.

Insolescentem hunc iuuenem multi Catholicorum imitantur, his diebus plus æquo indulgentes voluptatibus, Christumq; impudentissimis suis factis colaphizare volentes, persuasi arbitrariâ lege, à se tantam calumniam assibus pœnitentiæ exoluendam. Sed quis scit, si pro te qui hæc meditaris, fauorabilem hanc legem non auferet ? iuxta qualitatem personæ offensæ, delicta tua vindicare volens : & cùm is, quem lædere audes, sit dignitatis infinitæ, quæ par satisfactio in te exiguo puluere reperiri poterit ? & cùm iustum Dei decretum : *Non exibis hinc donec ad nouissimum quadrantem solueris ;* sit immutabile : hanc iniuriam immoderatis affectibus Deo illatam, in horrendo illo inferorum carcere luere debebis, vbi per totam æternitatem, nihil exolues, semper soluendo. quia infinitum, etiam tempore longissimo nunquàm potest exhauriri. Si verò tanto liberiùs in vitia prorumpis, quia te suffragijs Ecclesiæ adiuuandum putas ; & vnde tibi certò constat de tam gratuito Ecclesiæ fauore, quæ etiam minimam Dei offensam grauissimè ferre solet. Si enim Lucium Fuluium Argentarium, quòd secundo bello Punico è fenestris per meridiem in forum roseo serto (quod lætitiæ signum erat) coronatus spectasset, Senatus Romanus eum per omne belli illius tempus, carceri adiudicauit, vt intempestiuum gaudium, quo dolente patriâ vsus erat, carceris molestiâ corrigeretur teste Plinio lib. 21. cap. 3. [Plinius.] quomodò quæso & Mater Ecclesia, te carceri non adiudicabit, si hoc tempore illâ iam dolente, & meditari incipiente cruentam Christi passionem, tu velut in ludibrium illius ; non iucunditatem honestam, quæ sanctificatum Dei populum decet ; sed luxuriam, Deo abominabilem, & superstitiosum quendam gentilium morem, in libidine & commessatione explere cupis.

Scribit Plutarchus, & cæteri antiqui Historici, [Plutarch⁹.] de quadam matrefamilias, cuius maritum latrones multis confoderant vulneribus, & crudeli nece occiderant. Et ecce breui post euenit, vt filij matris illius paternæ necis & iniuriæ obliti, amicitiæ fœdus contraherent cum illis homicidis : ægrè id ferens mater, recens adhuc tumulati mariti mæsto funere exacerbata, quò efficaciùs animos filiorum ab illa impia homicidarum societate auelleret, accersitis in conclaue filijs, indusium defuncti mariti multis ictibus confossum, & sanguine ab illis homicidis innocenter effuso tinctum, in medium protulit, his eos obstringens vocibus : Agnoscitisne ô chari filij

filij parentis vestri vestem hanc lineam, eius cruore conspersam : clamat cruor ille contra impios, qui eum effuderunt : clamat & contra vos, qui fœdus cum illis contrahitis, fœdus vobis inquam fœdum, & defuncto parenti vestro contumeliosum. discindite igitur omnem cum illis initam societatem, nisi velitis paterno sanguini ingrati esse, & viscera materna transfodere nouo quodam vulnere. Similis planè huiuc matri est sancta Ecclesia, cuius sponsus verus in carne Deus, cùm his præcipuè temporibus, ab insanientibus mundi cultoribus impudicis grauiter læditur vulneribus ; venereis confoditur voluptatum ictibus ; & crudeli insolescentis luxuriæ perimitur nece : sanguinolentam eius in cruce vestem omnibus vobis tanquam filijs suis spectandam proponit, vt vos retrahat à consortio eorum, qui in lethalem Christo offensam his diebus suâ effrænatâ inferendam concupiscentiâ conspirarunt. Et quinam sunt obsecro adeo impij latrones, vt etiam in Christi mortem coniurare audeant ? Duo profectò grauissimi excessus, Præsumptio, & Desperatio : Præsumptionem Theologi duplicem agnoscunt, alteram ; quâ quis innititur inordinatæ propriæ suæ virtuti, sicut Pelagiani fecerunt, præsumentes se posse viribus naturalibus sine DEI gratia seruare omnia præcepta, & mereri beatitudinem. Paucosne his diebus putatis inter vos esse, tàm resolutissimos Pelagianos, qui Dei ipsius obliti, & summa excæcati malitiâ in omne vitiorum genus præcipites ruunt, de ipsis etiam suis malefactis triumphantes, & suis impijs operibus cælum deberi asserere non erubescentes ; cùm tamen diuinæ mortui gratiæ, non aliter mundi peccata bibunt ; quàm cadauera in sepulchris, defluentes per subterraneos meatus omnes fætores. Alteram præsumptionem dicunt esse, qua quis inordinatè innititur diuinæ misericordiæ & potentiæ, quemadmodũ faciunt summi peccatores & pseudopolitici, sperantes veniam peccatorum sine accelerata pænitentia, & salutem sine vlla solicitudine & cura. Sed vnde vobis voluptatum filij, tàm fortis præsumptio, cùm certum sit, cuilibet nostrum destinatam certam peccatorum mensuram, & vni quidem centum, alteri mille, alij verò vix vnum. Et quis Dei consiliarius fuit ? quàm citò mensuram hanc adimplebit, vltra quam nõ ampliùs veniæ dabitur locus. Quis scit, si iam non vltima vitæ tuæ periodus in hoc terminabitur peccato, quod his diebus committere cupis ? Quis scit vtrum Deus post commissum adhuc vnicum scelus, te omnipotenti sua dextera sit erecturus, cum gratiam suam liberè det cui vult : tantum autem beneficium haud proijcere ante indignos, sed cum delectu non nisi bonis date conuenit. Quis iam scit, si post vnum adhuc peccatum, Deus lumen suum à te non auferet, sine quo velut cæcus in perpetuis tenebris, nihil iam boni videre & cognoscere poteris ? iuxta illud : *Non conuertam eum in æternum.* Et cur Domine hominem ita reijcis à te, vt eum amplius conuertere nolis ? quia homo cæcus est, & lumen salutis cognoscere nequit, etiam si vocem Dei audiat. Audiuit certè Cain vocem Dei : *quid fecisti* inquit *ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra :* & tamen inquit S. Gregorius hom. 30. [S. Gregor.] *Audire verbum Dei potuit, seruare contempsit.* Admonebatur Pharao per Prophetas, Moysen scilicet & Aaronem : terrebatur plagis, fame scilicet & bello ; atq; tenebris, quæ triduò totam Ægyptum obsederant ; non resipuit tamen, quia malitia peccati excæcauerat intellectum eius.

Alter honoris & legum Christi contemptor est desperatio, quæ iuxta sanctum Thomam quæst: 20. & 21. [S. Thom.] consistit fortiter in fuga voluntatis, supposito iudicio falso, iudicante impossibilem sibi esse salutem per Deum, quòd peccatum grauius est, omni alio ex suo genere, vt pote oppositum virtuti Theologicæ, quæ præstat moralibus. Nam sicut de bonitate diuina nimiùm præsumere periculosum est ;

eſt ; ſic planè de eius inexhauſta miſericordia deſperare ſummè nociuum Sancta igitur mater Eccleſia, ne & nos complices ſimus Chriſti necis, ab his duobus latronibus, præſumptione ſcilicet & deſperatione nos auocat : & potiſſimùm his diebus, quibus luxurians iniquitas velut altero vniuerſali diluuio, totam fluentibus voluptatum vndis operire vult terram. Reuocat nos & ipſe Chriſtus de ſua paſſione ſermonem inſtaurans in Eccleſia, ſed noſtra fortaſſè imbecillitas hæc arcana minimè percipit, innuente Euangelio : *Abſconditum erat verbum iſtud ab eis, & ipſi horum nihil intellexerunt, quæ dicebantur.* (Lucæ 18.) Et quid nobis veritatem diuini ſermonis abſcondit, & Chriſti paſſionis memoriam impedit ? non aliud equidem, niſi quia mundanis diſtracti rebus, ad Dei loquelam attendere nolumus, vt dicitur Pſal. 37. *Noluit intelligere vt bene ageret aſtitit omni via non bonæ, malitiam autem non odiuit.* (Pſal. 37.) quaſi diceret Propheta : audit quidem homo vocem Dei inſolentiam prohibentis, audit Chriſti paſſionem in Eccleſia recoli, ſed illam non vult intelligere, vt quaſi neſciens legem Dei, faciliùs ſe peccatis immergat. quod ſcriptura innuit inquiens : *Omnis peccans ignorans* : error autem iſte qui præire ſolet in intellectu ante peccatum cõmiſſum, ſecundùm intellectum ſpeculatiuum non fit : quia hic non eſt directiuus voluntatis ; ſed in intellectu practico, quatenus nimirùm ille malè conſulit voluntati, & male dirigit illam, non expendens quid hominem hic & nunc agere deceat, adeò vt licet homo habeat ſcientiam vniuerſalem, & audiat legem diuinam ſibi dictantem. v. g. *non eſſe libidini indulgendum*, quia tamen paſſione ſenſualitatis impeditus, ex hac vniuerſali doctrina non vult concludere rectè, v. g. fornicationem hic & nunc committendam non eſſe ; ſed magis propendet in paſſionis inclinationẽ, quæ libens legem Dei non perpendenti impuram delectationem ſectãdam eſſe ſuadet, idcircò vocem Domini dicitur ignorare, & verbum Domini ab illo abſconditum eſt ; idcircò damnati rectè concludunt Sapien. 5. *Ergo errauimus*, (Sapien. 5.) id eſt ; quia admonitionem Eccleſiæ audire noluimus, quia verba Dei attento animo perpendere noluimus, idcircò, magis ſenſualitatem ; quàm rationem : magis vanitatem mundi : quàm æternæ beatitudinis veritatem quærentes, in eum deducti ſumus errorem, vt incarnatum Dei verbum faciem ſuam à nobis abſcondat, quia nos quoq; ab illius doctrinæ verbis auerſi ſalutiferam admonitionem audire noluimus. Nõ enim ſatis eſt hominem ſcire & audire, quid illicitum ; ſed illum ſimul & ea quæ ſunt honeſta facere, & quæ vitioſa fugere oportet, ſiquidem talem hominem DEVS ſupra modum amat. Teſtatur hoc Raymundus de ſancta Catharina Senenſi, (Raymũd⁹) quæ debacchante hominum inſolentia, & alijs voluptatum ludos celebrantibus, incluſa ſuo cubiculo non reſpiciens ad vanitates & inſanias falſas ; ſed ad perfectum virtutis gradum aſpirans, ardentiſſimè deſponſationem Chriſti poſtulare cæpit inquiens : *Deſponſa te mihi.* (S. Cathar. Senenſis.) & ecce adeò his diebus caſtitatis & continentiæ amor in virgine placuit Chriſto, vt illicò apparens illi, cum matre ſua, annulum ipſi porrigeret, his eam alloquens verbis : *Quia ſpreuiſti vanitates mundi, amplexans crucem & pœnitentiam, quærens ſummum & æternum bonum his diebus, quibus alij gulæ & ventri tantùm ſeruiunt, ideo deſponſo te mihi, vt perdures ex hac hora immutabilis.* Et nobis non alia gloriæ meta propoſita eſt, niſi Chriſtus, cuius vt hodiè paſſionis memoriam noſtris mentibus imprimamus, & ne verba eius ſint à nobis abſcondita, idcircò in timorata iucũditate, & honeſtis recreationib⁹, quæ nobis minimè prohibentur, recogitemus Chriſti paſſionẽ, & his diebus, quib⁹ totus inſanit mundus, eidem deſponſari cupiamus, vt & hic in terris verba eius contemplari, & adimplere poſſimus, & in futuro ſæculo, claram veroi æterni faciem videre mereamur.

PRO

PRO DIE CINERVM,

CONCIO PRIMA.

Memento Homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Cinerum vſus in Eccleſia Chriſti ſaluberrimus, ad recogitandum principium & finem noſtrum.

PErpetua viciſſitudo rerum agitur in hoc terreno orbe : Et ſerenum enim cælum denſæ nebulæ crebrò operiunt, & humanas voluptates inopinatus plerumq; dolor inuadit. vt non immeritò dixerit Sapiens : *Extrema gaudij, luctus occupat.* Vix enim media nox iecit interuallum, ex quo homo voluptatibus & iucundis recreationibus vacabat : & ecce iam hodiernus dies, vocat illum ad aſperam ieiunij obſeruationem ; ad lachrymas, & mortificationem corporis Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.* (Ioël 2.) Et quid hoc eſt conuerti ad Deum in toto corde ? docuit hoc ipſum æterna veritas Exodi 7. inquiens : *Si conuertimini ad Deum in toto corde veſtro, auferte de medio veſtri Baalim, & Aſtaroth.* (Exodi 7.) Vbi per Baalim interpretatur ſuperbia ; per Aſtaroth verò luxuria. Deus igitur conuerſionem noſtram poſtulans, hoc potiſſimùm innuere nobis voluit, vt qui diu mundi faſtum ſequebamur, & toto fermè anno luxuriæ dediti fuimus, vt iam duos abominabiles iſtos Deos, & ſuperbiam, & auaritiam ex cordibus noſtris exterminemus ; & in omnimoda humilitate inchòëmus felicem ad Deum conuerſionem. Quid eſt conuerti ad Deum in ieiunio ? niſi tàm à cibis & potibus ſuperfluis ; quàm etiam à vitijs carnalibus abſtinere, vt dicitur ad Theſſalonicenſ: 5. *Abſtinete vos ab omni ſpecie mala.* (Theſſal. 5.) Conuerti ad Deum in fletu & planctu, eſt ſeriam agere pœnitentiam, tàm de bonis operibus omiſſis ; quàm etiam de malis commiſſis. vt dicitur Ierem. 6. *Accingere cilicio, conſpergere cinere, luctum vnigeniti facito, quaſi planctum amarum valdè.* (Hier. 6.) Conuerti denique ad Deum ſcindendo corda, eſt, per ſinceram confeſſionem omnes noxas expiare : hæc enim eſt acutiſſima nouacula, confeſſio ſcilicet : quæ ſcindit malas hominum cogitationes, & lethifera animæ vulnera reſecat. vt dicitur Ieremiæ 4 *Circumcidimini viri Iuda, & auferte præputia cordium veſtrorum.* (Hier. 4.) hæc eſt clauis, quæ pænitentibus reſerat portam paradiſi. vt dicitur Pſal. 99. *Introite portas eius in confeſſione.* (Pſal. 99.) hæc eſt ſemita, ſine qua nemo ad vitam ingredi poteſt, vt dicitur Prouerb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur : qui autem fuerit confeſſus, miſericordiam conſequetur.* (Prou. 28.) Puluerem proinde hodiè noſtris capitibus imponemus, conſiderando ; quàm ſit ſaluberrimus cinerum vſus in Chriſti Eccleſia, & recogitando ſimul principium & finem noſtrum, quòd & ex puluere conditi, & in puluerem reuerſuri ſimus.

Vidit quondam Ezechiel virum veſtitum lineis, vel vt 70. interpretes legunt, ſtolâ ſanctâ indutum, qui habens atramentum ſcriptoris, iuſſu Deî tranſibat per mediam ciuitatem Ieruſalem, & ſignabat literam Thau : ſiue ſignum crucis in frontibus virorum gementium & dolentium, ſuper cunctis abominationibus, quæ factæ erant in medio eius : quo ſigno tanquàm efficaciſſimo antidoto, præſeruabantur à morte iam ſibi deſtinata,

Ezechie-

Ezech. 9. Per virum puto illum in viſione apparentem Ezechieli, figurabat Deus ſacerdotem nouæ legis, qui veſtibus lineis, & ſtolâ ſanctâ indutus, iuſſu DEI in exordio ſtatim quadrageſimalis ieiunij, ſacris cineribus ſuper capita vniuerſi populi Dei ſignum crucis exprimit: non aliam puto ob cauſam, niſi vt hæc cinerum aſperſio, ſit eis ſignum vitæ, ſimulq; incitamentum ad deploranda omnia delicta, ad reconciliandas Deo animas, ad vindictam euitandam. Ac proinde cùm tantum in ſe myſterium contineant ſacri hodiè in Eccleſia Chriſti conſecrati cineres, non leuiter & perfunctoriè ſuſcipiendi ſunt, ſed cùm magna fide cordis, eximia humilitate mentis, & ſumma reuerentia ac compunctione, tàm corporis, quam animi, ad eorum ſuſceptionem veniendum eſt. Hac pietate S. Lyduina ſacris inſpergenda cineribus, altare Chriſti adibat; ideoq; cum graui infirmitate detenta ad locum ſacrum pro excipiendis more Chriſtiano cineribus accedere non poſſet, ſuppleuit Angelus vices ſacerdotis, & frontem eius cinere ſanctificato ſignauit. Et certè ſignum hoc ſacrorum cinerum, humiliter & deuotè ſuſceptum, eſt magnum leuamen contra acerbam mortem, quia dùm nobis ſæpiùs inculcat, non aliam nos, niſi puluerum reſolutionem manere, hoc in nobis efficit, vt ſemper mortem meditantes, minimè trepidemus, dùm è corpore exeundum eſt: quia minus feriunt iacula præuiſa, quàm vel leuiſſimi ictus inopinati.

Scribit Hieronymus Boſius, equidem quendam Rhodium, cùm terribilis Draco inſulam eius crudeliter affligeret, hac arte illum eluſiſſe: duos canes equo inſidens, in fictum draconem viro ſimilem ſæpiùs incitabat, iamq; benè aſſuefactos, in viuum eduxit Draconem, & feliciter ſuperauit. Quid draco iſte, niſi mortem acerbam ſignat? quæ nos omnes ſummè affligit, & conturbat, dùm è vita migrandum eſt. quid canes illi, niſi paſſiones animæ noſtræ nobis repræſen- A tant? has certè ſi ſæpiùs exercuerimus contra mortis imaginem, à ſacris cineribus in mentibus noſtris depictam, cum tanta reſolutione eas aſſuefaciemus, vt vbi etiam vera mors euenerit, minimè valeant expaueſcere; ſed ita ſtrenuè cum illa pugnabunt, vt palmam referant, & de illa tanquàm terribili dracone ſuperato triumphẽt.

Eſt adhuc & contra malam mortem fortiſſimum propugnaculum, ſacrorum cinerum ſignum, quia cineres non ſolùm apud Chriſtianos, verum B etiam apud Prophetas olim & Iudæos, ſemper fuerunt ſymbolum pœnitentiæ, cui pœnitentia non diſplicet, ad illum mala mors aditum habere nequit. Fatetur hoc ipſum Iob in perſona pœnitentium ſic locutus. *Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam.* Iob. 16. in quæ verba S. Gregor. ſic dicit: *Quid in ſacco & cinere, niſi pœnitentia? quid in cute & carne, niſi peccatum carnis debet intelligi? cùm ergo quidam, poſt lapſum carnis ad pœnitentiam redeant,* C *quaſi ſaccus ſuper cutem conſuitur, & cinere caro operitur: quia culpa per pœnitentiam tegitur, ne in diſtricti Iudicis examine ad vltionem veniatur.* Inuidet quidem nobis dæmon ſacros hoſce cineres, ne nos in illorum ſuſceptione humiliemus ad pœnitentiam, quia certiſſimò præuidet, è ſua captiuitate hoc ſtratagemate laudabili facilè omnes peccatores elabi poſſe. Scribit ſacra Hiſtoria 1. Reg. 13. Philiſtæos cauiſſe, ne vllus in vniuerſa terra Iſrael ſupereſſet faber, qui poſſet arma D cudere, vt illis Iſraëlitæ vterentur contra ſe, acquieuerunt huic iniquæ perſuaſioni Iſraëlitæ, & ecce cùm omnes eſſent inermes, Philiſtæi eos adorſi ſũt, & expugnauerunt. Philiſtæos imitatur aſtutus ille hoſtis animæ: cùm enim ſacros cineres videat eſſe potentiſſima arma, contra ſuas fraudes & dolos, vnumquemq; ab eorum ſuſceptione abducere conatur, vt ſic omnem humilitatem & mortis meditationem ab illis auferat. Hoc aſtu eluſit primos parentes: mortem illis Deus propoſuerat, quâ ſe contra ſerpentis

Iob 16.

S.Gregor.

1. Reg. 13.

pentis ſuggeſtionem tuerentur. *Quacunq;* inquit *die ex eo comederis, morte morieris.* Vrget potentiùs ſuaſio ſerpentis, vt homo in eſum vetiti pomi conſentiat: homo verò mortem ſibi propoſitam opponere cæpit, (& vtinam nunquàm illam in animo depoſuiſſet: ſic enim omnem animæ mortem viciſſet) & ecce dæmon prudentiſſimum imitatus militem, hoc primùm & fortiſſimum vellus euertere conatus eſt, (cuius lapſu cætera omnia ſtatim ruerent) inquiens: *nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dij.* & ecce vt primùm è corde hominis mortis meditatio euulſa eſſet, omnis quoq; euanuit humilitas, irrepſit verò ſuperbus faſtus, ſcientiam Deo ſimilem appetens, & in dolendam cladem perduxit hominem.

Et modò certè circuit quærens modum, quomodò delectabilem DEO populum à conſideratione ſuæ vilitatis, & mortis meditatione retrahat. ſed pulchram artem nobis proponit Saxo libro 4. ad illum eludendum. Scribit hic author, quòd Amlethus Daniæ & Luciæ Rex, cùm ei in prælio maiorem copiam occidiſſẽt Britanni, ipſe verò ſequenti die cæſorum corpora, tum ſtipitibus impoſita, tum ſaxis ſuffulta, tum deniq; alia viuorum inſtar equis inſidentia in aciem diſpoſuit, vbi verò ſolis radius augeri cæpit, immenſa multitudo militum apparuit, quo ſpectaculo perterriti Britanni, fugam verterunt. hunc & nos imitari Regem debemus contra dæmonem inſidiantem, quia enim ille nos ſua aſtutia ad mortem impulit, ideo tela telis retundendo, eadem quoq; morte, & aſſiduâ eius meditatione aduersùs illum vti debemus: quâ conſpectâ impoſſibile eſt, vt non aufugiat. ecce fulcrum habemus (cineres ſacros) cui fixa mortis imago immota hærebit. his cineribus aſtutias dæmonis eluſerunt ſancti Viri, dùm eos inter edendum etiam miſcerent. Sic S. Germanus Antiſiodorenſis, quoties ei cibus ſumendus erat, prægustare ſemper cinerem ſolebat, vt etiam ad oppiparam menſam, homi- A nem mortis memorem eſſe debere edocuiſſet. Sic B. Martinus iam iam moribundus, ſe in terram è lecto deponi iuſſit, vt corpus mortale, tanquàm exiguum puluerem pulueri quoque terreno aſſociaret. Non decet inquiens Chriſtianum, niſi in cinere mori. Qui verò ſacrorum Cinerum vſum ſpreuerunt, non ſine graui vindicta Dei, vitam finierunt. Scribit Cæſarius, ex Theodorico Monacho, fuiſſe quendam hominem, qui cùm pridie Cinerum totam B noctem in commeſſationibus & voluptatibus tranſegiſſet euigilans mane, cum altero ſuo ſocio tabernam ingreſſus eſt, gratiâ lotionis: cùm verò audito Miſſæ ſigno prænuntio, populus ad Eccleſiam conflueret, remanſerunt ſoli duo viri illi compotationi vacantes; ſtimulatus tamen alter illorum, reclamante conſcientiâ inquit, *ne fortè tardemus, adeamus ocyus Eccleſiam, ad ſuſcipiendos ſacros Cineres.* impius verò & impurus potator, ſubridens vſum & myſterium Ci- C nerum reſpondit: ſede inquit, ego tibi dabo cineres, & tu mihi: vbi arripiens manu domeſticos pulueres, conſperſit caput alterius; vbi tanta mox ſeuera Dei vindicta ſubſecuta eſt, vt ſubitò tàm vehemens cinerum turbo ante faciem eius ſuboriretur, vt præ terrore exclamans, & impetum faciente turbine pleno ore cineres hauriens, ſuffocaretur. aderant multi tremendæ iſtius pænæ ſpectatores, ſed turbo vehementiſſimus nulli aditum conceſſit, qui miſerum illum homi- D nem extremè periclitantem adiuuare poſſet. Atque vel ex hoc ipſo facto conſiderate iam, quàm ſit vtiliſſimus & pijſſimus ſacrorum Cinerum in Chriſti Eccleſia vſus, in quorum hodie capitibus noſtris impoſitione illud pronuntiatur, *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* quaſi diceret ſacrum eloquium, hoc tibi erit ô homo ſpirituale ſpeculum, Cineres ſacri, vt in hoc ſpeculo recognoſcas teipſum ex quonam formatus es, & in quid redigeris. vt in his ſacris Cineribus videas te velut exiguum

Genes. 5.

Saxo.

Cæſarius.

Horrendũ exemplũ cõtra oſores ſacrorũ cinerum.

exiguum puluerem, imò quaſi nihil
eſſe in conſpectu Dei. vt dicitur Pſal-
Pſal. 39. mo 18. *Subſtantia mea tanquàm nihi-*
lum ante te, verùm tamen vniuerſa va-
nitas omnis homo viuens. in hoc ſpe-
culo proſpicere diligenter debes, no-
uiſſima tua, illa ſcilicet quæ tibi ſapi-
Eccleſ: 12. ens Eccleſiaſt: 12. deſcribit : *Ibit ho-*
mo in domum æternitatis ſuæ. Vbi per
domum æternitatis, ſepulchrum intel-
ligit ; in quo iacendum eſt, vſq; ad
finem mundi : hoc enim ſupra omne
mortalium genus proclamatum eſt,
vt reuertatur puluis in terram ſuam, vn-
de erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui
dedit illum. Et huic diuinæ legi non
ſolùm pauperes, ſed & potentes : non
ſolùm ſubditi, ſed & Reges : non ſo-
lùm plebeiæ ſortis homines, ſed eti-
am magnates & principes obnoxij
Pſal. 48. ſunt. dicente Propheta Pſal. 48. *Au-*
dite hæc omnes gentes, auribus percipite
omnes qui habitatis orbem, quiq; terrige-
næ, & filij hominum ſimul in vnum diues
& pauper, in puluerem reuertentur. qua-
ſi diceret Propheta. Et vos qui ſupre-
ma regnorum ſolia occupatis, ſce-
ptriſq; gloriamini reges, perpendite
hanc legem Dei, quæ veſtras purpu-
ras in pulueres, ſceptra in fætores, cor-
pora in vermes redactura eſt. Et ne
vos incerta quidem, ſed omnibus ſe-
mel deſtinata dies imparatos inuadat,
conſiderate, quid in conſpectu DEI
eſtis, quid poſt horam, poſt menſem,
poſt annum eritis. Totum certè quid-
quid in vobis eſt, puluis erat, & in
puluerem quoque redibit. Et veſtra
gloria vltra nubes triumphans, ſter-
quilinio æquabitur. Inſpicite ſuperbè
regnantem Antiochum, ſed in fætore
intolerabili mundo renunciantem.
2. Mach. 9. 2. Machab. 9. Recogitate crudelem
Herodem, (cuius impiæ manus, ne à
ſanguine Dei hominis, immunes eſſe
voluerunt) à vermibus miſerè ante
mortem conſumptum. Cernite Iuli-
um Cæſarem gloriæ cupidum, ſed à
coniuratoribus, 25. pugionibus in Se-
natu Romano confoſſum. Potentiſſi-
mum Pompeium capite plexum : A-
lexandrum veneno interemptum : vbi
nunc opulentiſſimæ eorum Monar-
A chiæ ? vbi toti orbi tremenda poten-
tia ? mors omnia ſolo æquauit, & in
puluerem redegit : quia mortis im-
memores, & vltra humanæ conditio-
nis ſortem intumeſcentes reperit.
Recipite & vos cineres ſacros,
quorum potentiâ totus fluctuat orbis :
& in ſumma fortuna, ne licentiæ ven-
tis abripiamini. memores & veſtrum
faſtum in cineres redigendum, idque
non longo tempore : nam vt dicit
Eccleſiaſtes cap. 10. *Omnis potentatus* Eccleſ: 10.
breuis vita, & recogitate, num pauo-
B ni vos natura diſſimiles formauerit ?
flabellum ille ſuum compoſitè expli-
cat, & ſeipſum in eo attentus penè
& demirans contemplatur. ſeq; ani-
moſe progrediens, aſpicientibus o-
ſtentat, quaſi ab omnibus laudari cu-
piens ; at vbi fædos & argillæ ſimi-
les intuetur pedes, confeſtim flabel-
lum præ erubeſcentia deponit, & pen-
nas ſuas pulcherrimas abſcondit. Pen-
næ ſimiles ſunt, potentia, magnifi-
centia, & gloria hominum, quæ ple-
rumq; mortales faciunt inſoleſcentes,
C iactabundos, & inanis appetentes ho-
noris. Verùm ſi aſpiceres ô homo
pedes tuos luteos ! hoc eſt ; terram,
in quam omnis tuus ſplendor & or-
natus reſoluetur, demitteres ſtatim
faſtum inanem, & ad mortis memo-
riam erubeſceres. Conſiderate & vos
doctrinâ celebres, ſublimes ſapien-
tiâ, ingenio laudabiles, conſiderate
inquam veſtram originem, atq; exi-
tum perpendite ? quid vos eſtis ? quid
veſtra doctrina ? veſtrum ingenium ?
veſtra ſapientia ? & videbitis vos eſſe
D exiguā terræ portionem, veſtram do-
ctrinam eſſe vanam opinionem, ve-
ſtrum ingenium eſſe ventum flantem,
veſtram ſapientiam eſſe prætereuntem
vmbram. Hæc omnia ſimùl cùm no-
mine veſtro in morte tranſeunt. Pau-
corumne hic ſepulchra calcamus ? qui
doctrinâ, conſilio, eruditione inſignes
fuêrunt ; & tamen iam nomina eo-
rum penitùs ignoramus. Tranſierunt
omnes in puluerem, & omnis me-
moria euanuit ; nec enim mors re-
ſpicit ſtultum, aut ſapientem, ſed ſi-
ne perſonarum acceptione æquo pe-

de pulſat omnes, omnibus indiſcri-
minatim inculcans : *Memento homo*
quia puluis es, & in puluerem reuerteris.
Euigilate hodiè diuites, & vos auro
atq; argento velut graui ſomno preſ-
ſi expergiſcimini auari, & qui ni-
miùm in copioſa poſſeſſione terrena
gloriamini, vos iam vſquequaque
beatos eſſe arbitrati, & mementote
vos è puluere erectos eſſe : & iterùm
in puluerem deprimendos ; & aurum
veſtrum, & argentum, quia terrena
ſunt, vos in morte deſerent, ſed quem-
admodùm nudos & inopes, tellus in lu-
cem editos excepit, ſic rursùs nudos &
inopes in fine recipiet. Et certè iu-
ſtiſſima huius rei cauſa eſt, quia quam-
diu viuimus, multa hereditaria bona
habemus, ſed mobilia tantùm, quæ
ſorte nobis obueniunt : vt quaſi com-
modato, & præcario acceptis tamdiu
vtamur, donec à nobis repetita fue-
rint. ideoq; omnia vt puluerem æſti-
mare debemus, ſæpiùs nobiſcum le-
gem Dei cogitando : *Memento homo*
quia puluis es, & in puluerem reuerteris.
Videte deniq; & vos, qui in flore
ætatis, in venuſtate & pulchritudine
corporis nimiùm gloriamini, qui in
luxu & vanitate inſoleſcitis : & faci-
lè aduertetis, quia & flos ætatis, &
ſpecies decoris, & luxus vanitatis, o-
mnia hæc in puluerem redibunt. quod
declamabat Iob cap. 14. *Quaſi flos*
egreditur, & conteritur, & fugit velut
vmbra, ac ſi diceret ; homo in primò
ætatis ſuæ ortu, quaſi flos quidam a-
mæniſſimus aſſurgit ; ſed mox cre-
ſcentibus annis, infirmitatis ægritudi-
ne percuſſus, quaſi arefacta roſa con-
teritur : & deniq; in mortis occiden-
te, quaſi vmbra citò tranſiens fugit.
Quis obſecro iuuenum pulchrior Ab-
ſalone florentiſſimo in orbe, à con-
dito mundo comparuit ? cuius tamen
omnis decor in ipſo florentis ætatis
progreſſu, velut abſciſſus arboris ſur-
culus, æſtu malitiæ aduſtus, & in pul-
uerem redactus eſt. Quæ mulier Ieſa-
belle venuſtior, è mortalium genere
prodijt ? & tamen quia hæc luxum
& vanitatem quærebat, ſtibio oculos
in dies pingens, & ſollicitè faciem
A pulchritudine exornare laborans, ſi-
cut ſtercus ſuper faciem terræ procu-
buit 4. Reg. 9. ideoq; non eſt, quo 4. Reg. 9.
quiſq; attollere ſe audeat, ſi vel ipſa
mortuorum ſepulchra conſideret :
vbi nequaquam cognoſcere poterit,
quis ſeruus, quis Dominus, quis pau-
per, quis diues : nequaquam diſcer-
nere valebit mancipium à Rege : for-
tem à debili, pulchrum â deformi,
ſed meminerit diligenter, quòd pul-
uis ſit, & in puluerem quoq; redibit.
Sed dicet aliquis, quid prodeſt hæc
B cogitatio, vt homo ſeipſum pulue-
rem eſſe recognoſcat ? prodeſt certè
plurimum : quia homo hac ſubiectio-
ne, memento Domine quia puluis
ſum, Deum facilè ad compaſſionem
& commiſerationem ſui mouet, &
ſeueritatem eius iuſtitiæ, conuertit in
ſummam benignitatem clementiæ.
Sic Iob iram Dei placauit. cap. 10.
inquiens : *Memento quæſo, quòd ſicut* Iob. 10.
lutum feceris me, & in puluerem reduces
me, manus tuæ fecerunt me, & plaſma-
uerunt me totum in circuitu, & ſic re-
C *pentè præcipitas me.* quaſi diceret. Ne
ſeuerè Domine arguas, ſi quid im-
munditiæ in me repereris : quia cùm
lutum ſim, facilè immunditia adhæ-
rere poteſt. Ne deſpicias, ſi inſtabi-
litatem aduerteris : quia cùm puluis
ſim, facilè vel leuiſſimo vento com-
moueor. Quod pulchrè S. Gregorius S. Gregor.
in cap. 13. Iob exponit : *Quid eſt* in-
quit *homo, niſi folium, qui tentationis*
vento rapitur, & deſideriorum flatibus
leuatur. Mens quippè humana quot ten-
tationes patitur, quaſi tot fluctibus mo-
D *uetur. Hanc plerumq; ira perturbat ; cùm*
recedit ira, ſuccedit inepta lætitia, ali-
quando hanc ſuperbia eleuat, aliquando
inordinatus timor in infimis deponit.
Puluis eſt homo, quia omnes pulue-
ris qualitates habet : puluis habet le-
uitatem, mobilitatem, ariditatem, &
ſterilitatem. Homo miſer habet leui-
tatem pulueris : quid enim leuius eſſe
poteſt, quàm poſtpoſito Deo ad res
creatas mentem ſuam conuertere ?
quod non rarò euenit : habet mobili-
tatem, quia ad exiguam dæmonis ſug-
geſtionem, facilè ſe ad illicita pera-

gendâ inclinari permittit. Vbi duplicem iniuriam Deo facit, & realem: quia proprietatibus illius, ſcilicet intellectu, & voluntate, contra inſtinctum rectæ rationis, & DEI vicariæ abutitur: & perſonalem, Deo aliquid indignum faciens; habet ariditatem, quia cõſuetudine peccati inualeſcente, fit quaſi tellus arida, vt nullum fructum ſalutiferum producere valeat, eò quòd nimirum, careat humore viuificante, ſcilicet Dei gratiâ. habet deniq; & ſterilitatem, quia quamdiu homo è peccatorum grauamine non ſurgit, omnia eius facta in caſſum abeunt, non ſecus ac ſi aliquis terræ incultæ ſemina mandaret; ſed tamen quia videt hæc omnia ex fragili fundamento prouenire, ideoq; Deus non alio faciliùs motiuo ſe placari voluit, quàm hoc: *Memento Domine quia puluis ſum.*

Idcirco hodiè memoriam reuocando noſtræ originis, & mortis, humiliemur coram Deo, vt gratiam eius recipere mereamur. Tu verò æternæ Deus, qui non mortem; ſed pænitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ reſpice, & hos cineres, quos cauſa proferendæ humilitatis, & veniæ promerendæ capitibus noſtris imponi deſideramus, ad tantam virtutem, tuâ benedictione eleua; vt nobis viuam mortis imaginem præ oculis ponant, cuius intuitu & nos cinerem eſſe, & in cinerem reuerſuros agnoſcamus, noſtrorumq; veniam peccatorum apud te miſericorditer conſequi mereamur.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. *Corint.* 6.

Sacrum quadrageſimæ tempus ad reconciliandum nos cum Deo, eſt ſummè opportunum.

SApientiſſimus equidem Salomon, non in probabilibus mundanæ ſa- A pientiæ ſcholis, ſed in ipſa diuiniſſimi Spiritus Palæſtra, certis doctrinis profundè inſtructus, rerum tempora ex ordine vitæ diuidens, ac cuilibet eorum quæ geruntur, quod illi peculiare & commodum eſt, attribuens: ait, *Omnia tempus habent, & vnicuiq; rei ſuum eſt tempus: tempus naſcendi, & tempus moriendi.* liceat mihi quæſo hodiè hanc ſapientis vocem paulisper immutare, & vobis affectantibus ſalutarem afferre nuntium. *Tempus nunc Catholici mei moriendi, & naſcendi.* At B quorsùm hæc mutatio ſermonis à Sapiente prolati? Ideò ſanè; quoniam geneſim & mortẽ naſcentiũ ſcrutatus erat, geneſim morti, vt par videbatur, præpoſuit: cum mori nemini liceat, niſi priùs naſcatur. Ego verò de ſpirituali regeneratione ſermonem hodiè facturus, vitæ omninò mortem anteponere decreui: nobis ſiquidem niſi carni priùs mortui fuerimus, ſpiritui renaſci haud conceditur. Atteſtante hoc ipſum Chriſto. *Ego* inquit *occidam, & ego viuere faciam.* quaſi di- C ceret; ſi quis in anima viuere deſiderat, carnis affectum, qui legi diuinæ ſubdi nequit, per gratiam Chriſti exſtinguat: vt ſpiritualis affectus, per quem vita & conſcientiæ tranquillitas apta eſt dominari, in nobis, roboretur. Cum Chriſto igitur ſimùl tumulari debet, quiſquis vult, vt cùm eo, qui primitias ſurgendi dedit, reſurgat. Et quoniam mortalium genus tempus ad omnia commodum ſpectat, ſomni proprium, aliud vigiliæ: belli item & pacis aliud: negotijs grauioribus, D & curæ domeſticæ opportunum aliud: tempus verò pœnitentiæ & ſalutis quodlibet accom̃odum eſſe videatur, ſiue dies, ſiue nox, ſiue hora, ſiue quodcunq; temporis momentum etiam minutiſſimum; quia ſicut corpus niſi ſæpè reſpiret, viuere nequit; ita anima hominis, niſi ſingulis momentis conditorem ſuum cognoſcat, ſubſiſtere nequaquàm poteſt, cùm ignoratio Dei, mors animæ ſit. Nihilominùs ego fragilitati humanæ condeſcendẽdo aliquantum, quæ nunc Dei, nunc mundi negotia arripere ſolet; nec

nec ita ſemper in DEO fixa hærere poteſt, vt non leuiſſima tentatione ab illius complexu abripiatur. Sacros quadrageſimæ dies, quarum hodiè exordia inſtauramus, ad renaſcendum in Dei ſpiritu homini Chriſtiano maximè opportunum tempus eſſe, tempus inquam acceptabile ſalutis, redemptionis, & cœleſtis medicinæ oſtendere conabor. Quod vt faciliùs præſtem, vox patulas aures, Spiritus verò DEI morigeros animos, oro inueniat.

Phœnicem in Arabia naſci ſolitum, ferunt Hiſtoriographi ingraueſcente iam longæua ætate, & deficientibus ad volandum viribus, odorifera arborum fragmenta colligere, in illiſq; præ ſenio lugubrem veluti planctum peragendo, redeuntem ſolem ſpectare, vbi crebreſcentibus radijs, ſpirante Fauonio, & ventilantibus alis, excitat flammam, & in cineres verſus, pulchrior iterùm; quàm ante, renaſcitur Phœnix. ſicq; dùm tempus moriendi opportunum quærit, vitam inuenit. Phœnicis naturam immenſus ille cœli & terræ conditor, ſuis mortalium filijs indidiſſe mihi videtur: quia cùm mortales condiderit; ſempiternos tamen eos habere vult: & ſi quando mori contigerit, facultatem renaſcendi nemini negat. Experimini veritatem ſi placet: pulſauit forſan proximè finitis deliciarum diebus, non vnius animum immane lethum, inuiſit atra peccati nox malè timoratas plurium conſcientias, effræna voluptatum libido debilitauit virtutum vires, repetita aliquoties in diem compotatio obruit ſenſus, ciborum ingluuies onerauit vterum, & totum corpus grande delictorum ſenium premit; & velut vmbræ oculis illudentes ſerpimus adhuc per terram, vix iam ſemiuiui. ſed ecce de odoriferis ramuſculis, rogum nobis ſtrauit Chriſti Eccleſia, vt Phœnicem ſoli conſecratum imitati, redeuntem ad nos ex alto cœleſtis olympi vertice ſolem, lugentes quaſi decrepitam animi noſtri ætatem, intueamur: radijſq; eius incaleſcentes, & alas pœ- A nitentiæ celeriùs ventilando, flammam æternæ charitatis accendamus in nobis, quæ in cineres amaritudinis corda noſtra cõuertat. Non hic vllus metuendus eſt caſus: è pulueribus quippè terræ conditi, & in cænum vitiorum impudenter viuendo redacti, hodiè quoq; è puluere, in phœnices immortales renaſci debemus. Si enim indictâ quadrageſimâ, conſtricta hyemali gelu, terra reſoluitur, & aquarum fluenta meatus ſuos glacie liquefactâ recipiunt; quantò magis B conſentaneum eſt, vt corporum quoque noſtrorum hoc eodem tempore contracta ſcelerib⁹ peccata ſoluantur, & vitæ noſtræ purior curſus, liquefacto rigore diaboli, meatum ſuum priſtinum recognoſcat. Si terra ipſa, indictâ quadrageſimâ, aſperitatem deponit hyemis? quantò magis nos ipſi ad inchoationem ſacræ quadrageſimæ, aſperitatem reijcere debemus delictorum: ſcindenda nunc eſt animarum noſtrarum tellus, vt cœleſtibus ſeminib⁹ aptior reddatur: nam quem- C admodùm reditum vlteriorem capit, qui frequentiùs vexando exercet campum; ita maiorem gratiam percipit, qui exercet corporis ſui campum, ſæpiùs ieiunando. Hoc enim ſacro abſtinentiæ tempore, hominum ſpes intermortua reuiuiſcit in poſterum, fides perdita, reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternum, & omne genus hominum ad cœleſtia ſe ſubrigens, ab inferis ad altiora conſurgit.

O vere tempus moriendi & naſcen- D di opportunum! quando & ipſæ ſpinæ producunt roſas, & arida quæpiam virgulta odorem depromunt, & ita vniuerſi mortales ad gratiam Ieſu Chriſti feſtinant, vt feſtiuitatem diei magni, Eccleſia ſancta hodiè celebrare credatur. Vobis hodiè Catholici datur facultas, vt vltra naturæ ſpeciem poſſitis ſpinas in purpuraſcentes roſas commutare; de peccatis iuſtitiam, de ſeueritate miſericordiam, de auaritia largitatem faciendo. Verbo dicam? quiſquis hodiè cinere pœnitentiæ caput ſuum inſpergit, & ad mortem

mortem peccatorum feſtinat, vitam nullis temporum finibus circumſcriptam inueniet. Nam quid aliud cauſæ, quòd Saluator noſter, ſacram quadrageſimam inſtituerit? niſi (vt ſentit D. Ambroſius ſerm. 37.) quia primus Adam in paradiſo conſtitutus, per intemperantiam gulæ, gloriam immortalitatis amiſerit; ideò Chriſtus Dominus 40. diebus & noctibus in deſerto ieiunauit, vt eandem immortalitatem amiſſam, per abſtinentiam repararet, & quia contra mandatum Dei guſtans homo de interdicta arbore, in peccatum mortis inciderat; nunc quoq; ſecundùm mandatum Domini ieiunans, vitæ iuſtitiam mereretur. Hoc enim vult Saluator noſter, vt quibus veſtigijs admiſſa ſunt delicta, iiſdem purgentur. Vnde quia homo comedendo deliquerat, ieiunando etiã corrigere debet: quia epulando mulierem cognouerat, eandem abſtinendo deſpiciat, oportet. Abſtinentia enim amica virginitatis eſt, inimica laſciuiæ: ſaturitas è contra caſtitatem prodigit, nutrit illecebram. Hinc eſt, quòd Saluator per omnia ſecundùm ſimilitudinem naſci voluerit, vt ſecundùm ſimilitudinem quoq; omnia hominis peccata diſſolueret. Adam de terra virgine, quia nedùm corruptâ creatus erat; Chriſtus etiam de Maria Virgine intacta procreatus. Illius maternum ſolum nedùm ſciſſum fuerat; iſtius maternum ſecretum ſimiliter nulla concupiſcentia violatum, Adam Dei manib⁹ plaſmatus erat de limo; Chriſtus quoq; DEI Spiritu formatus in vtero. vterq; ergo ortus cum patre, vterq; Virgine vſus matre; vterque Dei filius: hoc ſolo diſcrimine, quòd Adam adoptiuus; Chriſtus naturalis; Adam creatura, Chriſtus Patris imago & ſubſtantia. In deſerto itaque Saluator ieiunans impleuit mandatum Dei, vt ibi Adam ſaluaret errantem cum vniuerſa mortalium prole, vbi fuerat de paradiſi poſſeſſione proiectus. Adam enim pulſus de paradiſo, inculti mundi, deſerta ſuſtinuit. Et reuera locus ieiunandi conuenientiſſimus eſt, vbi deſunt epulæ, vbi deſunt deliciæ, vbi quod omnium malorum cauſa eſt, deeſt mulier. Poterat enim Adam inter illas paradiſi inconcuſſus ſtare delicias, ſi Eua cum Diabolicis illecebris ibi non adfuiſſet. Conuenientiſſimus proindè moriendi paccato & renaſcendi Deo locus eſt deſertum, vbi non eſt Eua, quæ illicita perſuadeat: non eſt mulier, quæ impudicè blandiens decipiat. Videte rem miram: & in paradiſo diabolus cum Adam dimicat, & in deſerto cum Chriſto certat: vbiq; prorſùs inſidiatur homini, ſed vbi mulierem inuenit, hominem vincit: vbi mulierem non inuenit, cùm dedecore victus abſcedit. Modum ergo vincendi ſubminiſtrauit nobis Deus, vt hoc ſacro ieiuniorum tempore, tanquàm deſertum habitantes, abſtineamus epulis, voluptate, muliere. Non aſſocietur nobis Eua, ne nos à caſta obſeruatione illecebroſâ perſuaſione ſubuertat. In deſerto autem videtur habitare, qui quadrageſimæ tempore ieiunus & caſtus eſt. Deſertum enim quoddam ſacrum, eſt, ipſum corpus Chriſtiani, cùm non repletur cibis, non poculis irrigatur; ſed arentis inediæ ſquallore negligitur. Deſertum inquam eſt corpus noſtrum, cùm abſtinentiâ marceſcit caro, ſiti pallor obducitur, & contemptu rerum totius hominis ſpecies inculta ſordeſcit. Tunc primùm Chriſtus Dominus habitat deſertum pectoris noſtri, cùm noſtram terram fame ſquallidam, ac ſiti aridam eſſe reperit: quemadmodùm vaticinatur regius vates, Pſal. 62. *Sicut* inquit *in terra deſerta, & inuia, & inaquoſa; ſic in ſancto apparui tibi.* quaſi diceret; aliter ſicut in ſancto ei apparere non poſſumus, niſi terra noſtra fuerit deſerta mundanis delicijs, inuia diabolicis concupiſcentijs, & inaquoſa libidinoſis illecebris. Ecce quanta felicitas vobis ex ſacro Quadrageſimæ tempore oritur? vt mortificatis vitijs, in gratiam reuiuiſcat veſter animus; & qui fædum erat ſepulchrum diabolici cadaueris, pulcherrimum ipſius DEI

fiat

Quadrageſima cur inſtituta.

Pſal. 62.

fiat habitaculum. Sed quantæ infelicitatis moderna ſunt tempora, vt plurimi Chriſtiani, cùm illis ieiunium indicitur, de intemperie ſe temporis ſemper excuſent. Dicunt enim, æſtiuis menſibus dies longa eſt, ſol potentiùs vrit, ſitim ferre non poſſumus, ſed crebrioribus poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tempore, graue inquiunt frigus eſt, rigores ſunt peſſimi, algorem tolerare nequimus: proinde eſcis calefieri nos oportet. Itaq; homines quorum animus ſemper eſt in prandio, prandendi ſibi cauſas inquirunt, & dùm ſe à ieiunijs excuſant, tempora creatoris accuſant. Verùm dic mihi ò delicate Catholice, qui æſtum ſolis ieiunando ferre non potes, nunquid æſtus quem ſuſtentaturus es, torrentior eſt gehennâ? nunquid hyems, cui retrudendus es, horribilior eſt damnationis tenebris? in exteriores enim tenebras abiicientur peccatores, vbi erit fletus & ſtridor dentium: ſtridor inquam dentium inſtar hyberni temporis: nam ſicut penetrante algore hyemis, toto homines corpore contremiſcunt; ita & interueniente conſcientiâ frigidâ delictorum, graui peccatores dentium ſtridore quatientur. Quãta ergo eſt dementia humana, dùm hic hiberni temporis rigorem metuunt, intolerabile tenebrarum frigus incurrunt. Dùm hic æſtum ſolis euitant, gehennæ infinitum ſuſtinere merentur ardorem.

Eſt nunc Catholici mei tempus acceptabile ſalutis, dùm ipſemet Saluator, vt noſtram ſalutem operetur, illam à ieiunio inchoat. Ieiunium enim ſanctum Animæ optima cuſtodia eſt, corpori cohabitatio ſecura, fortibus viris munimentum & arma, Athletis & certantibus exercitaio. Hoc tentationem expellit, ad pietatem inuergit, ſobrietatem familiarem reddit, modeſtiam generat, fidelem ſanctificat, ſacerdotem conſecrat; neque enim fas eſt ſine ieiunio ſacerdotem attingere ſacra, non ſolùm in myſtico nunc & vero Dei cultu; ſed & in figurato ex lege introducto. Quid Heliam magnæ viſionis ſpectatorem reddidit? nonne ieiunium. Quadraginta namq; dierum ieiunio animam purgans, in ſpelunca Horeb, meruit (quantum fas eſt homini) Deum videre. Paucis multa? ieiunium Sanctos omnes, Deos omnes, conciliatoſq; reddit: immò etiam in grauiſſimo diſcrimine certiſſimam eis ſalutem affert. Eſt quædam corporis natura, quam Amiantum vocant, quæ in flamma conſtituta in carbonem verti videtur, inde verò erepta, quaſi per aquam abluta & purgata, purior redditur. Talia erant trium puerorum corpora apud Babylonem ex ieiunio viſa. In magna namq; camini flamma, velut aurei naturâ exiſtentes, ignis vim & nocumentum ſuperarunt. immò auro longè potentiores viſi ſunt: non enim abſumpſit eos ignis, ſed conſeruauit incolumes, quamuis nihil flammam illam ſuſtinuiſſet, quàm & bitumen, & pix, & ſarmenta circumpoſita, in cubitorum 49. altitudinem excitabant, quæ & vicina depaſcens, multos circa Chaldæos aſtantes abſumebat. Talem nihilominùs pyram pueri ieiuni ingredientes, velut àërem leuiſſimum, roſcidumq; calcantes, in tàm vaſto igni reſpirabant, nec vnum ex capillis quidem amiſerunt, ieiunio eos protegente. Ecce certiſſimum ſalutis remedium! Quid Danielem virum deſideriorum Dei, panem tribus hebdomadis minimè comedentem, nec aquam bibentem, inter rapaces leones ſaluum ac incolumem ſeruauit? certè ieiunium; quod corpus eius inſtar ferri candentis in aqua tincti, obduratum, crudelibus belluis inuictum reddidit. Inſuper ieiunium eſt lætitiæ quædam occaſio: ſicut enim ſitis dulcem ſubminiſtrat potum, & fames ſuauem omninô præparat menſam; ſic ciborum deguſtationem ieiunium ſuauiſſimam reddit. Ex quo ſi volueris iucundam tibi menſam præparere, ſume ex ieiunio mutationem atq; interuallum; cùm ea, quorum rarus eſt vſus, longè meliùs dulciuſq; ſapiant. Et ſol enim poſt noctem clarior appa-

ret,

ret, & vigilantia post somnium dulcior, & sanitas post morborum experientiam longè est clarior. Ita pariter & mensa post ieiunium aptior, & diuitibus lauteq; victitantibus, & illis qui tenui & frugali mensâ vtuntur. Hinc ieiunantis color venerandus, non impudenti rubore florens; sed honesto honorabiliq; pallore ornatus, oculus præterea mitis ac pius, incessus grauis, os venustum ac prudentiam præseferens, minimè risui immodesto aut cachinno vtens, sermonis parcitas, cordis puritas mirificè elucent. Collocauit ieiunium Lazarum in Abrahami sinu, Ioanni nec lectum, nec mensam habenti, de ipso Domini pectore iucundum, & molle ad quiescendum puluinar fecit. Paulum ad tertium vsq; cælum extulit, homines quoq; piè in Christo viuentes, è terrena hac & mortali conuersatione, in cœlestem & æternam beatorum societatem transfert. vnde & Dominus IESVS, qui carnem humanam nostri causâ assumpserat, priùs ieiunium rigidissime in deserto expleuit, quàm cælum gloriosus conscenderet, vt palam faceret, non aliter æternam salutem fideles suos, quàm per ieiunium assequi posse.

Tempus insuper est redemptionis sacra quadragesima, quia hisce diebus & peccata nostra redimere, & diuinum lenire furorem, & cuncta desuper nobis negata facilè possumus impetrare. Testantur hoc sacra oracula Ionæ 3. vbi cum Niniue ciuitati subuersio diuinitùs immineret, & iuxta comminationem Dei destruendi illam tempus appropinquaret, non aliud tunc ad redimenda sua peccata, quibus tàm dolendam promeruerant cladem, inuenère viri Niniuitarum, nisi vt abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susciperent, & diuitiarum ambitione sepositâ, humilitate se paupertatis induerent. scilicet, vt exinde remedium percipere possent, vnde illis perditio contigerat. hoc est; vt iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent: & offensam, quam in

A eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Atq; ne quispiam ieiunij austeritatem nausearet, ipse rex depositâ imperiali purpurâ, regali ambitione submotâ, membra sua cilicio præcinxit, atq; in sacco & cinere diebus & noctibus sese volutabat. Sapiens equidem Rex, qui cùm iratum sibi Deum esse sciret, non alia; quàm iustitiæ arma arripuit. sciens offensum Deum, sola virtute & humilitate vinci solere. Sapiens inquam Rex, qui pro salute ciuium, peccatorem B se magis confitetur esse, quàm Regem: obliuiscitur enim se Regem esse, dùm proijcit purpuram, dùm diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco, ieiunijs perseuerat, orationibus immoratur. sed obstupescite nouum prodigium, dùm se Regem hominum esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ: non perdidit imperium, sed in melius mutauit: dùm vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi Rex primus indixit, quia necesse erat, vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior quo- C que fieret vniuersis. Hic ad redimendum Regnum suum, præparauit Religionis exercitum, non armis, sed sola deuotione munitum; imperauitq; omnem sexum, omnem ætatem, à diurnis epulis abstinere: in tanta deuotione etiam infantiam militare compellens; pietatis esse credens, in tali causa, paruulis etiam cibi substantiam denegare. Quia optimè sciebat, non sufficere ad placandum Deum, solam peccantium satisfactionem, nisi seniorum quoq; peccata, paruulorum in- D nocentia deploraret, & fletibus alienis, delicta sua iuuentus ablueret. Et ecce pro damnata iam ad supplicium ciuitate, tàm austerum ieiunium Deus in pretium redemptionis suscepit; & quos iratus punire decreuerat, ijs omnibus placatus pepercit.

Quid hic recensebo Heliam zelantissimum DEI Prophetam? qui cùm humanis iniquitatibus clausum esse videret cœlum, & nulla mundanis rebus desuper pluuiarum stillaret vbertas, atq; omnia longè siccitatis squallore languerent, & fames atque sitis magna

magna vndiq; genus hominum premeret, (quoniam nec cœlum pluuiam dabat, nec terra pabulum germinabat) tunc Helias sanctus reserauit ieiunijs suis cœlum, & terram orationibus fæcundauit. Illius siccitatem resoluit in pluuiam, huius verò sterilitatem commutauit in partum. Tanta enim eius precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigauit, vt arida reuirescerent, mortua resurgerent, languentia sanarentur. Et ita rebus cunctis fontium quidam meatus infusus erat, vt purificatione facta per pluuiam, omnia creaturarum vitia lauarentur, atque inundationis illius beneficio, totius mundi species innonata consurgeret. Et nobis ego clausum esse cælum video, quia a multis Spiritus S. corda viuificans abscessit: siccitatem quodam modo patimur, quia multorum animæ gratiæ rore non irrigantur. Laboramus fame magna, quia velut esurientes animi nostri, cœlestia sacramenta desiderant. Verùm si per sacra ieiunia reserauerimus cælum, & delictorum sterilitate depositâ inceperimus fructus germinare virtutum, non tardabit profectò cœlestis imber; sed copiosè in pectora nostra descendet, vt vitia peccatorum diluat, iustitiæ incrementa producat, discutiat aridum concupiscentiæ puluerem, lætificet vtilem castimoniæ puritatem, obruat auaritiæ sordidam fæcem, nutriat æternam misericordiæ largitatem, sicut enim superueniente Heliæ pluuiâ, omne pabulum terra produxit; ita & superueniente moderno Christi lauacro omnem iustitiam in homine pœnitente anima germinabit. Et sicut propter Heliæ Ieiunium, pluuiarum fontes irrigauerunt orbem, vt viuificarentur herbarum mortificata iam semina, ita propter nostra ieiunia, si ea fideliter & patienter sustinuerimus, fons gratiæ salutaris irrigabit cætum fideliũ, vt animarum mortificata corda viuificet, & quasi iterum à morte redimat æterna.

Deniq; ieiunium est tempus cœlestis medicinæ, lethalis enim quædam febris arripuit mundum, & grauiter

A illum torquet indomita vis morbi, tàm in corpore; quàm in anima, in corpore inquam, quia præcipua eius membra deficiunt iam: si enim capita mundi spectes? hoc est; Reges & Imperatores, deficiunt. Vbi enim nunc Cæsares, Alexandri, Constantini, cæteriq; humani Ioues, quos fortuna quò altiùs euexerat, eò natura humilius depressit. Si cerebrũ mundi cõsideres? hoc est; viros, sapientes, euanescunt. Nam imprimis in forensibus vbi Tullius, Hortensius, Demo- B sthenes, cæteriq; facultatis oratoriæ Mercurij, admirantur nunc sepulchra obmutescentes, quos olim fora declamantes suspiciebant. In Poëticis vbi Pindarus, Homerus, Mantuanus, cæterique Musarum mystæ & Apollines, olim ad aures more cygnorum modulantes; nunc verò intra vrnas coruorum instar miserabundè crocitantes. In Philosophicis vbi Seneca, Plato, Aristoteles, cæteriq; sapientiæ radij? cùm olim toto orbe philosophati vagarētur, nunc exiguo in sepul- C chro tabefacti iacent. In Theologicis vbi Aquinas, Augustinus, Basilius, alijq; Hæresium iugulatores, & flagella? si ora mundi & linguas cernis? quibus leges politicæ, & sacrosancta conduntur statuta, hæc aruerunt. Vbi enim Cato, vbi Solon, vbi Lycurgus, atq; alij æquissimi legum latores, qui cùm bene viuendi leges suis populis præscriberent, tandem ipsi naturæ legibus moriendo paruerunt. si mundi manus attingas? quibus rerum varios opifices & artium D inuentores designantur: hæ veluti paralysi tactæ, ab opere iam vacant. Nam in fabrilibus, vbi Phidias, vbi Parrhasius, vbi Polictetus, vbi cæteri artifices, quorum nisi viuerent artefacta, certè & nomina in tenebris profundæ obliuionis sopita manerent. si pectus mundi, quo robur & potentia militaris signatur, introspicias? & hoc molle iam atq; effœminatum est. Nam in bellicis vbi Achilles, vbi Hector, vbi Scipio, vbi cæteri bellatores, qui cùm magnos hostium aceruos cædendo ederent, tandem & ipsi eosdem

Defectus in omni statu enumerātur.

dem cadendo cumularunt. Si deniquè mundi cor, quo omnis perfectio exprimitur, introſpicias ? iam palpitare deſiſtit : vbi enim nunc in ſacris illa Patriarcharum decora, Prophetarum lumina, Eremitarum caſtra, virginum chori, Martyrum Myriades, Sacerdotum prodigia, Præſulum portenta, coniugum temperantia, Iuuenum modeſtia, puerorum verecundia, cæteraq; virtutum germina, quæ priſcis ſæculis vernârunt, præſentibus aruerunt. Vnde manifeſtè videmus, totum mundum in corpore ſuo ægrotare, quia in omnibus membris deficit, cui peſti graſſanti quid aliud mederi poterit, niſi ſacra ieiunia ? cùm corpora aut gulæ vitio ſeparata, aut ſuauitate depreſſa, per abſtinentiam optimè curentur. Sed grauiùs adhuc ægrotat mundus in anima, dùm æquè infantia, atque iuuentus : æquè ſenectus, atq; virilis ætas, vitijs immoderatiùs indulgent.

Sed ad hæc omnia ſananda, optimum remedium, ieiunium quadrageſimale. Ieiunium enim & pueros cuſtodit, & modeſtum iuuenem reddit, & ſenem grauem facit : nam & canities ieiunio decorata longè eſt venerabilior : Nonne & ipſis mulieribus ornamentum eſt aptiſſimum, vegetorum valentiumque frænum, coniugij cuſtos, Virginitatis nutritor ieiunium. paucis multa ? vitam noſtram ſola quodammodò gubernant ieiunia. Omnem enim ciuitatem atq; populum ad bonum ſtatum traducit ieiunium, rixas ac ſtrepitum ſopit, exterminat lites, contumelias comprimit. Quis quæſo vnquàm laſciuus aut perditus ex ieiunio prodijt ? quis chorus petulans ex ieiunio conſtitit ? molles riſus, laſciui cantus, inſanæ ſaltationes, è veſtigio ciuitatum egrediuntur, â ieiunio tanquàm ſeuero quodam iudice fugatæ. Et reuera, ſi ieiunium omnes in rebus agendis conſiliarium caperent, proculdubio nihil prohiberet, quin pax tranquilla per vniuerſum mundum foret. Nec enim gens aduersùs gentem inſurgeret, nec tot exercitus deſcriberentur, aut tot arma inimica vitæ humanæ exercerentur. Non fora feruerent, non in carcerem homines ducerentur, non deniq; ſiluæ atq; ſaltus graſſatores haberent, nec ciuitates ſycophantas, nec mare pyratas formidaret, ſi omnes ieiunij diſcipuli eſſent : neq; tot tributa imponerentur nobis, nec vita noſtra tantis onerata malis, aut tot doloribus referta eſſet, ſi ieiunium vitæ noſtræ dominaretur. non dubium, quin omnes non ſolùm ciborum, ſed etiam auaritiæ & cupiditatis, & cuiuſuis malitiæ abſtinentiam complecteremur, & pax animorum quieſq; alta ſequeretur. Nam poſtquàm homines reiecto ieiunio, delicias tanquàm beatas ſunt amplexi, ſubitò etiam innumeram omnium malorum cateruam introduxerunt in orbem, & ſua ipſorum corpora miſerabiliter conſumpſerunt. Sed ne longiùs in laudem ieiunij excurrere videar, in paucis multa concludo. Ieiunium vera Angelorum imago eſt, iuſtorum contubernalis, vitæ moderatio. Hoc Moyſen legiſlatorem conſtituit, Samuelem Prophetam fecit, Annam ieiunantem & orantem diuina prole dotauit.

Ex tot ergo ieiunij fructibus cognoſcite, an non verè ieiunium quadrageſimale ſit tempus acceptabile regenerationis noſtræ ? quando ex peccatoribus iuſtos, ex impijs ſanctos, ex inferni mancipijs DEI filios facit. An non tempus acceptabile ſalutis eſt ieiunium ? quando ipſemet Saluator, ieiunans nobis in deſerto præit, vt omnes illum imitati, cæleſtis eius regni cohæredes fiamus. An non tempus eſt redemptionis ? quando ipſemet vnigenitus Patris, progreditur iam ad crucis thronum, vt animam ſuam, pro vènundatis à peccato in æternam perditionem, noſtris animabus ponat,. An non denique tempus eſt cœleſtis medicinæ ? quando & omnis peccandi occaſio à fidelibus remouetur, & animi Chriſtianorum in ſola diuinæ paſſionis meditatione conquieſcunt.

Quamobrem omnes ordines amplectimini hodiè ieiunium : Pauperes, vt

veſtrum contubernalem & conuiuam : ſerui, vt continui laboris veſtri ac miniſterij requiem : Diuites, vt ſaturitatis aſſiduæ remedium, & imitatione ſuâ iucundiora reddens, quæ continuus luxus contemptibilia fecerat. Amplectimini ieiunium ægri, vt ſanitatis matrem : valentes, vt veſtræ cuſtodiam ſanitatis. Excipite illud lætis animis, non quemadmodùm Hypocritæ triſtes, ſed ex Domini præcepto hilaritatem ſine ſimulatione oſtendentes, vt hoc modico cibo legitimè imbuti, & ſaturati, digni cæleſtis ſponſi lætitiâ inueniamur, cum quo epulemur in æternum.

DOMINICA I.
QVADRAGESIMÆ,
CONCIO PRIMA.

Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. *Matthæi 4.*

Chriſtus ad noſtrum exemplum, & manifeſtandam ſuam diuinitatem ſe tentari permiſit.

SIſtitur hodiè in tentamine vnigenitus Dei filius, & periculoſum quoddam luctamen aduersùs tenebrarum poteſtates ſubit. De laurea vt video fit vtrinque pugna. Diabolus certat, vt vires ieiunantis Chriſti indefeſſas experiatur, Chriſtus ex aduerſo fortiter reſiſtit, vt eius potentia etiam ipſis Dæmonibus innoteſcat. Vnde ad tàm difficilem explorationem, non aliquis ſimplicium dæmonum accedere audet ; ſed ipſemet Princeps inferorum Lucifer, quemadmodùm expreſsè docet D. Chryſoſth: in Pſal. 2. vbi tentatorem Chriſti *Archidæmonem* vocat ; vt ſcilicet is qui nobilitate naturæ & ſcientiæ longè cæteris anteibat ; ita & tentandi poteſtate, acrior deſæuiret in Chriſtum, cuius incomparabiles cum alijs hominibus virtutes eſſe videbat. Etenim Chriſti Domini diuinitas, dæmonibus, à quorum cognitione imperſcrutabilia DEI myſteria, & cordis humani ſecreta abſcondita ſunt, quouſq; illa Deus quantum voluerit, & quantum oportuerit, eis non reuelet : non aliter potuit innotuiſſe, niſi per quædam temporalia eius virtutis effecta, & occultiſſimæ ſigna præſentiæ, quæ Angelicis ſenſibus, etiam malignorum ſpirituum, potiùs quàm infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua. Et licet iam aliquantum nato in terris Chriſto, eius diuinitatem cognouiſſent maligni ſpiritus, quandoquidem pænam ſuam formidantes, eidem Chriſto infirmitate carnis induto dixerant antea : *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene ? veniſti ante tempus perdere nos.* nihilominùs tamen, docet S. Auguſtinus lib. 9. de ciuitate cap. 21. quòd cùm paululum ſupprimerentur miracula Chriſti, & aliquantò virtus eius altiùs lateret. *Dubitauit* inquit *de illo dæmonum princeps, eumq; tentauit. an Chriſtus eſſet : explorans quantum ſe tentari ipſe permiſit.* Vbi manifeſtè D. Auguſtinus, diuerſum finem oſtendit tentationis, quâ Chriſtum aggreſſus eſt princeps dæmonum, & illius, quâ homines crebrò circumueniuntur. Dæmon enim cùm homines tentat, hoc tantùm intendit, vt homines peccent ; cùm verò Chriſtum tentaret, non tantoperè de peccato illius ſollicitus erat, ſanctiorem enim illum videbat eſſe, quàm qui facilè induci poſſet, vt malè faceret . cognoſcere tantum auebat,

S. Chryſ.

S.Auguſt.

bat, an lateret Deus ſub humana forma. Conſiderabimus itaq; hodiè, ad quid Chriſtus Dominus cùm verus Deus eſſet, tentari ſe permiſit, & quæ hoſtis ſtratagemata, qui Chriſti infracti clypei ad retundenda iacula.

Cùm omnis exercitus ſine duce trepidet, & confuſus maneat, nec tàm vincere, quàm potiùs cadere aptus ſit. ideò & Chriſtus Dominus videns hominem in paradiſo ſine duce turpiter lapſum, & in deſerto ſolitarium exulare, vbi tentationes plurimæ, niſus ad virtutem difficilis, lapſus ad errorem frequens. Eadem enim eſt natura virtutis, quæ & nemorum: nam quemadmodùm in nemore, ſi adhuc exigua de terrenis ad ſuperna ſe ſubrigunt, dùm adhuc teneris ætas adoleſcit frondibus, ſæui veneno dentis obnoxia, facilè aut ſuccidi poteſt, aut vri. Si verò altà ſe radice fundauerit, fruſtrà iam vel ferarum morſibus, vel lacertis agreſtium, aut vehementium ventorum procellis, arbor robuſta tentatur: ita planè virtus, ſi nunc primò in corde hominis agit ſuas radices, facilè à leuiſſimo turbine naufragium patitur; quodſi verò altiora iecerit incrementa, nec in ſummo diſcrimine timet caſum; cùm ergo homo nondum in virtutibus profundè radicatus, inculti mundi deſerta incoleret, prudentiſſimo ductore illi opus erat, quem ſecutus neq; caderet, neq; à virtutis & veritatis tramite aberraret. Deliberabat igitur æternus Pater, ſciens hiſce ſacris ieiunij diebus, nobis non modò contra carnem, & ſanguinem, verùm etiam contra poteſtates & rectores tenebrarum eſſe luctamen, deliberabat inquam ſeriò, quemnam apponeret nobis periclitantibus ducem contra tot illecebras ſæculi, contra tot verſutias hoſtis animæ. Si enim Angelum appoſuiſſet, fruſtrà? quia & hic ipſe lapſus eſt, & tot legiones Angelorum vix ſingulis profuerunt. Si Seraphim ad hoc munus dirigeret? otiosè: quia & Seraphim quando deſcendit in terras in medium populi, labia polluta habentis, parum profuit; quoniam vnius tantùm prophetæ appoſito carbone labia mundauit. Alius igitur maioris induſtriæ, potentiæ, & peritiæ dux requirendus erat, quem ſequeremur omnes. Et ecce non alius reperiri poterat, qui prodeſſet omnibus, niſi qui eſt ſupra omnes, ſcilicet Chriſtus IESVS, qui maſculum & fæminam, Iudæum & Græcum, Barbarum & cytam, ſeruum & liberum, vno ductu regere valet. Multi enim laquei, quocunq; progredimur ſunt: laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, & in crepidinibus parietum tenduntur à diabolo: laquei in ſcientia, laquei in cupiditatibus, laquei in religione, laquei & in caſtitate.

Exiguis enim momentis mens inclinatur humana, & huc atque illuc pro verſutia ſuadentis frequenter impellitur. Videt aliquem diabolus religioſum, virum, DEO venerabiliter deferentem, & quod ſacroſanctum eſt, æſtimantem; nullius capacem iniuriæ? quid facit hoſtis animæ? in ipſa illum religione ſupplantat, vt faciat non credere, quòd Dei filius verè, hanc noſtram carnem ſuſceperit, hoc mortale corpus, hanc membrorum noſtrorum fragilitatem; cùm vbiq; paſſio corporis fuerit in Chriſto, diuinitas verò omnis iniuriæ exors manſerit. Et ſic frequenter de nimia religione fit culpa, omnis enim qui negat Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, de deo non eſt: videt integrum & illibatæ caſtimoniæ cultorem, & ecce aduerſarius ijſdem telis contra ipſum vtitur, ſuadens vt nuptias damnet, quod vbi in animum homo caſtus admiſerit, eijcitur ab Eccleſia, & ſtudio caſtitatis à caſto corpore ſeparatur. Quiſquis enim diuinam inſtitutionem culpat, is DEVM blaſphemat. Audiuit alius quia vnus Deus eſt, ex quo omnia, eumq; adorat atq; veneratur, mox illi diabolus inſidias ſtruit, claudit aures, ne audiat, quia iſte eſt vnus Deus, per quem facta ſunt omnia; ſicq; nimiâ pietatate impium eſſe compellit, vt dum Patrem

Patrem à Filio ſeparat, patrem filiumque confundat, & perſonam vnam putat eſſe, non poteſtatem; & ita dùm fidei menſuram neſcit homo, perfidiæ incurrit ærumnam. Vt ergo vitare poſſimus hos laqueos, dux & mediator Chriſtus IESVS nobis datus eſt, qui tentari ſe à diabolo permiſit, vt nobis modum vincendæ tentationis ſuggereret: ſcilicet; vt ſemper inter ſummum & infimum, quæ ſunt vitia per exceſſum & defectũ, ſibi extremè oppoſita cõſiſtam⁹, nimirùm, vis eſſe perfectè religioſus, nec diuina arcana nimis curiosè ſcruteris, nec tamẽ ea quæ ſpectãt ad ſalutẽ omni credenti, negligas: ſed puro & ſincero corde, omnia quæ ſancta Mater Eccleſia credenda proponit, fideliter tene & exequere. Vis eſſe perfectè iuſtus, & tuis contentus eſto, & aliena non appetas. vis eſſe ſincerus legum obſeruator: ſuperiorem venerare, inferiorem ne deſpicias; regem honora, ſubditum tuum opprimere noli; quia extrema hæc, oppoſita ſibi ſunt, inter quæ tu tanquàm verus viator, medius currere debeas, ſi à perfectionis Chriſtianæ gradu, non vis aberrare. Hæc eſt principalis cauſa, cur Chriſtus Dominus ſe tentari permiſit, vt nos ex dæmonum poteſtatibus eriperet, quorum vehementiſſimis tentationibus plerumq; non ſumus ferendo. quemadmodùm canit Regius vates Pſ: 123. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* quaſi apertiùs diceret; venit in hanc vitam dux & mediator Chriſtus IESVS, qui contereret laqueum, diaboli fraude præparatum. Hæc eſt cauſa cur Chriſtus Dominus tentationem ſubijt, vt eum in ſuſtinendis & vincendis tentationibus ſequamur; iuxta conſilium ſapientis Deut. 10. *Poſt Dominum Deum tuum ambulabis, & ipſi ſoli adhærebis.* Vnde meritò quærit Apoſtolus 1. Corinth 6. *Cui adhærebo niſi Chriſto.*

Cur ſe Chriſtus tẽtari permiſit.

Pſal. 123.

Deut. 10.

1. Cor. 6.

Diſputat hic D. Baſilius ſerm: 2. in cap. 13. diuiſo cap. vltimò 1. tom: parte 578. An homo Chriſtianus quamlibet tentationem ferre debeat? Et hic diſcurſum ſuum reſoluit; *Si Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnigenitus viuentis Dei filius, per quem omnia facta ſunt, viſibilia & inuiſibilia, qui vitam habet, ſicut illam habet Pater, qui ipſi vitam dedit, & poteſtatem omnem à patre accepit, cùm irrumperent, qui ipſum ad mortem pro noſtra iuſtitia & æterna vita ſubeundam, capturi erant, ſciens omnia quæ ipſi ventura erant, egreſſus intrepido animo dixit illis: quem quæritis? & vbi reſponderunt Ieſum Nazarenum: mox appoſuit, ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire; ſi inquam & tentare in deſerto diabolum ad ſe accedere paſſus eſt, quantò magis nos ea quæ naturaliter accidunt, ſpontè ferre debemus, vt propter obedientiam Dei, illatas ab hoſtibus tentationes vincentes, glorificemus Deum: & quæ nobis triſtia ab hoſtibus inferri videntur, ea æquo animo ſuſtineamus.* Sed illud forſan mirabitur quiſpiam, cur Deus peccatores Angelos in infernum ex altiſſima cœli ſede præcipitans, eorum magnam partem in àëre reliquit? (quos ſcriptura àëreas poteſtates appellat) & illis poteſtatem dedit, tentandi homines, æque iuſtos ac peccatores? quorum tamen plurimos his tentationibus vincendos haud ignorauit? verùm & hic ſumma Dei iuſtitia elucet,. Permiſit enim Deus iuſtos tentari, in maiorem eorum probationem: vt per iſtas temporaneas tentationes, magìs in virtutibus exerceantur, & ampliora apud Deum mercantur præmia; permiſit quoq; & malos tentari, ad grauiorem eorum afflictionem, ſi tentationibus facilè conſenſerint. ſic docet expreſsè ſanctus Thomas 1. parte quæſt: 64. art: 4. in corpore vbi ſic dicit: *Dæmonibus* inquit *duplex locus pænalis debetur, vnus quidem ratione ſuæ culpæ; & hic eſt infernus: alius ratione exercitationis humanæ, & ſic debetur eis caligioſus aër.* Quia ergo procuratio humanæ ſalutis, protenditur vſq; ad diem iudicij, quæ non tantùm inclinatione ad bonum, & retractione à malo; verùm etiam exercitatione per impugnationem contrarij, comparatur, ideò ex diuina ordinatione, ad ipſam

Cur dedit Deus poteſtatẽ diabolo tentandi homines.

S. Thom.

ad ipsam vsq; consummationem sæculi, & boni Angeli hic ad nos mittuntur, qui nos ad bonum stimulent : & dæmones pariter in hoc aëre caliginoso sunt ad nostrum exercitium, qui nos tentando & affligendo probent. verbo dicam ? Deus & malos, & bonos homines tentari à dæmone permisit, vt omnes ad diuinum auxilium refugiant, proprijs viribus minimè freti. Quemadmodùm milites licet sint fortissimi ; semper tamen ducis sui prudentiâ & regimine nituntur. Nemo enim sine diuina virtute & gra- B tia resistere potest tentanti satanæ, vt docet apertè D. Basilius tom. 1. ad finem. *Quibus* inquit *inest diuina lex, non atramento & literis inscripta, sed spiritu Dei viuentis : nec tabulis lapidis impressa, sed tabulis cordis insita : illi mentis oculis illuminati, ac semper non sensibili aut visibili, sed spirituali spe affecti, exactè sciunt, quòd impossibile sit proprijs viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat. Qui verò verbi Dei honore cumulati non sunt, ij frustra inflati, libero* C *se putant arbitrio peccati occasiones inanire posse. quod per solum crucis mysterium cessat.* Liberum enim illud, quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, vt velis aut nolis resistere diabolo. Non tamen. vt omninò hoc possis, potentiam habes, quâ affectionibus carnis domineris ; quia scriptum est : *Nisi dominus custodierit ciuitatem, aut ædificauerit domum, frustra vigilat qui custodit eam.* Impossibile namq; est, ambulare super aspidem & basiliscum, & calcare draco- D nem atq; Leonem eum, qui non priùs seipsum, quantum fas est homini, repurgauerit, vt mereatur corroborari ab eo, qui dixit Apostolis : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici.* Cuius ratio euidentissima, quia si humana natura extra Spiritus sancti panopliam, diaboli insidijs resistere posset, frustra dixisset Apostolus : *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris.* quasi diceret ; ne confidite vestro robori, & vestræ

S.Basilius.

Psal. 129.

A fortitudini, quia nisi potentiori auxilio ab ignitis mali hostis iaculis liberati, adoptionem filiorum DEI promeruerimus, inanis erit nostrorum ieiuniorum conatus, vt pote procul à virtute crucis dissitus. Itaq; qui diuinæ gloriæ particeps esse, & quasi in mundo quodam speculo formam Christi menti suæ infusam esse cupit ? opus habet, vt amore insatiabili, & animi affectu in explebili, ex omnicorde & virtute, noctes atq; dies, diuinæ potentiæ auxilium ambiat. cu- B ius participem fieri impossibile est, nisi eum, qui alienus est à mundanarum voluptatum mollitie, & concupiscentijs aduersariæ potestatis, quæ à lumine & bona operatione remota est, & exterris atq; omninò peregrina.

Sed iam progrediamur ad stratagemata hostis, & Christi arma ? triplici telo vt video dæmon vsus est aduersùs Christum. inprimis gula vt inde de Christo triumphare posset, vnde iam de homine in paradiso reportauerat victoriam. *Si Filius* inquit C *Dei es, dic vt lapides isti fiant, panes.* stultissimum hunc tentandi modum esse censet Petrus Chrysologus sermone 11. vbi diabolum sic alloquitur : *Cupis* inquit *tentare, sed nescis. Esurienti enim Christo, tenera offerre debuisti, non dura ? famem non asperis palpare, sed blandis inediam non horrendis vrgere, sed gulosis : istis non modò Dei Filium, sed hominis filium illaqueare non posses.* Censet ergo Chrysologus, diabolum ad præsentiam Christi totam suam exuisse astutiam ; & planè sto- D lidissimum factum, omnes artes tentandi perdidisse. Cæterùm D. Ambrosius, super caput 4. Lucæ. Sapientiam hîc tentationis admiratur, quoniam is vt faciliùs decipiat, Christū & Dei Filium confitetur ; & homini tamen simul illudere conatur. *Si filius* inquit *Dei es, dic vt lapides isti fiant panes. ò magna astutia, ò callidissima & plusquàm serpentis prudentia : quis enim tantis blandimentis, non moueretur ?* sciebat perbellè dæmon ex prophetijs sacris, venturum fuisse Dei filium ; sed quia venisse iam per hanc infirmi-

Matth. 4.

Chrysol.

S. Ambr.

infirmitatem corporis non putabat, ex potentia operationis hoc ipsum explorare voluit. Verùm Christus Dominus, in cuius maiestate positum erat, lapidem in panes conuertere, contra magnam hostis versutiam, summâ etiam prudentiâ vtitur : dùm neq; potentiam sibi negat, neq; prodit. Si enim conuertisset lapides in panem, prodidisset creatorem : cuius manifestatione forsan diabolus passionem eius conatus fuisset impedire, nec Iudam tentasset vnquàm, ad vendendum iustum sanguinem. Quid B ergo Christus, mediè respondit dicens : *Scriptum est, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.*

Matth. 4.

Vbi dominus duos nobis porrexit gladios, ad iugulandas dæmonum tentationes, scilicet ; abstinentiam, vt suggerente diabolo luxuriam, vitemus illam : nam & tunc dùm nobis oppipara struitur mensa, laqueus animo paratur. Non est autem magnum seruare abstinentiam in paupertate, quia hoc potiùs necessitatis, quàm pietatis opus est : sed in abundantia C vitare luxuriam, hæc vera & perfecta Christiani hominis virtus ; talis fuit Anna illa Elcanæ sacerdotis vxor, quæ etiam tunc, cùm vir eius Elcana hostias pacificas offerret, quo tempore tota offerentis familia lautissimè conuiuari solebat, ieiunabat ; vt inter conuiualem affluentiam, suam ipsâ àbstinentiam retineret : & quò lautiora fercula celebraret, Elcana, eò ipsa iucundiora Deo ieiunia prælibabat. quia optimè sciebat, quòd gratior sit Deo illa inedia, quæ in omni- D um rerum abundantia præstatur. immò grauissimas tentationes nemo superare potest, nisi ieiunus & abstinens. Quod pulchrè Deus ostendit 3. Regum 19. n. 7. Vbi ad Heliam ieiunantem misit Angelum, qui illi subcinericium panem, & vas aquæ apponeret. cur obsecro à tanto structore mensa lautior non est parata Heliæ ? cur à DEO pretiosiora fercula tanto conuiuio ministrari non iubentur ? optimè ad hoc respondet Augustinus serm: 65. de tempore. *Scie-*

3.Reg.19.

S. Ambr.

A *bat inquit Deus Prophetam suum, tentantem diabolum aliter superare non posse, nisi ieiunijs eruditus insidiantis inimici tormenta repelleret.* Sicut enim temerarium esset, militem inermem cōgredi cum armato ; in hominem epulantem, cum diabolo ieiunante ; vnde & Christus Dominus lapides in panem conuertere noluit, vt ostenderet. quòd aptior sit homo ieiunus ad vincendum hostem, quàm saturatus.

Alterum gladium ad iugulandum B tentatorem porrexit nobis Christus, Scripturam Sacram : quando se eius testimonio muniuit, respondens : *Scriptum est, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Vbi apertè sacram Scripturam, tanquàm bellicum quoddam armamentarium nobis commendat : ex qua omnium armorum genera, ad repellendos hostes, & eorum insidias petamus. Quod pulchrè significauit Dauid in illa turri, quæ ædificata erat cum propugnaculis. Cant. 4. n. 4. *Mille* inquit *cly-* C *pei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quæ enim obsecro est hæc turris mille clypeis munita ? nisi sacra Scriptura omnium virtutum & præceptis & exemplis obfirmata. Sic docet D. Gregorius hom: 15. in Ezechielem. vbi dicit : *vniuersa nostra munitio in eloquio continetur.* & Rupertus lib. 3. de victoria verbi, *Sancta* inquit *Scriptura turris vera est, & verè pertingens vsq; ad altitudinem cæli.* Christus itaq; omnes hostis impetus elusit ipso sacri eloquij testimonio, *vt* D *discamus* (inquit Caietanus) *arma nostra esse sacras Scripturas : nulla enim poterit nos suasio ad malum trahere, si consultis sacris Scripturis, actiones nostras & omissiones direxerimus.* His armis sancti illi Patres, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, & cæteri hæreses omnes, vitia & dæmonum fraudes, tanquàm puluerem & stipulam dissipabant, exemplum relinquentes ijs, qui ad laureas aspirant, quomodò se non tantùm in profanis, verùm & in sacris literis debeant exercere quia hoc clypeo si quis munitus fuerit,

Cant. 4.

S. Gregor.

Rupertus.

Caietan⁹.

rit, fremat licet hoſtis, & totas ſuas pharetras iaculando exhauriat, nullum ſubibit damnum. vt dicit ſapiens Prou. 3. n. 5. [Prou. 3.] *Omnis* inquit *ſermo Dei ignitus clypeus eſt, ſperantibus inſe.* Et quoniam primùm telum malè ceſſit in Chriſto tentatori, ideò tentator arripit iam alterum iactantiæ telum, quo facilè expugnantur mortales, quia dùm virtutis ſuæ gloriam iactare deſiderant, de loco meritorum & ſtatione decidunt.

Statuit itaq; dæmon Chriſtum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: *Si filius Dei es, mitte te deorſùm* [Pſal. 4.]: ſcriptum eſt enim: *quia Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed & hîc, imprudens ſatis eſt tentatio diaboli: quia ſuadet aliquid Chriſto naturæ eius repugnans: quomodò enim filius DEI mittere ſe deorſùm potuit? cuius eſt ſemper aſcendere ſurſùm. Verùm non ex eò diabolus Chriſtum DEI Filium vocat, quaſi verùm eſſe Deum credat: hoc enim abſconditum erat ab eo; ſed quia vidit hominem iuſtum, ſanctum, prophetam magnum, idcircò illum aliter vocare non potuit, niſi Dei filium. Hominem ergo eſſe reputans, cuius eſt ſæpiùs ad ima cadere, lapſum & præcipitia ſuaſit illi, vt deſcenderet deorſùm: hoc eſt; vt de gradu altiore meritorum præcipitaret ſe, conſentiendo in malum, & diabolicæ ſuaſioni parendo. ô quoties hoc telo iactantiæ profligantur homines, qui dùm laudes alienas de ſuis virtutibus audiunt, mox ſuperbiendo de gradu perfectionis, deorſùm & in ruinam virtutum ſeſè mittunt. Cognouit aliquem totum literis immerſum doctrinâ vtriuſq; ſcripturæ inſtructum profundè, mox aduerſùs illum vtitur teſtimonijs ſcripturæ: non vt doceat: ſed vt circumſcribat, & fallat; in quibus cum ſibi homo aliquantum complacet, aut incautè quidpiam ſuæ doctrinæ arrogat, mox ex docto Chriſtiano, facit peruerſùm Hæreticum: euiſcerat in illo fidem, iura pietatis impugnat, & qui aſcendere debuit ab æternam ſalutem, trahit illum deorsùm in horrendos inferni cruciatus. Videt aliquem attentum religioni, virtutibus clarum, ſignis & operibus præpotentem: confeſtim iactantiæ tendit laqueum, vt huiuſmodi virum inflet tumore, quo pietati ſe non credat; ſed potius ſuperbiæ: nec Deo quod præclarum in ſe agnoſcit, deputet; ſed ſibi arroget. Verùm ne credere blandè tentanti hoſti, & dùm deorſùm ab illo inuitamini, ſcilicet ad illicitum peccati conſenſum, reſiſtere? quia fouea damnationis, ibi occulta latet; ſed tantò magìs ad virtutes ſurſùm nitimini, & cum Chriſto ad cœleſtem perfectionem aſcendite. Neq; tamen quiſpiam exiſtimet, quaſi iam meliùs ſit altum ſapere; quàm humiliter ſentire; quaſi beatiùs eſſe videatur, ſeſe efferre, quàm humiliare: cùm dictum ſit: *qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Vbi manifeſtè iubemur deſcendere, non aſcendere. ideò, vt agnoſcat vnuſquiſq; deſcenſum eſſe duplicem, alium ſecundùm virtutem, qui laudabilis eſt; alium ſecundùm ſimulationem, propter hominum complacentiam, qui peccaminoſus eſt. Mittere ergo ſe deorſùm ſuadente diabolo per illicitas cogitationes, Euangelium ſacrum & Chriſti exemplum vetat, verùm mittere ſe deorſùm, vt cor tuum DEO ipſi humilies, & ipſum ſibi placatum reddas, omnia ſacra eloquia approbant. Nam ſcribit Baronius [Baronius.] vrbem Conſtantinopolitanam anno 396. excidio puniendam decreuiſſe Deum, & id viro cuidam ſancto prædixiſſe, vt peruerſo populo annunciaret, perterritus infauſto rumore populus, publicas preces ad Deum direxit, vbi placatus Deus, iram ſuam protinùs commutauit. Ne verò populus arbitraretur temerè id, à viro ſancto prædictum fuiſſe, Deus manifeſtis ſignis declarauit. Nam eâ die, quâ hæc accidere debebant, & populus cum Arcadio Imperatore ex vrbe exceſſerat, ignea nubes aliquandiu ſupra vrbem ſtetit, omnia concremans, terra quo-

què horribili metu cocuſſa fuit, quod populus ſpectans, totus in precem effuſus, deorſùm in terram ſe proſtrauerat, omnem vitæ emendationem pollicendo: vbi mox nube diſcuſſa, in vrbem remeantes, illæſam eam Deo miſerante repererunt. ô vtinam talis miſſio deorſùm à nobis ſæpiùs fieret, dubio procul nec tot crebras mutationes, nec tot manifeſta diuini furoris indicia experiremur: ſed quia mittimus nos deorſùm ſuperbè in omnia vitia diffluendo, ideò ſola culpa nos ſtringit; dùm nec ſacro quadrageſimæ tempore, laruatas facies præferre, & dæmones ipſos effingere erubeſcimus. Ecce in hoc certamine præclarè ſtetit Chriſtus Dominus [Matth. 4.], dùm tentatori reſpondit: *Vade ſatana ſcriptum eſt enim, non tentabis Dominum Deum tuum.* idcircò alteram iam lauream reportârat; dæmon verò quia malè & imprudenter tentamen aggreſſus eſt, deſideratam lauream perdidit; quo dubio procul ſæpiùs ſuccumberet, ſi & nos tentanti ſæpiùs Chriſti exemplo reſponderemus: vade ſatana, quia Dei creaturam tuis ſuaſionibus parere indignum eſt.

Tertium ergo iam telum ſumit aduerſùs Chriſtum, ſcilicet auaritiæ: [Ibidem.] *oſtendit* (inquit ſacrum Euangelium) *illi omnia regna mundi, dicens: hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Magna profectò audacia diaboli, & ſacrilegus auſus, dicere Deo: adora me, qui ab omnibus eſt adorandus; & ea promittere Chriſto, quæ iuris eius ſunt proprij. Sed non mirum: quia deſperatiſſimus tentator & ea quæ impoſſibilia videt, plerumq; tentat. His plerumque modis illaqueat homines diabolus, multa eis promittendo: quibus mens eorum auara facilè capitur, & ad diabolum adorandum inclinatur, in rerum affluentia ſuperbiendo, & grauiter delinquendo. Quia ſi durum eſt in aduerſis minimè deijci, & infractum ſeruare animum; ita planè in felicitate non extolli, nec alios deſpicere, prorsùs aut rarum, aut difficile. Et tamen dum modo rerum omnium copiam habeant homines, deſerere Deum, recurrere ad dæmonē, eum inuocare, imò & animas ſuas illi proſcribere, pro nihilo ducunt? dùm modo hæc vana quæ eis ad illudendum oſtendit, det: immemores terrena bona nullius momenti eſſe, nec digna, quibus cor ſuum apponat homo. Hæc enim quamuis nulla vi externâ ad ſuum interitum agerentur, ipſa tamen per ſe rurent, & in ipſum centrum, quod eſt ipſa leuitas & inanitas, redirent; fluuijs hac in re non diſſimilia, qui etiam nullis procellis impulſi, ſuopte pondere ad decliuia feruntur. Sapienter hoc conſiderabat fæmina illa Thecuitis, quæ Dauidem de ſua morte admonens, ſic locuta eſt. 2. Reg. 14. num. 14. [2. Reg. 14.] *Omnes* inquit *morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* vbi fortunam & vitam Regis aquæ comparat primum ideo: quia facilè labitur & difficilè reuocatur; deinde, quia non minus quàm aqua, quò arctiùs prehenditur, eò citiùs quodammodò maneſcit. Quod comprobat Euſebius [Euſebius.]: *Natura* inquit *noſtra inter ortum & mortem conſiſtens inſtabilis, quidem & phantaſtica eſt: nam ſi mentem collegeris, ac ipſam comprehendere omnino volueris, quemadmodùm aqua manibus hauſta, quantò magis premitur, tantò citiùs defluit: ſic mutabilia cuncta, quantò magis ratio perſequitur, tantò magis amittit.* Nonne facilè corrumpitur iuuenis in virum, vir in ſenem, puer in iuuenem, infans in puerum, & qui heri fuit, in eum qui eſt hodie, quiq; hodiè eſt, in craſtinum: manet autem nullus idem. quo certè quid inconſtantius? quid inanius:

Vrbs Ierichocur ſolis tubarũ clangorib⁹ euerſa eſt.

Mirabile eſt, quod Scriptura ſacra dicit Ioſue 6. Solis tubarum flatibus Ierichuntina mænia corruiſſe; cauſam huius prodigij vnicam reperio, quia vrbs illa debiliſſimis nitebatur fundamentis, ſcilicet ipſis roſarum fulcris: ſic enim dicit ſcriptura Ecclеſ: num. 18. [Ecclеſ. 18.] *Quaſi plantatio roſæ in Iericho.* roſa autem inter omnes flores citiſſimè marceſcit, & deficit propter rationem phyſicam: quia quò plus odoris ex roſis emittitur, eò plures

Roſa cur inter flores citiùs marceſcit.

res ac puriores ſpiritus ab illis exhalantur, quibus exinanitæ marceſcere debent. Ecce mundi diuitias & bona introſis adumbrata habetis Catholici : aſpectus quidem eorum pulcher, quia roſeus : ſed duratio momētanea; cum nutante enim mundo nutant, cadente cadunt, cum exolente exoleſcunt. Hinc qui ſolem, lunam, ſidera intuetur, vix diſcernit ea moueri : ſed ſtare putat & quieſcere; cùm tamen velociſſimo curſu rapiantur : his non diſſimilia eſſe bona temporalia rectè Philoſophatur Philo Hebræus libro de confuſione linguarum.

Philo Hebræus.

Videtur inquit *& ipſe mundus ſtare hærereq́ue, quantum viſu percipitur : quamuis vtatur motu ocyſſimo, nullam non præuolante creaturam. Nam interdiu ſolem, noctu lunam ſtare imaginantur oculi corporis ; cùm tamen nemo neſciat horum ſiderum curſum eſſe concitatiſſimum, quæ totum cælum intra vnum diem obeunt.* Verùm & ipſe diabolus imprudenter Chriſtum tentans, hanc bonorum mundi exiguitatem & breuitatem ſatis prodidit, quando Dei filio in momento temporis omnia regna mundi oſtendit. Quorſum enim obſecro tàm amplum ſpectaculum, tàm exiguo tempore exhibitum fuerit ? Rationem dat D. Ambroſius, ad eum locum.

S. Ambr.

Non tàm inquit *conſpectûs celeritas indicatur, quàm caduca poteſtatis fragilitas exprimitur : quia enim in momento cuncta illa prætereunt, idcircò in momento quoq́ue illa tentator Chriſto exhibuit.* Verùm quoniam ſic apertè ſuos dolos manifeſtauit diabolus, impium eſt, vt aliquis pollicitatione bonorum temporalium ſe patiatur ſeduci ſed quemadmodùm Chriſtus in hoc tentamine ſtetit victor, arguens ſatanam temeritatis & imprudentiæ :

Matth. 4.

Vade inquit *ſatana : ſcriptum eſt enim Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Et nos reuera non ad dæmonis ſuggeſtionem cadere, ſed ad Chriſti nutum operari debemus.

Ecce igitur habetis Chriſtum tentari ſe permiſiſſe, vt ex eius forti reſiſtentia, & ſumma in reſpondendo ſapientia, diuinitas eius innoteſceret : A tum quoq; vt exemplum nobis daret, quomodò omnes tentationes debeamus perferre, & ad illas vincendas opem eius diuinam implorare. Igitur quoniam toto hoc tempore quadrageſimali, tentamen quoddam ſeuerum nobis facere vult diabolus, vt à diuino obſequio, à ieiunij obſeruatione, ab orationis pietate, non vnum abducat, Chriſtum ducem vobis præeuntem ſequimini, & armis virtutum, ſuſpirijs pietatum, lachrymis pænitentiæ, mortificationibus obedientiæ, E reſiſtite fortiter veſtro aduerſario. Si enim pro dignitate in hoc tentamine ſteteritis, & pro generoſitate Chriſtiana tentatori reſponderitis, ad eius confuſionem & Deus ſuam dexteram in auxilium vobis porriget, & duplicem lauream offeret : vnam in hac vita meriti ; alteram in futura, gloriæ æternæ ; in ſæcula ſæculorum, Am̄.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. *Matthæi* 4.

Chriſtus à Spiritu ſancto ductus eſt ad ſubeundas tentationes, qui ſolâ ſuggeſtione à diabolo tentatus eſt.

NAturalem rebus quibuſdam ineſſe antypatiam, optima rerum magiſtra docuit experientia : tympanum etenim è corio lupi factum, vbi pulD ſatur, mox alterum è pelle agni conſtructum, ſi eius attingatur ſono, aut redditur mutum, aut illicò diſrumpitur ; ſimiliter chordæ agninæ, ſi in muſico inſtrumento lupinis miſceantur, aut rumpuntur ſtatim, aut diſſonant, aut rauceſcunt, quamuis ſe minimè contingant. Quod naturaliſtæ in qualitates valdè contrarias referunt, etiam in exuuijs iſtorum animalium ſecum pugnantes. Nec in rebus ego tantùm creatis, ſed inter ipsũ etiam Dei filium, atq́ue obſtinatiſſimum in malitijs dæmonem, parem reperio

reperio pugnam. vetuſtiſſimum namq́ue eſt odium diaboli, quod à principio ſuæ creationis aduersùm Ieſum concepit, vt non obſcurè indicant verba illa Chriſti Ioann. 8. *Ille homicida erat ab initio.* in quibus verbis Gloſſa ordinaria, & Lyranus, per *initium*, intelligunt *initium creationis primi hominis*.

Ioan. 8. Lyranus.

Vbi ſtatim dæmon inuidens ſummam illam felicitatem innocentiæ, & gratiæ diuinæ vbertatem, mortem inducere ſatagebat ; vt inquit Sapiens. *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap. 2. nam & ibi ſerpens iure meritò homicida vocatur, quia ſpiritualiter occidit primum hominem.

Sapien. 2.

Diuus verò Auguſtinus in Commentario loci illius, nomine *initij*, intelligit initium creationis Angeli, tunc enim, (vt docet D. Bernardus ſerm. 7. in Cantica. Baſilius ſermone de inuidia. Gregorius oratione cathechiſmi 16.) propoſitus illi fuit in ſpiritu Chriſtus adorandus, cui ille inuidens vnionis hypoſtaticæ maieſtatem, non ſolùm recuſauit illum reuereri, ſed etiam cæpit infeſtiſſimo odio proſequi : adeò vt nihil intentatum relinqueret, vt ſobolem ex qua Chriſtus naſciturus erat, penitùs aboleret.

S. Auguſt. Bernardꝰ. Baſilius. Gregoriꝰ.

Maſculi Hebræorum cur per Pharaonē ſublati.

Et hac de cauſa incitauit Pharaonem, vt omnes Hebræorum maſculos interimeret, quia ex illis carnem Dei filium aſſumpturum nouerat, ex promiſſione facta Abrahamo. Hoc motiuo conatus eſt dæmon, per Aman omne genus Hebræorum delere. Hac impulſus ratione, per impiam Athaliam curauit interficere omne ſemen regium, ex quo Chriſtus Dominus naſciturus erat ; diuinâ tamen prouidentiâ incolumis ſeruatus Rex eſt Ioas. Quinimò & per Antiochum vniuerſum, ſemen Iacob, quod in Machabæis vigebat, totis viribus extirpare laborauit, 2. Machab. 2.

2. Mach. 2.

Hac demùm ſtimulatus inuidiâ, Chriſtum hodiè in deſerto nouo tentationis ſtratagemate aggreditur, vt quem naſci, & ex Ægypto manus Herodis fugere non potuit impedire ; ieiunantem ad ſummum & iam viribus laſſatum faciliùs conuinceret. Sed deA luſus es miſer inferorum Draco. Nam vt inquit ſapiens Prouerb. 21. *Non eſt ſapientiâ, non eſt prudentiâ, non eſt conſilium, contra dominum.* irritus erit omnis tuus conatus : quemadmodùm vaticinatur Propheta Iſaiæ 8. *Inite conſilium, & diſſipabitur.* Conſideremꝰ igitur hodiè, quiſnam fuerit iſte ſpiritus, à quo Chriſtus ductus eſt in deſertum, & quomodò eluſit omnes ſatanæ tentationes : vt diſcamus victorias etiam tentationum obtinere.

Prou. 21. Iſaiæ 8.

Dubitant hìc plurimi, à quonam B ſpiritu Chriſtus ductus fuerit in deſertum, & cùm certò conſtet vnicuiquè mortalium, in primo inſtanti generationis dari Angelum cuſtodem homini, qui eum in omnibus aduerſis tueatur, & maximè in rebus fidei dirigat : ideoq́ue nonnulli cenſent, Chriſtum ab Angelo in deſertum fuiſſe ductum. Sed cùm Chriſtus caruerit Angelo cuſtode, ſicut docet D. Thomas 1. parte quæſtione 13. eò quòd eius humanitas gubernetur & cuſtodiatur à verbo diuino, cui vniC ta eſt, ideoq́ue manifeſtum eſt, eum non ab Angelo ductum fuiſſe, ſiquidem eius cuſtodiâ & tutelâ minimè egebat.

S. Thom.

Chriſtus Angelo cuſtode caruit, & quare.

Aliqui verò putant ductum fuiſſe à ſpiritu malo, ex eo, quòd dicat Euangeliũ : *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & iterum in montē excelſum valdè.* Sed manifeſtè contra Scripturam ſacram, quæ cauſam propter quam Chriſtus ductus fuerit in deſertum à ſpiritu, non aliam reddit, niſi hanc, vt tentaretur à diabolo. igitur liquidò conſtat alium fuiſſe duD ctorem illum ſpiritum, quàm malum genium.

Matth. 4.

Chriſtus á quo ſpiritu ductus eſt in deſertũ.

Sed iam vera & Catholica pietas agnoſcit, illum à diuiniſſimo ſpiritu fuiſſe ductum, qui poſtquàm in ſpecie columbæ ſacro eius vertici inſederat, ſtatim illius motor eſſe voluit. Atteſtante id Euangeliſtâ Luc. 4. *Ieſus* inquit *plenus Spiritu ſancto, regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à ſpiritu in deſertum* Quod comprobat Marcus cap. 2. *Spiritus* inquit *expulit eum ſtatim in deſertum*, quaſi diceret ; ſtatim ex quo infans Ieſus è ſacratiſſimo prodijt vtero Virginis, cœleſtis ille

Lucæ 4. Marci 2.

ille ſpiritus, de quo conceptus erat, ſubitò illum in hoc laborum & ærumnarum mundi deſertum ducere voluit, vt nulla ætatis ſuæ interualla haberet, in quibus à perpetuis moleſtijs aliquantùm quieſcere poſſet. vt non immeritò Dauid Pſalm. 21. quem de Chriſti laboribus compoſuit, compararet Chriſtum ceruæ in aurora canibus venaticis perſecutæ, in illis verbis : *Pro ſuſceptione Matutina.* (Pſalm 21.) alia autem verſio habet : *Pro cerua auroræ* : ſicut enim cùm matutino tempore, quo cælum ſuper gramina rorem ſuum mittit, venatores paruulam ceruam canibus ſuis perſequuntur, non minus infeſta & ingrata illi eſt canum inſectatio ; quàm ſuper illam roris cadentis humectatio. quia hæc (vt naturaliſtæ tradunt) illam animo cadere facit, & fugam retardat : vnde duplex tunc in illam inſurgit perſecutio, vna è cælo ; altera à canibus. ſic planè Chriſti humanitati euenit, contra quam velut contra ceruam in aurora ſuæ infantiæ cælum & terra conſpirârunt : ſpiritus eum in deſertum ducere ſtatuit, ſatanas verò inuidiſſimus omnibus eum tentationibus aggreditur. Quod fatetur ipſemet inquiens Pſalm. 21. *Canes multi obſederunt me.* (Ibidem.) Spiritus igitur Chriſtum duxit in deſertum, non malignus, ſed ille ſpiritus, *quo aguntur filÿ Dei* : Romanorum 8. (Rom. 8.) Spiritus : *qui neſcit tarda molimina rebus in diuinis*, vt ait Ambroſius, (S. Ambr.) ſpiritus, qui habet impetum, quo currus diuinus propellitur : vt dicitur Ezechielis 1. (Ezech. 1.) *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, & ſpiritus vitæ erat in rotis.* id eſt ; ſpiritus ardoris & fortitudinis, quo plenus erat Ieſus, vt aduersùs hoſtem humani generis ſtrenuè pugnaret. eumque ad campum certaminis propelleret, & debellaret. Eodem & nos ſpiritu duci oportet in deſertum quadrageſimæ : vt in humilitate & mortificatione, ieiunia ſancta adimpleamus : non ſpiritu vanitatis, aut ambitionis : hoc enim reproborum eſt incitamentum, qui ſpiritu potiùs mundi, quàm Dei regi volunt. Quod pulchrè exponit (S. Gregor.) S. Gregorius homlia 5. in Ezechielem, *in Electis* inquit *& reprobis diuerſi ſunt impetus : in electis impetus ſpiritus : in reprobis impetus carnis.* Et quidem impetus carnis ad elationem, ad exteriorem gloriam, ad iram, ad odium, ad perfidiam, ad voluptatem animum impellit. Impetus autem ſpiritus, ad caritatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad ſpem, ad patientiam, ad cõſiderandam vitam immortalem, ad lachrymas mentem pertrahit.

Semper proindè magnâ curâ conſiderare debemus, quis nos ſpiritus ducit in omne opus, quod aggredimur. num impetus carnis : num verò ſpiritus Dei. Sed dicet aliquis, & quis diſcernere poterit, vndenam homini oboriatur cogitatio incitans eum ad aliquid agendum ? ſed facilis eſt probatio, ſi finem & obiectum reſpicias. nam ex his duobus veritatem ponderant Philoſophi : ſi res quæ tibi arripienda proponitur, aliquid turpitudinis aut vitij in ſe continet, impetum carnis eſſe ſcias. Deus enim cùm ſit omnimoda puritas, nihil impurum ſuadere poteſt : ſi finem cuius gratiâ aliquid expetere vis, bonum tantummodò temporaneum & apparens in ſe continere agnoſcis, impetum carnis eſſe ſcias : Deus enim cùm ſit immenſus, & æternus, æternarum præcipuè rerum cogitationem homini immittere ſolet. Chriſtus à Spiritu diuino duci voluit in deſertum, vt inſtrueret hominem, non debere tentationes quærere · nam qui amat periculum, peribit in eo, & qui tangit picem, inquinabitur ab ea : quinimò fugiamus illas neceſſe eſt, vt dicit Seneca Epiſtola 117. (Seneca.) *Quantum poſſumus, à lubrico recedamus, nam etiam in ſicco parum firmiter ſtamus* : quaſi diceret ; ſi cognoſcis ô homo, te imbecillum eſſe, & facilè etiam leuiſſimâ moueri tentatione, caue, ne des occaſionem, vnde tibi hæc tentatio oboriatur. Cotys Rex Traciæ, cùm naturâ eſſet procliuis ad iram, & ſuorum caſtigationem, deferente ad illum hoſpite quædam

dam vaſcula fragilia, atq; tenuia, ſed ſcitè & artificioſè conſtructa, hoſpiti quidem munera dedit, ſed vaſcula omnia confregit. Rogatus cur id faceret, reſpondit : *ne* inquit *ſæuiam in eos, qui fracturi erant.* Si Ethnicus iſte homo tentationis ad malum, cui ſe obnoxium agnouerat, cauſam & radicem amputauit ; quantò magis Catholicus homo omnem à ſe abijcere debet tentationem, quæ illum facilè in malum inclinare poteſt. Procliuis naturâ es ad concupiſcentiam, & cur ne quodrageſimæ quidem tempore à laruis & illicitis luſibus abſtines ? pronus es ad rixas, & alieni ſanguinis effuſionem : & cur ne ſanctis ieiunij diebus à compotationibus, quæ caput tuum in rabiem vertunt, abſtinere vis. Hoc te Chriſtus docere voluit, qui è conſortio & conuerſatione humana in deſertum ſeceſſit, vt ſcilicet toti mundo pœnitere exemplum daret, & orando, & ieiunando, & vigilando, & patiendo, & ſeſe affligendo. vt ſcilicet & tu Chriſtiane, ſi veram de tuis delictis pœnitentiam agere vis, ſecedas in deſertum cordis, mentem tuam ab omni mundana vanitate auertendo : nemo enim verè pœnitere poteſt, niſi qui ſtrepitu excluſo ſæculi, ipſi Deo vacare incipit. Ecce Chriſtus in deſerto ieiunat, carnemque affligit licet in eo nulla ſit concupiſcentia, carnalis, nullus inordinatus appetitus qui ieiunio, vt fræno egeat ? Ecce duram agit pœnitentiam, licet nullum ſit peccatum in eo expiandum : & vnde hæc ipſi auſteritas ? propter te miſer homo facit hæc omnia, vt ſalueris. Venit enim exemplum daturus, & oſtenſurus, quâ viâ, quo labore, quibus medijs regnũ cœleſte, & terminum ſalutis attingi poſſit. Modum igitur tibi exhibere voluit, quem in eo imiteris : & tempus opportunum aſſignat, quo gratiam gloriamq; conſequaris ; nam hæreditatem Chriſti non aliter conſequi poſſumus, niſi virtutes eius imitando ; ad Rom: 8. (Rom. 8.) *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Seceſſit Chriſtus in deſertum, vt illud ſuâ præſentiâ conſecraret, & inde ſatanam expelleret, quaſi è propria poſſeſſione : dicitur enim Tobiæ 8. *Apprehendit dæmonium & relegauit illud in deſerto Ægypti ſuperioris.* hoc eſt ; virtute ac imperio ſuo vincula ei ſpiritualia iniecit, non ſolùm ex vrbibus, ſed etiam è deſerto migrare eum compellens. idcircò ſatan die quodam apparens ſancto Antonio, faſſus eſt imbecillitatem ſuam, quòd ſcilicet ab eo tempore, quo Deus factus eſt Homo, omnes illi vires penitùs demptæ fuiſſent. Vnde etiam deſerta ad lætitiam commouet Propheta Iſaiæ 36. (Iſaiæ 35.) *Lætabitur* inquit *deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium : germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Deſertum es ô homo ! quia inte non eſt niſi ferarum habitatio ; corpus enim tuum paſſiones & concupiſcentiæ poſſederunt : mentem vitia & libido occupârunt : animam deniq; vitia & ſcelera impleuerunt. ſed lætare iam deſerta ſolitudo, quia ad illa tandem veniſti tempora, vbi ſacra ieiunia tuos inordinatos affectus, in temperatiſſimas conuertent virtutes. Vbi abſtinentia cibi & potus nimij, vitia in merita ; libidinem in continentiam conuertet. vbi mortificatio & pœnitentiæ amor, peccata in iuſtitiam, ſcelera in ſanctitatem commutabunt. Sed ſi mundi adhuc voluptatibus frui vis miſer peccator ; & pœnitentiam ad decurſum quadrageſimæ differs, caue, ne grauem Dei pœnam incurras, quam Propheta animæ negligenti emendationem minatur, Iſaiæ 14. (Iſaiæ 14.) *Ponam eum in poſſeſſionem hericÿ*, quaſi diceret ; eos qui ad me conuerti retardant, hericij pœnâ mutilabo. Sed quid eſt hoc ? quòd Deus inueteratos in malitia peccati, pœnâ hericij punire velit ? appoſitè puto ad difficultatis iſtius nodum alluſit Pierius Valerius, qui de hericio ſcribens ait ; veteres, vt procraſtinationis damna in meliori vita ſectanda exprimerent, hericium depinxiſſe in partu crepantem, his verbis ſubſcriptis : *Procraſtinationis damna.* A- (Herleius propter aculeos fætus, differt partum.)

nimal

nimal enim hoc aduenіente partus tempore, (quia filiorum ſuorum aculeis, cum è maternis viſceribus egrediuntur acriter pungitur, differt partum: creſcentibus verò fætibus, & prodire conantibus iam groſſioribus effectis, tandem aculeis matris viſcera acrius dilacerant. Idem planè euenit peccatoribus pænitentiam procraſtinantibus; dùm enim confeſſionem differunt, augentur peccatorum aculei, magiſque ac magis proprijs ſuccumbunt paſſionibus, & ad extremum diuinis inſpirationibus ſpretis, infeliciſſimo mortis genere, præ multitudine peccatorum crepantes, miſerè intereunt. (S. Auguſt.) de quo pulchrè S. Auguſtinus in ſpeculo miſeriæ humanæ loquitur. *Fortè* inquit *dices tibi, cùm ad ſenectutem venero, aut aliqua infirmitate detentus fuero, tunc pænitentiam petam. promiſit mihi Deus, quando me correxero: ſecurus ſum de promiſſione: ecce conſentio quòd peccatori pænitenti promiſerit Deus veniam; ſed tamen diem craſtinum non tibi Deus promiſit.*

Sed mirantur hic plurimi, quoniam cùm omnis tentatio prouenit ex fomite peccati originalis, cur ſe Chriſtus tentari permiſerit in deſerto à diabolo, qui nullum peccatum habuit? ſed quadruplicem iſtius rei cauſam reperiunt Doctores. Primò inquiunt, Chriſtum id feciſſe propter noſtram inſtructionem, vt ſciremus etiam nobis imminere tentationes, à quibus nullus vnquàm quantumuis ſanctus, & in virtutibus bene radicatus, extitit immunis, imò quò quiſq; melior & commendatior eſt, apud Deum, tantò illum magis iracundia diaboli tentationibus ad ruinam vrget; quæ nec iuſtum Iob in ſumma calamitate premere deſeruit, donec illum à Deo ſummè commendari inaudiret. Tentationibus certè homo (Eccles. 2.) in hunc mundum velut in deſertum exponitur, Eccleſiaſt: 2. *Fili accedens ad ſeruitutem, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* qui enim non eſt tentatus, nec ſeipſum, nec Deum plenè cognouit Neſcit ſeipſum, quia nimiùm proprijs viribus confidens, obueniente vehementi tentatione, cum ſe facilè omnia ſuſtenturum arbitratur, citò cadere poteſt. Neſcit Deum: quia eius auxilio minus ſibi indigere videtur; neſcit alios; quia aliorum infirmitatibus, quas ipſe non eſt expertus, compati & indulgere non nouit. cuius (Caſſian.) rei celebre allegat exemplum Caſſianus, collatione 2. cap. 13. Iuuenis quidam Monachus fornicationis ſpiritu vehementer tentatus, cùm id prouectæ ætatis monacho conſilij gratiâ expoſuiſſet, vehementiſſimè ab illo ſene obiurgatus, & monachi nomine indignus iudicatus eſt, quòd tales cogitationes in animum admiſerit, quâ ille obiurgatione penitùs in deſperationem actus, & in ſæculum redire meditatus, in alium Deo diſponente prudentiorem incidit ſenem, qui vt iuuenem ſolaretur, ſe huiuſmodi quoq; ſtimulis agitari aſſeuerauit, ſuaſitq; vt ad vnum adhuc aut alterum diem expectaret. Quod vt obtinuit, mox feruentiſſimè Deum orare cæpit, vt illum alterum, imprudentem ſenem, ſimili modo affligi atq; tentari permitteret. Quod permittente Deo inhumanus ille ſenex, impuritatis ſpiritu agitatus, & per eremum diſcurrens, ſuum quoq; morbum prudenti illi ſeni aperuit: cui ille conquerenti; reſpondit: reuertere inquit ad cellam, tandemque intellige, vel ignoratum te hactenus à diabolo, vel deſpectum: nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidiè inſidiari cupit: atq; hoc te ſtimulo, quem nec ad vnum diem ferre potuiſti, ideò ſauciatum agnoſce, vt ſaltem in ſenecta diſcas compati infirmitatibus alienis. Et certè proficua eſt homini (S. Auguſt.) tentatio, ſiquidem vt dicit S. Auguſtinus contra Fauſtum: *Nullus eſt tantâ iuſtitiâ præditus, cui non ſit tentatio neceſſaria, vel proficiendi gratiâ, vel probandi.* Nam, *vt aurum fornax, ſic iuſtos tentatio probat.* (Sapien. 3.) Sapient. 3. vtilis eſt tentatio, vt virtutem faciliùs homo exerceat, quæ non niſi cum oppoſito ſibi decertat vitio, atque hoc facto ſtabiliri & augeri ſolet. Tum quo-

quoque prodeſt tentatio homini, vt per illam imperfectionem ſuam, fragilitatemq; agnoſcens homo, omnē vitet ſuperbiam, & ſe Deo acceptum (Tobiæ 12.) reddat; vt dicitur Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, ideo neceſſe erat, vt tentatio probaret te.*

Secundò, permiſit Chriſtus ſeipſum tentari à diabolo, propter eorum qui tentantur conſolationem: ne ſcilicet; ille qui graues patitur tentationes, in Chriſti miſericordia vacillet, ſed tantò magis ſe Dei filiatione dignum eſſe, ſuamq; pœnitentiam & ieiunia illi accepta fieri, cùm ad certamen tentationum à diabolo impetitur. Deus enim cùm ſit ſummè miſericors, nunquàm permittit hominem (1. Cor. 11.) magis tentari, quàm ope ipſius adiutus ferre poſſit. 1. Corinth. 11. *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum.* Tripliciter autem potiſſimùm diabolus homines tentare ſolet; ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu. vbi nos potiſſimùm in delectatione & conſenſu labimur: quia ex carne peccati propagati, etiam in nobis metipſis gerimus, vnde certamina toleramus, ſolus Chriſtus, quia ex puritate Virginis purus natus erat, nihil contradictionis in ſeipſo tolerare potuit, ideoq; ſola ſuggeſtione, illaq; non interna, quæ a carne eſt, (nam caſtiſſima eius caro concupiſcentiæ ſtimulos neſciebat) ſed per externam, id eſt, ſola propoſitione obiecti. Sed & hic omnis diabolica aſtutia irritum ſuum omnem agnouit conatum: quia mediator noſter ſic dignatus eſt exteriùs recipere tentationes, vt tamen mens ei' interiùs diuinitati inhærens inconcuſſa permaneret.

Scribit Auſonius Pöeta de adultera quadam muliere, quòd hæc maritum proprium enecare volens, propinauerit ei venenum, quod vt efficacius eſſet, argentum ei viuum adiunxit. Sed euentus intentioni fæminæ minimè reſpondit: nam venena illa inter ſe fortiter pugnantia, ita ſe mutuò eneruarunt, vt quæ diuiſa mortem viro attuliſſent, mixta innoxia fuerunt, virumq; conſeruauerunt incolumem. Simili ſtratagemate aduerſus Chriſtum vſus dæmon erat, venenum illi propinauit, adulter iſte & fædiſſimus genius, vt ieiunium ſolueret, & famem ſaturaret. *Dic* inquit *vt lapidrs iſti fiant panes*; ſed quia (Matth. 4.) contrarium huic veneno admiſcuit aliud, inquiens: *ſi filius Dei es.* ideoq; tertium ex illis pullulauit mixtum, ſcilicet victoria, quàm ex diabolo reportauit; ac proinde malè hæc duo contraria, panem è lapidibus faciendum, & Dei Filium coniunxit. ſi enim Chriſtus filius Dei eſt, vt quid conuerſione lapidum in panes, tentare illum audes o ſatana? ſiquidem nihil ille faciet, aut creabit, ſine voluntate & iuſſu Patris æterni: nihil ſine conſortio Spiritus ſancti: quia operationes ad extra toti Sanctiſſimæ Trinitati ſunt communes. ſi filius DEI eſt, cur panem è duriſſimo educendum ſaxo illi proponis? qui non ſolo pane, ſed tot alijs præſtantioribus cibis, & potiſſimùm ipſo Dei verbo abundè viuere poteſt. Si filius Dei eſt, vt quid ſaturitatem longa fame debilitato opponis? cùm tantarum ſit virium, vt arctiſſimum etiam ieiunium ſuperare, & omnem ferre abſtinentiam valeat. Si deniq; Dei filius eſt, vt quid omnia comprehendenti infinita ſuâ ſapientiâ, aliquid ſuadere non erubeſcis? cùm ipſum vt pote tuum creatorem, tui viliſſimæ creaturæ hortatu aliquid facere, aut tibi tanquàm abiectiſſimo mancipio, in re aliqua parere indignum, nedum poſſibile eſſe ſcias. Hac tentatione & aduerſùs bonos Chriſtianos vtitur, inquiens; ſi bonus politicus es, figmentum arbitreris ieiunium ab Eccleſia inſtitutum. Sed ecce duo contraria venena? & vnum alterum perimere debet. immò enim ſi Chriſtianus es, Chriſto præeunte tentanti diabolo reſiſtere debes; ſi Chriſtianus verus es, Chriſtum in ieiunando imitari debes; ſi Chriſtianus es, gulam nequaquam admittere debes: quia ex illa tria grauiſſima progenerantur mala. primò, abominabilis fornicatio Ezechi-

Ezech. 16. Ezechielis 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis, abundantia, & oleum.* Secundò, tumultuoſa altercatio : Prou. 28. Prouerbiorum 28. *Cui rixæ, cui ſine cauſa vulnera, nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* tertiò, ſecretorum reuelatio Ibidē 30. Prouerbior. 30 *Nullum ſecretum, vbi regnat ebrietas.* Et quemadmodùm in bello, non ſtatim fractâ haſtâ, ex acie cedit miles, ſed gladio alioue inſtrumento vtitur contra hoſtem ; ita prorsùs diabolus, non illicò deſtitit, vbi in primo tentationis conflictu ſuccubuit ; ſed nouo inſtaurat pugnam clypeo, aggrediens ſcilicet Chriſtum per auaritiam. *Hæc omnia* inquit *dabo tibi ſi cadens adoraueris me.* Sed & hic contraria miſces venena ò ſatan ! ſi enim hoc ſtratagemate Chriſti diuinitatem probare vis, quomodò illi apparentes tantùm & fallaces polliceri audes diuitias ? cuius omnia ſunt ; & cui inexhauſtus opum theſaurus in cælo aſſeruatur. Si Filium Dei experiri ſatagis ; & quomodò adorationem ab illo exigis ? in cuius nomine flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, ecce quia contraria adhibes venena, innoxium ex illis reſultat mixtum. *Vade ſatana, ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies,* in his verbis modum vincendi diabolicas tentationes vobis præſcribere voluit Chriſtus. Non poteſt animæ hoſtis vos gulâ vincere, quia iam cibis & potibus, parciùs vti ſtatuiſtis, ſed ne vos auaritiâ ſeducat, diligenter proſpicite. conabitur ille vos ad alligandas opes hoc ſacro ieiunij tempore inclinare, dummodò ab oratione & curis ſpiritualibus vos retrahat, ſed memineritis, quia nimia temporalium ſolicitudo, hominem ab vltima Ephes. 5. hæreditate alienat. Epheſior. 5. *Hoc ſcitote quia auarus, quod eſt idolorum ſeruitus non habet hæreditatem in regno Chriſti.* Proponet tibi ſatan vſuras ; ſed certus ſis, quòd ſi hiſce illicitis cupiditatum abripiaris deſiderijs, animam quâ nihil carius habes, vendes. Eccleſ: 10. Eccleſ: 10. *nihil eſt iniquius, quàm pecuni-* A *am amare : talis enim animam venalem habet.* Suadebit tibi contra omne ius & æquum rapinas, & iuſtitiæ tranſgreſſionem : ſed vide, ne ſi malè ſuadenti conſentias, totus diaboli efficiaris : quia hoc illi promiſit dominus Geneſ: 3. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Geneſ. 3. Serpenti hoc dictum eſt, ſed qui perſonam diaboli gerebat. Et quæ eſt alia iſta terra : niſi miſer homo terrenis rebus totus deditus : hunc diabolus comedet, ſi eum auaritiæ laqueis irretitum habuerit.

B Aggreſſus eſt adhuc dæmon tertiò Chriſtum, per ſuperbiam, inquiens : Matth. 4. *Si Filius Dei es, mitte te deorsùm.* Sed & hic contrarijs venenis nihil efficit : quia cùm filius Dei ſit, locus illi ſursùm, ſcilicet ; cælum, non terra debetur : Et quo faciliùs modo eludit hominem ſatan ? niſi impio faſtu quoties enim nobis diuitias ſectandas proponit, faſtu nos excæcat, vt nos mittamus deorſum : hoc eſt ; vt deſeramus Deum, & auertamur ab illo. Sed meminiſſe debes miſer homo : C quod dicit ſapiens Eccleſiaſtici. 10. Eccleſ: 10. *Odibilis eſt, coram Deo & hominibus ſuperbia.* Mittis te deorſum, quoties illicitum aliquod opus aggrederis : ſed virtutes ſtatim ſi quas habuiſti, diſpergis ; cùm iam humilitate careas. vt dicit Gregorius : *Qui cæteras virtutes non ſub humilitate congregat, quaſi qui puluerem in vento portat* S. Gregor.

Habemus igitur hodiè diuiniſſimum ſpiritum, qui Chriſtum ad ſubeundas tentationes eduxit in deſertum. Vidimus Chriſtum ſeipſum permiſiſſe D tentari, vt nobis exemplo eſſet, quomodò ſemper parati eſſe debeamus, ad ſufferendas omnes mundi, & dæmonum tentationes, quas Deus paſſim permittit, tum vt nos probet ; tum quoq; vt magis in ſanctitate confirmet. Audiuimus inſuper Chriſtum ſola ſuggeſtione tentatum fuiſſe ; primò per gulam, ad frangendum eius ieiunium : ſecundò per ſuperbiam, ad agnoſcendam veram Chriſti humanitatis cum eius diuinitate vnionem. tertiò per auaritiam. Ne igitur & nos hoc triplici conflictu, his præcipuè ſacris

ſacris ieiunij diebus victi cadamus, Spiritum ſanctum imploremus, vt ille nos in hoc mundi deſerto dirigens, ab omni delectatione & conſenſu illicito conſeruet, ipſumq; Chriſtum ſequi velimus, in humilitate, & conſtantia, vt ille ſua gratia & omnipotentia, nos omnes tentationes cum profectu virtutum eludere faciat.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Tunc reliquit eum diabolus.

Matthæi 4.

Chriſtus nos ſuo exemplo ad reſolutum certamen cum diabolo allicit, & ieiunio armari vult.

MAlè ceſſit diabolo certamen cum Chriſto initum : quia ille ignauos tantùm debellat, fortes & animoſos pertimeſcit : vt & nos ſacro hoc quadrageſimali tempore, reſolutè cum illo pugnare non vereamur. Si enim nos ad pugnandum fortes, ad reſiſtendum paratos ſpectauerit, protinùs aufugiet ; quod ſi imbelles & timidos, victoria in manu eius futura. Sumite certum iſtius veritatis argumentum, ex duplici Scripturæ ſacræ loco, & diſſidentia verba de diabolo in nos bellum mouente componite. 1. Petri 5. Inprimis S. Petrus epiſt. 1. cap. 5. dicit : *Vigilate quia aduerſarius veſter diabolus, tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Sanctus ve- Iacobi 4. rò Iacobus cap. 4. ait *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Quomodò duo hæc loca diſſonantia concordari poſſunt ? cùm in vno Petrus diabolum leonem rugientem, & in altero Iacobus eundem fugacem belluam appellet ? Id non operosè conijcio ex natura crocodili, quem ſic depingit Seneca. Seneca lib. 4. quæſt: naturali : *Fugax animal, audaciſſimum timido.* En diaboli naturam, & artes ab Apoſtolis deſciptas : eſt quidem leo rugiens, vt inquit S. Petrus, dùm ipſe primo bellum mouet, & imbellem aduerſarium A laceſſit, ad morem crocodili audaciſſimi timido. Et ideò ſubdidit Apoſtolus : *quærens, quem deuoret,* hoc eſt, dum ipſe quærit, & aggreditur ; eſt tamen ſimul fugax animal, ſi viriliter, vt Iacobus monet, ei reſiſtas. Sic duo hæc loca componit S. Bernardus ſermone 13. in Pſalm. *Qui habitat.* Vbi S. Bernar. poſt allata Petri verba, hæc ſubdit : *Rugire ille poteſt, ferire non poteſt. Rugiat quantum vult, tantùm non fugiat ouis Chriſti. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat. Non ſimus* B *beſtiæ, vt nos proſternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curioſiùs veſtigauerunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem, quæ aduersùs ictum eius, tota animoſitate repugnat : & plerumq; ſuperat ferientē, quæ nō ſuſtinet rugientem.* Hinc ſtatim ita concludit : *verè beſtia, verè rationis expers, qui tàm puſillanimis eſt, vt ſolo timore cedat, qui ſola futuri exaggeratione, laboris victus, ante conflictum non telo, ſed tubâ proſternitur. Nondùm reſtitiſtis vſq; ad ſanguinem, ait ſtrenuus* C *ille dux, qui leonis huius nouerat vanum eſſe rugitum. Reſiſtite ergo diabolo, & fugiet à vobis.* Atq; eam ob cauſam, dæmonem apud Iob cap. 4. formicaleonem ſeu myrmicoleonem appellari comperimus, vocabulo ex formicæ & leonis nominibus compacto : vbi enim in latina verſione habetur : *tigris perijt ; eò quod non haberet prædam.* LXX. & Græci Patres legunt : *myrmicoleo perijt, eò quòd non haberet eſcam.* Quia nimirum diabolus formicis, hoc eſt hominibus ignauis, & de- D ſidibus leo ; fortibus verò & ſtrenuis, formica eſt. Sic cenſet D. Greg. lib. 5. Moral. cap. 17. *Formicis enim* inquit *leo eſt, volatilibus formica, quia nimirum antiquus hoſtis, ſicut contra conſentientes fortis eſt ; ita contra reſiſtentes debilis : ſi enim eius ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur ; quaſi leo tolerari nequaquàm poteſt ; ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur. Alijs ergo leo eſt, alijs formica : quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, ſpituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Et quanta impotentia eſt diaboli, vt ſi quis

Diabolus formica leo, ſeu myrmicoleo dictus.

S. Gregor.

ſi quis potenter cum illo fuerit congreſſus, tanquàm leuiſſimam formicam, pede virtutis eum conterat. Sic audax iſte, & temerarius hoſtis, militem, cum quo congrederetur neſciens, ad tentandum Dominum primùm acceſſit; & panes, vt ieiunantem à propoſito dimoueret, obtulit:

Marci vltimo.

Dic ait, *vt lapides iſti fiant panes.* ſub indeq; à Chriſti lenitate, & manſuetudine, importunè vires ſumens, eum in pinnaculum templi aſportauit, & ab eo, tanquàm ſupremus rerum dominus adorari expetijt: *Si cadens adoraueris me, hæc omnia dabo tibi.* Sed vbi Chriſtus acri illo dicterio eum à ſe excuſſit: *vade ſathana.* ſtatim receſſit diabolus, id eſt, probro affectus aufugit. vnde S. Ambroſius lib. 4.

S. Ambr.

in Lucam dicit: *Vides ergo diabolum ipſum, non eſſe in ſtudio pertinacem, cedere verè ſolere uirtuti; & ſi inuidere non deſinat, tamen inſtare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari.* Inueſtigabimus igitur cauſas, cur diabolus Chriſtum tentans, ex acie victus ceſſit.

Duas potiſſimùm cauſas reperio, quare diabolus ex tentatione Chriſti victus, & confuſus abierit: *Tunc reliquit eum diabolus.* primam, vt Chriſtus hoc ſuo generoſo conflictu nos ad ſtrenuè cum diabolo pugnandum alliceret, oſtenderetq; eius impotentiam, quòd ei à quouis fideli ſeruo Dei facilè illudi poſſit. Cùm eo fine creatus proclametur à Dauide, Pſalmo 103.

Pſal. 103.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Vbi loquitur de diabolo ſub nomine draconis marini, ſeu balenæ, quæ inſecuta paruos piſciculos fugientes ad littus, in littore adhæreſcit, vbi impunè ab illis interficitur, in quo planè videtur à DEO illuſa quodammodò, cùm tàm vaſtam belluam, à tantulis piſciculis occidi patiatur.

Balena maris à paruis piſciculis occiditur.

Ita planè & diabolus à Deo illuditur, dùm infirmis hominibus, imò & teneris puerulis traditur occidendus. Vnde Petrus Chryſologus

Chryſol.

ſerm: 17. dicit: *Age Chriſtiane, incede ſecurus, manus tanta, & tàm multa, hoc eſt dæmodum legiones, quæ ſic metuit inermem, procul fugiet, ſi videat, ſi ſentiat, ſi cognoſcat armatum.* Diceret forſan quiſpiam, quis aduerſus tantum draconem præualebit, vt illum ludibrio habeat, cùm id ſolis Angelis tribuat Iob. cap. 40. loquens de Behemoth

Iob. 40.

dracone magno: *Ipſe* ait *eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius.* Quæ verba LXX. ita

LXX.

legunt: *Hoc principium formationis Domini factum, vt illuderetur ab Angelis eius* Ergo non quilibet, ſed ſolus Angelus Dei, poteſt illudere magno draconi. Fateor rem ita ſe habere, quòd poteſtas illudendi diabolo data ſit Angelis; non tamen cœleſtibus ſolùm, ſed etiàm terrenis, qui mandatis Dei obtemperant: nam beatæ illæ Angelicæ mentes, vt illudant infernali draconi, non habent hoc ex natura Angelica, cum eadem ſit in damnatis; ſed ex ratione virtutum ſibi cum hominibus communium. Et ſi ſcire cupis, quænam ſit iſta virtus, ob quam tàm Angeli Dei, quàm homines, draconi magno illudant, illumq; deſpectui habeant? Ea quidem eſt obedientia, quâ verè Dei nutui in omnibus obediunt, vt promptiſſimi famuli, & ſerui eius.

Obedientia ad vincendũ diabolum efficaciſima.

Hæc eſt mens D. Auguſtini in Pſalm. 103.

S. Auguſt.

Vis ait *illudere draconi, ? eſto Angelus Dei. Sunt Angeli qui illudunt draconi: præpoſiti enim ſunt Angeli cœlorum ſuper poteſtates àëreas. Intuentur legem diuinam, legem æternam, iubentem ſine ſcriptura, ſine ſyllabis, ſine ſtrepitu, intuentur Angeli corde mundo, & ex illa faciunt, quidquid hic ſit.* Proinde Angeli intuentes legem Dei, iuſſa diuina ex illa operantur, eiuſque nutum exequuntur in mundo. Fiat ergo homo Angelus, ſub lege viuens, mandata Domini obſeruans, vt fideliſſimus famulus, & officioſiſſimus ſeruus, & draconem magnum ex terribili illudendum reddet. Accedant hic homines, qui velint ſuperbiſſimum hoſtem habere deſpectui, & fiant Angeli in obedientiæ ſequela, in ſeruitutis profeſſione, non fallar, quia ferociſſimum hoſtem vilipendent. Iuxta illud Iob 40. de Leuithan ſerpente loquentis: *Nunquid*

quid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis ſuis? Oſtendens, de poteſtate Domini venire, quòd ancillæ eius, ferocientem belluam & ligent, & illudendum reddant, hoc eſt, quia homines diuino nutui obedientes, quorum oculi ſemper in manibus Domini fuerint, ſicut oculi ancillæ, id ſpeciale habituros, vt tantam belluam infernalem contemptibilem, & illudendam reddant.

Inde eſt, quòd licet vnus dæmonum Princeps, auſus fuerit Chriſtum Dominum tentare; reliqui tamen omnes ſatellites, victi præ pudore receſſerint, vt aduertit S. Chryſoſth: ad

Pſalm. 2.

illa verba: *Principes conuenerunt in vnum* Pſal. 2. vbi ſic habet:

S. Chryſ.

Archidæmon omnia regna mundi in puncto temporis coëgit, & cum omnibus viſus eſt, vt cum omnibus euaneſceret: & de omnibus contendebat, vt cum omnibus caderet, & vinceretur. Exarmatus itaque eſt à Chriſto Domino in hodierno certamine, & effugatus dæmon: imò contemptus, atque ignominioſiſſimè confuſus: quia non ſolùm infortunium paſſus; ſed etiam ludibrium. Inſultabat olim Sennacherib, ſeu potius, ſub eius nomine diabolus, omnibus populis, contra quos arma ſumebat, dicens:

Iſaiæ 10.

Inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret. Iſaiæ 10. Quaſi in hunc modum ſuperbè loqueretur: totus mundus meis viribus comparatus, nidus eſt ex luto fictus: armati milites, ſi mihi aduerſentur, pulli implumes videbuntur, me pugnante ac tonante: nemo erit, qui reſiſtat, & obloquatur. Quid hac diaboli ſuperbia arrogantius? ſed videte, quàm facilè à Deo confundatur: *Propter hoc,* addit Propheta, *Mittet dominator dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis*

LXX.

LXX. verò legunt: *Mittet Dominus Sabbaoth in honorem tuum ignominiam, & in gloriã tuam ignem ardentem accendet.* hoc eſt, quòd ſuperbus ille rex, qui paulò ante omnes contemnebat, breuî poſt ab omnibus contemnendus foret. Nam qui gloriam ab exteris gentibus petebat, nihil præter ſolam ignominiam in patrium ſolum reportauit. 2. Paralip. 32. *Reuerſus eſt cum ignominia in terram ſuam.*

2. Paral. 32

Quod ignominiæ genus ita explicat D. Hieron: in quæſtionibus Hebraicis: *Tradunt* inquit *Hebræi, illi caput & barbam raſam ab Angelo, in ignominiam. Et hoc fuiſſe, quòd per Prophetam Iſaiam dictum eſt: In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in Rege Aſſyriorum caput, & barbam vniuerſam:* Iſaiæ 7.

S. Hieron.

Sennacherib itaq; maximam ignominiam perpeſſus eſt, vt diabolum adumbraret, maximis opprobrijs à Chriſto Domino illuſum.

Iſaiæ 7.

Quam etiam ob cauſam dicitur Pharao à Deo percuſſus, & abraſus. Abacuc 3. *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſq; ad collum.*

Abacuc 3.

Hoc eſt, caput, & barbam, vbi eſt fundamentum virilis dignitatis, vſquè ad collum abraſiſti. Cum enim olim barbæ, & capitis raſura deſpicatiſſima haberetur, vt patet non ſolùm ex profanis literis, in quibus turpitudine notatur: *Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput* Sed etiam ex diuinis, iuxta illud Iſaiæ 3.

Barbæ & capitis raſura olim deſpicatiſſima.

Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.

Iſaiæ 3.

cùm inquam hæc raſura pro maximo contemptu duceretur, meritò per illam extrema Pharaonis ignominia ſignificatur, Pharao autem ſic illuſus, quid aliud, quàm diabolum à Chriſto Domino maximo ludibrio habitum repræſentat.

Debellatus igitur eſt hodiè diabolus à Chriſto Domino, vt Chriſtiani de illo pariter victores euadant, & iacentem coram ſe conculcent. Nam eo fine ſe tentari permiſit, teſte Petro Chryſologo ſerm: 11. *Chriſtus* inquit *diabolo ſe quærenti patienter indulſit, vt à Chriſto victus, cederet Chriſtianis.*

Chryſol.

Idem cenſet S. Hieronym epiſtola 8. ad Demetriadem de ſeruanda virginitate:

S. Hieron.

Saluator inquit *generis humani aſſumitur à ſpiritu, vt pugnet contra diabolum: & oppreſſum atq; contritum tradat diſcipulis conculcandum.* vnde ſanctus Paulus Rom. 16. infert: *Deus autem*

Rom. 16.

autem pacis conteret ſathanam, ſub pedibus veſtris velociter. Hinc ſolutionem habet illa quæſtio Ieremiæ. 50.

Ierem. 50.

Quomodò confractus & contritus eſt malleus vniuerſæ terræ. Hic enim malleus, omnia conterens, diabolus eſt, vt exponit D. Bernardus ſerm: de tranſitu Malachiæ : *Diabolus* inquit, *tanquàm malleus cœleſtis opificis factus eſt, malleus vniuerſæ terræ : terit electos ad eorum vtilitatem ? reprobos conterit in eorum damnationem.* Hunc igitur malleum omnia conterentem, prædixit Propheta ab omnibus conterendum, primùm quidem a Chriſto, deinde etiam à Chriſtianis : vt docet Origenes hom: 3. in Ierem. *Chriſtus* inquit *confregit malleum in deſerto, contriuit in paſſione, ſimiliterq́; confringitur à nobis, cùm venimus ad Eccleſiam per fidem; conteritur autem cùm per opera proficimus.* Quippè per Chriſtum ita omni ſua fortitudine exutus eſt diabolus, vt qui antea omnibus populis bellum intentabat, nunc ſolus etiam vnum hominem Chriſtianum aggredi non audeat, niſi aduocata ſatellitum legione, vt refert S. Marcus cap. 5. inducens temporibus Chriſti vnum hominem, plus quàm à ſex millibus dæmonum obſeſſum fuiſſe. *Et interrogabat* inquit *eum Ieſus, quod tibi nomen eſt ? & dicit ei : legio mihi nomen eſt. quia multi ſumus.* Si ergo cùm Chriſtus nondum paſſus eſſet, tanta erat infirmitas dæmonis, vt non niſi agmine facto vnum hominem ſuperare poſſet, quid nunc, dùm Chriſti crux, tanquàm inexpugnabile ſcutùm contra illum poſitum eſt. Doctè concludit Petrus Chryſologus ſerm: 17. *Qui* ait *vt vnum, & necdum tyronem caperent, tot cohortis ſuæ agmine conuenerunt ? vbi eſſent, ſi vexillum iam crucis, ſi ſigna Chriſti vidiſſent.*

S. Bernar.

Origenes.

Chryſol.

Altera cauſa eſt, cur dæmon tentando Chriſtum, victus & confuſus abierit ? quia ſe Chriſtus arcto ieiunio ad hoc certamen præparauerat: ſic enim habetur Matthæi 4. *Tunc IESVS ductus eſt in deſertum, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Et quidem magno conſilio Dominus ieiunauit, vt aduersùs dæmonis inſultus carnem ſuam communiret. Sic cenſet D. Baſilius homil. 1. de ieiunio loquens : *Sed eorum omnium, quorum mentionem habuimus, caput Dominus noſter, carnem quàm pro nobis aſſumpſit, ieiunio communiuit, eaq́; ratione diaboli impetus ſuſtinuit, ac depulit.* Admirationem credo non nemini verba hæc S. Baſilij pariunt, qua ratione à ieiunio Chriſti caro communiri dicatur, cùm iam pridem à primo conceptionis inſtanti, per vnionem ad verbum omninò communita, & ab omnibus aduerſarij telis impenetrabilis reddita fuerit ? Profectò non ignorabat hoc ſanctus Baſilius, ſed nos ſua ſententia ex Chriſti mente admonere voluit, vt nunquàm nobis ita ſecuri eſſe velimus, quin æternæ ſalutis negotio toto ſtudio incumbamus. Hac proinde de cauſa Dominus & Saluator noſter, ad noſtri inſtitutionem, etſi carnem deificatam, nulliq́; vel leuiſſimo inimici ictui obnoxiam ex ſe haberet, voluit inſuper ieiunij robore eam communire, vt de cura ac ſolicitudine, quâ animæ noſtræ aduersùs dæmonis tela prouidere debemus, nos commoneret. Palam faciens, ieiunium ſemper ad triumphos, ſaturitatem verò ad perditionem homines diſponere. Sic dùm in palatio Regis Saul, in die ſolemnitatis, in Regis conuiuio Palatini omnes epulis ſarcirentur, vnus Dauidis locus apparuit in conuiuio vacuus : quia vnus è tot illis, ad triumphos ſeruabatur : & ideò DEVS triumphatorem ſuum conuiuij feſtiui fugâ voluit initiari. Vtinam hoc ſibi Catholici perſuadeant, quòd nimirum conuiuia ad macellum ferant; abſtinentia verò, & ieiunium triumphos parent. Sic cantatiſſimus Attila Gothorum Rex, poſt innumeras victorias conuiuio periit, vt author eſt Iordanis Epiſcopus lib. de rebus Gothicis. At verò Samſon abſtinentiæ deditus, victoriam de inimicis in mandibula aſini reportauit. Iudic: 15. *Inuentam maxillam, id eſt, mandibulam*

Matth. 4.

S.Baſilius

Ieiuniũ homini triũphos, cõuiuiũ mortem affert.

Iudic. 15.

aſini, quæ iacebat arripiens, interfecit in ea mille viros. Inermis tunc erat nobilis adoleſcens, quando in ſe vidit hoſtium agmina irruere : ſed terram proſpiciens, vidit iacentem aſini maxillam, & arripiens eam, occidit illa mille viros. Et quid mandibula ſicca atq́; arens, ad tantam ſtragem hoſtium, atq́; victoriam habuit ? Hoc certè : quia monſtrabantur in illa mandibula, arentia hominum ora, quæ dùm vacua cibis ſunt, maximè valent ad comparandas victorias Quid enim non inueniant homines in arente maxilla ? Samſoni periclitanti inter hoſtes, arens mandibula dedit victoriam clariſſimam, eidem & ſiti penè enecato, eadem mandibula fontem præbuit, quo recrearetur, & biberet. Sic in nobis dummodò animalis appetitus areſcat ieiunijs, dummodò ora ſiccentur abſtinentiâ, & triumphi venient, & alimenta vitæ nunquàm deerunt.

Samſon ieiunio inuictus euaſit.

At verò, qui hiſce armis carent, nequeunt de hoſtibus triumphare, imò facilè illis in prædam cedunt. Quis ignorat ruinam domus Heli ? cuius vno ſimul tempore, duo filij Ophni, & Phinees gladio hoſtili interfecti ſunt, ipſe Heli de ſellâ lapſus, fractis cruribus mortuus, & inſuper nurus eius, vxor Phinees, audito hoc infelici rumore ſubitanea morte extincta. Vt habetur 1. Reg. 4. Vnde obſecro tanta clades domui Heli euenit ? equidem ex continuis epulis, & nimia ſaturitate. Ita refert Scriptura ſacra 1. Regum 2. *Quicunq́; immolaſſet victimam, veniebat puer ſacerdotis, dùm coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebethem, ſeu caldariam, aut in ollam, ſiue in cacabum ; & omne quod leuabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi.* Quia ergo tota cura filiorum Heli in eo erat, vt carnes acciperent, quibus abundantiſſimè veſcerentur, idcirco perierunt in prælio : ait Tertull. lib. aduersùs Phyſicos : *Filij* inquit *Heli in acie ruunt, nurus expirat in partu : hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens, ſacrificiorum carnalium defraudatrix.* Proinde quia tota domus Heli, ſacrificiorum carnibus inhiabat, vt epulas ſibi copioſas pararet, ideò non potuit diu ſtare, ſed funditùs euerſa eſt. Hinc dicebat S. Paulus 1. Corinth. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Alludens ad athletas, qui delicatis cibis abſtinebant, & certo parcoq́; cibo ritè vtebantur, indeq́; concludit : *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum : ſic pugno non quaſi aërem verberans : ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Vbi dicit ſe non aërem verberare, hoc eſt, non fruſtra, & inaniter laborare ; ſed hoſtem verberare ; ſcilicet corpus, & carnem ſuam ſubigere, quâ ſubactâ facilè dæmon ſubigitur. Quomodò autem ieiunium carnem debilitans, dæmonem pariter debilitet, exarmet, ac ſubigat, reſpondet S. Gregor. lib. 30. Moral. c. 26. illis verbis : *Muros Ieruſalem coquorum Princeps deſtruit, quia virtutes animæ, dùm non reſtringitur venter, perdit ;* Hoc eſt, dùm carnem reſtringimus, ipſis abſtinentiæ noſtræ ictibus, immundos ſpiritus verberamus, & cum hoc, quod eſt intra nos ſubijcimus, extra poſitis aduerſarijs pugnos damus. Nimirùm macilenta ieiunia, dùm per inediam carnem extenuant, non tâm carnem, quàm immundos ſpiritus peracerbis ictibus verberant, illiſq́, adimunt nocendi vim, & vires illorum exarmant.

Repentina clades in domo Heli ex continuis epulis.

1. Reg. 2.

Tertull.

1. Cor. 9.

S. Greg.

O bona abſtinentia, quæ immundos ſpiritus in carne abditos, & corpori (vt ita loquar) concarnatos, duriter feris, debilitas, frangis. Immundi ſpiritus, vt potè incorporei, ab hominibus tangi, ſentiri, patique non poſſunt, & ab humanis ictibus, Angelico priuilegio immunes ſunt : nihilominùs ea eſt abſtinentiæ, ac ieiunij vis, ita arcanè potens, vt ipſis abſtinentiæ noſtræ ictibus, immundos ſpiritus verberemus. Hic mihi in mentem venit admiranda D. Hieronymi ſententia, qui epiſt: 14. ad Celantiam, ieiunium vocat, *virtutum cupiditatem*, ita ſcribens. *Qui probabiliter ac ſcienter abſtinentiæ, virtutem tenent,*

S.Hieron.

A *tenent, eo affligunt carnem ſuam, quo animæ frangant ſuperbiam, vt quaſi de quodam faſtigio contemptus ſui, atq; arrogantiæ, deſcendant ad implendam Domini voluntatem.* Idcirco à varijs ciborum deſiderijs mentem retrahunt, vt totam eius vim occupent in cupiditate virtutum. Cùm tamen apud S. Paulum cupiditas malè ſonet, tanquàm mater omnium vitiorum : ſic enim illam deſcribit 1. ad Timoth. 6.

1. ad Timoth. 6.

Radix omnium malorum eſt cupiditas. Sed non mirum : Apoſtolus enim teſte S. Auguſtino lib. 11. de Geneſi B ad literam cap. 14. cupiditatem accipit generaliſſimè, illam ſcilicet, quâ quiſpiam appetit aliquid amplius, ſiue honoris, ſiue opum, ſiuè voluptatum, ſiue vindictæ ; quàm ipſi conueniat.

Cupiditatis duplex acceptio.

Quæ cupiditas alté dicitur omnium malorum radix, quaſi ea omnia fundet, alat, nutriat, atq; incrementet, eiſq; officium preſtet, quod radix præſtat arbori. Hic verò ſanctus Hieronymus cupiditatem accipit contrario modo, generaliſſimè quidem, ſed ſolùm in bonam partem, C quatenùs ſe nimirum extendit ad omnia rationi conſentanea, & ſalutem æternam concernentia. Ita reſoluit

S. Ambr.

S. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio cap. 3. inquiens : *Quid eſt ieiunium, niſi ſubſtantia & imago cæleſtis ? ieiunium refectio animæ, cibus mentis eſt : ieiunium vita eſt Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis.* Expendite attentiùs illa verba : *Radix gratiæ.* O quàm multa paucis D. Ambroſius complexus eſt. Cupidi- D tas ab Apoſtolo dicitur *radix omnium malorum* : quia omnia mala à radice cupiditatis pullulant. Ita pariter ieiunium dicitur ; *virtutum cupiditas, & radix gratiæ* : quia omnes gratiæ ac virtutes, ab arida & exſicca inedia, tanquàm ab vbere & ſucculenta radice, ſuccum hauriunt, pullulant, frondent, vernant, florent, autumnãt. Quia ieiunium eſt virtutum, gratiarumq; omnium ſeminarium, ex quo humanis mentibus ſanctitates omnes implantantur.

A Nec immeritò S. Ambroſius ieiunium appellauit, *fundamentum caſtitatis* : quia nihil hominem magis à peccato carnali præſeruat ; quàm ieiunium. Reuocate vobis famoſam de Ioſepho ſacram hiſtoriam, Gen: 29. Venditus ille in Ægyptum, & à Principe Ægyptio emptus, omnibus in domo eius præpoſitus erat. Vbi eximia eius pulchritudine capta domina, temperantiam Ioſephi deprædari aggrediebatur, temporis opportunitatem obſeruabat, impuris af- B fectibus diuendita ſeruum precabatur, & mille formam colorans artibus, blandiſſimis adulationibus caſtiſſimum iuuenem afficere moliebatur.

Gen: 29.

Poſt multos itaq; dies, iniecit domina oculos ſuos in Ioſeph, & ait Dormi mecum : Iniecit inquam femina oculos in Ioſeph, hoc eſt, iniecit validiſſima tela, exploſit globos ardentes, applicuit tormenta militaribus grauiora, quæ tenerum iuuenis animum quaterent, & expugnarent. Quatiebatur itaq; probus iuuenis extrinſecùs cre- C bris mulieris machinis, intrinſecùs flammas ſuſtinebat ætatis ; omnia tamen ſuperauit, Deum præ oculis habens. Pulchrè id enucleat, D. Baſi-

S. Baſilius.

lius Seleucus orat: 8. *Luctator* inquit *adoleſcentulus, ætas eiuſmodi, quæ temperantiam prodat, ſeruitij humilitas, quæ generoſos animos deprimat ; dominæ adulationes perpetuæ, quæ ſpe varia conſtantiam ſoluerent. Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, veſtes, oculorum pellaciam, naturales corporis inſtructiones. Verùm qui tot vndiq; iaculis pe-* D *tebatur, vnum contra omnia telum memoriam tenuit creatoris.* Egregie ſanè : facilè enim ridet tela aduerſariorum, qui memoriam creatoris tenet. Et vix poteſt exorbitare à virtutum regulis, qui Deum in omnibus præ oculis habet.

Memoria beneficiorum Ioſephũ ab adulterio præſeruauit.

Non abſque re tamen ſciſcitabimur, quid tàm egregium erat in Ioſepho, quod illum à tàm nefario opere prohibuit ? cùm eo iam ventum eſſet, vt laſciua mulieris manus, pallium Ioſephi apprehenderet in ſecreto cubiculo :

Gen: 29.

Accidit autem quadam die, vt intraret Ioſeph domũ, & operis quidpiam abſq; arbitris faceret, & illa A *apprehenſa lacinia veſtimenti eius, diceret Dormi mecum.* Vbi nemo ſpectator aderat, qui nefarium opus proderet.

Reſpondet S. Ambroſius id eum feciſſe ob eximiam humilitatem, quia ſe recolebat ſeruum, & dominũ proteſtabatur, ſub cuius vixit imperio : & ideo reſpondit : *Ecce Dominus meus.* Super quæ verba eleganter diſſerit S. Ambroſius libro 2. officiorum

S. Ambr.

cap. 17. *Plena* inquit *vox humilitatis, plena caſtimoniæ. Sciuit humiliari, & qui venditores, & emptorem paſſus eſt, &* B *dominum appellabat.* Non abnuo multum Ioſephum humilitatem iuuiſſe : eſt enim caſtitatis humilitas comes ; quemadmodùm luxuria anteambulo ſuperbiæ. Sed quòd ſola id præſtiterit, aſſentiri haud poſſum, cùm & Dauid, licet vir profundæ humilitatis fuerit ; non facilè tamen laſciuiam potuit euitare. Sanctus verò Gregor. apud Lippom: cenſet id effeciſſe in Ioſepho, memoriam beneficiorum à domino ſuo acceptorum, vt videntur iudicare verba Scripturæ Sacræ. C *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua ; nec quidquam eſt. quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es. Quomodò ergo poſſum hoc malum facere.* Ponderate verba hæc : *Quomodò poſſum* : in quibus fatetur iam ſibi non ineſſe ad Domini offenſam libertatem : quoniam poteſtatis in omnia ſibi à domino factæ memoria, abſtulerat poteſtatem iniuriæ. Emptione quippè domini erat, vt ſeruiret ; beneficijs D non erat ſui, vt offenderet. Hinc citatus S. Doctor ſuper illa verba : *Quomodò poſſum malum hoc facere. & peccare in dominum meum ?* ita ſcribit :

Idem qui ſupra.

Quibus verbis oſtenditur, quia bona, quæ aſſecutus fuerat, repentè momoria intulit, & malum, quod ſe pulſabat, euicit : & quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit : cùm enim voluptas lubrica tentat in proſperis, hæc ipſa ſunt proſpera aculeo tentationis opponenda, vt erubeſcamus praua committere, cùm nos à Deo meminimus gratuitò bona A *percepiſſe, & illatam gratiam exteriorum munerum, vertamus in arma virtutum, vt ſint ante oculos, quæ percepimus, & quæ nos alliciunt, ſubigamus.* Fateor beneficiorum memoriam valere multum, non tamen eſſe tanti momenti, vt à lapſu præſeruet. Optimè præ alijs S. Hieron: cenſet id effeciſſe in Ioſepho ieiunium : quia ſolo pane victitabat : ſic enim ad Demetriadem ſcribit :

S. Hieron.

Rectè dixit : quomodò poſſum malum hoc facere : quia nihil aliud cognoſcebat, præter panem, quo veſcebatur. B Ecce quanta ieiunij virtus, vt in homine illæſam caſtitatem ſeruet : quia ieiunium non tantùm hominem contra omnia vitia armat, ſed etiam inuincibilem reddit. Ita vt licet totus ſæuiat infernus, & ardentibus libidinis facibus hominem exurat ; ſi tamen ieiunio ſe muniuerit, tota tentatio in irritum abibit.

Tranſite mecum pauliſper ad Eliam Prophetam, qui minas Iezabel iracundiâ inſanientis pertimeſcens, deſertum ingreſſus, ibiq; itinere feſ- C ſus, ſitibundus, & timoris anxietate vexatus, proiecit ſe ſub iuniperum 3. Reg. 19. *Et obdormiuit in vmbra iuniperi.*

3. Reg. 19.

Protinus Angelus Domini è cœlo aduolauit, menſam ſubcinericio pane, & aquæ vaſe inſtructam poſuit, vtq; feſſos cibo recrearet artus, vireſq; reſumeret, excitauit illum. *Ecce Angelus domini tetigit eum, & dixit illi : ſurge, & comede : reſpexit : & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* Quid eſt hoc ? ante Elias per coruos pane & carnibus quo- D tidiè veſcebatur. 3. Reg. 17.

3. Reg. 17.

Corui quoq; deferebant ei panem, & carnes mane, ſimiliter autem panem, & carnes veſperi ; hic autem poſt magnam defatigationem, ſolo pane ſubcinericio & aquâ reficitur. Cur Angelus feſſo viatori panis non attulit copiam, vt alleuaret miſeriam ? vtique dedecet cœlitem anguſta offerre dona, & exigua largiri munera. Expendit hæc accuratiùs Tertull. lib. aduersùs Pſychic: c. 9.

Tertull.

Cùm inquit *illum corui pane, & carne ſaturare conſueuiſſent, cur poſtmodùm apud Berſabee Iudeæ excitato ei de ſomno*

de somno, quidam ille Angelus sine dubio panem solum, & aquam obtulit? defecerant corui, qui illum liberaliùs pascerent? An difficilè Angelo fuerat, aliquem alicundè de conuiuio Regis ministrum, cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre. Quasi diceret: si corui refragante natura, liberalitatem in Dei ministrum ostentant, cur Angelus adeò angustum detulit pabulum? Agnoscite profundam cœlestem Oeconomiam: periclitabatur tunc Helias, minantem Iezabel fugiens, propterea Angelus, nõ de auaritiæ ingenio; sed de Prophetæ salutis studio cibũ attulit, quo muliebres eludere posset insidias & indignationis sopire flammas. Monuit certè ieiunium, vt contra pericula ministraret egenti clypeum. Ita resoluit citatus Tertull: *Constitui* ait *oportebat exemplum, docens in tempore pressuræ, & persecutionis, & cuiuscunq; circumstantiæ, exerophagijs esse viuendum.* Angelus ergò vt patrocinaretur vitæ, muniuit Prophetam inediæ armis, quibus munita caro, dùm cœlum tacitè pulsat, eluctantia pericula auertit. Et ne longiùs ab hoc scripturæ loco discedamus, ipse Elias, qui deserto carnibus & lautioribus epulis innutritus, custodiam non impetrabat Angelicam, eam postea dormiens sub iunipero adeptus est. *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum.*

Idem qui supra.

Neq; sanè mysterio caret, cur afflictus Elias, & itinere fessus, captando somno iuniperum elegerit, cùm æque commodè, sub vmbra aliarum arborum requiescere posset. Quia iuniperus teste Dionysio Carthusiano, crucem designat: *Per spinosam* inquit *ille iuniperum, intelligitur crux Saluatoris.* Prudentissimus itaq; Elias, cùm varijs persecutionibus agitaretur, cum insidiosis minis appeteretur, ad carnis afflictionem confugit: quia sciebat corporis austeritatem, Christi crucem, famisque diuexationem, cœlestia promereri auxilia, & pericula eludere minitantia. Nec illum sua fefellit opinio, quandoquidem sub iuniperi tegmine Angelum habuit, qui recrearet cœlesti cibo molestias, & muliebres propulsaret insidias.

Dionysius Carthus.

Audistis iam duabus de causis, diabolum in hodierna tentatione cessisse ex acie, & Christum reliquisse. Primò, vt & nos isto Christi exemplo concitati, audacter ad certamen cum diabolo prosiliamus. Secundo, quia Christum ieiunantem aggressus est, ieiunium autem, hominem inuincibilem reddit. Proinde, si vultis non succumbere in acie, verùm de infernali hoste victoriam reportare, ad profugia austeritatis, & pœnitentiæ confugite: Nam si in vos ipsos religiosè vibretis mortificationis spinas, ardentes inimicorum triumphabitis iras, & voraces priuabitis effectu flammas. Insurgant hostes, circumstent discrimina; non tamen oberunt, si vos muniant austeritatis tutamina, sed semper victores permanebitis, quia ieiunium sanctum, inuincibiles reddit, Am.





FERIA

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Ibunt hi in supplicium æternum. *Matthæi* 25.

Ob grauitatem iniuriæ per peccatum in Deum commissæ, peccatori debetur pœna æterna.

Controuersia est inter Theologos, vtrum Deus damnando peccatorem in æternum, seruet misericordiam & iustitiam. Et quidem Scriptura sacra videtur constanter asserere, quòd Deus ex sola iustitia puniat damnatos, nulla omninò adhibita misericordia. Nam Iacobi 2. dicitur: *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Apocal. 18. dicitur: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum, date illi tormentum & luctum.* Ergò Deus damnando peccatorem, tantum illum punit, quantum meruit, quod soli iustitiæ conuenit; nullo autem modo misericordiæ. Hinc Matth. 2. dicitur: *eadem mensurâ quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Quod adhuc magis corroborat Propheta Domini Isaiæ 40. inquiens: *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Hoc autem potiùs seueritati, quàm clementiæ; rigidæ iustitiæ, quàm misericordiæ quis non tribuet? Tandem super illud Psal. 71. *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum.* Glossa sic dicit: *plus exigit in pænis; quàm commissum sit in culpis.* Sed maiorem pœnam exigere, quàm culpa sit commissa, rigorem quendam implacabilem redolet. Ergò Deus in damnatione peccatorum non seruat misericordiam, sed solam rigidam iustitiam. Nihilominùs concors est sententia omnium, Deum in æterna reproborum punitione non magis iustum, quàm misericordem esse. Et licet S. Iacobus dicat iudicium Dei futurum sine misericordia, non tamen per hoc totaliter remouet misericordiam Dei, ab eius iustitia puniente. Quia vt docet Magister sententiarum. dist: 46. misericordia Dei est duplex: *Alia liberans*, quæ totaliter expellit miseriam, & sine hac fiet iudicium Dei. Alia est *misericordia relaxans*, quæ licet non totaliter expellit miseriam, relaxat tamen & minuit illam. Et hanc Deus seruat in damnatione peccatorum: quia illis ab æterno taxauit minores pænas, quàm pro peccatis merebantur. Quando autem Isaias dicit: *Suscipere peccatorem de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis.* Tunc respondet S. Tho: in 4. sent: dist: 46. quòd illa duplicitas pænæ non sit intelligenda secundùm excessum pænæ ad culpam in duplo: Deus enim non punit bis in idipsum, quia hoc seueritatis esset, sed quia homo in duobus punietur, scilicet in anima & corpore: cuius rationem assignat Albertus magnus: vt inquit; sicut peccauit homo in anima & corpore, sic etiam puniatur in anima & corpore. Quantum deniq; ad Glossam asserentem, *plus exigit in pænis, quam sit commissum in culpis.* Respondet S. Thom. hanc Glossam esse intelligendam, quantum ad temporis durationem: quia pro momentanea delectatione infligitur æterna pæna. Considerabimus itaq; in hodierna concione, quare peccato mortali infligatur pæna æterna, cùm ipsum sit temporale, & momentaneum.

Iacobi 2. Apoc. 18. Matth. 2. Isaiæ 40. Psal. 71.

Misericordia Dei duplex.

Vt tantò faciliùs propositam difficultatem enucleare valeam, ante omnia

Pœna damnatorũ duplex.

mnia sciendum est, quòd pœna, quam Deus infert damnatis pro eorum sceleribus, sit duplex: vna est pœna damni, quæ consistit in carentia diuinæ visionis, quia damnati per totam æternitatem Deum non videbunt. Altera pœna est sensus, quæ consistit in aliquo dolore sensibili, & in tristitia seu affectione voluntatis, quæ proficiscitur ex apprehensione rei nociuæ, siue intellectuali, siue sensibili. Atq; hanc pœnam sensus nunquam in damnatis finiendam, proclamat propheta Domini Isaiæ 66. *Vermis* inquit *eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsq; ad satietatem omni carni.* Palam faciens impios non solùm dandos esse in tormentum æternum, sed etiam in æternum spectaculum proponendos, vt sic non solùm proprijs flammis, sed etiam oculis spectantium crucientur. Nam de beatis statim ibi addit Propheta sanctus. *Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt.* Nec minus eleganter D. Cyprianus serm: de Ascensione Domini de hac re loquitur: *Immortales* inquit *miseri viuent inter incendia, & consumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit, qui æstuanti linguæ, stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrociùs desperatio condemnatos affliget.* Non miserebitur vltra Deus, neque tunc pœnitentes audiet.

Isaiæ 66.

S. Cypr.

Quia tamen in pœna sensus duo considerari debent, in damnatis. Primò intensio ipsius pœnæ, secundò extensio eiusdem pœnæ, ideò certum est inter Theologos, peccatorem nõ posse puniri pœnâ sensus infinitâ intensiuè. Ratio est, quia pœna infinita intensiuè non est dabilis etiam de potentia Dei absoluta, cum non possit dari infinitum in actu intensiuè. Imò licet talis pœna esset possibilis, non posset tamen peccatori infligi. Quia vt docet S. Bonauentura in primo sent: distinct: 46. art. 4. in subiecto finito, non potest esse pœna infinita

In pœna sensu duo includuntur.

Cur pœna sensus non possit esse infinita intensiuè.

intensiuè. Deinde, quia pronior est DEVS ad reddendum præmium pro meritò, quàm ad infligendam pœnam pro peccato. Sed pro nullo merito etiam nescio quàm magno, reddet Deus præmium infinitum intensiuè; nam visio beatifica erit finita in quocunq; subiecto, siue in homine, siue in Angelo. Ergò multò magis pro nullo peccato seu demerito, infliget DEVS pœnam infinitam intensiuè. Hinc in intensione pœnæ damnatorum relucet diuina misericordia, quia intensio pœnæ in damnatis potuit esse maior, & maior, vnde sicut Deus ab æterno taxauit præmia electorum, ita taxauit pœnas reproborum. Taxando autem pœnas, non ad tantam exactionem taxauit illas, quantam postulabat grauitas peccatorum, sed moderatus est illam pœnam iuxta temperamentum suæ misericordiæ. Ita vt si condignum erat peccatum pœnâ intensâ vt decem, Deus illam remisit ad octo aut septem gradus, secundum consilium suæ sapientiæ. Et hoc est, quod Theologi docent: *Deum punire citra condignum, & quod misericordia super exaltet iudicium, Iacobi 2.*

At verò loquendo de extensione pœnæ, hæc in damnatis est æterna & infinita, ita quòd in illa nulla apparet Dei misericordia, nulla relaxatio: quia durat in æternum, vt docet hodiernum Euangelium. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Si ergò propter peccatum supplicio æterno deputatur homo, profectò quilibet fatebitur nihil infortunius esse peccato, ita vt hoc magis formidandum sit, quàm ipsemet infernus. Vnde optimus ille Eleasarus iustus & tenax sui propositi vir, intrepidus dicebat 2. Machab. 6. *præmitti se malle in infernum, quàm in peccatum.* Quem imitatus D. Anselmus teste Angelo Edinero in eius Vita lib. 2. dicere solebat: quòd *si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessariò vni eorum immergi deberet, priùs infernum, quàm peccatum appeteret.*

Pœna damnatorũ quoad extensionem est infinita.

2. Mach. 6.

S. Ansel.

Sed instat Politicus, repugnare diuinæ iustitiæ, vt pro culpa tempora-nea,

nea, pœnam æternam irroget; cum pœna debeat commensurari culpæ. Verùm ignorat commensurationem non esse desumendam ex pari duratione vtriusque, vt eleganter D. August: lib. 21. de ciuit. cap. 11. demonstrat ex lege humana, adulterium verbi gratia homicidium, conuicium aliaq; crimina, breuissimo tempore patrantur, & nihilominùs etiam in hac vita longissimis pœnis, vt vinculis, exilijs, verberibus, pecuniarijs mulctis, denique capitali supplicio, quod est irreuocabile, subijciuntur eiusmodi criminum patratores. Quod si in Republica humana benè instituta, culpis breuiter transeuntibus, pœnæ diutiùs permansuræ, sine vlla iniustitia irrogantur: quid mirum si à diuino legislatore, ad longissimam durationem puniantur, qui ad breuissimum temporis spatium peccauerunt.

Torquet nihilominùs Doctorum ingenia hæc speculatio, quare peccato mortali æterna in duratione pœna debeatur. Aliqui enim censent ideò peccatum mortale puniri pœna æterna, quia illud, licet non opere ipso & effectu, saltem affectu & voluntate est æternum, proinde meretur pœnam æternam. Ita censet D. Bernardus epist: 253. ad Abbatem Guaricum: *Inflexibilis* inquit *& obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Ita vt si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret: imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset:* Consentit D. Hieronymus super caput 27. Prouerb, inquiens: *Ideò sine fine pœnas luunt, quoniam voluntatem habuerant sine fine peccandi, si naturam haberent sine fine viuendi.* Eandem sententiam tuetur D. Gregor: 4. Dialogorum cap. 44. Vbi docet impios in inferno esse in æternum cruciandos, quia non destiterunt à peccato in suo æterno, hoc est toto vitæ suæ tempore, quòd tempus vocat S. Gregorius æternum, quia impij voluissent sine fine viuere, vt sine fine peccarent.

S. Bonau.

S. Hieron.

Nam vt docet idem S. Doctor libro 29. Moralium super illud Iob. 40. *Æstimauit abyssum, quasi senescentem, qui peccat quantum est ex se, in æternum vult manere in peccato,* cùm non possit per seipsum à peccato exire. Vnde quia vltimum suum finem in illo peccato constituit homo delinquens; ad finem autem vitæ tota vita ordinatur. Ideò qui semel peccat, vellet semper in peccato manere, proinde meritò pœnâ æternâ punitur. Statimq; addit idem S. Doctor. *Ad magnam ergò iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.*

Iob 40.

Optima equidem ratio, talib⁹ enim, qui semel commisso peccato, semper in illo viuere volunt, inferni pœnas imprecatur Rex & Propheta Dauid Psal. 54. *Descendant* inquit *in infernum viuentes.* Vbi Auctor operis imperfecti hom. 54. in Matth. dicit, viuos in infernum descendere, qui opera infernalia, hoc est peccaminosa exequuntur. Sic Dathan & Abiron, quia à suis concupiscentijs abrepti, à peccatis desistere noluerunt: *descenderunt viui in infernum.* Cæterùm hæc ratio solùm ad probandam gehennæ æternitatem conducit, cur autẽ peccato mortali pœna æterna infligatur, nõ sufficienter explicat. Nam si quis pro vno tantũ instãti vellet peccare, & statim post illud instans pœniteret, adhuc illi peccato instantaneo pœna æterna deberetur: Nõ est igitur op⁹, vt æternitas pœnæ ex voluntate in æternum peccandi desumatur; sed debet potiùs desumi ex grauitate iniuriæ commissæ contra Deum, summum & infinitum bonum: quæ in tali ordine reponitur, vt nullâ pœnâ etiamsi in æternum duret, satis dignè compensetur, præsertim, cùm damnati etiam pro illo peccato instantaneo, nunquàm satisfaciant, eò quod sine pœnitentia patiantur; vera autem satisfactio sine pœnitentia esse non potest.

Psal. 54.

Æternitas pœnæ æternæ sumitur ex grauitate diuinæ offensæ.

Sic censet D. August: lib. 12. de ciuit cap. 11. inquiens: *Dignus est malo æterno, qui in se premit bonum, quòd potest*

S. August.

potest esse æternum. Vnde dicit æternitatem pœnæ iustam esse, quia peccatum mortale est contra bonum infinitum, ideoq; conciliat sibi malitiam quandam infinitam, quia est auersio a bono infinito. Scrutemini obsecro, quomodò peccans mortaliter, conciliat sibi malitiam infinitam? Equidem non ideo quia peccat, omnis enim creatura, ex conditione naturæ suæ est peccato obnoxia. Sed ideò quia de commisso peccato pœnitentiam agere non vult. Creatura autem rationalis per finalem impœnitentiam fit incapax beatæ visionis, Nam quamdiu durat peccatum, tàm diu debet durare punitio. Et quia in damnatis in æternum durat peccatum, eò quod finalis impœnitentia sit peccatum irremissibile, proinde efficit, vt damnati sint incapaces gratiæ, vtq; in æternum pœnâ sensus puniantur.

Neq; miremini quod peccata, quæ seuera pœnitentia non expiantur, maneant in æternum. Quia licet peccata hominum, si debita pœnitentia eluantur, statim de memoria diuina obliterentur. Ezech. 18. iuxta illud Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius non recordabor.* At verò, si nullis pœnitentiæ lachrymis expiantur, in perpetua apud Deum memoria conseruantur. Nam quemadmodùm homines vti solent memoriali libro, in quem referunt ea, quorum nolunt obliuisci, vt hoc scripturæ præsidio fragilitati memoriæ in perpetuum consulatur. Ita planè Deus, humano more agens, hominum peccata nullo lachrymarum imbre, ab ipsis peccatoribus deleta congerit in librum, vt perpetua huius admonitione semper illi ob oculos obuersentur, & nunquàm è memoria elabantur, suo tandem tempore debitis supplicijs coërcenda. Sic de peccato Amalec Moysen alloquitur Deus Exodi 17. (Exodi 17.) *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue.* Vt scilicet, si contingeret de memoria ex pungi, in libro repositum ad memoriam reuocaretur.

Blasphemauerant olim Israëlitæ Deum, & eius sanctam prouidentiam Malachiæ 3. (Malach. 3.) *Dixistis vanus est, qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius.* Et ecce iratus Deus peccata eorum ad perpetuam memoriam in libro annotari mandauit *Attendit Dominus* inquit *Propheta, & audiuit, & scriptus est liber monumenti coram eo.* Non satis ergo erat Dominum audiuisse, & attendisse; nisi etiam ad perpetuam memoriam eorum quæ audierat conseruandam, librum monumenti scribi demandasset, in quo blasphemantium peccata apud se indelebilia conseruarentur. Hinc Deus ad Isaiam de peccato Hebræorum à vero Numine ad inania idola deficientium dicebat: (Isaiæ 30.) *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum; & in libro diligenter exara illud: & erit in die nouissimo in testimonium vsq; in sempiternum.* Isaiæ 30. Quod magis adhuc expressit Ieremias cap. 17. (Hier. 17.) *Peccatum* inquit *Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino: exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.*

Imò tolerabilius esset, si Deus peccata hominum alijs creaturis scribenda demandaret; sed, quod meritò expauescendum, ipsemet sua manu illa inscribit, vt certiùs & altiùs impressa apud se custodiantur. Hanc ob causam apparuerat olim Deus humanatus Ezechieli, nouo quodam habitu conspicuus: nam, (Ezech. 9.) *Indutus erat lineis, & attramentarium scriptoris habebat. in lumbis suis.* Ezechiel: 9. Præferebat itaque attramentarium scriptoris, vt peccata hominum à seipso in suo memorabili libro exaranda, indeque à nemine vnquam in posterum exterrenda testaretur. iuxta illud Deut. 37. (Deut. 32.) *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis.* hoc est, magno studio custodita, ne suo tandem tempore impunita relinquantur. Hinc meritò Iob loquebatur ad Dominum: *Signasti, quasi in sacculo delicta mea.* Iob 14. (Iob 14.) Vnde D. Cæsarius Arelatensis tom. 2. Bibliot. 2. homil. 29. editionis arguit mundi peccatores, qui ob longi-

ob longitudinem temporis, putant sua peccata, æternâ iam apud Deum obliuione sepulta esse. *Perniciosa* inquit *nos persuasione fallentes putamus, quòd mala nostra spatio temporis euanuerint, & quia illa nos obliti sumus, credimus, quòd de memoria diuinæ seueritatis lapsa sint: sed non ita est. Omnia apud illum reposita atq; signata sunt.*

Licet ergo Deus non statim peccatores puniat, dum peccant, non tamen per hoc aufert, sed solùm differt supplicia. Quemadmodùm & ipsa peccata longo tempore dissimulat, non tamen illa per hoc in perpetuam obliuionem amandat. Sic Protoparens noster, primò statim die, quò ex ligno vetito comedit, mortem meruit: quàm tamen non subijt, nisi post nongentos & triginta annos. (Genes. 5.) Gen. 5. *Et factum est omne tempus, quòd vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.* Mundus vt primum corrupit viam suam, & impuritatis habenas laxauit, meruit statim diluuio inuolui, quæ tamen vltio ad centum viginti annos dilata est, (Ibidem. 6.) Genes. 6. *Eruntq; dies eius centum viginti annorum.* Aaron primo anno peregrinationis in deserto culpam contraxit: permittendo idololatris vitulum aureum fabricari, & tamen vsq; vltimo anno pœnas istius delicti dedit, quando sacerdotalibus vestibus exutus, & in montis supercilio actus est in mortem, (Num. 20.) numer. 20. *Cùmq; Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius, & illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.* Saul anno secundò regni sui diuina præcepta contemnens, statim de Regno debuit exturbari, & tamen in illo annum vigesimum explere permissus est. Apostoli in die Resurrectionis duri, & increduli exstiterunt; & tamen Christus Dominus vsque die suæ Ascensionis. (Marci 16.) *Exprobauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis* Marci 16.

Itaq; non statim peccatores suorum scelerum pœnas luunt, sed diu viuere impuniti permittuntur. Vel quia Deus dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, vt vult Salomon Sapien. 11. (Sapien. 11.) *Misereris* inquit *omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pænitentiam.* Vel quia permittit malos filios implere mensuram malorum parentum, vt vtrosq; postea grauiùs vlciscatur, vt vult Euangelista Mat. 23. (Matth. 23.) *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Quamdiu enim omne virus flagitiorum non euomitur, tamdiu interdum suppliciorum vindictam suspendit Deus, vt eam postea iustiùs & seueriùs infligat. Sic egit cum Amorrhæis, quorum supplicia diu distulit. Cuius rei rationem reddit Genes. 15. (Genes. 15.) *Necdum* inquit *completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Quamdiu enim aliquid sanum in illo populo supererat, diuina iustitia expectabat. Sed postquàm omnis caro corrupruit, desilijt in vindictam, tarditatem supplicij grauitate compensans.

Quid aliud hodiernum Euangelium nobis ad considerandum proponit, dùm incorrigibiles peccatores in supplicium æternum ituros commemorat, nisi vt qui diu iam in peccatis putrescimus, si non amore DEI summi & incomprehensi boni, saltem formidine pænæ infernalis à peccando deterreamur. Quocirca hisce sacris Quadragesimæ sanctæ diebus, toto corde contriti, deplorate vestra peccata, & sic æterna supplicia feliciter euadetis. Quia Deus verè pænitentibus & contritis suam misericordiam è cælo promisit inquiens: *Inquocunq; tēpore ingemuerit peccator, exaudiam eum.*



DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ,

CONCIO PRIMA.

Aſſumpſit Iesvs Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & transfiguratus eſt ante eos. *Matthæi 17.*

Mons Chriſti transfigurationis, eſt cor hominis caſtum, veſtimenta ſunt ieiunia, & carnis mortificatio, encomia denium ſunt virtutes, & pietatis opera.

DEbellato ſuperbo, & potentiſſimo aliquo hoſte, victores plerumque in eminentiori loco, quâ arte, quâ natura ipſa benè munito, triumphos celebrare ſolent: quò faciliùs potentiæ & induſtriæ eorum gloriam, grata laborum & periculorum in ſui defenſione ſuſceptorum patria agnoſcat, finitimæ nationes mirentur: Regna extera audiant: & vniuerſus populus in eorum amorem atq; venerationem magis alliciatur. Hæc apud Romanos conſuetudo inualuerat, vt eorum belli gerendi peritiſſimi duces, aut profligatis rebellibus, aut Prouinciâ aliquâ in ampliſſimi Senatus Romani poteſtatem reſtitutâ, vrbem triumphantes ingrederentur. Vbi extruebantur triumphales arcus miro artificio affabrè facti, epigrammatum varietate currus, quo victor pretioſis veſtibus amictus vehi debebat, ornabatur: antiquiores Romani, Senatores obuiam illis procedebant, vndiq; ſtipati iuuenibus; alaudâ dulciùs, philomelâ ſuauiùs, cygno iucundiùs, modulantibus, qui victorum triumphantium encomia ſuauiſſimo concentu decantarent. Ne tamen tantæ gloriæ & honoris flatu intumeſceret victor, aderant in eodem curru duo veneranda canitie decorati viri, quorum vnus, hominis caluariam manibus geſtabat, alter verò miſeriam & volubilitatem conditionis humanæ in memoriam reuocabat; vt inſtar pauonis fœdiſſimos ſuos pedes intuentis, non ſuperbiret triumphans. Cecidit equidem Catholici mei hiſce diebus ſacris, potentiſſimus ille tenebrarum princeps, cuius fortitudinem admiratus Iob cap. 42. dicit: *Non eſt poteſtas quæ comparetur ei.* Iob. 42. Cecidit inquam de eminentiſſimo cælorum olympo, in quo de laurea diuinitatis cum vnigenito Patris, reſoluto nimiùm & deſperatiſſimo modo confligere voluit. Cuius pluſquàm Herculeas vires, dux noſter & mediator Chriſtus Iesvs, ieiunij auſteritate confodit, faſtum vltra omnem eminentiam elatum humili oratione depreſſit; audaciam deniq; non minus impudentem, quàm imprudentem, teſtimonio ſacræ Scripturæ contriuit, & totam mundi huius inferioris prouinciam, quàm arrogans tenebrarum Princeps furtiuo modo, quia peccati ſuaſione inuaſerat, atq; vano & ſuperſtitioſo cultu poſſederat, Senatui Auguſtiſſimæ Triadis reſtituit. Ideò conſentaneum fuit, vt ſolennem huius victoriæ triumphum hodiè ageret Chriſtus. Induit ergo iam triumphans Ieſus ſplendida & regalia veſtimenta, qualia (teſte Euangeliſta Marci 1.) *fullo non poteſt ſuper terram candidiora facere.* Marci 1. adeſt currus triumphalis, ſcilicet nubes cælitùs delapſa, vt teſtatur diuinus ille Chroniſtes Matthæus Euanlicæ ſuæ hiſtoriæ cap. 17. *Nubes* inquit *lucida obumbrauit eos.* Matt. 17. Adſunt duo venerandi ſenes, Moyſes, & Elias, qui huminitatis mortalitatem Chriſto ob oculos ponunt: dùm ibi de acerbiſſimæ

biſſimæ mortis exceſſu cum eo loquuntur: vt tantò illi gratior triumphus fiat, quòd pro ſalute generis humani morte ſua eum ſit completurus. Adeſt denique Senatus ipſiuſmet incomprehenſæ deitatis in tribus perſonis ſubſiſtentis, non tantùm ſpectator triumphi, verùm ſingularis virtutum Chriſti laudator, vt ad vocem æterni Patris intonantem, Chriſtum Dei filium agnoſcat orbis Chriſtianus, & tantò magis in eius amorem, & venerationem propendeat. Quocirca de magno Chriſti transfigurationis arcano dicturus, magna me veſtris animis præſtare cenſebo, dùm oſtendero, montem in quo Chriſtus transfigurari & triumphare ſolet, non alium eſſe, quam cor hominis caſtum. Veſtem palmatam, eſſe fidelem ieiunij obſeruationem, deniq; encomia triumphatoris Chriſti, eſſe virtutes & merita piè in Domino Ieſu viuentium.

Singulari non vacat myſterio, quòd ſapientiſſima Dei prudentiâ ordinante, omnia humanæ mentis captum excedentia ac portentoſa myſteria, ſemper in excelſo aliquo monte patrata fuerint. Nam poſt diminutas & exſiccatas diluuij aquas, Arca Nôè ſupra montem Armeniæ ſtetit. Geneſis 3. Genes 3. Abraham vt inſigne illud obedientiæ opus, proprij ſcilicet filij immolationem perficeret, montem conſcendere iuſſus erat. Geneſis 22. Ibidē 22. Iuſtus Loth, ne Sodomitorum incendio periret, Angelico eloquio monitus in montem ſeceſſit. Legem ſcriptam ab ipſo Deo per Moyſen in monte Synai cum Deo colloquentem populus Hebræus obtinuit, Exodi 19. Exodi 19. In monte Sion Chriſtus SS: Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Mat. 26. Matt. 26. In monte Caluario ſtupendum redemptionis noſtræ beneficium, humano generi contulit. Matthæi 23. Ibidē 26. deniq; ex monte Olıueti videntibus diſcipulis, cælos conſcendit. Quæ omnia duplicem vt video ob cauſam Deus in monte operari voluit: primò, vt celſitudine loci eminentis beatorum ſublimitatem oſtenderet: deinde, vt palam faceret, eos ſolùm participes fore æternæ beatitudinis, qui à terrenis affectibus ſegregati, per vitæ puritatem ad ſuperna tendunt. Glorioſam pariter corporis transfigurationem in monte Thabor exhibuit Chriſtus: ideò, vt quoniam in monte tentatorem debellauerat, in monte etiam gloriam victoriæ ſuæ oſtenderet. Nam montem Thabor nonnulli Doctores eundem cenſent eſſe, in quo Princeps tenebrarum Saluatorem tentando explorare voluit. Quòd optimè deducitur ex ſacra Scriptura Hieremiæ 7. vbi ex diuino præcepto Barach exercitum ſuum illuc conduxerat, vt Siſaram hoſtem expugnaret: atteſtante ibidem Propheta, *vade inquit, & duc exercitum in montē Thabor.* Hier. 7. per quod figurabat Deus, quòd ſuum quoque Chriſtus hoſtem, in eodem monte victurus, & de illo triumphaturus eſſet. Quod ſi Thabor fuit mons tentaminis & victoriæ Chriſti, conueniens erat, vt ibi Chriſtus gloriæ ſuæ ſplendorem oſtenderet, quoniam victores non alibi ſua trophæa erigunt, niſi vbi hoſtem profligant. Atq; hinc maniſtè liquet, montem transfigurationis Chriſti non alium eſſe, quàm cor hominis: ibi enim frequentiſſimè diabolus ſuas ardentes ſagittas mittit, vt Deum pacis expellat: ibi iacula ſua potentiùs mouet, vt vitam animæ gratiam interimat. In corde igitur hominis dùm caſtum & à colluuie peccati immune eſt, fulget transfigurata gloriæ Chriſti maieſtas: velut in monte quodam eminentiſſimo, ex quo omnis circumquaq; in toto corpore virtutem amænitas proſpectatur. Sed dùm peccatum in corde noſtro regnat, tunc etiam gloria Saluatoris velut in monte caliginoſo obſcurata, & obfuſcata manet.

Cuius rei pulcherrima figura exſtitit Arca illa veteris Teſtamenti, quæ teſte ſacro eloquio Exodi 27. & 39. dùm in deſerti ſolitudine erat, ouium pellibus operta, & quaſi occultata manſit: dùm autem in templo inter duos Cherubinos collocaretur, ingenti ſplendore fulgebat, quòd certè redem-

redemptoris noſtri imaginem geſſit, dùm enim ille cor hominis impurum ingreditur, velut in denſa quādām ſolitudine obſcurata manet illius maieſtas : at verò quando purum cordis tabernaculum reperit, cœleſtibus gloriæ veſtibus mirificè indutus ſplendet inter duos quaſi Cherubinos, ſcilicet Intellectum & voluntatem, eius nutui ad omnia parentem. Congruit optimè huic argumento illud, quod

Plinius, refert Plinius hiſtoriæ naturalis lib. 3. cap. 9. vbi dicit : In mari rubro Inſulam quandam eſſe, & in ea ſpeluncam, in cuius latebris abſconditus erat lapis, cuius mirabilis ſplendor non effulgebat, quouſque ſolis radij poros ſpeluncæ introirent, eumq; lapidem illuminarent. Vnde ſubitò ad permiſſionem radiorum veluti cœleſtis quidam nitidiſſimus arcus, pacis & fœderis ſymbolum reſultabat. Inſula hæc eſt cor veſtrum, in medio carnis & ſanguinis locatum, in quo per Sacramentum Baptiſſimi obſignatus eſt lapis ille pretioſus, vnigenitus Dᴇɪ filius, quamdiu radij cœleſtis gloriæ non affulſerint, quibus ſubitò verberatum cor hominis, ita gloriæ nitorem diuinæ explicat, vt continuò arcus fœderis & concordiæ inde prodeat; hominem ſcilicet in gratiam & amicitiam Dei redire ſignificans. Vnde interpretes ſacræ Scripturæ, vocem hanc *Thabor* exponunt *veniat lux*. Et quid obſecro magis cœleſti lumine indiget, quàm cor hominis ? ſine quo nox quædam moleſta, horrendis peccati tenebris ſtringit hominem ; verùm vt hæc lux veniat in cor fidelium, eijcite priùs dæmonem capitalem Chriſti hoſtem, fugite mundi voluptatum illecebras, quæ mentem humanã teterrima quadam errorum caligine obduxerunt ; proſcribite omnem viuendi luxuriã, quæ impuris peccati nubibus obducit miſerum peccatorem, ne in animam eius diuinæ miſericordiæ radius deſcendat.

Inter memoranda quæ de Ioſepho

Genes. 41. Patriarcha diuina habet hiſtoria, Geneſis 41. illud inſigne eſt, quòd vt penuriæ & fami, quæ per tot prouincias graſſabatur, aliquo conſuleretur modo, eius induſtria magna frumenti copia in Ægypti horreis coaceruata fuit : verum quia id non omnibus fame laborantibus innotuerat nationibus, hac vſus erat induſtria ſummo digna ingenio Ioſephus, qui (vt refert Hebræa quædam hiſtoria) iuſſit proijci in flumina & riuos per diuerſas mundi plagas decurrentes frumenti ſpicas, quæ tanquam oculati teſtes pinguem illius regionis, vnde procedebant annonam indicarent. quarum aſpectu permoti populi, eò properarent venire, vnde tam fertiles manabant tritici reliquiæ. quod remedium fuit ſuauè, optimum ad ſubleuandam eorum indigentiam, qui iam iam fame enecabantur. Inter memoranda pariter Chriſti opera, hodiernum conſilium ſumma admiratione dignum eſt, quòd cùm is eximiam ſuo cœleſti in palatio habeat ſupernorum copiam bonorum, in quæ anhelat rationalis animæ appetitus, quibus vndequaq; ad ſatietatem expleatur, cumq; Chriſtus illud ſummopere deſideret, vt famelici eò properent, vt ſuam famem expleant. hodiè æternæ illius beatitudinis manifeſta quædam indicia, ſcilicet ; grauidas fluentes illius feliciſſimæ regionis exhibere voluit ſpicas, ſupernorumque reliquias bonorum, quæ in horreo cœleſtis Hieruſalem, ſuis auibus paſcendis accumulauit, vt hoc gratiſſimo gloriæ ſuæ ſpectaculo infirmitatē mentis humanæ, præſentium remuneratione futurâ ſuſtentaret. Arduum quippè videtur homini, aſperum pati ieiunium, animam tentationibus aſſiduis, corpus mortificationibus duris offerre, in vera humilitate deprimi ; cùm ſæpè homo velit videri, quod non eſt : & rarò quamuis excelſa virtus, futuris bonis commutat præſentes voluptates. difficilè etiam videtur plerîſq;, vt ſpem periculis emant, damnoq; præſentium futuræ lucrum mercentur ætatis. Idcircò optimus fidelium inſtructor Chriſtus, ne quis in ſufferendis huius temporis

poris paſſionibus, deſperatione frangatur aut tædio, quoniam vitæ dulcis illecebra conſtantem quoq; mulcet affectum, continuos æternæ beatitudinis ſucceſſus, crucem amaritudinis terrenæ ſuſtinentibus pollicetur. Frigent enim plerumq; ſolatia ſub metu mortis, magnuſq; vitæ amor, ægrè blanditias ſpei cum appetitæ ſalutis terrore cumpenſat. Ne ergo habeat homo, quod quærat : ne inueniat, quod excuſet : arbiter omnium Deus in ſuo glorificato corpore proponit hodiè & virtuti præmium, & infirmitate remedium, vt præſentibus ſuſtineatur infirmitas, virtus futuris : vt inquam ex his Chriſti gloriæ mirificè relucentis ſplendoribus, incomprehenſa, quæ nobis in cœleſti curia parantur bona, cognoſcamus : ac veluti Chriſtianæ dialecticæ non ignari, in hunc modum diſcurſum pium formemus : ſi talia ſunt quæ nobis hic indicantur bona, ſi pulchra adeò de transfigurato Chriſti corpore prodit lucis varietas, in quo adhuc mortalitatis vmbra latet, quid fiet, quando ſepoſitis huius terrenæ corruptibilitatis exuuijs, incorruptionem aſſumemus ? ſi talia ſunt bona, quæ Chriſtus corporeis oculis intuenda præbet in terris, quanta obſecro erunt, quæ reuelata facie manifeſtabit in cælo beatis ? proinde ſi fortis es, contemne ea, quæ grauia tibi videntur ; ſi imbecillis, fuge, quibus te imparem agnoſcis, ne ſuccumbas ; & cor tuum purum præbe Deo, vt veniat lux Chriſti transfigurationis, quæ te fortificet & corroboret : non enim alibi quàm in corde humano gloriæ ſuæ ſedem Chriſtus locare vult, quia primùm mouens cum primo viuente optimè conueniunt. & quoniam inter omnia hominis membra cor primò animari ferunt Philoſophi, in illud etiam primus motor Deus deſcendit, vt veluti ex fonte quodam fœcunda Chriſti gratia in reliqua corporis membra dimanet, illaq; ſanctificet.

Verùm an hiſce ſacris diebus Chriſtus iam in corde veſtro ſit transfiguratus, explorate : ex vngue enim cognoſcitur leo, ex ſuperno lumine Chriſti transfiguratio. Si ergo cor veſtrum perfuſum eſt luce, omnes homines irradiante, ſi mentem radij cœleſtes penetrant, ſi intellectum lumen veritatis illuſtrat, ſi voluntatem æterni boni cupido poſſedit, ſi conſcientiam honeſtatis & virtutis puritas exornauit, certum ex hoc ipſo ſumite indicium, Chriſtum in corde veſtro ſuæ gloriæ & gratiæ triumphales arcus ponere. Hæ enim ſunt deauratæ veſtes, quæ Chriſti maieſtatem ornant, & mortale hominis corpus in cœleſtem atq; Angelicam ſpeciem conuertunt. Vt docet Regius vates.

Pſal. 108. n. 4. *Genua* inquit *mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* quaſi diceret ; quàmuis per ieiunium, infirmitatem contraxerim, tamen per diuinas conſolationes perpetuas ieiunij comites, ad maiorem integritatem perfectionemq; euaſi. Tantus verò decor tantaque pulchritudo per ieiunium confertur, vt per illud homines Angelis exæquari videantur, teſte Chry-

S. Chryſ. ſoſthomo ſerm: 1. de ieiunio : *Ieiunium* inquit *eſt Angelorum imitatio.* Et homil. 1. de pœnitentia hoc ipſum clariùs confirmat. *Ieiunium* inquit *ex hominibus Angelos facit* : ſed parum eſt, ieiunantes ad Angelicam euadere puritatem, cùm etiam ad diuinum ſplendorem accedere videantur. Moyſes enim 40. diebus ieiunans, non tantùm oculis Dei gloriam potuit videre, ſed etiam tantam in vultu contraxit luminis maieſtatem, vt eum veluti ſolem alterum populus Hebræus inſpicere non valeret. vt docet Tertullian: libro aduerſus Pſychicos c. 6.

Tertull. inquiens : *Cùm quidem nec ipſum Moyſen Deo paſtum, inediamq; eius nomine ſaginatum conſtanter contemplari valeret pinguior populus.* Si ergo qui lautiſſimè viuunt, & voluptatibus immerſi diutiùs ac delicatiùs quieſcunt, ſplendorem diuinæ pulchritudinis oculo ſuo corporeo ferre non valent. Igitur qui auſterè viuunt, & corpus ſuum ieiunijs mortificant, ſunt idonei in quibus Chriſti transfiguratio & pulchritu-

S. Hieron. pulchritudinis eius splendor emineat. Hinc D. Hieronymus comment. in Psalmos. *Et nos ergo* inquit *quando ieiunamus, facies nostræ pallidæ sũt, quando fœdi videmur, cognoscamus nosmetipsos tunc pulchriores apparere.* Tales enim milites diligit Dominus, qui ieiunijs vacant: quoniam annona nostra & esca ieiunium est.

Quare Christ⁹ inter Moysen & Eliam transfiguratus est. Hinc magna est inter sanctos Doctores sententiarum varietas, quare Christus inter Moysen & Eliam stans, seipsum transfigurauit, & gloriæ suæ splendorem ostendit? cùm tamen iam pridem Moyses vitâ functus esset: Elias verò in paradisum translatus. Respondet inprimis D. Hilarius Christum inter duos istos Prophetas transfiguratum apparuisse, vt palam faceret, se mortuos & viuos suæ præsentiæ luce inaccessibili recreaturum, cùm vtriusq; Claues teneat: scilicet; vitæ & mortis. Ne ergo aut mori homines formidarent, aut viui de præmio beatitudinis desperarent, ideò ad gloriosam Christi transfigurationem affuit & viuentium nomine Elias, vt pote qui mortalitatis carne vestitus viuebat adhuc, & vsque ad Antichristi aduentum superstes permanebit: & defunctorum simul nomine aduenit generalis populi Dei dux Moyses, qui quamuis iam huiusce mortalitatis veste exutus esset; quia tamen ibi etiam mortuorum causa agebatur; ideò siue in corpore proprio, vt volunt S. Augustinus, Hieronymus, & Hilarius, siue alieno, vt placet D. Thomæ 3. parte quæst: 45. art. 3. ad 2. comparuit ibidem. (S. August. S. Hieron. S. Hilarius S. Thom.) Egregia prorsus ratio: etenim ad hoc vt Christus in cordibus nostris gloriæ suæ speciem detineat, mors & vita præcedere debent, scilicet vt moriamur mundo, viuamus autem Deo: moriamur peccato, viuamus gratiæ; moriamur libidini, viuamus continentiæ; moriamur luxuriæ, viuamus abstinentiæ. Vt inquam moriamur vanitati, scilicet; gigantis illius, hoc est, superbiæ caput, cæterorum omnium vitiorum radicem præscindendo, effrænatos, libidinosos, & omnes indomitos sensuum appetitus comprimendo, & viuamus religioni, virtuti, atq; pietati, his enim duobus modis, diuinæ felicitatis gloria comparatur. nam vbi mortificatum & expulsum fuerit peccatum, ibi gratia Christi intrat, & Christum in gloria maiestatis fulgentem illuc introducit.

Cæterùm ego quatuor potissimum istius facti rationes inuenio. Primam ex D. Augustino, qui libro de mirabilibus sacræ Scripturæ. cap. 10. asserit, ideò Christum inter duos istos Prophetas, Moysen, & Eliam transfiguratum, gloriam suam manifestasse, quia ambo fuerunt luminosi: Moyses enim dum populum alloqueretur, præ nimio splendore faciem suam velo contegebat Exodi 34. (Exodi 34.) *Habebat* inquit scriptura *velamen super faciem suã, quia nõ poterant intendere in faciem eius*, dum autem montem Deum allocuturus cõscenderet, leuato velamine faciem detegebat. Sic planè Christus Dominus, si in corde peccatoris reponitur, velo iracundiæ & furoris faciem suam operit, quia turpitudinem malæ conscientiæ intueri non potest. cùm autem iusti & fidelis sui serui animam ingreditur, deponit velamen, & totum hominem, radiantis suæ præsentiæ fulgore illuminat atq; recreat.

S. Irenæus Origenes. Altera ratio est S. Irenæi libro 4. contra Valentinum cap. 37. & Origenis homilia 12. super Exod: & homil 17. super Numerum. vbi dicunt, Deum timentium se desiderijs & petitionibus libenter annuere, quia ergò Moyses & Elias timebant Deum, idcirco eos suæ gloriæ participes esse voluit. Nam Moyses enixè deprecatus fuerat Deum, vt faciem suam illi ostenderet: *Domine* inquit *ostende mihi faciem tuam,* quasi diceret; sæpiùs quidem tecum loquor, sed nunquàm te video; sed detege mihi quæso speciem tuam, cui respondit Deus, Exodi 33. (Exodi 33.) *Posteriora mea* inquit *videbis*. hoc est; humanitatem quam ego assumpturus sum. quo audito Moyses summâ semper cupiditate videndi Deum inardebat: Christus igitur ascendens in montem Thabor, vt promissionem

sionem illam adimpleret: faciem suam humanam summi splendoris inauditæque pulchritudinis radijs emicantem, Moysi & Eliæ exhibuit. Vt meritò dicat Regius vates. Psal. 20. (Psal. 20.) *Desiderium cordis eius tribuisti ei.* Equidem Catholici mei, si Christum in corde vestro plenum gloriæ & maiestatis, oculo mentis cernere vultis, duo hæc in vobis reperiri debent: desiderium, & postulatio, desiderium inquam, vt tanto amore videndi Deum flagretis, vt nihil vobis pro gloria Christi sustinere arduum sit: siquidem amor & desiderium omnia superant, postulatio quoq; debet reperiri in vobis, quia sicut nemini de cælo assa columba venit; ita etiam nemo gratiam Iesu Christi obtinere potest, nisi qui illam deuotè orando quærit.

Tertiam huius mysterij rationem coniicio, cur Christus inter Moysen, & Eliam transfiguratus, gloriam suam manifestauit? vt scilicet incredulis suæ diuinitatis testimonium certum præberet. (S. Hilari⁹.) Sic expresse docet D. Hilarius Can. 20. Super Matthæum vbi dicit, (Moysis sepulturam nemo scit.) Moysen & Eliam temporibus Antichristi fore venturos, & ideò vt tunc fideles Christi diuinitatis sint testes, gloriosæ eius transfigurationi adesse debebant. Etenim cùm nemo Moysis sepulturam præter Deum sciret, vt clarè indicat scriptura Deutoronom. 24. (Deut. 34.) *Non cognouit homo sepulturam eius, vsq; in præsentem diem.* Elias quoque curru igneo in paradisum euectus esset. 3. Reg. 2. locum adeò secretum atq; ignotum, vt mortalium nemo suis viribus post expulsum Adamum, eò peruenire potuerit, solusq; Deus, & cui ipse reuelare voluerit, eius sedem ac situm certò cognoscat. Ideò Christus Dominus ex locis tam ignotis ad gloriæ suæ manifestationem, Moysen & Eliam certum suæ diuinitatis testimonium exhibuit. Nam cùm isti duo Patriarchæ, adeò gloriæ DEI amatores & zelotypi extitissent, vt nihil quod diuino honori derogare posset, vnquàm paterentur. Hinc Moyses ita ægrè Israelitarum idololatriam tulit. Exodi 32. (Exodi 32.) vt quamuis eximia mansuetudine præditus esset, nihilominus districto iustitiæ gladio, magnam mortalitatis stragem eisdem intulerit. Elias pariter nunquàm diuini honoris zelotypiæ clariora signa prodidit, quàm in falsorum deorum multitudine profliganda: ob diuinæ enim vnitatis defensionem, ingente falsi Baal sacrificulorum multitudinem interfecit 3. Reg. 18. immò nec ipsi Regi Achab. pepercit 3. Regum 21. (3. Reg. 18.) & Reginam Iesabel ea de causa in facie populi grauiter arguebat. 3. Reg. 19. quod perbellè cognoscendo Iudæi acerrimi Christi hostes, dum in cruce pendens Dei filius clamaret, *Eli Eli lammasabathani.* (Matth. 27.) Matthæi 27. credebant facilè, quòd Eliam inuocaret. ideò offerentes ei spongiam aceto & felle mistam, loquebantur: *Sine videamus si Elias veniat, qui liberet eum.* (Ibidem.) ibidem. quasi ex hoc ipso verum ipsum Deum cognituri. si Elias venisset, quoniam is falsos DEOS non pateretur. Cùm ergo Princeps tenebrarum dubitaret, an Christus, vnigenitus esset Patris æterni: & pessima gens Hebræorum minimè consentire vellet, quòd verus esset Deus: ideò Christus in testimonium suæ diuinitatis, Moysen & Eliam statuit, quos etiam temporibus Antichristi, ad eius confusionem mittet, quando se impudenter Deum iactabit. Congrua sanè ratio; quid enim & in nobis prærequiritur ad hoc, vt in cordibus nostris hodiè gloriæ Christi splendor efformetur? vnicum sanè illud, vt nusquàm dubitemus de Christi diuinitatis præsentia, eumque in omni loco, & angulo recognoscendo, vitemus peccati idololatriam. nam si testimonium Christi in nobis præluxerit, quod non est aliud, quàm puritas conscientiæ, dubio procul & Christus triumphabit in cordibus nostris gloriosus.

Quarta deniq; ratio est, cur Moyses & Elias gloriosæ Christi transfigurationi affuerint, eaq; potissima quam tradit D. Hieronymus 1. parte epistola 2. & contra Iouinianum cap. 40. vbi

vbi dicit, id factum ea propter fuiſſe, vt ſacrum quadrageſimæ ieiunium commendaret; quod clariùs confir-

S. Hieron.

mat lib. 2. aduersùs Iouinianum. *Dominus* inquit *noſter atq; Saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant. ſed ieiuniorum conſortia, Moyſen & Eliam, transfiguratus, in monte ſecum oſtendit in gloria.* Et reuera documentum profundum huius veritatis habetur, quia Chriſtus non alio tempore magis ad triumphos & lætitiam accomodato, ſed tempore quadrageſimæ, tempore furoris & inediæ, diebus luctus & amaritudinis, transfiguratus apparuit in gloria. Vt palam faceret, veſtimenta ſplendida, quæ tantum triumphatorem decerent, non alia eſſe; quàm vitæ auſteritatem, corporis mortificationem ieiunij ſacri rigorem. Hoc pijſſimam illam Hieroſolymæ fœminam Iuditham, adeò venuſtam & aſpectu celebrem reddidit, vt vniuerſus Holofernis exercitus, eius pulchritudinem nuſquàm antea viſam, mirari ſatis poſſet. Hoc tres illos pueros, apud Pharaonem, ſupra omnes qui de menſa Regis optimis ferculis lautiſſimè veſcebantur, pulchriores depinxit: quia dùm homo diuina mandata explet, & ſacrum ieiunium lege cæleſti ſancitum obſeruat, tunc temporis ipſemet Dei filius, ſplendidiſſimi vultus ſui effigiem humanæ faciei imprimit, vt homo ieiunus non pallidus & macilentus, ſed roſâ & lilio pulchrior appareat, dùm in eius vultum latentis in corde Chriſti gloriæ ſplendor ſeſe prodit. Si ergo duo illi proceres Moyſes & Elias, tàm familiares Deo per ieiunium euaſerunt, vt Chriſtus transfiguratus in medio eorum ſteterit. Quis Chriſtianorum ſacra ieiunia fugiet? quis parcitatem cibi, mediocritatem potus, breuitatem ſomni formidabit! cùm nihil magnificentius ſit, quàm Deo non ſolùm abſcondito, ſed reuelato quoq; in gloria comitem aſſidere, & pares cum illo ſedes habitare, ad quam dignitatem ſola ieiunia homines euehunt: nam mens per ieiunium acuitur, vt Deum perfectiùs contempletur, ſicut per ſaginam obtunditur, ne ad Deum contemplandum euehatur. Vt præ-

Tertull.

clarè expoſuit Tertull. lib. de anima c. 20. illa ſua aurea ſententia: *opimitas ſapientiam impedit, exilitas expedit.*

Denique ad perfectam Chriſti gloriæ manifeſtationem, pertinent laudes & encomia: quia & inter homines, dum reges eorum triumphant, gratulatoriæ quædam & laudatoriæ acclamationes fieri ſolent. Sed quis tàm reſolutus erit, vt in laudes eius excurrere audeat? cuius fama nullos patitur terminos, lingua enim hîc obmuteſcit, areſcit eloquium: quod & ipſe

1. Cor. 21.

D. Paulus palam fatetur 1. Corint. 21. *Quæ* ait *non licet homini loqui.* Et reuera ſi intueamur ipſum Principem Chriſtum, quâ pompâ, quâ corporis elegantiâ, quo veſtium apparatu, ad manifeſtationem gloriæ ſuæ ſiſtit? veluti muta ſaxa elingues hærebimus. Nam inprimis præpotens æternus Pater, Filiũ ſuum throno lucidiſſimæ cuiuſdam nubis conſidentem, nobis ſpectandum proponit, cuius ſplendor aulæorum vice totum illud montis Thabor palatium, adornare cernitur. Explicat Chriſtus in conſpectu totius mundi maieſtatem ſuam oſtentans, immenſæ gloriæ, quâ à conceptionis inſtanti fruebatur, externos radios emittens, quibus & facies eius, & veſtimenta ſole rutilantiora & ſpendidiora facta fuerunt Matthæi 17. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.*

Matth. 17.

Vbi ſatis elogij ſonora Patris vox perſoluit, cælitùs vocem demittens, & mundo annuntians. *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Vbi nihil iam mortali linguæ ad laudes Chriſti relinquit; verùm ego ad decantanda Chriſti encomia vnicum reperio modum ex antiquitate, Iouis ſupremi Dei facta laudare voluit antiquitas, ſed quia vidit omnem humanæ laudis materiam tanto muneri minimè ſufficere, hac vſa eſt induſtriâ. pinxit Oratorem, quaſi in ſilentio orantem, in cuius pectore virtus mira arte ſculpta erat, cùm lemmate.

lemmate. *Hæc eſt vera Dei imago, quæ me ſilente perorat.* Hoc pariter modo ad encomia Chriſti celebranda vti debet pia Chriſtianitas, vt in pietate orando, virtutem perfectam in ſuo pectore ſculpat, quæ maximum eſt Chriſti encomium, qui non aliter in nobis, niſi per virtutem eſſe, & laudari voluit, iuxta illud Apoſtoli: *Chriſti glorificatio eſt noſtra perfectio,* quaſi diceret; dùm perfectè viuimus, Chriſtum glorificamus. Hæc certè eſſe ſumma Chriſti elogia, virtutes ſcilicet hominum iuſtè viuentium, optimè

Iſaiæ 49.

edixit Propheta Iſaiæ 49. inquiens: *His omnibus* velut *ornamento veſtieris,* quaſi diceret; nihil magis glorioſum eſſe Chriſto, quàm ab ore iuſti, & virtute præditi viri laudari.

Sed vereor, an hoc elogium Chriſti gloriam ſuam oſtentantis in omnium pectoribus ſit impreſſum? virtus ſcilicet Chriſtiana: quia video plurimos deſpicere ſanctitatem, abominari patientiam, incuſare ieiunia, contemnere caſtam conuerſationem, & prorsùs abijcere omnem viuendi perfectionem. Pauci enim comparent, qui præteritos defectus corrigant, emendent in melius, & Chriſtum ieiunantem ſequantur. Verùm etiam pauci admodùm diuinæ gloriæ ſpectatores fient: quod forſan ipſemet Sal-

Quare Chriſtus ad ſuam trãsfigurationem, tres tantùm diſcipulos aſſumpſit.

uator exprimere voluit, quando tres tantùm è numero diſcipulorum, Petrum, Ioannem, & Iacobum, gloriæ ſuæ ſpectatores ſecum aſſumpſit, forſan, vt paucitatem ſaluandorum demonſtraret. Sic D. Ambroſius in ca-

S. Ambr.

put 9. Lucæ ſcribens, ait, *In eo* inqnit *quòd Dominus paucos ſecum detulit ad intuendum gloriam transfigurationis, perpaucos oſtendit eſſe eos, qui cæleſtem gloriam ſunt adepturi.* Hinc & Carthagena tomo 9. lib. 8. homil. 11. inquirens rationem, quare Chriſtus Dominus non omnes Apoſtolos ad gloriæ ſuæ ſpectaculum duxit, reſpondet:

Carthag.

Quia inquit *ſi omnes vocaſſet, Iudas inter illos veniſſet, qui tantæ gratiæ idoneus non erat.* Ecce, ſi Catholicè Iudaicam vſurandi fænerationem ſequeris? ſi hypocriſim, inuidiam, fraudem, velut alter Iudas fingis? non es dignus, vt Chriſti ſplendor te ambiat. Si immùnditiam, adulterium, libidinem foues? non es idoneus, in quem puriſſimus transfigurationis radius cadat. Verùm ſacrum Quadrageſimale ieiunium, emundauit iam forſan conſcientias veſtras, & puriores cælo reddidit, quò faciliùs Chriſti maieſtas in vobis efformata ſeſe prodat: ideò nemo deſperet de radio gratiæ Chriſti. deſcendet hæc lux in cuiuſq; animum, ſiue ſapiens, ſiue potens, ſiue fortis, ad ardua quæq; ſubeunda fuerit.

Hanc enim ego cauſam cenſeo eſſe, cur Chriſtus tres tantùm iſtos diſcipulos ſuæ gloriæ ſpectatores eſſe voluit? vt oſtenderet, homini hæc tria potiſſimùm neceſſaria eſſe; doctrinam, patientiam, fortitudinem. Petrus enim patientiam ſignificat, quia etiam vmbrâ illius, magna fiebant miracula: vt hoc tempore, vmbras omnes peccati expugnemus, cùm ſummo infernalium poteſtatum prodigio. Per Ioannem, qui ſupra pectus Domini in cæna recubuit, ſapientia exprimitur: vt minimè faſtu mundanæ ſapientiæ elati, humiliter nos ad adorandum Chriſti pectus inclinemus. Deniq; per Iacobum, qui primus ex Apoſtolis Martyrium ſubijt, potentia figuratur: vt omnia amara & aſpera patienter ferre, non dedignemur. Non deſperent & in infima depreſſi calamitate, & in ſumma elati fortuna; & in horum enim corda deſcendet lux Chriſti gratiæ. Hæc eſt enim cauſa moralis, cur D. Petrus ad ſpectandam transfigurationis Chriſti gloriam aſſumptus fuit: vt tanquam cœleſtium bonorum theſaurarius, in eos qui Eccleſiæ ſanctæ mandata cuſtodiunt, lumen cœleſte demittat. Affuit ex Equitum potentiumq; cætu D. Iacobus, vt palam faceret, etiam diuites & magnis opibus atq; honoribus affluentes, eſſe idoneos ſuperni luminis, ſi in eis faſtus & elatio non dominetur. Affuit demùm ex pauperum numero ſanctus Ioannes, qui præ ardenti atq; eximia eius charitate, proximorum vtilitati conſulens

partes inopum egit, ne & hi propter suam inopiam, a splendore gratiæ & gloriæ Christi repellantur.

Ecce igitur vobis Christi gloriosam transfigurationem proposui, montem, in quo transfigurari voluit, esse cor vestrum castum & pium: vestimenta splendida, esse sancta Ieiunia, corporis mortificationem. Encomia denique, esse virtutes, & pietatis opera ostendi, si ergo desideratis, vt lux gratiæ Christi in vos descendat, triplex cor suum Deo quisque offerat; mærens de mali commissione, scilicet; peccati lugendo, iuxta consilium Prophetæ Ieremiæ 8. num. 18. *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mærens.* cor pauens, de boni amissione tristando: quemadmodum Heli Sacerdos, qui pauens fuit pro Arca Domini: vobis autem præstantior Arca fœderis est, gratia Saluatoris, quæ seruatur per obedientiam, alienatur per culpam, recuperatnr per contritionem. ideò si illam amisistis, pauete. Deniq; cor gaudens, de mali remissione, & boni repromissione sibi gratulando, qui iustificati & Deo reconciliati estis, iuxta illud Sapientis Prouerb. 15. num. 13. *Gaudium conscientiæ non potest sic latere interiùs in affectu, quin pateat exteriùs in aspectu.* Purificate corda vestra, donec Christus formetur in vobis, & quemadmodùm apud pictores ille solus color firmiter indelebilis adhæret, qui oleo delibutus est; ita quoq́, qui Christum in vobis transfiguratum habere vultis, procurate omni studio ita eum efformare, vt ne quocunq; tentationis turbine adueniente obliniatur, sed sacro ieiunij & Spiritus sancti oleo adhibito, vt in vestro corde efformatus, in æternitatem vsq; permaneat.

Ierem. 8.

Prou. 15.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Et transfiguratus est ante eos. *Mtthæi* 17.

Causa Christi transfigurationis [illegible]r.

A CONscendimus hodiè montem Thabor, id est; ad desideratum illud lumen propiùs iam nobis aduentans, Christum Iesum, per inchoata feliciter Ieiunia progredimur auspicato passu, vt cœlestem illam æterni Patris felicitatem, Christum in sacratissimo vultu suo delineantem intueamur, eiusq; gustu inter pœnitentiæ & ieiunij austeritatem, nos aliquantum debilitatos reficiamus. Ad hanc admirandã metamorphosim inspiciendã incitat nos Propheta Ps: 10. B *Transmigraui in montem sicut passer*, quasi diceret; accelera celeriter ad montem pœnitentiæ sanctæ, & velo mundanæ peccatorum vmbræ hactenùs obductam, tibi Christi faciem iam apertam & reuelatam cerne, viuaq; eius imagine oblectare: è cuius radiante vultu, vel vnicus descendens radius, in tanta vbertate tuam animam gratiâ perfundet, vt meritò cum Moyse & Elia dixeris, *Bonum nos hic esse*, & à te Domine in æternum non separari. Sex ego in tota scriptura Christi trans- C figurationes reperio, in quibus humanum genus mirum in modum semper recreatum erat. Prima eaq; ineffabilis eius transfiguratio fuit, sanctissima incarnatio, cùm ille qui erat figura substantiæ patris, factus est figura substantiæ matris. Et vt D. Paulus ad Philippenses 2. loquitur: *Qui in forma Dei erat, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* ex qua transfiguratione tanta in omnes creaturas pullulauit vtilitas, vt quasi tunc primùm omnes nasci, aut veriùs dixerim, è mor- D te peccati renasci viderentur. Altera mirabilis eius transfiguratio fuit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, dùm sub figura panis & vini, carnem & sanguinem suum nobis in cibum & potum tulerit. Matth. 20. *Accipite* inquit *& comedite, hoc est corpus meum, & bibite ex hoc omnes.* & ex hac transfiguratione illud beneficium nobis obtigit, quòd hoc delicatissimo epulo, diuinæ participes efficiamur naturæ, vt dicitur Ioannis 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Tertia eius transfiguratio fuit in horto, dum

Psal. 10.

Sex Christi transfigurationes

Philipp. 2.

Matth. 20.

Ioann. 6.

to, dùm paueret, & guttæ sanguinei sudoris è facie eius in terram defluerent, & ex hac transfiguratione illud beneficium mundo obtigit, quòd in fide salutis nati, deficere non permittamur, iuxta Christi promissum Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt fides tua non deficiat.* Quarta eius transfiguratio fuit in cruce, vbi tota eius pulchritudo fœditate contecta erat, & innocentia ac sanctitas sub figura peccatoris ac facinorosissimi hominis comparuit. Quinta in gloriosa resurrectione, de qua Apostolus 1. Thessalonicens: 4. dicit: *Si credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Sexta deniq; in monte Thabor, vbi gloriam suæ maiestatis discipulis exhibuit, vt ostenderet omnes fideles fore participes illius gloriæ. Istius nos hodiè Deo adiuuante transfigurationis causam & vtilitatem inquirem⁹.

Lucæ 22.

Thessal. 1.

Multiplicem diuinæ transfigurationis hisce sacri ieiunij diebus factæ, rationem assignant Doctores. Primam tamen ego, eamq́; omnium præcipuam meo exili ingenio repertam esse puto, vt illa admiranda sua claritate, hominum animos ad sedulam suæ illius gloriæ æmulationem incitaret: ea enim semper Dei consuetudo fuit, vt cùm difficile quidpiam faciendum præcipere vellet, præmium laboris primò proponeret, atq́; polliceretur: vt illa eius infallibili promissione attracti homines, faciliùs & promptiùs iussa Dei exequerentur, Hinc cùm Abrahamũ iuberet è patrio solo egredi, domumq́; hæreditariam ac consanguineos omnes relinquere, quoniam arduum illud opus erat, factuq; difficile, remunerationem ei opulentam promisit, inquiens: *Ego ero merces tua magna nimis.* Genesi 15. Similiter cùm Patriarcham Iacob mitteret ad scalam illam, cuius vna pars cælum, altera humum tangebat, vt ipsum ad ascendendum in tàm arduum & sublimem locum alliceret, seipsum in vertice illius scalæ tanquàm præmium laboriosi illius cursus proposuit. Similiter vt filios Israël ad per- A ferendos æquo animo in deserto sudores & amaritudines animaret, misit in terram promissionis (ad quam illos Duce Moyse dirigebat) exploratores, vt aliquid de fructibus fertilissimæ illius terræ afferrent: qui racemum tulerunt tantæ magnitudinis, vt duorum humeris impositus, perticâ suspensus, vix afferri potuerit. Ideò autem Deus in principio statim præmium suis creaturis proponere solet, quia scit homines tàm esse suæ vtilitatis amantes, vt nisi illa ducantur B atq; laboris & industriæ suæ sperent mercedem, nequaquàm oneri humeros submittere velint: & tardè admodùm atq; ignauiter sese ad opus accingant, quód clarè innuit Propheta Psal. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Et quo magis præmio ad fortiter ferenda aspera ieiunia, ad mortificationem carnis, ad fugam omnis illicitæ actionis, hominem incitare potuit? quam illo clarè ostenso maiestatis suæ fulgore, cùm resplenduit facies eius sicut Sol. quo motiuo efficaciùs hominum cordibus cœlestis illius gloriæ desiderium inserere potuit? quàm cùm specimen vestimentorum suorum palam exhiberet, insinuans pari decore aulicos suos in patria induendos. dicente Paulo ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Proponit & nobis hodiè sacrum Euangelium, diuinæ claritatem gloriæ, vt vestigium hoc æterni præmij attentiùs considerantes, ad expugnan- D dos infestissimos hostes accendamur, & virtutis amore incitemur. Scribit Homerus lib. 3. Iliadum, Priamum cum suo exercitu descendisse in prælium aduersùs Græcos, qui cùm inter se maximo impetu concurrerent, summoq; armorum strepitu decertarent, ne funestus ille sonitus, lachrymabilis cæsorum gemitus, & lugubris tiliarum atq; tympanorum strepitus, illos à pugnando deterreret, incredibilis dictu pulchritudinis imaginem Reginæ Helenæ in vexillo spectandam illis proposuit; pro qua veluti inæsti-

Causa Christi transfigurationis.

Genes. 15.

Psal. 112.

Philipp. 3.

Homerus

inæſtimabili pignore ſtrenuè decertarent. cuius milites admirandam contemplantes pulchritudinem, pro nihilo prorsùs duxerunt cruentum illud bellum reſolutiſſimis animis inire. Quid verò ipſiuſmet Saluatoris pulchritudo ? quam nullus pictorum (quos fama Antiquitatis celebrat) ſuis delineare poſſet penicillis ; non arte pingendi celeberrimus Apelles, non mira delineandi ſubtilitate clarus Protogenes, non inſignis Zeuxis, an non corda veſtra cœleſtium bonorum incitabit amore ? an non ad acerrimam pœnitentiæ pugnam permouebit ? an nō ad cruentum per animi atque corporis compunctionem cum dæmone incundum bellum vos ſtimulabit ? Habetis in hoc certamine militare vallum cinerem, quo aſperſi eſtis, vt vos ad humilitatem inclinet ; habetis armillam cilicium, quo imbecilla caro veſtra armata, non facilè hoſtibus aditum concedet, habetis lanceam, diſciplinam, cuius vel leuiſſimo ictu ex amore Dei ſuſcepto, ipſe infernus terretur. habetis igneos globos ſacrum ieiunium, cuius protectione velut inexpugnabili clypeo omnem in gratia DEI lapſum facilè poteritis euitare. habetis vexillum ipſam Chriſti crucem, in qua non Helenæ, aut Lucreciæ, aut Iudithæ pulchritudo depicta eſt ; ſed ſacri vultus Chriſti eximius decor, & inaudita venuſtas, vt pro illa omni fortitudine pugnetis cum antiquo ſerpente, Guſtate proinde & videte quoniam ſuauis eſt Dominus ; experimini peccatorum pœnitentiam ; inchoate cōpunctionem anteactæ vitæ : diſcite effrænatis ſenſibus reſiſtere, laſciuientem compeſcere appetitum, culpas præcipuè lethales vitare, Figura certè diuinæ iſtius transfigurationis fuit Daniel, quem Dauid ex vxore Abigail ſuſcepit, vbi ex ſententia grauiſſimorum Hebræorum, refert Nicolaus de

Lyranus.

Lyra, quòd cùm inaudiſſet Dauid filium ſuum Danielem paruipendi, & ab aulicis obmurmurari, quaſi filius Regis non eſſet ; ſed ex ruſtica quadam familia Nabal, cuius antea vxor erat Abigail. Dauid ægrè ferens illum filij ſui contemptum à communi populo, ſupplex ad Deum conuerſus obſecrare cæpit, vt filij ſui conſuleret honori. cuius orationem exaudiens Deus, transfigurauit faciem pueri, ſimilemq; vultus patris reddidit 2. Regum 3.

2. Reg. 3.

Simile quid euenit Chriſto Dei Filio, quem omnes quotidianis offendere exceſſibus, & magnis afficere calumnijs auſi ſumus, quaſi non eſſet de familia Dei, ſed ex ruſtica quadam progenie, quòd ipſi ſæpiùs exprobrabant Iudæi Matth. 6. *Nonne hic eſt filius fabri ?*

Matth. 6.

ſed ægrè id ferens æternus ille Pater, vt hunc errorem ex mentib⁹ hominum euelleret, & grauè illum filij ſui contemptum vindicaret, faciem eius hodiè in monte Thabor transfigurauit, vt iam naturalem eius filium agnoſcendo, omni veneratione proſequi diſcamus, & ſi quam ei intulimus contumeliam, eam ſubmiſſione & humilitate compenſare ſtudeamus.

Alteram Dominicæ transfigurationis cauſam reperio, quia cùm Chriſtus Dominus munificentiſſimus eſſet in ſua transfiguratione, manifeſta indicia ſuæ liberalitatis exhibere voluit. Antiqui Hiſtoriographi ſummoperè extollunt Cleopatræ magnificentiam, quâ adeò præcelluit, vt Marcum Antonium ad cœnam inuitans, in quodam conuiuij ſui condimento, margaritam, quæ ducentorum millium aureorum valoris erat, aceto diſſolutam, & in minutiſſimos pulueres redactam, porrexerit. Non diſſimilem Chriſtus munificentiam hodiè exhibet mundo, qui vt nos ad cænam ſuam præparet, inæſtimabilem ſuæ humanitatis margaritam, eximiæ gloriæ ſplendoribus coruſcantem, in delicatiſſimo conuiuij ſui epulo, ſcilicet in propria carne ſua nobis exhibet, oſtendens hoc vnione beatos in patria reficiendos & locupletandos. Cleopatræ margarita vni tantùm Antonio ſatis fuit, gloria in facie Chriſti repræſentata, pro numero beatorum multiplicabitur, & iuxta magnitudinem meritorum ſingulis data, abundè ſufficiet. Erubuit certè Antonius,

quòd in omni ſua magnificentia, vno duntaxat Cleopatræ condimento ſuperatus eſſet, dum vnionem è poculo hauſit. An certè & nos erubeſcere non debemus, quòd cùm tanta ſit diuinæ gloriæ appretiatio, vt eam nulla hominum quantumuis maxima merita adæquare poſſint, teſte Apoſtolo

Rom. 8.

Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* minimè tamen illam promereri ſtudemus. ſuper quæ

Origenes. Theoph. Theodor.

verba Origenes, Theophyl, & Theodoretus, inquiunt : *licet ò homo ieiunares ſicut Elias ! licet catenis ferreis corpus tuum verberando affligeres, vt ſanctus Dominicus ! licet perpetuò, ſacco & cilicio indutus incederes, vt ſanctus Franciſcus ! præmio nihil ominùs æternæ gloriæ, quòd pro laboribus ſperas, minimè æquari poſſes : cognoſcereſq; quia non ſunt condignæ paſſiones illo lumine de facie Chriſti radiantis procedente.* Rursùs quamuis fractis carceribus dæmones erumpentes te perſequantur, ignis tua horrea vaſtet, abigat armenta hoſtis, interficiat pecora miles, ſi commotis turbinibus domicilia concuſſa filios filiaſq; tuas opprimant, adeò vt ſolus maneas ſuperſtes, & inops decumbas in ſtercore nudus, vermibus ſcatens, leprâ percuſſus, à coniuge & amicis derelictus, & omnium ludibrio expoſitus tanquam ſimplex & rectus Iob ; nondum tamen tam amaræ paſſiones tuæ condignæ eſſent, vt radiantem Chriſti vultum intuearis. Quin immò licet inferorum flammis obruaris, & omnibus tormentorum generibus, ac cruciatibus vexeris, nondum tamen eſſent condignæ paſſiones tuæ, vt reuelatam Dei gloriam videas. Ac deniq; licet perſecutionem patiaris à fratribus tuis, vt innocens Abel ab impio Caino : licet dolorem à nece filij ſibi præcepta, vt Abraham vnigenitum Iſaac immolaturus : licet labores vt Iacob, pericula vt Moyſes, inſidias & vexationes vt Elias ſuſtineas, has tamen omnes tuas amaritudines agnoſceres non eſſe dignas, ad futuram illam gloriam, quæ nobis reuelabitur in Chriſti vultu triumphante.

Tertia ratio eſt, cur Chriſtus Dominus in oculis Apoſtolorum transfigurari voluerit ? vt ſcilicet verum exemplar æternæ felicitatis ante oculos hominum proponens, à falſis opinionibus eos abſterreret, qui à veræ beatitudinis ſcopo aberrantes, in rebus caducis eum poſitum eſſe opinabantur : non enim in rebus mundanis vlla beatitudo perfecta reperiri poteſt, ſed in ſolo DEO, ad cuius contemplandam maieſtatis gloriam conditus eſt homo : vt inquit Auguſtinus de diligendo Deo cap. 13. *Creatus eſt* inquit *homo vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur.*

S. Auguſt.

Hæc vnica & perfecta eſt felicitas, teſte Ethnico Philoſopho in præfatione libri 1. Naturalium quæſt: cap. 49. Vbi inquit : *O quàm ridiculi ſunt mortalium termini, punctum eſt quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur, ſurſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur. At ita ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leuiſq; ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ, quòd ſcilicet illum diuina delectant, nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.*

Seneca.

Fatetur hoc ipſum Propheta Pſal. 16. *Adimplebis me* inquit *lætitia cum vultu tuo,* quaſi diceret ; tunc Primùm perfectam homo aſſequetur beatitudinē, tunc omnimoda fructur voluptate, cùm te æterne rerum creator tanquàm vltimum ſuarum actionum terminum contemplabitur. Nec enim alia de cauſa, ſumma claritate coruſcans in monte Thabor diſcipulis apparuiſti, niſi vt probè intelligeremus, indefectibilem beatitudinem nō in alio ; quàm in Chriſti viſione & fruitione conſiſtere. Proponit quidem etiam mundus ſuam nobis felicitatem, ſed parcè nimis illam inter nos diuidere vult, quàm fallacis mundi parſimoniam pulchrè explicat D. Ioannes in ſuis reuelationibus Apocal. 17. vbi refert ſe vidiſſe mulierem laſciuientem, aureum manu geſtantem

Apoc. 17.

tem poculum, omnesq; terrarum orbis incolas, vt ex eo biberent, inuitantem. Confiderate quæfo mulierem illam, genuinam mundi imaginem fuiffe : quæ totum fuum vinum, & omnes voluptates, in vno idq; exiguo fatis poculo hauriendas proponit, ex quo fi omnes bibere vellent, vix minutiffima fingulis gutta fufficeret, immò deficeret potius in momento, & fame fuos opprimeret fectatores. Cuius rei pulchrum apud Poëtas documentum præbet Tantalus ille; qui cùm ad fauces vfq; appofitum cibum haberet, & ad labia fcaturientem potum ; fed cùm fe vellet reficere, omnia illa euanefcebant. ô quot bone Deus inter mortales his temporibus, paribus cruciantur tormentis ? paucinè lautiffimis indulgentes epulis, dùm in oppiparo menfæ apparatu fuam collocant felicitatem, plerumq; & pocula & fercula, dùm in illis omnem luxum explere conantur, fubitò in oculis illorum euanefcunt. Paucinè in Regum aulis, Principum palatijs, intolerabiles diu perferunt fudores, vt faftigia honorum, quafi vltimam beatitudinem attingant ? fed cùm iam ad os appofitas fibi habent dignitates, vix illas degustare incipiunt, & ecce fubitò vel repentina morte, vel alio aduerfo euentu omnia hæc in oculis eorum euanefcunt.

Pulchrè breuem mundi durationem bonorum oftendit DEVS quondam Moyfi, dùm propter eius vacillationem in eductione aquæ ex filice, iuffit illum in montem arduum confcendere, ex quo terræ promiffæ amænitatem & pulchritudinem profpectaret, cumq; intueretur hinc prata virentia, varijs diftincta floribus ; inde fontes liquidiffimos profluentes aquis, & pomaria mino artificio confita : & ecce Deus dixit ad Moyfen Deut. 34. *Vidifti eam oculis tuis ? non tranfibis ad illam.* Quafi diceret ; vos omnes mundi affeclæ, qui in honoribus & diuitijs, in voluptatibus & luxu fummum reputatis bonum, pulchra quidem hæc omnia vobis videntur, quæ mund⁹ ob oculos ponit, fed ad illa nón venietis, quia tanquàm vmbra citó tranfiens, à vobis apparentes ifti colores aufugient. quia vt inquit Sapiens Ecclef: 2. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Placent quidem hæc caduca mortalibus, fed & ipfa citò pereunt, & hominum animos ad perennes cruciatus adducunt. Quod indicauit Deus Zachariæ, dùm è medijs duobus montibus egredi vidit Equitum cohortem. Et equi rufi, equi nigri, equi albi, equi varij gradiebantur ceruicibus erectis, buccis defpumantes, pedibus terram quatientes. quid quæfo montes illi duo, nifi fuperbiam & luxuriam ? quid equi ? nifi prætereuntem mundi vanitatem figurabāt ? quatuor certè equi, quatuor funt mundi imperia. Nigri denotant Affyriorum dominatum præ mærore cordis, quo Regis Affueri affecerat præcordia, rufi Perfarum oftentant fceptrum : nam in illa dominatione, fanguine populi in multitudine innumera deleti, campi inundabant, & fluuij manare videbantur. Albi Græcos fignabant, quia Alexander in fumma rerum fortuna nimia erga eos vfus erat clementiâ. Varij deniq; Romanorum poteftatem figurabant : Roma fiquidem non vnius moris & gentis, fed omnium nationum & rituum habuit Imperatores ; alios quidem mites, alios crudeles, & ecce mox fubdit fcriptura. *Ifti funt quatuor venti,* quafi diceret ; ventus eft ifte Perfarum amænitas, ventus Affyriorum Dominatus, ventus regnum quod acquifiuit & fuæ ditioni fubiecit Alexander, ventus Romanorum Imperium, ventus inanis concuffufq; aër vniuerfa mundi gloria : citò enim tranfit, & in oculis hominum euanefcit. Quid aliud obfecro, hodierna transfiguratione Chriftus nobis commemorat, quàm temporalium rerum fugam, & fui ipfius amorem ? vt fcilicet ad eam gloriam, quæ in facie Chrifti relucet, diuino nobis fuffragante auxilio, ardenter & feftinanter anhelemus. Si etenim fenex quondam Vlyffes detentus à Califto, famam faltem fuæ Patriæ intueri

Ecclef: 2.

Equi rufi, nigri, albi, varij, quid fignificét.

Zachar. 6.

Deut. 34.

intueri cupiebat ? quomodò fieri poteft, vt nos cœleftis Patriæ inacceffibilem lucem, & reuelatum in Chrifti facie fplendorem auidiffimè non defideremus ? fortiter in hac lachrymarum valle præliando, vt poftmodùm in Patria cœlefti æternæ gloriæ laureà redimiti triumphemus. Vt dicit Chryfofthomus fuper Epiftolam ad Philippenfes : *Surfum pofita eft palma, immenfum quidem fpatium, fed maius eft præmium.*

S. Chryf.

Quarta ratio Chrifti transfigurationis eft, vt fcilicet oftendiffet Chriftus fe iam omnem indignationem aduersùs genus humanum deponere velle, & omnem amorem ac paternam clementiam eidem exhibere. Ac proinde cùm vultum Dei hucufq; abfconditum haberet homo, propter fuam præuaricationem, nunc iam in pignus amoris fui, illum nobis manifeftat mirificis radiantem fulgoribus. Vt dicitur Ifaiæ 45. *In momento indignationis meæ, abfcondi parrumper faciem meā à te, & mifericordia in fempiterna mifertus fum tui.* Scribit Homerus in Iliad 3. quòd cùm Hector fplendidiffimis armis indutus incederet, & nutricem filij fui brachijs illum baiulantem in via offendiffet, & ad illum amplexandum à tergo properaffet, infans armatum hominem expauefces, cæpit lachrymari, pariterq; vociferari collum nutricis apprehendens, & quafi auxilium ab ea petens. Quo cognito Hector, pro fingulari in filium amore & beneuolentia, depofitâ galeâ hilarem infanti præbuit vultum, moxq; eius pauorem in alacritatem commutauit. Simili planè modo, quamdiu Deus fulgidiffimis omnipotentiæ fuæ armis aduersùs hominem incederet, omnes fulgorem eius ferre non valentes, quafi fortem bellatorem expauefcebant, adeò vt nec Moyfes aufus fuerit faciem eius intueri : & Elias tranfeunte Domino vultum fuum cooperuit, non audens Dominum irretortâ fpectare pupillâ. Sed ecce poftquam Dominus depofuit galeam furoris & indignationis fuæ, affumpfitq; veftem humanitatis & clementiæ, fubitò fplendentem eius faciem, cælefti gloria non tantum iam exhilaratus homo, illum è propinquo intueri ; fed infolito eius illo ipfius lumine perpetuò frui defiderat. Sed quid obfecro ò bone Iefu toties huic tuæ claritati aditum in nobis præcludit, ne è radiante vultu tuo, & ipsâ cryftallo puriori, in nobis prodeat ? Quid eft, quòd hac pulchritudine tuâ non paucos noftrûm diuturnò interuallo fpoliat ? & plerofq; his fplendoribus tuis æternùm priuet ? crediderim profectò grauiffima peccata impedimento effe, quorum obfcuriffima nubes inter te velut folem luciduffimum, & inter mortale corpus noftrum, velut opacam terram interpofita, radios tuæ gloriæ ad animas noftras tranfmeare non patitur, & obfcurum te nubilumq; nobis præbet. Hæc vnica caufa eft, quæ nos toties æternùm à te feparat, quia cùm nube peccatorum ad te indignè accedimus. Voluite quæfo fcripturas, reuoluite facras paginas, & videbitis non aliud nos feparare à DEO quàm peccatum. Confiderate qua de caufa Deus repentinæ mortis cafu Ozam extinxit ? 2. Reg. 6. & ecce caufam gloffa interlinearis reddit, quia cum Oza obligatus effet Arcam DEI humeris fuis portare, ipfe tamen vt fe ab huiufmodi onere eximeret, iunctis duobus ad plauftrum iuuencis, Arcam Dei ferendam commifit. Et ecce Deus ira percitus, refpondit : *Nunquid arcam hominum humeris ferendam, brutis animantibus commififti ?* grauiq; vulnere humeros eius percuffit, quibus Arcam Dei geftare debuerat. *Percuffus eft* (inquit Gloffa) *in humeris, quibus fecundùm legem Arcam ferre debuit.* Hic iam reflectite veftros animos boni Catholici, & agnofcite caufam, cur Iudæorum inftar terram illam promiffionis, fcilicet æternæ gloriæ multi veftrûm nō adeant ? hanc folam effe, quia Deū in cordibus veftris nō portatis. Multi veftrum per fauores afcendere volunt ad honores, tàm fpirituales, quam fæculares : & non aduertunt, ibi Arcam Dei fuis humeris portandam refidere.

Ifaiæ 45.

2. Reg. 6.

Gloffa.

fidere. Vel certè onus hoc colendi Deum & ſeruandi eius præcepta refugiunt,vt Deum è cordibus ſuis,quaſi ex humeris in terram deijcientes, & ipſi miſerè pereant. Ingenioſè finxit Ouidius in ſua metamorphoſi, Phäëtontem hunc obtinuiſſe fauorem, vt vno die Solis currûs habenæ gubernandæ ſibi committerentur, aurigerandi tamen ipſo imperito, deflectentibus ſolis equis, in terram decidiſſe, & combuŕiſſe totam. Hoc paſſim vobis euenit, qui affectatis eminentiora munia : ſi enim regere neſcieris, aut domus tuæ habenas moderari, vt ſaltim hoc ſacro tempore,ad tuam habitationem impudicæ veneri non pateat aditus, vt ſolis inſtar fulgurans, virtus cum imperito Phäëtonte non aberret in vitium, vt ex altiſſimo diuinæ contemplationis faſtigio in terram non corruas ; vbi tuus pudicitiæ currus facilè confringi poſſet, totam tuam terram, id eſt ; & corpus & animam infernali ardore exures, nec ab alio ; quàm à te Deus vindictam exiget, qui arcam Dei, ſcilicet præcepta eius ſancta, geſtare & cuſtodire debuiſti. Hæc Phäëtontis pæna euenit quoque non raro delicatis Catholicis, quibus Deus rigorem ieiunij ſeruare præcepit ; ipſi tamen onus hoc ſubterfugiunt, & varias confingunt cauſas, vt Eccleſia fictæ eorum imbecillitati indulgeat, & aſperos ieiunij cibos in delicatiora commutet fercula. Sed erras miſer homo, & Arcam DEI in qua ſalus tua verſatur, portare renuis : & quomodò enim cœleſtes delicias aſſequeris ? ſi hic delicatè ſemper viuere poſtulas. cùm non niſi poſt multas tribulationes, voluptas illa obueniat. Ecce ipſe incarnatus Dei filius, cuius tenuiſſima & delicatiſſima caro erat, tàm auſterè ieiunia adimpleuit, omnibus exemplum relinquens. quomodò etiam in ſummis delicijs enutriti, ieiunijs aſſueſcere debeamus. Quintam rationem aſſignat D. Chryſoſthomus & ſanctus Leo, qui affirmant ideo Chriſtum transfigurari voluiſſe, vt firmiùs ſtabiliret in diſcipulorum animis mortem & paſſionem ſuam. omninò voluntariam eſſe, vt ſcilicet videntes eius gloriam, omnem deponerent metum de exceſſu mortis : vt minimè trepident dùm ſibi è corpore exeundum eſt, memores quòd ſi Chriſtum in humilitate & auſteritate imitati fuerint, illius gloriæ, quam Chriſtus ante mortem diſcipulis in ſe oſtendit, participes poſt mortem, ſint futuri.

Quamobrem cùm tanta ſit diuinæ gloriæ dulcedo, vt nullum intellectum & appetitum creatum ad ſe non trahat, ſatagite quæſo, vt per bona opera veſtra tam aſſequi valeatis, compeſcite omnes effrænatos affectus, & omnia hæc quæ momentanea ſunt, vt æterna illa & cœleſti felicitate per frui mereamini.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ipſum audite. *Matth. 17.*

Chriſto naturalis DEI filiatio competit, creaturæ verò ſolum adoptiua.

VNica eaq; conſummata mortalium felicitam eſt, proſperum filiorum euentum ſpectare, & in ampliſſima honorum faſtigia euectos abſque inuidia mirari. Quia vt optimè Lyranus in 3. Regum caput primum diſcurrit : *Non eſt inuidia patris ad filium, ſi excedat illum in honore & gloria : pater enim manet quodammodò in filio, & ideò bonum filij, eſt etiam bonum patris.* Lyranus Hinc vſitatum Regibus, vt videntes magnanimitatem filiorum, aut victorias de hoſte cum triumpho reportatas, eximijs illos titulis condecorent. Æternus ille Pater, cuius nutu cuncta reguntur in orbe, omnes inuictum Chriſti robur, quo etiam in fortitudine nimis elatum tenebrarum Principem domuit, dùm primùm ab eodem hiſce iaculis in deſerto peteretur, *dic vt lapides iſti fiant panes*, Matthæi 4. Matth. 4. quaſi ſubtiliter cum illo argumentando ; quemadmodùm inquit creatio

ſoli tantùm DEO conuenit , ita & conuerſio vnius ſubſtãtiæ in aliam virtutem infinitam requirit ; vnde ſi tu ſubſtantiam lapidum conuerteris in eſſentiam panis, eo ipſo diuinam in te omnipotentiam monſtrabis, & conſequenter te verum eſſe Deum, hinc non ineuidenter patebit, ſic ad refutandam cacodæmonis fallaciam profundâ Chriſtus vtitur ratione : Ibidem. *Non in ſolo* inquit *pane viuit homo.* Quaſi taliter argumentando ingenioſè, tentationem ſathanæ expugnaret : Deus & natura nihil faciunt fruſtra. Tu omnis aſtutiæ & fraudis inuentor, cùm ſis ſpiritus, pane non eges, neq; vllo cibo : ego pariter licet naturali carne indutus, eo fine in deſertum me contuli, vt 40. diebus ſine cibo & potu ieiunarem : vnde fruſtra & temerè : quia abſq; neceſſitate id à me exigis. *Cupis tentare* (inquit Petrus Chryſologus ſerm: 11. ſuper Matth.) Chryſol. *eſurienti tenera offerre debuiſti, non dura, famem non aſperis palpare, ſed blandis, inediam non horridis vrgere ſed guloſis. Iſtis non modo Dei filium, ſed filium hominis illaqueare non poſſes. Ad præſentiam Chriſti deperire tibi artes tuas tentator intellige.* Et ecce dum illi ars tentandi in pane non ſuccederet, ad genuflexionem proſilijt : *Si cadens adoraueris me, dabo tibi hæc omnia.* Et quomodò id fieri poteſt ? vtiq; nemo dat quod non habet, ipſe dæmon nihil penitùs iuris habet in mundi regna, cùm ſolus Deus omnem vniuerſi poſſeſſionem ſibi approprìet, inquiens : Pſal. 23. *Meus eſt enim orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.* Pſal. 27. ſtratagemate video dæmon hîc vſus eſt, volens experiri an vera Dei eſſentia in Chriſto eſſet : quoniam Deus honorem ſuum nemini dare poteſt : *Honorem meum nemini dabo.* Vnde occultam illationem faciebat dæmon. Si me inquit Chriſtus cadens adorauerit, faciet id contra dignitatem eſſentiæ ſuæ diuinæ : talia autem operans, Deus eſſe nequit. Proinde & Chriſtus, ſi me cadens adoraret, non eſſet verus Dei filius. Arduus hic impetus erat Chriſto, cùm iam honor periclitaretur, confundit itaque dæmonem verum ſe illius dominum probando : *Dominum Deum tuum non tentabis, ſed illi ſoli ſeruies.* & ecce dæmon confuſus abit. Placuit hæc prudentia Chriſti, quâ ſubtiliter vſus eſt ad retundenda dæmonis argumenta : placuit inuicta conſtantia, quòd tam fortiter aggredientem hoſtem ſuſtineret, vt prorsùs omni ſpe victoriæ deſtitutus,confuſus abire debuerit. & ideò in præmium feliciter & cum triumpho abſoluti certaminis, charactere deitatis à Patre æterno intitulatur. Hic eſt filius meus dilectus. Ideò in quo conſiſtat Dei filiatio, & quomodò Chriſto ſecundùm naturam humanam poſſit attribui, quòd ſit filius Dei, conſiderabimus.

Duplicem Dei filiationem agnoſcunt Doctores, vnam naturæ, alteram adoptionis. Filiatio Dei duplex. proinde & filius Dei dupliciter quiſpiam dici poteſt, ſcilicet ; filius naturalis, & filius adoptionis. Filius Dei naturalis eſt Chriſtus reſpectu ſuæ deitatis : quia procedit à Patre æterno per communicationẽ naturæ viuentis ; hoc eſt ; quia totam ſuam eſſentiam accipit ab illo. Quod de ſemetipſo teſtatur 8. Prouerb : Prou. 8. *Dominus* inquit *poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret à principio.* Septuaginta verò legunt : 70. *Dominus creauit me initio viarum ſuarum.* Vbi quamuis aliqui Doctores per illam particulam me, putent intelligi creaturas rationales, dicuntq; quòd verbum æternum in his verbis homines ſeipſum appellet. Ita D. Athanaſius orat: de humana natura. S. Athan. *De Eccleſia* inquit dicit : *quæ in ipſo conditur : non enim creator omnium creatura aut opus eſſe poterit, ſed opus in opere renouatum.* Cæterùm multò veriſimiliùs magiſq; ſcripturæ conformiùs eſt, verbum æternum hoc loco loqui de ſuà generatione æterna, per quàm ſecundùm omnia Patri æqualis ſine vlla nouitate eſſendi, in ipſo principio diuinæ operationis ad intra, hoc eſt ante omnem æternitatem, quam mens humana concipere poteſt prodijt.

A Filius verò Dei adoptiuus eſt, qui libet homo, quem Deus admiſit ad participationem theſauri ſui, vt de illo, in quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, hauriret homo inappretiabilia dona, quorum ope portum æternitatis contingeret. Quē omnibus creaturis ſublunaribus præeſſe voluit, vt hac dominandi prærogatiuâ faciliùs ſibi eum mancipáret, cùm dignitatibus & donis fortiſſimè trahantur mortalium animi. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem fecit omnis poſſeſſionis ſuæ.* B Quem quaſi veſte quadam filiali, gratia ſanctificante induit, in tutelam & ſingularem ſuam prouidentiam eum recipiendo atteſtante Apoſtolo 1. Ioannis 3. (1. Ioan. 3.) *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Per hanc igitur gratiam ſanctificatus homo, amicitiam quandam & filiationem Dei adoptiuam conſequitur, ſi ergo Deus miſericordiſſimâ ſuâ manu ad tantam dignitatem hominem erexit, vt eum pro filio voluerit habere 2. Corint. 6. (2. Cor. 6.) C *Ego recipiam vos, & ero vobis in partem, & vos eritis mihi in filios.* Quis non fatebitur, eſſe filium Dei nihil aliud indicare, niſi exprimere in ſe diuinam voluntatem, illiq; omnia ſua opera conformare, ſub hoc tempus cruentæ Chriſti paſſionis id potiſſimùm conſiderando, quomodò diuinam gratiam promereamur, veramq; effigiem Chriſti, in omnibus noſtris factis circumferendo, iuxta conſilium Apoſtoli 1. Corint. 15: (1. Cor. 15.) *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & cœleſtis.* D Imago Catholici mei hominis terreni eſt peccatum, imago verò hominis cæleſtis eſt gratia, vt ingenioſè exponit Angelicus Doctor, ad caput 15. 1. Corint: (S. Thom.) lectione 7. *Quamdiu* inquit *peccatores fuimus, in nobis fuit ſimilitudo Arcæ*: vt ergo poſſimus eſſe cœleſtes, & peruenire ad vitam gloriæ, portemus imaginem cœleſtis per vitam gratiæ.

Arripite hîc illud quod Eccleſiaſticus de creatione hominis enarrat, quomodò Deus è terra eum plaſmauerat, & ad imaginem & ſimilitudinem ſuam efformauerat: Eccleſiaſtici 17. (Eccleſ. 17.) *Deus* inquit *de terra creauit hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum.* Vbi protinus ſubiungit: *Et iterum conuertit illum in ipſam.* Quem locum plurimi expoſitores inhærentes veſtigijs Gloſſæ ordinariæ, explicant de conuerſione hominis in terram per mortem, de qua efformatus fuit, iuxta illud Geneſ: 3. (Genes. 3.) *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Quia plurimi teſte ſancto Thoma in 3. diſtin: 43. (S. Thom.) affirmant hominem non perſoluiſſe Deo tributum, por ſolam mortis ſeperationem animæ à corpore, niſi in ſuper corpus reſolueretur in cineres: ita enim exoſum & execrandum Deo peccatum, noſtræ præſumptionis & ſuperbiæ, ad refrænandam noſtram arrogantiam voluerit nos redigi in cineres, & oſtendere quòd omnis noſtra vana præſumptio in puluerem conuertatur, & æquum fuiſſe, vt nos ipſi ſub pedibus noſtris conculcaremur, qui ſuper ipſum Deum exaltari temerè voluimus. Optima fateor expoſitio, ſed magis accommodatè ad rem noſtram Doctiſſimus Lyranus (Lyranus.) verba hæc exponit, inquiens: *Et iterum conuertit illum in ipſam ſcilicet imaginem, ad eius imitationem formatus eſt homo.* Quaſi diceret; creauerat quidem Deus hominem ad imaginem ſuam, ſed quia hanc perdidit homo violato Dei præcepto, ideó alteram multò præſtantionem illi addidit per gratiam, ſcilicet filium ſuum vnigenitum *qui eſt imago Dei inuiſibilis.* Gloſſa 1. (Gloſſa.) vt ſic finis incarnationis Filij Dei ad executionem deduceretur, qui non fuit reſtauratus ſimilitudinis, naturalis in creatione acceptæ, ſed gratuitæ, vtq; homo emendatis ſuis defectibus hanc cœleſtem imaginem, ſcilicet Dei filium in virtutibus æmularetur, & ſemper in anima ſua repræſentaret, cùm eos duntaxat, qui Chriſtum ſequuntur eiuſq; profundam humilitatem, & paſſionem in ſuis tribulationibus præſeferunt, æternus Pater pro filijs adoptiuis agnoſcat, cùm illiſq; ſe manſurum proteſtetur 2. Corint. 2. (2. Cor. 7.) *Vos eſtis templum*

templum Dei viui, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter illos.

Merito itaq; Pater æternus Chriſto & nomine diuinitatis tribuit hoc Elogium: (Matt. 17.) *Hic eſt Filius meus*, quaſi per iſtam particulam *hic* luculenter demonſtrare vellet eius diuinitatem in hunc modum: Hic eſt quem ego in vtero meo ab æterno genui, hic eſt, quem ad dexteram meam in cœleſtibus ſuper omnem poteſtatem & principatum, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiā in futuro conſtituti. Meritò & nomine humanitatis hunc titulum Chriſto Domino attribuit: quia de Spiritu ſanctó incarnatus eſt, quòd autem ex Deo naſcitur, Deus eſt; inquit ſanctus Ioannes. Etenim veſtem hanc humanitatis, quam Chriſtus induit, ita Deus Pater dilexit, vt illi ad dignitatis & eminentiæ ſuæ inacceſſæ prærogatiuam leuatæ, omnia penitùs ſubiecerit. 1. Corint. 3. (Corint. 3.) *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Vnde doctiſſimus Rupertus l. 3. (Rupertus.) de gloria Chriſti & ſanctiſſimæ Trinitatis ſic concludit: *Religiòsè dicendum eſt, reuerenterq; credendum, quia propter hunc hominem id eſt Chriſtum gloria & honore coronandum Deus omnia creauit.*

Commune eſt Politicorum Axioma, amor non debetur niſi redamanti. Ecquis non fatebitur, Dei amore nonniſi eos dignos eſſe, qui Chriſtum Dominum ex toto corde diligunt, & proximum ſicut ſe ipſos. Equidem ſi exactè voluerimus trutinare merita Chriſti, quibus vt homo tantum amorem apud Patrem æternum promeruit, videbimus id eum per charitatem obtinuiſſe, ſi enim interrogauerimus, quantus amor Chriſti erga Patrem æternum fuerit, reſpondet ipſemet. *Ego & Pater vnum ſumus.* Si etiam inſpexerimus, quis eius amor erga proximum? an non ſatis tunc declarauit in cruce, dùm animam ſuam poſuit pro ouibus. Dum videns lapſum hominis totius naturæ viribus irreparabilem, eſſe quippè opus erat ſatisfa- A ctione infinita, cui ne pura quidem creatura ob ſuam defectibilitatem ſufficere poterat, ſeipſum vltrò Patri æterno obtulit ad condignam ſatisfactionem Ioann. 10. (Ioan. 10.) *Ego venio vt vitam habeant.* Quod confirmat Auguſt: in Pſal. 36. hom. 2. (S. Auguſt.) inquiens: *Si tamen ò homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Quod obſequium Chriſti adeo fuit gratum æterno Patri, vt non modò ei hunc titulum attribueret. *Hic eſt Filius meus dilectus*, ſed etiam toti mundo adorandum eum proponeret B Pſal. 2. (Pſal. 2.) *Apprehendite diſciplinam*, ex Hebræo autem legitur. *Oſculamini filium*: id eſt adorate eum & eius precibus me placate.

Quæſtionem curioſam ſatis mouent ſacri interpretes, quid cauſæ, quòd dum Chriſtus Dominus baptiſaretur in Iordane, adfuerit Pater æternus, quemadmodùm & in hodierna transfiguratione? vt ſolennes hos duos actus non modò ſuâ præſentiâ, ſed etiam voce cælitùs delapsâ condecoraret: ſed in baptiſmo ſolùm intonās. C *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Matt. 3. (Matt. 3.) Hic verò inſuper adiunxit: *ipſum audite*: Matthæi 17. (Ibidē. 17.) arbitror, id ea propter factum fuiſſe, vt indicaret Pater æternus, duo homini ſummè neceſſaria eſſe ad ſalutem, ſcilicet reſipiſcentiam a lapſu, & Chriſti doctrinam; ſic cenſet Mendoza in 1. Reg. cap. 3. (Mendoza.) *Quia* inquit *Chriſtus Dominus in baptiſmo quandam peccatoris imaginem præſeferebat, in trāsfiguratione ſummam prædicatoris ſanctitatem repræſentabat.* Placet enim æter- D no Patri, cùm homo arctâ pœnitentiâ ſua peccata eluit, quia tunc quaſi baptiſmum in Iordane amaritudinis cordis ſui peragit. Sed dum Chriſti doctrinam pronâ aure ſuſcipit, dùm vitam inculpatam ducit, vt tantò efficaciùs in vinea domini laborando, profectum ſalutarem in animis audientium faciat, tunc multò maiorem laudem & amorem apud Deum promeretur: quia ſe magiſterio Chriſti conformat, qui non tantùm doctrinâ, ſed etiam vitæ ſanctitate alijs prælucebat.

Exodi 25.

Præceperat Deus Moysi Exodi 25. vt construeret arcam, propitiatorium, Cherubinos, mensam panum propositionis, & candelabrum; inter hæc autem omnia maximam curam in conficiendo candelabro illi commendauerat: *Facies* inquit *& candelabrum ductile de auro mundissimo* Deus bone? ergone in solo candelabro fabricando oportet omnem exhauriri artem? & de tam pretiosa materia illud confici? Equidem non mirum: cætera quippè ad minorem vsum cōduntur, solum candelabrum, vt luceat. Etenim licet populus desipiat, facilè adhuc ista ruina resarciri potest. At verò; si regale sacerdotium, quòd per Cherubinos figurabatur, à sua perfectione desciscat, si Doctor & Magister Euangelicæ veritatis vitijs scateant, ad nihilum valent vltrà, nisi vt mittantur foras, & conculcentur ab hominibus: quia lux in tenebris facilè obfuscatur, & doctrina Euangelici prædicatoris nihil proficit, nisi eius conscientia ob virtutes eximias pulchriùs auro splendeat. sic concludit S. Nilus. *Candelabrum quidem indicat qui cæteros illuminare profitentur, omnibus esse partibus solidum, & nihil leue, nihil inane habere, aut vacuum oportere; omnia quæ superuacanea aut inutilia, vt inculpatæ vitæ exemplum præbeat intuentibus, circumcidere & amputare.*

S. Nilus.

Constituendo Deus Isaiam obcæcati populi concionatorem, dicit Isaiæ 8. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Quid est? ergone Deus voluit, vt vox prophetæ esset instar tubæ, cur non potius instar alicuius delicatioris instrumenti? causam forsan putaret quispiam, quod inter omnia instrumenta musica nullum minùs aduletur quam tuba: non enim suspendit animum, vt lyra, non detinet, vt organum, non delectat, vt cythara, non abripit sensus, vt alia instrumenta, quin potius cor immutat, ex vnaq; parte terrorem causat, ex altera verò confirmat animum, & ad arma incendit. Quia ergo talis esse debet vox Magistri, ac concionatoris, quasi tuba potiùs animans, quàm blandiens, quæ non prouocet somnum, sed excitet dormientem & animet expergefactum, quæ somnolentum peccatorem & correptum torpore delictorum suorum euigilare faciat; ideò non est mirum, quòd Deus præceperit Prophetæ, vt clamaret quasi tuba. At verò eruditissimus Lusitanus mysterium & metaphoram huius dicti sic resoluit. *Tuba* inquit, *non solùm ori imponitur, sed etiam manibus tenetur, ideò etiam concionator debet Euangelium, quòd in ore habet, manu id est operatione fulcire.* quia Euangelicus instructor æquè sanctitate in operibus, atq; feruore in docendo fulgere debet. Quoniam ergo Christus Dominus, & in prædicando ita fuit stupendus, vt omnes pænè attoniti ad eius verba hærerent; & in operibus ita sanctus, vt fulgor quidam diuinitatis de facie eius prodiret: iure non solùm laudari, sed etiam toti mundo audiendus commendari meruit. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.*

Isaiæ 8.

Lusitanus.

Matth. 17.

Proinde dum ipse æternus Pater tantum amorem Christo exhibet, dilectum cum nominando filium: & ipsi Angeli prompto & alacri animo grates ferunt, pro tanto beneficio, quòd eius protectione ne cum illo principe tenebrarum caderent, seruati sint, tali eum venerantes elogio. *Dignus est agnus, qui occissus est, accipere virtutem & diuinitatem, & honorem, & gloriam & benedictionem Apoc. 5.* ad vocem hanc, *hic est Filius meus dilectus* procidit hodie omnis illa beatarum mentium multitudo. *Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.* Ibidem 4. Vbi Rupertus lib. 4. ad finem. *Considerantes* inquit, *quòd non suis meritis, sed gratiâ præuenientis & subsequentis misericordiæ coronas assecuti sunt, mittunt eas ante thronum. Nonne ipsi suam dignitatem parui faciunt, & totum quod meruerunt, cum humili reuerentia illi attribuunt, mittunt ergo ante thronum coronas suas, id est quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis, Deo cum gratiarū actione offerunt.*

Apocal. 5.

Ibidē. 4.

Rupertus.

Considerando id sancti Doctores, quomodò Angeli procidentes adorant Christum, discursum altiùs mouent; venissetne Christus in mundum, si homo non peccasset, quoniam Scriptura sacra causam incarnationis vbiq; misericordiæ attribuit; vnde S. Basilius de humana Christi generatione dicit: *Propterea Deus in carne est, quia oportebat maledictam carnem hanc sanctificare.* Et D. Ambrosius lib. de Sacramento dominicæ incarnationis cap. 6. dicit: *Quæ erat causa incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat redimeretur.* Profundam hanc quæstionem ex abditis Theologiæ arcanis depromptam, subtilis Doctor Scotus resoluit, asserens, Christum fuisse venturum, etiamsi homo non peccasset. Quod deducit ex Scriptura sacra Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Vnde Fulgentius lib. 2. ad Trasimachum c. 3. *Vna est* inquit *in homine, & Angelo gratia operata, in hoc vt surgeret; in illo ne caderet: in illo vt sanaretur: in hoc ne vulneraretur.*

S. Basilius.

S. Ambr.

Christus venisset, etiam si homo non peccasset.

Ephes. 1.

Fulgentius.

Spectando igitur tantam Christi misericordiam, quàm humano generi abundè præstitit, sanguinem suum, ad vltimam vsq; guttam pro nostra redemptione fundendo, ad hanc inusitatam æterni Patris declarationem, dum eum pro filio agnoscit. *Hic est Filius meus dilectus.* vbi ipsimet Angeli procidunt in facies suas: *Audiui vocem Angelorum multorum.* Apocal 5. Vbi prostratos Apostolos sua misericordissimâ dexterâ erigit ipsemet *Christus. surgite & nolite timere.* Postulemus hodiè eundem Dei Filium, vt nos hac cœlesti voce perterritos, ita misericorditer erigat, ne ampliùs vllo vitio irretiti cadere possimus.

S. August.

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ,

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. *Ioannis 8.*

Tempus quadragesimale est opportunum ad quærendum Iesum & eius misericordiam.

RIgidam satis & Melancholiæ plenam, atq; in illo inscrutabili principio admirationis: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, & quis consiliarius eius*, fundatam sententiam pronuntiat hodiè Saluator noster: dum quærentes se in peccato ex hac vita decessuros affirmat. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Ergonè o bone Iesu qui venisti, *quærere & saluum facere, quod perierat.* quærentibus te aditum ad tuam gratiam, & misericordiam præcludes? & tanquàm vasa inutilia in contumeliam, & opprobrium proijcies, vt pereant. Quomodò enim in peccato mori poterit, qui te inquirit? Quoniam etiam non quærentibus te semper benignum exhibuisti Rom. 10. *Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui illis, qui me non interrogabant.* Passim Scriptura sacra introducit Israélitas idola ac Deos alienos inuocantes. Iudic. 10. *Reliquistis me, & coluistis Deos alie-*

Rom. 10.

Iudic. 10.

3.Reg.18. os alienos, 3. Reg. 18. *Dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Oseæ 7. Oseæ 7. *Nec reuersi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum in omnibus his.* Et tamen illum populum tantis sceleribus aggrauatum, tot miserijs & calamitatibus oppressum, non deseruit Deus, sed illi per Ieremiam Ierem. 3. locutus est. *A modò voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ieremiæ 3. Ecce populus ille adeò frequens erat, vt pro sua voluntate Deos alienos quæreret ac inuocaret, in quibus erat perditio ac ruina; vt ta- B men ad verum Deum reuerteretur, ac opportunum remedium impetraret, ipse Deus vltrò illi mandauit: *Inuoca me.* Ruebat Israël ex proprio impetu ad præcipitium, vt tamen ad vitam se erigeret, & remedium exquireret, Deus multis propositis ei beneficijs mandauit, vt se inuocaret. Ita discurrit D. Paschasius lib. 1. in Matth. in- S. Paschs. quiens: *Qui ad idola ibat, vt ad Deum veniat, ei dicitur, inuoca me.* At verò nunc idem Deus humanatus, quærentibus se subtrahit; imò mortem in C peccato minitatur: Ioann. 8. *Moriemini in peccato vestro.* Quid obsecro causæ? vtique Deus quærentibus se exhibiturum Matth. 7. promisit. Matth. 7. *Quærite, & inuenietis.* Respondent aliqui, quia nemo potest Iesum inuenire, nisi priùs ab illo quæratur. quod deducunt ex Matth. 3. illo S. Ioann. Matth. 3. *Appropinquauit iam regnum cælorum.* Nouus certè & insolitus dicendi modus: Quippè homo debet quærere, & sese appropinquare ad regnum cælorum. Et tamen S. Ioannes è contra dicit: D *appropinquauit regnum cælorum.* Insinuare volens, quòd homo adeò sit iners, & piger ad cœlestia quærenda, vt nisi cælum ipsum se inclinet, & ad nos veniat, nunquàm se homo sit moturus, & conscensurus ad illud, vn- Glossa. de Glossa in hunc locum: *Appropinquauit regnum cælorum: quia nisi appropinquaret, nemo redire posset.* Alij censent, quærentes Christum inuenire non posse, quando illum non sincero corde, sed fictè quærunt. Ita So- Sodilonius. dilonius de Epiphania serm. 2. *Qui* A ait *Deum fictè quærunt, inuenire minimè possunt.* Quod statim exemplo Herodis probat Eusebius Gallicanus ho- Eusebius Gallican. mil. 1. de Epiphania. *Quem inquit Magi venientes de extrema Æthyopiæ parte cognoscunt, solus ad illum non potest Rex sacrilegus peruenire. Fallitur ergò stulti furor tyranni Christum non potest inuenire perfidia: quia Deus non crudelitate, sed credulitate quærendus est.* Verùm ego vnicam causam video, quare multi licet Christum quærant, illum tamen non inueniunt, sed in pec- B cato moriuntur: quia non opportunè quærunt. Si enim Deus Sanctorum orationes non opportuno tempore factas, non exaudit, iuxta illud Psal. 31. Psal. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno; verum tamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Multò magis quærentes se non respicit, si non opportunè illum quærant. Quod in hodierna concione cum Dei adiutorio exponere conabor.

Opportunitatem temporis ad in- C ueniendum Iesum, summè necessariam esse, ingeniosè edixit sapiens Ec- Ecclesi. 51. clesiast. 51. inquiens: *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.* Lectio autem Tigurina ita vertit. *Ante amissam occasionem, fungimini officio vestro.* Quasi dicat: omni modo, omni ratione, opportunum tempus seu occasionem properantem obseruate; ne ipsa vos prætereunte, perpetuus animo dolor hæreat. Quid enim grauius, quid homines atrocius æternùm D pungere potest; quàm tempus opportunum ad inueniendam Christi gratiam, quàm salutis occasionẽ habuisse, nec tamem eam fuisse amplexatos? Quod pulchrè elucidat Nazianz: oratione in sancto baptisma. Gregorius Nazianz. *Miserum est* inquit, *serum consilium capere, ac tunc damni sensu affici, cùm nulla iam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquàm hinc excesserimus, acerbeq; conclusa fuerint, quæ quisq; in hac vita gessit.*

Cognoscite hoc euidenter ex Babyloniorum, hoc est, improborum homi-

Apocal. 18 hominum infelici historia à S. Ioan- A ne Apocal. 18. in hunc modum proposita: *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon; ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Quomodò obsecro *vna hora*? cùm longæua & diuturna actorum eius series fuerit? Ergonè vnâ horâ tota iudicij, & damnationis causa acta est? *Vnâ* inquit *horâ venit iudicium tuum.* Quasi diceret: ab vna & determinata temporis opportunitate, Deo quidem nota, tibi verò ignota & occulta, quasi ab B vna hora, tota salutis, & damnationis tuæ ratio pependit, atque acerbè conclusa est. Dùm enim te securam, & saluandam putabas, *repentinus tibi* Ibidem. *venit interitus.* Apocal. 18. Moxque versu 14. addit S. Ioannes. *Et poma desiderij tui discesserunt à te.* Hoc est, Aretas. vt obseruat Aretas ibidem: expetita opportunitas, quæ Babylonios cælo assereret, ab illorum manibus tunc facilè dilapsa est, quando se apprehensuros sperabant. Hinc D. Paulus seriò nos ad opportunè quærendum Christum, & eius gratiam admonet, C Galat. 6. Galat 6. *Ergò dùm tempus habemus, operemur bonum.* Ne videlicet salutis occasio atq; opportunitas nos transeat, & inter seræ ac desperatæ pœnitentiæ lamenta relinquat. Quodsi sciscitari volueris, quod nam sit hoc temp⁹ opportunum ad inueniendum Iesum, ad bonum operandum? Respondet sanctus Hieronymus in citatum S. Pau- S. Hieron. li locum: *Tempus sementis, tempus præsens est: vbi occiderit hæc breuis lux, benè agendi tempus præterijt.* Quasi ma- Tẽp⁹ præsens ad benè agendũ & quærendum Iesũ opportunum. nifestiùs loqueretur, quamdiu vitam D hanc mortalem agimus, quamdiu huic luci superstites sumus, tempus, occasionem, & opportunitatem ad salutem obtinendam habemus. Equidem indubitata sententia, imò diuinum omninò oraculum, cui qui repugnaret, amens, & rationis impos esset. Vnde plurimi stultè & periculosè delirant, dum in his, quas ipsi longas sibi fingunt, inducijs respirantes, & per latissimum & amænum humanæ vitæ curriculum spatiantes, pœnitentiam, & sanam mentem in vltimam A vitæ clausulam reijciunt, quasi salutis opportunitatem, & occasionem satis ad manum tunc habituri sint. Non, sic quærendus est Christus, non sic propter æternam salutem operandũ, sed omni hora, omni momento, sine intermissione, toto vitæ spatio dum viuimus, iuxta illud Rom. 12. Rom. 12. *Sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes.* Rem hanc mirificè illustrat, arbor illa ficulnea, quam Dominus arefecit, & infructuosam reddidit Marci 11. Marci 11. *Iam non ampliùs in æ-* B *ternum ex te fructum quispiam manducet.* Cur tàm acrem pænam illi arbori inflixit: quòd enim ficus non habuisset, Ficulnea cur á Christo maledicta. non mirum: quia nondum tempus fructuum aduenerat: *Et cùm venisset ad eam, nihil inuenit, præter folia; non enim tempus erat ficorum.* Ibidem. Existimo cum Maldonato in cap. 21. Maldonat. Matth. hoc à Domino factum fuisse, non in pœnam arboris, sed potiùs ad nostri institutionem, vt inde admoneremur, id discriminis inter homines, & arbores esse, quòd illæ naturâ Discrimen inter homines & arbores. C suâ, non nisi certo quodam anni tempore fructus ferant. At verò homines toto vitæ suæ tempore, iustitiæ fructus edere, & laudabiliter operari teneantur. Quia enim tota vita nobis est æstas, ideò tota quoque debet esse frugifera. Fructum igitur Christus ab arbore de industria ante tempus exigebat, vt inde discamus, nunquam nos tàm festinantes, & primò mane, siue totius vitæ, siue singulorum dierum, virtutum fructus ferre, quin ipsos Deus vt maturos, & suo tempore red- D dendos, iam ante concupierit.

Sic protestatur pijssimus ille Rex, & Propheta Dauid, Psal. 118. inqui- Psal. 118. ens: *Præueni in maturitate, & clamaui.* Vbi diceret non nemo antilogiam esse, cùm præuenire, non benè cum maturitate cohæreat. Sicut enim, qui præuenit, tempus anteuertit; ita maturitas non nisi stato & opportuno tempore succedit. Verùm si rem accuratiùs scrutari voluerimus, non antilogiam, sed plenam sapientiam præclaramq; institutionem agnoscemus. Ita enim omni tempore, omni ætate, omni

omni hora, diuino debemus obſequio incumbere, & ad illud feſtinare, vt cùm nobis tempus præueniſſe, & quaſi ſideribus dubijs ante lucem ſurrexiſſe videmur, maturum omninò, ac debitum obſequij, ſeruitutiſq; noſtræ tempus aduenisse credamus. Ita citatum pſalmi locum exponit S. Ambr.

S. Ambr.

inquiens : *Qui ergò Dominum deprecatur, non velut præſcripta præcipuè tempora præſtolctur, neſciens in obſecrationibus Domini tempus eſſe aliquod, ſed ſemper in ipſis ſit, ſiue manducamus, ſiuè bibimus, Chriſtum cogitemus, Chriſtum loquamur, in corde noſtro ſemper, & in ore ſit Chriſtus.*

Errant igitur & vehementer errant, qui totum vitæ ſpatium in rebus caducis, ſiuè in inanibus nugis ; imò potiùs in noxijs delicijs, atq; flagitijs collocantes, animæ æternùm duraturæ negotium, & ſalutis curam, ac procurationem, in vltimam vitæ horam reijciunt. Satiſq; ſibi eſſe autumant, ſi ſeſe tunc ad Deum conuerterint, dùm iam ex hoc ſæculo migrandum eſt.

Emendationem vitæ procraſtinare periculoſum.

Nam ciuſmodi homini vehementer exprobrat Iſaias cap. 47.

Iſaiæ 7.

Et fiduciam habuiſti in malitia tua, ſapientia tua, & ſcientia tua, ipſa ſeduxit te. Quaſi diceret ; ſecurè confidenterq; peccaſti, multa de diuina bonitate, & patientia cogitans, multa differens, & eruditis ratiocinationibus iactans, atque hoc clypeo multa ſperans. At verò, dùm noxiè atque improbè doctus, potiùs quàm ſimpliciter, & ſalubriter pius exſtitiſti, importuna hæc ſcientia æterno te ſupplicio mancipauit. At quomodò? ſubdit ſtatim propheta :

Ibidem.

Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas, quàm non poteris expiare : veniet ſuper te repente miſeria, quàm neſcies.

Quaſi diceret Propheta ſanctus : miſer homo, tu non ſecùs, ac ſi ſortes in manibus tuis, & vitæ tempora ac momenta in poteſtate tua haberes, ita tibi ſapiens fortunam fingebas, & res tuas ducebas, quò opportuniùs caderent. Præſens nimirum tempus, ſiue iuuentæ florem, mediaq; ætatis fructus, imò & plures ſenectutis canos ſæculi blandimentis, atq; voluptatibus dabas ; de animæ tamen ſalute obtinenda, animum non deſpondebas. Imò vt ſæpiùs in peccata facilè rueres, & prolabereris, non aliter tibi mortem obuenturam credebas, quin ei Chriſtianis armis munitus obuiam ires, omnes ſcelerum maculas per pœnitentiæ ſacramentum eluens, & ſacro pane in longiſſimi itineris viaticum te reficiens. Sed ignorans, non in hominis, ſed in Dei manibus, vitæ mortiſq; noſtræ ſortes eſſe, iuxta illud Pſal. 30.

Ioann. 8.

Ego autem in te ſperaui Domine, Dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. En corruiſti in cogitationibus tuis, & ſors tibi in contrarium verſa eſt. Quia omnes illas tuas ratiocinationes, atq; præparamenta mors ſubitò adueniens diſſipauit, & contriuit : *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius.* hoc eſt, quærere voles Chriſtum, dùm iam tempus inueniendi eum non ſuppetet, & ideò non inuenies, ſed in peccato tuo inſperatè morieris.

Chriſtus itaque Dominus, in hodierno Euangelio miſericorditer nobis minatur, & terret nos.

Pſal. 30.

Quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quaſi diceret : non differas vitæ in melius emendationem in vlteriora tempora, non reijcias neceſſariam de peccatis pœnitentiam in vltimos ſenectutis tuæ annos. Quia tunc quæres Chriſtum, & eius gratiam ; ſed non inuenies, verùm in tuo peccato morieris Sic cenſet D. Auguſt. homil. 41. in lib. 50. homil. inquiens ;

S. Auguſt.

Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari ; ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic petierit, mereatur abſolui. Statimque paulò inferiùs ſubdit : *Et ideò pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ab ipſa moriatur.* Fallitur itaq; & vehementer fallitur, qui res ſuas ita ducit, vt Chriſti benignitatem, & ſceleribus ſuis adiutricem fortunam, nunquàm ſibi defuturam ſperet. Hac enim de cauſa tam ſubita

ſubita plerumq; illum calamitas inuadit, vt ab illa priùs ſe oppreſſum videat, quàm eius ortum noſſe poſſit, quo illi valeat occurrere. Vt priùs in peccato moriatur, quàm Chriſtum, & eius gratiam inueniat.

In comprobationem iſtius veritatis, ſiſtite vobis ante oculos Manaſſen Regem Ieruſalem ſceleſtiſſimum, impuriſſimũ, immaniſſimum, funeſtumque ac fœdiſſimum monſtrum.

Manaſſes Rex impijſſimus.

De quo ſacra pagina hæc inter alia recenſet 4. Reg. 21.

2.Reg.21.

Fecit malum in conſpectu Domini, iuxta idola gentium, quæ deleuit Dominus à facie filiorum Iſraël. & extruxit alteria vniuerſæ militiæ cœli, in duobus atrijs templi Domini, & traduxit filium ſuum per ignem, & ariolatus eſt, & obſeruauit auguria, & fecit pythones, & aruſpices multiplicauit, vt faceret malum coram Domino & irritaret eum. Inſuper addit vlteriùs ſacer textus : *Et ſanguinem innoxium fudit Manaſſes, multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſq; ad os, abſq; peccatis ſuis, quibus peccare fecit Iudam.* Non ignoratis quoq; peſſimum hunc regem, filium habuiſſe ſibi ſimilem Amon, de quo ibidem loquitur Sapiens :

Ibidem.

Fecitq; malum in conſpectu Domini, ſicut fecerat Manaſſes pater eius, ſeruiuitq; immunditijs, quibus ſeruiuit pater eius. Ad extremùm pater, pluſquàm quinquaginta integros annos in illis fæcibus permanſit, filius verò duobus tantummodò annis, patris veſtigia premens perdurauit. Vix enim quartum & vigeſimum annum expleuerat, cùm immaturus in ipſa iuuentæ flore à proprijs ſeruis occiſus eſſet. *Tetenderuntq; ei inſidias ſerui ſui, & interfecerunt Regem in domo ſua.*

Hæc benè iam impreſſa mentibus veſtris habentes, ferte iudicium, vter horum vobis ſalutem conſecutus videatur, quemq; ex iſtis duobus pœnitentiæ tempus, & gratiam apud Deum inueniſſe arbitremini. Plures credo ſuffragium ferent, pro filio peccatis recenter imbuto, quàm pro Patre nequiſſimo illo decrepito ſene, qui non modò iuueniles annos, & virilem ac maturam ætatem ; ſed ipſam met ſenectam flagitijs, & ſceleribus corrupit, ſeniliaq; ac defeſſa membra impuritatibus impleuit. At verò, vt noueritis, quàm velit Deus, vt eius benignitatem cautè & cuſtoditè interpretemur quamq; nolit, vt illam ad peccata noſtra adminiſtram faciamus. Scitote patri Dei ope adiuto conceſſum fuiſſe, præterita peccata deteſtari, & turpiſſimæ vitæ maculas, egregia morum mutatione detergere, animæque ſalutem conſequi, vt habetur 2. Paralipp. 33.

2.Paral.33.

Qui poſtquàm coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum ſuorum, & deprecatus eſt eum, & obſeruauit intentè, & exaudiuit orationem eius. Vnde S. Auguſt. ſermone 51. de tempore.

S.Auguſt.

Manaſſes inquit *Rex ſacrilegus, & impijſſimus fuit, ſed tamen in captiuitatem ductus, cum grandi humilitate pœnitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuit, vt mereretur in Dei amicis poſtmodùm numerari.*

At verò Amoni, pœnitentiæ locum, & ſpatium non fuiſſe conceſſum, omnium ſententia docet.

Amon damnatus.

Sed vt importuna morte ſublatum ; ita animo immaturũ æternæ damnationi obnoxium fuiſſe. Quodſi attonitus hæres, & inopinati diſcriminis rationem inquiras. Reſpondet S. Clemens Romanus lib. 2. conſt. Apoſt. cap. 26. & 27. cauſam hanc eſſe, quòd Amon de induſtria peccauerit, nimirum ex benignitate, quâ Deus erga patrem eius, vſus eſt, animum ſumens ad peccandum. Quaſi Dei gratiam ad manus, quouis tempore eſſet habiturus, vt ad eum quando libuiſſet, reuerſus pœnitentiam ageret, veniamque conſequeretur,

S. Clemens Damian.

Nullum (inquit S. Clemens) *peccatum idololatria reperitur grauius : ea eſt enim contra Deum impietas, ſed tamen ipſa quoq; per veram pœnitentiam condonatur. Si verò quis de induſtria peccet, tentans Deum, quaſi non vlciſcentem mala, is remiſſionem non conſequitur, quamuis ſecum ipſe dicat : ſit mihi propitius Deus, quoniam ambulo in euerſione cordis mei praui.*

Quoniam igitur Catholici mei incertum eſt, an Deus tempus pœnitentiæ

tiæ nobis conceſſurus ſit, ideóq; exemplo Amon immatura morte in ſua iuuentute ſublati perterrefacti, non peccemus de induſtria; ſed iuxta conſilium D. Pauli Philipp. 2. *Cum metu & tremore noſtram ſalutem operemur.* Et ſiquidem nunc tempus opportunum ad ſalutem, tempus acceptabile, humilitate & multa pœnitentia quæramus Ieſum, & ſic non moriemur in peccato noſtro, ſed gratiâ diuinâ repleti miſericordiam, & vitam æternam conſequemur.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

CONCIO PRIMA.

Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. *Lucæ* 11.

Diuiſio animorum eſt cauſa deſolationis in regnis Chriſtianis.

ET opulentiſſimæ priuatorum hominum familiæ, frequenter ad ſummam inopiam deueniunt, propter diuiſam atq; diuerſam patrumfamilias voluntatem. Vnde Philoſophus in ſua Oeconomia illud principale fundamentum adminiſtrandæ domus ponit, vt ab vno tota rei familiaris cura dependeat. Verùm & ipſe Deus euidentiſſimo documento hoc ipſum confirmauit, quando in paradiſo, Adamo tanquàm primariò illius dom⁹ Oeconomo, nō aliunde, quàm ex eius coſta adiutorium ſimile produxit: vt oſtenderet, quòd viri & mulieris vna & indiuidua voluntas eſſe debeat, quæ ſi quando diuiſa fuerit, non auget; ſed minuit: immò & perdit totam domum. Verùm ſi à parua & priuata familia, ad magnam domum; ſcilicet ipſam Rempublicam gradus fecerimus, facilè deprehendemus, illam quoties in multos gubernatores & Reges diuiditur, deſolatam manere, quemadmodùm docet Philo Hebræus lib. *Quod Deus ſit immutabilis*, vbi à priuatarum rerum fugacitate, ad publicarum inconſtantiam progreſſus ſic diſcurrit. *Si non libet* inquit *ſingulorum fortunam perquirere, vide regionum integrarum & gentium mutationes in melius ac deterius. Floruit quondam Græcia, ſed propter diuiſionem deſolata eſt: quia Macedones illam ſibi diuidentes, abſtulerunt ei potentiam, viguit poſthac Macedonia opibus referta, ſed diuiſa in plures portiones, debilitata eſt, ac tandem omninò interijt. Ante bellicoſas Macedonum vires, inclyta ſplenduit Perſarum felicitas; ſed vna dies tàm ingenti Regno finem attulit; ita vt Perſæ, penes quos totum fuit Imperium, Parthorum feudatarij fierent. Fuit & ipſius Ægypti olim perampla magnificaq; potentia; ſed nubis inſtar per aëra volantis, omnis eius felicitas præterijt. Quid Ætyopes? Quid Carthago in Africa? Quid Pontici Reges? Quid Europa Aſiaq; & vt compendio dicam: totus orbis habitabilis? nonnè nauis ſuſq; deq; iactata, marinis procellis nunc ſecundis ventis, nunc aduerſis vtitur.* Teſtis eſt vel ſola inter omnes mundi prouincias, perpetuis viciſſitudinibus & calamitatibus labefactata noſtra Polonia, quæ vbi poſt deceſſum, ſtirpis Lechi in duodecim palatinorū gubernationē deuoluta eſſet, tunc primū extremis iam penè morbis ægrotare cæpit, & quid inconſtans fortuna in regnorum viciſſitudines valeat, agnouit. Nam quinquennio Neronis planè tranſacto, omnes illi gubernatores ad ambitionem verſi, dùm ſuo quiſque nutu omnia fieri vellet, & rem priuatam potentiamq; ſuam augere ſtuderet,

Philo Hebræus.

deret, aſſentari multitudini, eiuſq; licentiam alere, ſuos per fas & nefas defendere ac euehere, terrori eſſe ijs, quos beneuolentiâ ſibi conciliare non poſſet: cùm iam ſibi quiſq; Rex atq; lex eſſet, tunc labefactata patria vix iam collapſa non exſpirauit, niſi tandem vnius Craci imperio, amiſſa regio, eius ſpiritu viuificata reuiuiſceret. Oſtendam igitur hodiè, quomodò regnū in ſeipſum diuiſum eſſe poſſit, & cur iſta diuiſio ſit cauſa deſolationis.

Dupliciter rem aliquam diuidi poſſe docent Philoſophi, primò ab alio; ſecundò à ſeipſa: ab alio diuiditur res, quemadmodùm omnes mundi poſſeſſiones, quæ aut ferro quæſitæ, aut Iure hereditario occupatæ, in plurium manus diuiſæ veniunt. Regna hæc terrena ſæpiùs taliter diuidi quis non videt? nam & qui hodiè ex hoſtibus ſigna reportans, triumphalis gloriæ pompâ ſtipatus incedit, frequenter illum alio ſequenti die ignobiliter tergas, vertentem hoſtili, terror transfodere ſolet, & ſacra, & profana hiſtoria id approbante. Nam Daniel. 5. num. 31. *Balthaſar ipſo die quo vaſa templi Domini iam temulentus, concubinarum labijs fœdare præſumpſit, Medorum gladijs, Dario victoriam obtinente, ſubiacuit.* Et ex profanis hiſtorijs idipſum liquet, tàm in Romanorum Imperatoribus, quorum plurimos repentina & infortunata ſors ampliſſimis regnis ſpoliauit, alios verò non minùs indecora; quàm diuturna ſenectus, ad maiorem calamitatem ſeruauit. tum etiam in noſtro Poloniæ regno quis hanc viciſſitudinem non perſpicit: creſcebat illud ante, & omnibus alijs nationibus gloriæ famam præripere videbatur: dilatabat paternum ſuum ſolum, vltra Herculis columnas, & Alexandri trophæa ſuos limites protendens: ſed ecce nunc verſante vices mutabilitatis fortunâ, minuitur in dies, & in finitimorum hoſtium poſſeſſionem magna ex parte diuiſum abit. Pruſſiæ atq; Liuoniæ noſtra iam ætate opimas Prouincias Suecus ſpoliauit, & ad hæc vſq; tempora per fœderis compoſitionem eaſdem tenet. Sed cùm necdum factas ruinas reſarcire, aut illata compenſare damna nobis licuerit, vaſtatam iterùm nunc Pruſſiæ & Poloniæ fertiliſſimam terram ſummo cum dolore & rubore ſpectamus; neque tamen hæc caſu aliquo facta eſſe cenſeri debent. Non enim cæca fortuna eſt, ſed oculata prouidentia, quæ vt Lyricus vates canit 3. carmine, Ode 19. *Nunc mihi nunc alijs benigna.* à diuina ergo prouidentia hæc omnia fiunt, quia quâ facilitate luſoriæ pilæ vltrocitroq; iaciuntur, eadem planè omnia mundi regna ſuſq; deq; agitātur. ad quod pulchrè alluſit Philo Hebræus, lib. *Quod Deus ſit immutabilis* ad finem: *verbum* inquit *diuinum boreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat.* Quaſi diceret: quemadmodum choraulæ, locum, ſitum, & ordinem frequenter mutant, varijs inter ſe concurſibus ac recurſibus implicati; ſic planè mundi regna, nunquàm ſtabilia, ſed ſemper mutabilia manent: quæ vix ad ſummum gradum veniunt, mox ad infimum relabuntur.

Daniel. 5. *Phil. Heb.*

Sed, cùm Deus optimus ſit, quid cauſæ quód hanc regnorum mutationem permittat: cauſam ego vnicam video, quia regna diuiſa ſunt in ſeipſa; hoc eſt, in hæreſes & Schiſmata; in errores & idololatrias: in religiones & ſectas plurimas, omnis autem pluralitas nociua & perditionis cauſa eſt; ſicut vnitas commodi & perennitatis fons. Deeſt in orbe Chriſtiano vnitas iuſtitiæ, *quia omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, & non eſt, qui faciat bonum non eſt vſq; ad vnum.* proclamat regius vates Pſal. 13. n. 3. & comprobat gemebundus Propheta Ieremiæ 5. num. 1. *Circuite* inquit *vias Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Hinc illa DEI querela oritur, Iſaiæ 50. num. 2. *Veni, & non erat vir, vocaui, & non erat qui audiret.* quod cum ſummo dolore deplorat Propheta. *Væ* inquit *mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt*

Pſalm. 13. *Hier. 5.* *Iſaiæ 50.*

est bonus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea. Michææ 7. num. 1. Quasi diceret : dùm iustos inquiro, similis factus sum homini quærenti post vindemiam racemos, & nullos inuenienti. Sed vnica hic mihi oritur dubitatio, quare Propheta in Autumno tam intempestiua appetentia ficus præcoquas desiderauit, quæ non nisi verno aut æstiuo tempore maturescunt ? sed triplicem istius facti rationem esse video. Prima est, vt Propheta ostenderet diuersitatem inter fructus agrorum, & animorum, de quibus tantùm sub metaphora & similitudine ficus loquebatur : quia scilicet fructus bonorum operum, non debent esse sicut arborum : hi enim certo tantùm anni tempore proueniunt, tota autem vita nostra debet esse frugifera, quia non propter solis accessum, qui aliquando abest ; sed propter voluntatem nostram, quæ semper adest, & gratiam DEI, quæ nunquàm quærentibus illam deest, fæcundatur. Turpe ergo est Christianum hominem aliquo tempore, & potissimùm hisce Quadragesimæ diebus virtutum fructus non producere, cùm illis producendis opportuna semper tempestiuitas blandiatur. Altera ratio est, quare Propheta in autumno ficus præcoquas desiderabat, vt ostenderet tarditatem & negligentiam nostram, in fructibus Deo debitis persoluendis : adeò enim tardi sumus, vt tanquàm mali inquilini, ne autumnali quidem tempore id persoluamus, quod verno tempore persoluendum est. quasi diceret Propheta, non tantum cum verna amænitas terram floribus exornat ; verùm etiam, quando iam in alijs hortis immaturæ ficus esse desinunt, in nobis necdum incipiunt, aut nascuntur virtutes. Tertia ratio, quare sub ficu præcoqua iustos Propheta comprehendit, hæc est : vt ostenderet iustorum paucitatem, indicaretque quàm longè à nostra Republica iusti exulant, vt enim in autumno ne vna ficus præcoqua reperitur, sic planè in tanta Christianorum multitudine, tanta est iustorum indigentia, vt difficilè in illa iustus, & perfectus vir inueniri posse videatur.

Deest in regno Christiano vnitas charitatis, quam mirificè laudat regius vates Psalmo 132. num. 1. *Quàm bonum* inquit *& quam iucundum habitare fratres in vnum.* Etenim Deo ita grata est hæc vnitas, vt nihil illi placeat, in quo illa non repræsentetur, iuxta illud Christi postulatum Ioannis 17. *Rogo* inquit *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* hoc est vt interpretatur D. August. tract: 14. & 39. in Ioannem : *vnicum hoc desiderat Christus, vt omnes simus vnum, non vnitate naturæ ; sed vnitate charitatis, quæ inter populum Christianum & ipsum Deum tanta esse debet, qaanta est radiorum cum sole, riuulorum cum fonte, ramorum cum radice. vt quemadmodùm inter hæc ; ita inter Deum, & veros Christianos, vlla fiat separatio.* Mirabile est, quòd Deus in prima mundi fabrica neque secundæ diei benedixit, neq; illius opera laudauit Genesis 1. num. 6. & 7. cum tamen aliorum dierum operibus, & laudem & benedictionem impertiuerit. Respondet D. Hieronymus in caput 1. Aggæi ad initium, *quia non poterat secundus dies, qui numerum facit, & ab vnione diuidit, Dei sentenità comprobari.* Quod comprobat lib. 1. contra Iouinianum, vbi docet, non esse bonum duplicem numerum, cùm ab vinione diuidat. & reuera non debuit dies secundus à DEO benedici, quia in illo diuisio facta est ? tunc enim Deus aquas quæ erant sub firmamento, diuisit ab ijs quæ supra firmamentum fuêre : nulla autem tribuitur commendatio, vbi exercetur diuisio. Si ergo dies secundus, propter factam in eo diuisionem aquarum, diuinam benedictionem non recepit, quid nos speramus, qui toties cor nostrum diuidimus & separamus à Deo ? in proximi defraudationem, alieni boni rapinam, pupillorum & viduarum, immò pauperum omnium aggrauationem solicitè nimiùm intenti : cùm tamen Christianitati sicut vna

Psal. 132. Ioan. 17. S. August. S.Hieron.

vna fides, vnum Baptisma ; ita cor vnum & communis sinceritas esse debeat, quid enim aliud Christus, nisi mutuam charitatem nos docere voluit, quando in passione sua sacrum illud corpus, quod ex virginea puritate, ceu ex lilij radice susceperat, permisit atrocissimè lacerari, teste regio vate Psalm. 128. n. 3. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* immò vt Aquila & Theodoretus ex Hebræo legunt *arauerunt peccatores.* Quasi Christi Domini dorsum non funibus flagellari ; sed impresso vomere sulcari debuerit : & nihilominus tamen cùm iam Christus in cruce exspirasset, non erat passus vel minimum ossium suorum frangi, teste Euangelista Ioan. 19. num. 33. *Ad Iesum autem* inquit *cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* Quid est enim causæ, quòd Christus Dominus in suam carnem tam diros habere voluit tortores ? in ossa verò clementes & humanos. Rationem affert D. Thomas, *quia ossa Christi Domini significabant eius robur, quod inter summos cruciatus integrum & inuictnm debuit manere.* Sed crediderim ego causam esse, quia scilicet ossa vniunt carnem, ideò non debebant frangi, ne tota caro dissolueretur.

Ecce hic adumbratam habetis Catholici charitatem, quæ vos cum Deo inseparabiliter vnit : verùm quia iam charitas in cordibus vestris euanescit, ideo corpus morale Reipub. dissipatur, & disperditur, cùm non habeat ligamina quibus vinciatur & roboretur. Sed auscultate, quæ diuina comminatio contra vos fulminat. *Visitabo* inquit *Deus super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Sophon. 1. num. 8. At, qui sunt obsecro qui ista veste peregrina amicti incedunt ? Num illi qui patrios cultus fastidiunt, & exoticos ac peregrinos æmulantur ? minimè sanè : *sed isti sunt* inquit D. Hieron. *qui simplici virtutum habitu non contenti, multiplices externarum gentium ritus imitantur : qui patriam & avitam religionem non curant, inanes & peregrinas superstitiones prosequuntur, à fidei simplicitate in multiplicitatem perfidiæ degenerant, & in vno corpore plures gestare animos, in vno ore plures personas agere, in vno homine plures mentiuntur homines.* Tales veste peregrina indutos censet esse & doctissimus Rupertus, qui per vestem peregrinam intelligit hypocrisim, quam qui in corde suo fouet, vnus esse desinit, & multiplex constituitur. Sed ecce dum hæc vnitas iustitiæ, charitatis, & sinceritatis à nobis exulat, diuisio pluralitatem secum vehens, assurgit, sceleribus & calliditate mentem hominis replens. quid enim homine impio & iniusto multiplicius ? qui peccando & vultum mutat, & animam fædat, & cor suum ad diuinas actiones, nunc ad mundi auaritiam & gloriam diuidit . hodiè sobrius comparet, cras temulentus : hodiè pacificus, cras litigiosus : hodiè castus, cras incontinens. Sic pro morum varietate mutatur, & ex vno fit diuersus, in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non erat. Hinc & bruta animantia quæ homini ante peccatum paruerunt, post peccatum nolebant obedire, quia teste Chrysosthomo in Psal. 3. homo peccando alium vultum sibi finxerat, quem belluæ non agnouerunt. *Adam* (inquit ille) *quamdiu purum seruauit vultum, factum ad imaginem Dei bestiæ ei tanquàm serui parebant, quando autem vultũ fædauit inobedientià, non agnoscentes Dominum, tanquàm alienum odio habebant.* Multiformis ergo est impius, plures colores refert, quàm Chamæleon : plures facies, quàm Protheus, plures habitus, quàm vlysses. proinde nusquàm vnus est ; sed semper diuersus. *Quomodò* inquit Ambr. epist: 82. *potest esse vnus, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione graui exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur, per momenta* varius & discolor. Et quid hanc impij diuisionem sequitur, misera desolatio teste propheta Psal. 72. num. 20. *Domine* inquit *in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Quasi diceret : quoniam nos qui ad imaginem & similitudinem tuam conditi sumus, ex vitio

Psal. 128. Theodor. S. Thom. Sopho. 1. S.Hieron. Rupertus. Chrysost. S. Ambr. Psal. 72.

tio tamen noſtro, perſonas nobis plurimas ſuperinducimus, & quemadmodùm in theatralibus ſcenis vnus atque idem hiſtrio, nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in venerem frangitur, nunc tremulus in cybelem; ita & nos tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata. Sed ne patiaris Domine, verum diſſipa multitudinem impiorum, & concilium malignantium. Hanc nobis Euangelium hodiernum doctrinam præ oculis ſiſtit, *Omne* inquiens: *regnum in ſe diuiſum deſolabitur*. Et quid eſt regnum diuidi inter ſe? reſpondent Philoſophi, eſt diuidi in plura talia, quale ipſum eſt. Nonne iam irrepſit hæc abominanda conſuetudo in regnum noſtrum, vbi nobilis Regi, ſubditus Domino, pauper diuiti, ſæcularis ſpirituali æquari vult. omnes variæ ambitionis tumore inflati iam ſui iuris eſſe cupiunt, & nec legibus coërceri, aut magiſtratibus parere volunt, in innumera ſcelerum & vitiorum præcipitia diuiſi fiunt; quod cùm Deus ferre iam non poſſit, deſolationem minitatur, hoſtes excitat, cæſorum cadaueribus prata replet, ſterilitatem terræ inducit, robur ab impio ſuo populo transfert, & regna peccatis diuiſa in gentes traducit, vt tandem his malis commoti peccatores, culpas ſuas recognoſcant. Vnde hallucinantur ſæpenumerò qui inductam famem attribuunt temporum iniurijs, qui mortem filiorum adſcribunt medicorum imperitiæ, qui defectum honorum quos in Repub. ſperabant, referunt in odium & iniuſtitiam Principum, qui iacturas mercium, quas vel mare hauſit, vel pirata eripuit, detorquent in praua conſilia nauclerorum, qui incuſtodita maria relinquunt, aut inter medias hyemes ea non perluſtrant. errant denique qui clades ab hoſtibus acceptas in ſuorum ducum ac militum ignauiam transfundunt, cùm tamen hæc omnia flagella potiùs à Deo in noſtra ſcelera vindice & vltore immitti quiſque conſiderare debeat, qui eo fine imponit plagas, vt commiſſas agnoſcamus culpas.

Hæc eſt mens D. Paſchaſij lib. de capite Domini cap. 8. *Si Deus* inquit *hoc non intenderet, ſcilicet vt peccatores à ſuis criminibus auertantur, plagæ & infirmitates nunquàm in populo Chriſtiano tàm denſæ crebreſcerent*. (S.Baſilius.) Sic olim populum Hebræum propter peccata Heli & filiorum eius grauiter puniuerat, & gladio hoſtili attriuerat, vt oſtenderet ciuilia peccata magis; quam arma hoſtilia florentiſſimas Reſpub. ſæpenumerò labefactare. quod comprobat D. Hieron. epiſt. 3. ad Heliodorum. (S.Hieron.) *Noſtris* inquit *peccatis barbari fortes fiunt, noſtris vitijs immenſus ſuperatur exercitus*. Et pauló poſt euidentius eandem veritatem concludit: *Infelices* inquit *nos, qui tantum diſplicemus Deo, vt per rabiem barbarorum illius ira in nos deſæuiat*. Quaſi diceret: non externi hoſtes, ſed domeſtici peccatores extremam perniciem Chriſtiano populo inferunt, non ſua hoſtes arma; ſed noſtra eos peccata in nos roborant, & confirmant. Nam quid aliud cauſæ, quòd Deus ſuos Iſraëlitas (Daniel. 1.) tradiderit in poteſtatem Nabuchodonoſoris Daniel. 1. n. 3. qui tamen tres pueros in fornace ignis ardentis incolumes conſeruauit Dan. 3. n. 22. niſi vt oſtenderet illos fuiſſe ſceleratos, hos autem innocentes, vt agnoſceret Rex ille ſuperbus, ſe Hebræos non ſuis viribus debellare, alioqui etiam ignis, qui maiores habet virtutes, tres illos pueros ſuperaſſet; quos tamen nec attigit, ſed ipſa Hebræorum peccata Hebræos in ſeruitutem tradidiſſe, puerorum autem virtutes, illæſos inter flammas ipſos pueros conſeruaſſe, vt probè intelligeret. Ita locum hunc exponit D. Chryſoſth, homilia 18. in priorem ad Corint. (S. Chryſ.) *Conſidera* inquit *quantum ſit tot ſpectantibus oculis à tribus captiuis pueris illum tyrannum contemni, vt ingenuè fateretur ipſe tyrannus, eorum ſe ciuitatem cæpiſſe, non ſuis viribus, ſed propter peccatum multitudinis* Nam ſi deuictos ſuperare non potuit, & maximè in fornacem intruſos, quonam pacto omnes, cùm tales eſſent innocentes, lege belli ſuperaſſet? ex quo manifeſtum

eſt, multitudinis peccata ei ciuitatem tradidiſſe. Mirabile eſt, quod cùm Iſraëlitæ ſub manibus inimicorum eſſent attriti; minimè tamen in hanc conſultationem collimare poterant, vt ſuam ſtragem in peccata referrent, ſed tantummodo admirabantur, cur ſumma illa calamitas à Deo permiſſa eſſet 1. Reg. 3. n. 2. inquientes: (1. Reg. 3.) *Quare percuſſit nos Dominus hodiè coram Philiſthini* Quaſi Deum peculiarem illius calamitatis auctorem extitiſſe putarent, more iuſtorum hominum ſeſe habendo, qui in pænis quas patiuntur, oculos à creaturis exequentibus transferunt in ipſum Deum imperantem, ſicut fecerat Dauid Pſal. 38. (Pſal. 38.) *Obmutui* inquit *& non aperui os meum, quoniam tu feciſti, amoue à me plagas tuas*.

Et quidem rectè fecit ille populus, quòd Deum punitorem & vindicem agnoſceret. Sed in hoc peſſimum conſilium iniuit, quia ſua delicta, propter quæ illa calamitas euenerat, non recogitauit, nec in melius emendauit; cùm tamen ſumma dementia videatur, incendi & incendij fomitem non ſubtrahere, ægrotare & ægritudinis cauſas non remouere: diuinitùs puniri, & peccata ob quæ punimur, non abiurare. Figite oculos Catholici in vobis metipſis, nonne eadem calamitas regno noſtro euenit? iam attritum videmus totum imperium, euiſceratas ſubditorum animas, deſolatas ciuitates, & oppida, villas, atque prædia deſerta: & tamen tantæ calamitatis noſtra peccata cauſas eſſe, vel ignoramus, vel non aduertimus: & cùm in lubricæ adhuc pace hæreamus; minimè tamen pænas volumus emendare, ſed in Deum reijcimus totum, admirando tantùm. *Quare percuſſit nos Dominus coram hoſtibus, quare perijt terra illa opima, planè melle & lacte fluens*. Quis eſt vir ſapiens qui intelligat hoc? conſulite Prophetam Hierem. 9. vbi ad hanc querimoniam (Hierem. 9.) reſpondet ipſe Dominus: *Quia dereliquerunt legem meam, ideò percuſſi eos*.

Et tamen tantus cladium terror, nec dùm poteſt dare innocentiæ diſciplinam, & inter populum frequenti ſtrage pereuntem, nemo conſiderat eſſe peccatatorem.

O miſeram ſortem veſtram! quis adeò mentem veſtram excæcauit, vt deterior iam; quàm Iudaica caligo veſtrum intellectum occupet? Hebeſcimus in dies, & plagas ſentimus; nec tamen ſcrutamur conſcientias, quid hoſtile eas poſſederit? in riuis pœnarum mergimur, eorum tamen fontes, nempè proprias culpas, nec intelligimus, nec inquirimus. Planè cæci iam ſumus, quos Diabolus ita excæcauit, ſicut olim Samſonem Philiſthini, Iudic. 16. n. 21. (Iudic. 16.) immò cæcis iam deteriores eſſe videmur; qui cùm malum pœnæ patiamur; malum tamen culpæ minimè conſideramus: ignorantes hæc duo correlatiua mutuò ſe reſpicere, & vnum ſine altero poni non poſſe. In quod acriùs animaduertit D. Auguſtinus lib. 3. de ciuitate c. 1. (S. Auguſt.) *Hæc* inquit *ſola mali deputant mala quæ non faciunt malos, nec erubeſcunt, inter bona quæ laudant ipſi mali eſſe, magiſq; ſtomachantur ſi villam malam habeant; quàm ſi malam vitam: quaſi hoc ſit maximum hominis bonum habere, bona omnia præter ſeipſum*. Induxit iam Diabolus tantam cæcitatem in animos Chriſtianorum, vt nec ſacra ieiunia libera eſſe poſſint ab immundititijs, ſed omnes effuſi in libidinem, & adulteria, velut phrænetici quidam homines, inter ignem & aquam diſcernere non valentes, ruunt: & qui cibo ieiunij ſe debilitari fingit, compotationibus aſſiduis, & fornicationibus impuris minimè abſtinet.

Sed ecce poſt dolendam plagam nondum ſatis deploratam, nouum vobis terrorem comminatur Deus, *quia regnum omne in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſuper domum cadet*. Diuiditis Catholici veſtrum regnum, quando pro nihilo vobis videtur legibus Eccleſiaſticis derogare, nec ea facere quæ diuina præcepta iubent; ſed iura & ſacroſancta ſancita pro veſtro deſiderio, non pro rei veritate interpretari, & ad propriam inſolentiam trahere, in templo gerere ſe deuotum, in mun-

in mundo ad omnem impudicitiam dissolutum : in templo ad pietatem compositum in mundo contra fas & nefas ad prostituta, conuersantem : in curia iactare se patriæ defensorem, & reipsa pauperum oppressorem esse; ac fortè tot innocentum sanguinis occultum proditorem : in hybernis ostentare se Reipub. strenuum militem, & in campo mollem fæminam : in regno proclamare se victorem, & in castris esse turpem profugum. Sed mala est hæc diuisio, & ne illam subsequatur vltima desolatio, cauendum est. Patriæ ciu s es ? Reipub. prudenter consule, & conscientiæ ne infirmetur, medicamenta saluberrima prouide. Iudex es ? Iura in integro serua & æquitatem, tum eam quæ proximum, tum quæ Deum respicit, ne violes. Miles es ? mulierum illecebras & turpes delicias fuge, & gladio assuesce, ne libidine eneruatus, cùm martem spirare debeas, venerem debilem effingas. Christianus es ? vitia contemne, & Christi iustitiam atque sanctitatem amplectere, quia si omnis virtus à nobis exulauerit, nullum iam remedium inuenietis, quod nos erigat, sed vbi inueteratam malitiam & incorrigibilem culpam in nobis deprehenderit Deus, & nos, & nostra simul regna desolata faciet.

Matth. 21.

Mirātur Doctores, quare Christus ficulneæ illi fructum non habenti maledixit, eamque statim arefecit Matthæi 21. num. 19. cur enim obsecro tàm duram illi plagam inflixit ? siquidem tunc nondum erat tempus ficuum producendorum, vt habetur Marci 11. n. 13 Rationem assignat Mendoza in 1. Reg. cap. 1. *Quia scilicet ficus illa non tantùm fructus non habebat, sed nullam etiam spem ampliùs fructificandi.* Nam teste Abulense quæst: 111. in Matth. erat tunc initium veris, quo tempore solent ex ficulneis aliqui erumpere grossi, siue fructus immaturi, qui paulatim postea adolescunt ; illa verò ficus nihil tunc omninò habebat præter folia, vt testatur vterq; Euangelista. Initium verni temporis reuertitur iam ad nos Catholici, fru-

Mendoza.

Abulensis.

A ctus fortasè virtutum in nobis obseruare volet Christus Dominus, verùm si ad initium vernæ amænitatis, quando fonte sacri ieiunij irrigantur nostræ animæ, signa manifesta emendationis in nobis non apparuerint; si spes euigilandi à peccatis non effulserit, sed tantùm folia ista extrinseca pietatis, scilicet simultaio & Ecclesiæ sanctæ visitatio, desolabitur regnũ nostrum : nam pœnitente populo Deus etiam calamitates auferre solet, vt palam fit ex toto iudicum libro, vbi Iudæi ido- B lolatrantes in hostium potestatem tradebantur ; sed mox suum peccatum agnoscentes, inde eruebantur.

Numer. 21.

Quod pulchrè figurauit Deus in illo serpente, quem iusserat per Moysen eleuari in deserto, ad sanandum populum Numer. 21. n. 8. *Fac* inquit *serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet.* in quo serpente summam virtutem admiratur Cæsarius Arelatensis homil. 2. de Pascha : *Tàm prompta* inquit *aderat salubritas medicandi ; quàm velox inerat* C *felicitas intuendi, sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium.* Vbi idem author duplex mysterium in illo serpente latuisse deprehendit, vnum, quia serpens ab initio mundi maledictus Genesis 3. n. 14. repræsentabat Christum Dominum factum pro nobis maledictum ad Galat. 3. n. 13. ad quem qui aspectu fidei & charitatis accedit, quamuis serpentinis diaboli morsibus laceratus, & multis scelerũ veneris infectus fuerit, illicò sanatur.

Cæsarius Arelatens.

D Alterum mysterium in illo serpente latebat, recognitio peccati, in quod callidus serpens suggestione & mala suasione induxerat hominem : sic enim dicit Cæsarius Arelatensis. *Modo* inquit *medela si volumus nobis contra morsum serpentis viso serpente confertur, quod tunc euidenter completur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione aboletur.* ac si homo quando benè respicit peccatum suum, sanet morsus serpentis per serpentis aspectum. Vbi quilibet agnoscere potest, debitam proprio-

Idem.

propriorum scelerum rememorationem, esse optimam eorundem scelerum medicinam, sic vnus ille è septem Machabæis cùm torqueretur, iam iam martyrio coronandus oculos à proprijs peccatis non auertebat, vt priùs suis se lachrymis, quam effuso cruore expiaret 2. Machab. 7. n. 18. *Nos* inquit *propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum.* Sic latro in cruce pendens, priùs peccatum confessus est, quam paradisum meruit palam confitens : *Nos* inquit *iustè patimur, nam digna factis suscipimus,* Lucæ 24. n. 41. vbi D. Chrysosthomus homilia de cruce & latrone ad finem tertij tomi dicit : *Non est* inquit *ausus dicere, memento mei, nisi confessione peccati sarcinam remisisset.* Inspice quantum præstat confessio, confessus est Latro, & paradisum patefecit, & tantam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet. Frequenter enim Deus parcit iniquo populo, propter solam pœnitentiæ spem, vt docet D. Chrysosth. homilia 80. ad populum Antiochiæ *Deus* inquit *longanimiter agit, vt peccans ad pœnitentiam veniat, & ne ex eo noscituris salutem excludat.* quod comprobat manifestis exemplis. *Tharam* inquit *Pater Abrahæ fuit idolorum cultor, sed in hoc mundo impietatis pœnas non dedit. Nam si Deus præueniens radicem præcidisset, unde tantus fructus exortus fuisset ?* (scilicet Abraham). Ecce igitur regnum in se diuisum habetis, quando homines iniquitatibus mersi, per peccatum diuiduntur à Deo, nec vnitatem iustitiæ, nec vinculum charitatis, nec sinceritatis vnionem retinentes, quæ diuisio quia grauiter est Dei læsiua, regnis terrenis desolationem infert.

2. Mach. 7.

Lucæ 24.

S. Chrys.

Idem.

Sed ne despondete animum Catholici, verùm amplectimini sanctam pœnitentiam, & vnũ cum Deo per gratiam Iesu Christi efficiamini, & dubio procul eripiet vos, de omnibus anxietatibus idem qui afflixit. Arripite illud optimi Regis & coram Rege Deo pœnitentis Dauidis, qui admonet, vt qui diuinis flagellis torquentur, pro- A pria peccata recogitent. *Recogitabo tibi* inquit *dies omnes in amaritudine animæ meæ :* & iuxta illud alterum prophetæ oraculum Aggæi 1. n. 5. & 6. *Ponite corda vestra super vias vestras,* seminastis *multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati.* Quasi diceret : cùm vobis à Deo plagæ imponuntur, cùm tributorum onerosa pensio, agrorum sterilitas, fames, sitis, aliaque id genus mala vobis tanquàm agmine facto aduersantur, consulite conscientias vestras, ex quarum peccatis il- B la supplicia oriuntur, vt hæc effugiatis ; illa emendetis. Et quoniam tempus Sacræ Quadragesimæ opportunum est ad placandam iram Dei, ad te hodiè in corde contrito reuertimur benigne Iesu, vt qui manifesta iam desolationis signa in regno nostro fieri permisisti, humilitate tandem nostra, hæc omnia mala auferas, depressas tuorum fidelium vires erigas, hostis fastum & arrogantiam deprimas, afflictum populum de pinguedine cœli & terræ subleues, ruinas C templorum resarcias, & ne ampliùs aut exercitus feriatur, aut domus supra domum cadat, præseruare digneris.

Aggæi 1.

EADEM DOMINICA, CONCIO SECVNDA

Erat Iesus eijciens Dæmonium & illud erat mutum. *Lucæ 13.*

Deus varijs de causis permittit diabolo vexare corpora humana.

D Plerumq; resolutus pariter ac superbus hostis, vbi belli gerendi peritissimum ducem aggreditur, & illius inuictâ potentiâ, in prima statim acie cadit fractus, etiam ad solam postmodùm nominis eius famam trepidat : ad præsentiam verò exanimis, elinguis, ac mutus penè redditur. Non erubuit quoq; fastu tumido inflatus dæmon, cum resolutissima tentationum suarum phalange, omnipotentem Dei filium in principio statim Quadragasimalis ieiunij aggredi : sed in pri-

in primo statim conflictu inuictum agnouit, & ipsamet omnipotentis verbi illius potentiâ penitùs cecidit profligatus. vt innuit Apostolus ad Colossenses 2. *Expolians principatus, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* vbi (vt inquit Theophylactus) allusit Apostolus ad Romanorum victorias, quibus in more positum erat, vt ante victores victi onerati colla catenis, & manibus post terga reuinctis, ad maiorem illorum confesionem atq; dedecus, simulq; ad ampliorem triumphantis gloriam atque honorem, procederent: vnde verba illa, *Principatus traduxit confidenter,* ingeniosè admodùm D. Ambr. vertit; *ostentauit confidenter,* quasi diceret: Christus non tantùm in deserto vbi solus erat, dæmonem sui tentatorem superare voluit; sed etiam publica quadam demonstratione in conspectu hominum, Principes & potestates inferorum confundere satagebat. Et huius certè Christi victoriæ typus erat ingeniosa illa Danielis inuentio, qui cùm videret apud Babylonios Draconem quendam adorari, per cuius os dæmon loquebatur & responsa dabat, tunc Daniel, vt magno illi errori occurreret, massam quandam ex pice, adipe, & pilis confecit, illamq; in os Draconis imposuit, & subitò eum interemit. Dan. 14. *Tulit* inquit *scriptura Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, & fecit massam, & dedit in os Draconis, & diruptus est Draco.* Mysterium hoc erat (inquit Nyssenus) Christi victoriæ de diabolo reportatæ, qui seipso beneficum illum serpentem, ac ferum draconem, medium dirupit. Et ecce hæc prima fortitudo tantum illi timorem incussit, vt non ausus fuerit illum ampliùs aggredi; sed omnem suum furorem in Christi membra, scilicet fideles; ieiunijs & pœnitentiæ deditos conuertit: non contentus semel in Christum insurrexisse, nisi & seruos eius tentaret in suam sententiam trahere, quia cùm esset plenus sapientiâ, facilè confidebat omnes sua suasione superandos, vt dicitur Ezech. 31.

Coloss. 2. Theoph. S. Ambr. Dan. 14.

A *Flumina eius manabant, in circuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis, & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis multis.* id est; flumina & riuos consilij sui & doctrinæ astutæ, ad vniuersum genus humanum conuertit, vt illud circumueniret, & inuenit certè quos in infelicissimum suum consilium inclinauit. Ezech 31. *Et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso.* Quasi diceret Propheta; illi soli diabolicæ suasioni consenserunt, qui gloriæ suæ voluptatem, non Dei honorem quæsierunt, & quos magis delectabat B seruire creaturæ; quàm creatori: sed tamen in Deo consecratis hominibus contra vota omnia illi contingunt, quos licet aliquando obsideat, Christus nihilominùs subitò adest, qui illum expellat, ad cuius ille aduentum obmutescit, sicut in hodierno accidit energumeno. Consideremus igitur vnde dæmon habeat istam obsidendi potestatem in hominem, & quomodò in illo obmutescere possit. C

Ezech. 31. Ibidem.

Proclamatum est pridem in scholis, ab illo omnem creaturarum potestatē prouenire, à quo & esse, & viuere, & conseruari recipiunt: ac proinde cùm & dæmones ab ipso Deo producti sint, in hanc rerum vniuersitatem omnem quoq; tentandi, decipiendi, & affligendi humana corpora vim ab illo sibi permissam habent. qui licet ob execrandam eorum præuaricationem, æternæ inferorum pœnæ eos adiudicauerit; vt tamen summā eius clementiam, D quàm creaturis ostendere solet, etiam infensissimus iste hostis agnouisset, vsq; ad diem iudicij âërem illi concessit, in quem illi alternatim ex regestro Luciperi (cui sicut ab initio malè suadenti rebellionem in Deum acquieuerunt, ita semper imperanti per incircumscriptam æternitatem parere debent) prouolarent, quasi scipsos aliquantùm recreaturi, vt exponunt interpretes S. Pauli ad Ephes. 2. super versum 2. & 6. & super primæ Petri 5. versu 8. Agnouit hoc dæmon nascente Christo, quòd nihil penitùs

sine

sine eius permissione operari valeat, A vbi cùm Augustus oblato sacrificio interrogasset Rythiū Apollinem, quis post se imperium administraturus foret, obticuit oraculum: cùmque potentiùs Cæsar causam silentij vrgeret, hoc solum audiuit responsum.

Me puer Hebræus diuas Deus ipse gubernans.
Cedere sede iubet, tristemq; remittit ad Orcum.

Cur autē Deus potestatem in corpora humana concedat diabolo, innumeras Doctores sancti assignant rationes. Primò scilicet; vt aduertamus quàm furibundus iste animarum nostrarum B hostis, violēter circa perdendas fideliū animas laboret, ideoq; cùm se in tentando Dei filio elusum esse aduerteret, omnem suam potentiam & insaniam ad perdendum hominem conuertit. Et hæc est certè causa, cur nascente primùm Ecclesia, gentilium tyrannos in odium & crudelem fidelium persecutionem stimulauerit, vt scilicet cùm hominem, quem antea in paradiso deceperat, iterùm è dolendo illo lapsu morte Christi erectū videret, vt iterùm eidem Christi religionem execrabilem C redderet, & in dies illam minueret per martyrum frequentem necem. sed & hic longè à scopo aberrauit, nam quo magis Ecclesia grana illa mortificata suscipiebat, & innocenti eorum cruore irrigabatur, tantò fecundior fiebat, adeò vt noua incessanter germina pullularent, quibus Christiana Religio crescere & augeri non desisteret. Et his certè diebus tanquàm Leo rugiens circuit quem deuoret, sed concipite odium aduersùs tàm improbum hostem Christi fideles, & in sobrietate D ac vigilantia satagite, quomodò primum eius impetum possitis infringere: & cùm præsentem habetis Christum dæmonia eijcientem, confidite quia non patietur vos tentari, supra id, quod illius fulti præsentia possitis ferre, vt in iustitia & eius gratia augmentum obtineatis. Irruebat draco iste fortiter in rectum Iob, sed Deo permittente non plus profecit, quàm quod bona eius temporalia dissiparet, animam nihilominùs illæsam seruare debuit. Et licet aliquando in peccatum te prolabi contingat; si tamen de libro vitæ nondùm deletus es, adhuc immensa DEI bonitas nondum plenum ius sæuienti hosti concedet, vt in te irruat, & animam tuam enecare valeat. Mirabile est quod refert Plinius Natural. hist: lib. 3. cap. 9. quòd Nero plurimis vndequaq; accersitis magis, & toto prorsùs orbe conquisitis ariolis, vt ex ijs futuri sui euentus certum acciperet oraculum, nullum tamen ad sua quæsita responsum ab eis ope dæmonum extorquere potuit. quid tunc elingues reddidit dæmonum voces? (inquit Plinius) Deus prohibuit, ne tantorum facinorum homo, si felicem vitæ suæ terminum percontatus fuisset, de suis pessimè factis impudentiùs triumpharet. vel certè si infaustam malè actæ vitæ metam sibi assignatam didicisset, vltra summam tyrannidem in hominum sæuiret ampliùs innocentiam. Quærite Catholici mei quid causæ, quòd cùm dæmon circa peccatorem hominem omnes peccatorum vires eneruare contendat, vt tandem illum suæ æternæ miseriæ socium habeat, scire tamen nequit victurus ne sit, an resipiscente homine cum dedecore abscessurus? Abscondit hæc futura ab intellectu mali Angeli Deus, ne si secretum cordis humani intelligeret, & hominem pœnitentiam acturum cognosceret, vltra solitam in eum sæuiret malitiam, vel certè si iam in turpitudine peccati perseueraturum videret, ante victoriam triumphandum sibi licere præsumat. quod comprobat sanctus Doctor 1. parte quæst. 57. art. 4. in corpore. *Ea* inquit *quæ ex voluntate sola dependent, & quæ in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota.*

S. Thom.

Permittit secundò Deus potestatem Diabolo vexandi corpora hominum, potissimùm propter infideles, qui negabant esse dæmones, vt Saducæi, vt sic ex effectu malitiam illorum cognoscendo, & pœnas inferni euitare seriò contendant, & simul Dei potentiam agnoscant, quæ sola hominis viribus insuperabile dominium ab ho-

mine

S. Auguſt. mine propulſare poteſt. vt docet Auguſt. lib. de Trinitate 3. cap. 9. tum quoq; ad probationem iuſtorum, vt innuit ſcriptura Deut. 13. Deut. 13. *Tentat nos Deus vt palam fiat, vtrum diligamus eum toto corde an non.* Nam ex permiſſa tentatione, maximè dilectio in Deum dignoſcitur, iuxta doctrinam Auguſt: tract: 7. ſuper Ioannem, vbi inquit, quod illi qui non ſincerè diligunt Deum, ſed ſua magis commoda proſpiciunt, facilè ex leuiſſima cauſa confugiunt ad magos, quin & ad ipſum diabolum: ſed perpende o homo! quem dæmonum conuerſatio delectat, quod iuuamen ab illo habere potes, qui ſemper in tuam perniciem vigilat? quod commodum ex illis, quæ tibi diabolus ad tempus concedit, qui animam in totam æternitatem eripiet? Quam delectationem ex eius obſequijs ſumes, qui inenarrandis cruciatibus te in omni æuo torquebit? Hæc ſi attentiùs perpenderes, non facilè dæmonum aſtutijs decipi patereris, ſed potiùs inclinares te ad Dei obſequium, qui ſolus licet te hic ad tempus affligat, ſed per totam æternitatem proſperare poteſt; conuerteres cor tuum in tribulationibus ad eius miſericordiam, quæ cuncta dat mortalibus, & ſi quem minimè affligit, ſubitò recreare vult. concurreres in deſperatis caſibus ad eius conſilium, quo quiſquis agitur, omne naufragium ſibi perniciosum facilè euitare poteſt. Nam ſi vehementem ſæpiùs pateris tentationem, fortaſsè infidelitas tua poſitiua ad hoc Deum adducit, vt iſtorum dæmonum incurſus in te permittat, dùm veritati manifeſtæ reſiſtis: & licet optimè ſcias, & toties in Eccleſia audias, non eſſe peccandum; ab hac tamen euidenti Dei lege recedis. Pateris aliquando acerbam infirmitatem, fortaſsè abuſus ſacramentorum tibi tanti cauſa eſt mali? dùm non benè diſcuſsâ conſcientiâ, ad cœleſte illud epulum Sacramenti Euchariſtici accedis, vt docet Apòſtolus 1. Corinth. 11. Cor. 11. *Propter hoc* inquit *infirmi inter vos multi ſunt & dormiunt multi.* Fatetur hoc Cyprianus lib. 4. epiſtola 7. ſermone de lapſis, vbi dicit viros & mulieres non paucas à malis ſpiritibus poſſeſſas fuiſſe, eò, quòd ſine confeſſione & pœnitentia peccatorum ad venerabilem Euchariſtiam accedere præſumpſiſſent. Succumbis nonnunquàm bonorum temporalium iacturam, quid hoc efficit? tua certè temeritas, quia quo plus conceſis tibi à DEO bonis abundas, eò magis à Deo recedis: propter quod iratus Deus transfert illa à te, quibus benè vti neſciebas. Et quid eſt, quod adeò dementat homines, vt in multorum poſſeſſione bonorum Deum deſerant, velut bruta quædam irrationabilia: certè non aliud; quam dæmonis aſtutia, quæ ad tantam hominem inſaniam mouet, vt belluinam quandam viuendi rationem inducat, vnde Hieronymus & Epiphanius illa ſcripturæ verba Daniel. 4. dicta Nabuchodonoſori. *Fænum quaſi bos comedes mirantur,* quomodo humana illius Regis natura in bouinam ſpeciem transmutari potuit? & dicunt non aliter; quàm per diabolum, à quo ſic dementatus erat ille Rex, vt putaret ſe eſſe beſtiam. quod pulchrè exponit Auguſtinus in ſententijs: S. Auguſt. *Per dæmonum* inquit *fallaciam illuditur curioſitas humana, quando id imprudenter appetūt ſcire, quod nulla ratione eis competit inueſtigare.*

Etenim dæmon in hunc inferiorem lapſus mundum, tria ſibi vſurpare præſumit. primò diuinos honores per cultum idololatriæ, quando hominem ita ſeducit, vt eum honorem, qui ſoli Deo debetur, illi deferat.. Atque hæc abominabilis DEO Idololatria primam originem ſuam ſumpſit in illa peruerſa ciuitate Niniue, poſt cuius creationem Ninus Rex Aſſyriorum, fecerat quoque ſtatuam in honorem Patris ſui defuncti nomine Beli, cui tantum honoris deferri cæpit, vt ad eam mortis etiam regi confugientes, promerita euaderent ſupplicia. vnde factum eſt vt ſuggerente Diabolo, & vano hominum errore gliſcente, diuini honores eidem ſtatuæ; thura videlicet & ſacrificia fierent, in quo ſibi ſummè

ſummè complacens Diabolus, vt miſeras hominum animas æternis illaquearet vinculis, cæpit per illud idolum reſponſa dare interrogantibus, & quia hoc idolum omnium erat primum, ideo Iudæis in tanta erat abominatione, vt illud dæmoniorum Principē ſiue Beelzebub appellarent. Atq; vtinam his temporibus, in tanta eſſet execratione dæmonium, vt quaſi principium omnis idololatriæ & blaſphemiæ in Deum, vellemus vitare. non ad ariolos, non ad veneficas, non ad Incantatores, opem deſcendentes quæſituri; ſed ad ipſum Deum, cui hæc à nobis debetur ſubiectio & reuerentia. Secundò, arripuit ſibi dæmon tyrannide ſæuâ dominium corporis, dùm illud ſubintrans horribili cruciatu immaniter concutit & diſcerpit. Tribus autem modis dæmon ſolet hominem occupare; primò, dùm ſolum corpus poſſidet & vexat, ſed in animam nihil Iuris habet, quod & iuſtis ac pijs hominibus ſæpius Deus immittit: tùm ad probationem & exercitium virtutis; tùm quoq; ad expiationem alicuius venialis paccati, & pænas purgatorij imminuendas. cuius rei celebre exemplum refert Cæſarius lib. 5. c. 26. vbi dicit, quinquennem puellam omnis adhuc innocentem criminis, ob maledictionem maternam poſſeſſam fuiſſe à dæmone, in cuius aſſidua & acerba vexatione, creuit ad maturam vſq; ætatem, donec Romam ad limina Apoſtolorum veniens, priſtinæ ſanitati reddita eſſet. tùm autem dæmonium in egreſſu exclamare cæpit. Nullum poſt hanc vitam ſentiet purgatorium, præter illud quod à me perpeſſa eſt.

Secundò, occupare dicitur hominem Diabolus, dùm per peccatum ſubintrans vendicat ſibi cor humanum, quaſi ſerpens antrum, & quaſi latro ſpeluncam ſuam, illud ſibi efficit. In cuius rei teſtimonium audiuit B. Ioannes Angelum clamantem Apocal. 18 & dicentem Apocal. 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.* quid eſt iſta Babylon? anima certè peccatrix, quæ diuinæ legis ordine derelicto, vertitur in confuſionem, & à fide atq; bonis operibus cadens, fit domus inferni, domus immundi ſpiritus: & quis eſt ille immundus ſpiritus, qui poſt peccatum ius plenum in animam habet: certè non alius; quàm malitia & grauitas Dei offenſæ. Vt inquit D. Chryſoſt. in caput Marci 16. S. Chryſ. *Magnus dæmon peccatum eſt, quod ſi à te abieceris maius mihi crede feciſti opus, quàm dæmonia eijceres. Nam deterius eſt homini vno ſolùm peccato inſici; quàm integram dæmoniorum legionem continere.* Ac proinde cùm tantam in ſe peſtem contineat peccatum, vt qui illud facit ſemel, diaboli eſſe credatur 1. Ioann. 3. 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Ad omnimodam eius fugam incitat nos Apoſtolus Epheſ: 4. Epheſ: 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare diabolo*: id eſt: peccato: quod ſua malitia dæmonem ipſum ſuperat. vt perdoctè ſatis inſinuat Chryſoſt. homil. 41. in Acta Apoſtolorum, inquiens: S. Chryſ. *Peccatum grauius eſt dæmone, nam ille quidem humiles facit. An non videtis dæmoniacos quando reſipuerint à morbo, quàm ſint ſubmiſſi? quomodo intueri non audent? nos contra in iuſtitiâ afficientes, non erubeſcimus.*

Tertiò, dominium in hominem acquirit dæmon, quando & anima à peccato mortali obſidetur, & corpus occupatur à dæmonio: vbi & anima miſera fune illo infernali ligata, nihil diuinum, nihil ſalutare ad ſe admittit: & corpus varijs modis affligitur, & vexatur. Sic de Saule dicitur 1. Regum. 16. 1. Reg. 16. *Spiritus Domini receſſit à Saul, & axagitabat eum ſpiritus nequam à Domino.* Quaſi diceret ſcriptura: poſtquàm reprobus Saul grauiſſimis infectus eſſet peccatis, ſtatim quoq; ſpiritus infernalis intrauit corpus ipſius, & permittente Domino, grauiter illum affligebat. Nec aliter liberari potuit ab illa vexatione, niſi cytharâ Dauid. quod teſtatur Eucherius in capite 16. 1. Regum. Eucher. *Dauid in cythara ſuauiter immò fortiter canens, malignum ſpiritum qui operabatur in Saule, compeſcuit;*

peſcuit : non quod cythara tanta virtutis foret, ſed figura crucis Chriſti quæ de ligno & extenſione neruorum myſticæ gerebantur, ipſaq; paſſio cantabatur, quà iam tunc dæmonis ſpiritus opprimebatur. Paucoſne his diebus inuadit dæmon, non vnius iam animam lethali culpâ ſuo ſubiecit dominio : non vnius corpus inueterata peccandi conſuetudine occupauit. ſed ecce cytharam habetis Chriſtum in cruce extenſum, canite in hoc ſacrato Dei perſonalitate inſtrumento, luctuoſum paſſionis dominicæ hymnum, apponite veſtris digitis figuram crucis, recolite in mentibus eius pro veſtra ſalute tyrannicam mortem, & ad minimũ iſtius melodiæ ſonum procul ſtatim aufugiet dæmon. Ferunt Doctores dæmonem ex homine facilè expelli poſſe, antequàm naturales eius diſpoſitiones corrumpat, quia cùm ipſe ſit immundus, optima complexione & recta corporis organiſatione ad ſuos effectus vti non poteſt, ſed melancholicâ, phlegmaticâ, ideoque poſt obſeſſionem non ſtatim ſeipſum prodit, donec paulatim bonas corporis inclinationes infringat, ſibique iam firmam conſtruat habitationem. vbi ad illum expellendum ipſa omnipotentis præſentiâ opus eſt. Quemadmodùm in hodieno Euangelio contingit. *Erat Ieſus eijciens dæmonium & illud erat mutum.* Mirabile eſt quomodò dæmon in corpore obſeſſo (cum auribus vt pote ſpiritus careat) obmuteſcere potuit : Reſpondet Royardus, (Royardꝰ.) mutum fuiſſe dæmonium illud non in ſe, ſed in ſuo effectu & maleficio, quo poſſeſſum à ſe hominem mutum effecerat. Dolenda res certè eſt Catholici mei, ne in aliquo veſtrum dæmonium illud grauiſſimum peccati inueteratum maneat, ne ita mutum reddat hominem, vt difficilè iam curari poſſit : quo enim diutiùs in peccatis deliteſces, tantò magis redderis mutus à laude Dei, & gratiarum actione ipſi debita, vt nullam Deo laudem decantare velis, nullam pro innumeris ab eo acceptis, beneficijs & donis gratiarum actionem ipſi referre labores : ſed magis porcorum inſtar & in ſumma rerum abundantia diuinam obmurmures prouidentiam.

Sed vide ad quid iſta ingratitudo inclinat Deum, ad hoc certè vt in maiora & incorrigibilia nonnunquam peccata & ſcelera ruere hominem permittat. Hæc fuit cauſa lapſus primorum parentum inquit Rupertus in Geneſim lib. 2. cap. 39. quia obliti erant Dei creatoris ſui : (Rupertus.) *Inſpirauerat Deus in faciem Adæ ſpiraculum vitæ, eumquè interiùs & exteriùs donis omnibus adornauerat ; & tamen mutus permanſit, nec vllas Deo gratias egit, tranſtulit illum in paradiſum, hortum omni amænitate & delicijs affluentem ; & hic tamen protoplaſtus generis humani mutus erat in laude creatoris ſui. Adduxit ad eum omnia animantia vt ſingulis nomina imponeret, & omnibus dominaretur, nec dùm in laudes erupit primus mortalium parens ; demùm adiutorium ei ſimile dedit mulierem ſpecioſam miro artificio è coſta ipſius fabricatam : ſed & hic mutus hæſit Adam, nec vllum in ore eius gratiæ verbum reſonauit.* Et ecce propter illam ingratitudinem permiſit eos Deus, in originalis iuſtitiæ ruinam cadere. *Euanuerunt* inquit *Rupertus in cogitationibus, vt etiam ſe eſſe Deos poſſe exiſtimarent, ſicq; grauiſſimè prolaberentur.* Ecce quàm pernicioſa eſt ingratitudo ! omnes propter illam in peccatis naſcimur, & (quod dolendum) plerumq; in peccatis morimur. Fugite hoc dæmonium mutum Chriſtiani, & ſi cæli reſonant gloriam Dei, ſi omnis creatura laudes enarrat, & vos qui imagines Dei eſtis, laudes intonate creatori, & pro eo quod vobis tempus hoc opportunum ad eluenda peccata conceſſit, ſingulis debitas horis perſoluite gratiarum actiones. Hoc vobis ſapiens conſulit Sapient. 1. (Sapien. 1.) *Hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Quaſi diceret : ipſe homo qui totius mundi & omnium creaturarum perfectionem ſibi inditã habet, ſolus ad hoc creatus eſt, vt factorem ſuum vice omnis creaturæ ſapienter laudet. Laudauit eum ſæpiùs B. Antonius de Padua, & ecce anno

anno à morte ipſius 32. lingua incorrupta, & recens in ſepulchro reperta eſt, quã S. Bonauentura cum lachrymis exoſculans, his vocibus venerari voluit : *ô benedicta lingua, quæ dominum ſemper benedixiſti, & alios benedicere docuiſti, nunc liquet quàm grata ei fueris, quantiq; apud Deum meriti.* decantabat D. Bonouentura gratiarum actiones Domino ſæpiùs, & ecce 160. annis poſt mortem integra lingua reperta erat, ſimiliter cor & caput, per quod Deꝰ ſpecialiter inſinuare voluit, quàm gratum illi eſt, dum lingua in eius prorumpit laudes : quàm iucundum, dùm caput ad maieſtatis eius venerationem inclinatur : quàm dulce, dùm cor ſola Dei beneficia meditatur. ſed ſi in peccato longiùs decumbas, ad hæc omnia mutum te efficiet funeſtum illud dæmonium, & quia peccans ab æterna veritate auertitur, & ad terrenas ſeſe confert fallacias, peccatum quoque mutum reddit hominem, à virtute proferenda ; ad mendacia autem commiſcenda facundum. (Actor. 1.) vt dicitur Actorum 1. *Cur tentauit ſathanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto.* hoc ipſum docuit æterna veritas, cùm ſapienter concluſit : *Omnis homo mendax, ſolus Deus verax.* Ergone æterne Deus, & Chriſtus vt pote verus homo mendax erat ? ergone & ſanctiſſima Mater tùa ab omni labe immunis ? minimè ſanè : ſed omnis homo mendax, qui in peccato conceptus eſt, & peccato obnoxius manet. ſed audiamus D. Paulum quid de hoc dæmonio loquatur : *Deponentes* inquit *mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximò ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.* quaſi diceret : tempus nunc acceptabile Deo eſt, ideoq; qui fouetis diſcordias, & odia aduerſùs alterum, deponite illa, & reconciliate vos Deo, & proximis veſtris. nam quouſq; hæc venena occultatis, mendaces eſtis, dùm veſtra dimitti peccata à Deo vobis poſtulatis, ipſi leuiora minimè dimittendo : cùm non aliter Deus ſe veſtra dimiſſurum vitia pollicitus ſit ; quàm vt vos inuicem & vobiſmetipſis dimittitis. Inueterata demùm peccata mutum efficiunt hominem ad eluenda confeſſione delicta, pudore & fiducia eos retrahens, quia cùm peccatum ſit effectus diaboli, omnia homini Deo contraria proponit, & ſicut Deùs pudorem peccato propter eius turpitudinem indidit ; ſpem verò confeſſioni : dæmonium è contra pudorem homini in confeſſione exponit, fiduciam autem in peccato ſuadet. vt dicit Chryſoſth. homil. 3. de pœnitentia. (S. Chryſ.) *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confeſſioni fiduciam : inuertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet : confeſſioni pudorem & verecundiam incutit.* Hinc Caſſianus (Caſſianus.) die quodam quadrageſimalis ieiunij, vidit ſathanã circa confeſſionalia obambulantem, interrogauit illum Vir ſanctus, quid ibi faceret, reſpondit ille : *reddo* inquit *pœnitentibus quod ante abſtuli eis.* vrget ille vlteriùs, quid illud eſſet : & ecce dicit ſathan : *Abſtuli eis verecundiam dùm peccarent, eam nunc illis reddo, vt à confeſſione deterreantur.* Sed audite inueterati in peccatorum diuturna conſuetudine mortales, ſapientis cõſilium Eccl: 4. *Ne confundaris* inquit (Epheſ. 4.) *pro anima tua dicere verum, eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam.* Confuſio nimirùm, quæ impedit peccatorum confeſſionem, adducit peccatum æternâ expiandum pænâ. Confuſio autem ex peccatorum confeſſione enaſcens, delicta præterita legit, & à futuris hominem præſeruat. Ac proinde ſi non puduit te peccare, nec confiteri pudeat. dæmon quidem pudorem tibi incutit, ſed vt te in conſpectu Dei fortiùs de illo accuſet. Sed ecce clementiam Dei nobis pollicetur D. Ambroſius de pœnitentia lib: 2. cap. 7. (S. Ambroſ.) *Non vult* inquit *Deus vt inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat, ſed præueni accuſatorem tuum, nam illa peccata quæ hic ſincere confeſſus fueris, accuſare non poterit.* Quod oſtendit Origenes l. 3. in Leuit. inquiens : (Origenes.) *Cuncta peccata neceſſe eſt publicari, neceſſe proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & inuentor : ſi præ-*

si præueniamus eum in hac vita, nequitiam diaboli præuenimus : si præuenti fuerimus, peribimus æternùm.

Refert Beda histor. Eccles. gentis Angliæ lib, 5. cap. 14. In aula Regis Angliæ vir quidam nobilis graui morbo correptus erat, quem cùm Rex summè diligeret, inuisens eum admonuit seriò, vt sua peccata confiteretur, pœnitentiamq; accelerarét : respondit miser ille aulicus, non se tunc velle confiteri ; sed post recuperatam sanitatem, ne inquit cæteri sibi exprobrarent, quòd timore mortis faceret ea, quæ sospes facere noluerat. & ecce miser breui post sinè pœnitentia decessit. ecce astutiam dæmonis, quid per inueteratum peccatum effecit ? pudorem peccatori obiecit, ne ad confessionem aditus ei pateret : sed cum æterno pudore illum seduxit. Hoc Deus omnibus minitatur, quicunque pœnitentiam differunt & expiare scelera erubescunt. Ezech. 3.
Ezech. 3. *Adhærere* inquit *faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus.* In palato inquiunt naturalistæ residet gustus, obmutescentes in peccatorum confessione punire Deus vult, vt lingua eorum adhæreat palato, hoc est ; vt quò diutiùs in sceleribus decumbunt, eò maiorem in peccatis capiant delectationem, propter quam lingua eorum taceat & obmutescat. Plerosq; autem dæmonium hoc mutum à confessione deterret timore, dùm scilicet expauescunt, ne illis grauis pœnitentia assignetur, ne præcipiatur restitutio, ne injungatur reconciliatio cum inimicis : adeò, vt etiam in ipsa agonizatione timor iste mutum efficiat hominem, ne reuelet ea quibus Deum offendit. Quibus Iob cap. 6. illud in-
Iob. 6. culcat : *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* quasi diceret : qui minus malum timet, in maius plerumque incidit.

Sed non est quod te retardet ô homo in pœnitentiæ itinere ! si enim vereris grauem pœnitentiam, vtiq; vnicum etiam peccatum grauius est ; quàm omnibus tribulationib⁹ & mortificationibus expiari possit, nisi Deus suæ passionis infinita dignitate nostrum in satisfaciendo suppleret defectum. Si restitutionem trepidas, stringit quidem diuina lex ad illam, inquiens : *Non exibis hinc donec ad minimum quadrantem solueris.* Si deest tibi in temporalibus, modus compensandi, superest adhuc paratus & immutabilis satisfaciendi affectus, quo in extremis pro effectu contentatur Deus, quia in moralibus hominum actionibus, voluntas efficax stat pro facto. Si denique reconciliatio cum inimicis remoram tibi ingerit. Nonne magis est Deum infinitæ dignitatis ad tua humiliationem inclinari ; quàm te deprecanti homini ignoscere ; & tamen ille è sede maiestatis suæ pronus descendit, vbi te paratum in sui amorem redire videt, vt exinde discas omnium obliuisci, quæ tibi ab altero illata sunt Quod si dignitas aut generis aut familiæ tibi obstaculo est, vide ne propter temporaneum splendorem, in infernales proijciaris tenebras : sic in Italiæ quadam ciuitate erat fæmina nobilis, quæ exteriùs fulgebat sanctitate, eleemosynis, & orationi semper dedita erat, quæ moriens reliquit filiam valdè piam. Hæc singulis diebus specialiter Deum orabat pro anima matris suæ: & ecce inter aliquot hebdomadas, dùm sola domi existeret, apparuit circa ostium monstrum horribile, speciem porci excoriati habens, territa puella illa visione fenestram petit vt aufugiat : sed vocem illam retardantem audijt. *Siste gradum ô filia, sum infelix mater tua, eheu ? non obstante vita quæ irreprehensibilis videbatur, æternæ sum obnoxia damnationi, ob peccata enormia commissa, & quia illa nunquàm præ pudore & dignitatis existimatione confiteri volui frustra iam pro me preces fundis.* Ecce videtis quid infelix timor fecit, dæmonio muto obsedit mulierem ; impediebat timor confessionem ; retardabat dignitas externa, sed indignitatem æternam addùxit.

Deniq; peccatum inueteratum mutum reddit hominem ad confessionē desperatione melioris vitæ, dùm de-

sperantes se posse à peccatis abstinere, confessionem quasi muti negligunt, cum Caimo inclamantes. *Maior est iniquitas mea ; quàm vt veniam merear.* Sed quantum diuinæ gratiæ derogent, prospiciant ; quæ tantæ energiæ est, vt & Iudam proditorem conuertere, & obstinatissimum quemq; à sordibus peccatorum erigere, & omnes prorsùs damnatos saluare posset, si ad eius collationem immutabile Dei decretum non obstaret : *In inferno nulla redemptio.* Mutum proinde dæmonium habemus, tum ipsum infensissimum animæ hostem, qui ex diuina permissione sæpiùs tentat nos, sed cum profectu nostro, si ei potenter resistimus ; cum damno verò ingenti, si malignæ eius tentationi succumbimus. Tum quoque peccatum ipsum inueteratum in animis nostris, quod nos & mutos reddit in propria sui ipsius coram Deo accusatione, & excæcat in debita operandi rectitudine, & obsurdescere facit ad omnes diuinas inspirationes. Et quoniam hodierna Dominica surda appellatur, Euangelium quoq; non sine mysterio mutum & surdum dæmonium nobis commemorat, ne diutiùs in surditate peccatorum sordescamus ; sed linguam, & labia ad deprecandum iam Deum aperiamus, & aures patulas ad Dei verba erigamus, & cor atq; oculos mentis præbeamus Domino, vt ille cuius potentiam, infernus expauescit, creaturæ omnes formidant, adesse velit, & sua præsentia omne dæmonium immundum expellens, animas nostras dignum sibi præparet habitaculum.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Erat Iesus eijciens dæmonium.

Lucæ 11.

Magna Dei misericordia in eliberando homine à dæmonio, cum quo nascitur.

DVo sub sole maximè secum pugnantia reperiuntur, scilicet ; Deus & diabolus. Adeo vt diuina omnipotentia postquam Angelum produxerat, omni sapientia & fortitudine præditum attestante Ezech. cap. 28.
In delicijs Dei paradisi ambulasti plenus fortitudine & sapientia. Statim insolentiæ ventis abreptus ex vanitare ambitionis intumescens, ob nimiam pulchritudinem naturæ suæ Angelicæ, Deo ipsi æquari voluerit. *In cælum conscendam & ero similis altissimo.* Isaiæ 14. Ezechiel autem de illo sic narrat: *Dixisti in corde tuo Deus ego sum.* Mirantur hic sancti Doctores adeo elatam & præsumptuosam cogitationem diaboli : quomodò impurus ille spiritus Deus esse appetijt, cùm optimè sciret, se esse creaturam dextera Excelsi productam, asseruntque duplici modo quidpiam posse fieri Deum : primò per essentiam, secundò per incarnationem. Damnatus itaq; Angelus non affectabat id, vt per essentiam fieret Deus, cùm enim esset summè perfecti intellectus, sciebat id esse impossibile, & consequenter appetere nequaquam potuit : impossibilium quippè nō datur voluntas efficax, sed appetijt fieri Deus personaliter, id est, per vnionem hypostaticam tanquàm debitā suæ excellētiæ, inuidendo eam humanitati per reuelationem sibi manifestatæ: Quod euidenter deducit sanctus Ioannes cap. 8. *Vos* inquit, *ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere.* ille homicida fuit ab initio, & vos me quæritis interficere. Quasi tali argumento veritatem hanc elucidare volens. Maledictus Luciper ideo ab initio suæ creationis fuit verus homicida, quia Christum voluit exuere, hac veste humanitatis, quàm assumpturus erat. sibi videlicet appetendo vnionem hypostaticam. Vnde & ingratus ille Iudaicus populus, quoniam turpissima morte crucis quasi hac veste Christum exuebat, dùm illi debitum honorem negaret, meritò filij Diaboli appellati sunt. *Vos ex Patre diabolo estis.* Igitur adhuc in cælo Diabolus bellum indixerat, cuius rebellionis origo extitit tepor diuini amoris, probante

Ezech. 28. — Isaiæ 14. — Ioann. 8.

bante id euidenter Ezechiele cap. 28. A Ezech. 28. vbi maledictum Luciperum vocat Cherubim. *Tu Cherub extentus & protegens*, cùm tamen ille fuerit ſupremus omnium Seraphinorum. Quod ideò facit propheta, quia *Seraphim*, notat ardentem charitate; *Cherub* verò plenum ſapientiâ. Cùm ergo maledictus Luciper careret ardenti charitate in Deum, quamuis omnium ſapientiſſimus eſſet, meritò indignus factus eſt hoc nomine Seraphim. Vnde propter hanc ambitionem æternis cruciatibus adiudicatus, cùm iam ſit abcæ- B catus in intellectu, quæ cæcitas conſiſtit in priuatione ſcientiæ ſupernaturalis, præſertim affectiuæ, quæ eſt productiua amoris ſuper omnia: cùm ſit obſtinatus in voluntate, quæ obſtinatio conſiſtit tum in impotentia dolendi de peccato, tum in voluntate perſeuerandi in commiſſo peccato; quia tamen diuina clementia liberum illi adhuc de inferno egreſſum, vſq; ad conſummationem ſæculi conceſſit, ideò inueteratam illam ſuam malitiam totam nunc in genus humanum C conuertit, eandem humanitatem, quæ deitati vnita eſt perſequendo. Verùm quoniam eius fortitudini nulla creatura reſiſtere poteſt, (nam ſi fides Philoſophis, modus operandi ſequitur modum eſſendi,) ſequitur creaturam quo eminentior fuerit, maioris etiam virtutis eſſe. Et quia diabolus fuit antea præſtantiſſimus inter Angelos, etiam ſua fortitudine excedit omnes creaturas, ideò ipſe Chriſtus deſcendit hodiè ad ipſum expugnandum, & ab homine remouendum. Erat IESVS D eijciens dæmonium, de quo præſentem ſermonem inſtituam.

Quilibet homo naſcitur in hunc mundum cum dæmonio; dæmonium enim nihil aliud eſt, niſi ſumma malitia diuinæ bonitati repugnans iuxta illud ſancti Thomæ ſuper Gen. c. 4. S. Thom. *Peccatum* inquit *beatitudini impedimentum affert, non ſolùm inordinationem quandam animæ inducens, ſecundùm quàm eam ab ordine debiti finis abducit, ſed etiam Deum offendens*. Cuius euidens teſtimonium habemus in Scriptura ſacra, 1. Reg. 7. Confluxerunt Iſraelitæ in Ioſaphat Deo reconciliandi, quos Samuel in hunc modum allocutus eſt; 1. Reg. 7. *Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio veſtri.* Res ſtupenda, Dionyſius Carthuſianus dicit, S. Dionyſ. quia iam omnes Iſraelitæ idololatriam abiecerant, ac verò Deo ſeruiebant, nihilominùs adhuc aurum & argentum ſimulachrorum ſuorum in domibus ſuis detinebant, vt ergo eis occaſiones rurſus in eadem peccata incidendi adimeret, mandauit ne ampliùs apud ſe detinerent. At verò Mendoza in hunc locum, magis appoſitam ad noſtrum inſtitutum rationem affert. Mendoza. *Addo* inquit, *quamuis nemo fortaſſè idololatriam coleret, neq; idola apud ſe conſeruaret, adhuc nihilominùs Samuelem non immeritò præcepiſſe, vt Deos alienos auferrent; hoc eſt; vt illas affectiones propenſioneſq; idolorum ex longa idololatrandi conſuetudine hauſtas, & quodammodo iam innatas penitùs abolerent.* Ex quibus manifeſtè liquet, non ſolùm peccatum, ſed etiam peccandi occaſionem meriſſimum dæmonium eſſe. Quoniam igitur peccatum nihil aliud eſt, niſi auerſio à Deo, & inuidia atq; rebellio quædam contra Deum, iuxta illud Malachiæ 1. Malach. 1. *Si ego Pater ſum, vbi eſt honor meus, etſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus.* Grauiter incuſat hanc impietatem hominum æterna illa bonitas, Iſaiæ 1. *Filios genui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Quam ob cauſam declarat ſe quoq; illos derelicturum 1. Reg. 2. 1. Reg. 2. *Qui contemnunt me erunt ignobiles.*

Nihilominùs diuina miſericordia ad hoc propendet vt hominem à tam graui dæmonio liberare poſſit. Hierem. 33. Hier. 33. *Propitius ero in cunctis iniquitatibus eorum in quibus ſpreuerunt me.* Deſcendit ipſemet Dominus Deus ad hominem, vt ſua præſentia omnem impietatem in animo eius penitùs aboleat, & tamen impius homo tantum beneficium vt plurimum ſola ingratitudine Deo cõpenſat, fitq; omnium cœleſtium donorum immemor. *Homo cum in honore eſſet non intellexit. comparatus eſt iumentis inſipientibus.*

A Pſal. 48. Quid eſt? vtiq; homo poſt peccatum remanſit DEO ſimilis per naturam, nam vt docent concilia & Doctores Eccleſiæ, nullius doni naturalis per peccatum iacturam paſſus eſt. Quo ergo motiuo ductus regius vates proclamat, quaſi idem fuerit, hominem incidere in peccatum, atq; illicò ſimilem fieri brutis omni rationis diſcurſu carentibus. Cauſam affert Ianſenius: quia remanẽte homine ſine gratia, quæ perficiebat naturam, maiores vires retinet cognatio, quàm B habet cum corpore ad deprimendum illum; quàm ſimilitudo, quàm habet ex parte animæ ad ipſum ſubleuandum. Quia etiam vſq; ad ipſam animam redditur mortalis propter conformitatem, quâ ſequitur inclinationes & propenſiones corporis. Ianſenius. *Irrationabilem animæ partem ſibi dominam ſtatuens, circa exilia ac terrena verſatur.* inquit præfatus Auctor, Deus ergo quàm celerrimè tanto hominis malo occurrens, miſit filium ſuum, qui tam grauè dæmonium, peccatum infelix C quod hominem cum beſtijs coæquauit, ab eo propulſaret.

Hinc & ipſi Phariſæi ſpectantes tantam Dei beneficentiam hodierno dæmoniaco præſtitam, cùm ab eo ſpiritus immundus eiectus eſſet, & lingua ad loquendùm ſoluta, ſtatim contra Lucæ 11. Chriſtum murmurare cæperunt. *Hic in principe Beelzebub eijcit dæmonia.* Chriſtus verò hanc eorum impietatem videns, ad refellendam tantam calumniam falsó ſibi impoſitam, reſpondet illis: Ibidem. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* D Quaſi hac arguta ratiocinatione Phariſæorum fallaciam retunderet. Qui ſe à Deo auertit, omnem ſuam dignitatem amittit: quia ſine Deo nihil facere poteſt ſalutiferum: *Non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt.* Proinde ſi & ego virtute dæmonis eijcerem dæmonia, iam eo ipſo abalienarer à Patre meo, & ſic iam regnum meum rueret. Quod ſi Pater æternus mihi ſpopondit ſedem meam in cælis æternùm duraturam: *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Pſ. 44. Pſal. 44. Cuius verbum quoniam immutabile eſt, ſequitur hanc calumniam mihi à vobis falsò imponi: in digito enim Dei eijcio dæmonia, non autem virtute dæmonis, qui ſine permiſſu Dei nihil penitùs facere poteſt, ſed ad vnicam eius vocem contremiſcit: Iacobi 2. Iacobi 2. *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Etenim ſi dæmonia in principe Beelzebub eijci poſſunt, quomodò per tot annorum millia regnum eius ſubſiſtit, ſiquidem dæmones eo ipſo ſecum perpetuò odio certarent, & conſequenter per hoc inteſtinum bellum potentia eorum fracta, mundo nocere minimè poſſet.

Digiti itaq; Dei, quorum contactu Chriſtus mutum ſanauit, & à dæmonio liberauit, nihil aliud ſunt, quàm dona Spiritus ſancti, quibus homini muto ob peccatorum maculas mens diuinis monitis reſeratur: quemadmodùm ſanctus Thomas ſuper hunc locum diſcurrit: S. Thom. *Digitos in auriculas mittit, cum per Spiritum ſanctum aures cordis ad audienda & ſuſcipienda ſalutis verba aperit.* O ter quaterq; beatum, cuius animum potens iſte digiti Dei malleus pulſat: ad eius enim ſonitum & obſtinatiſſimum cor quaſi cera liqueſcens protinus diuina inſpiratione emollitur, ſicut quondam Saulus Eccleſiam perſequens ad vnicam DEI vocem: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, Actor. 9. equo deiectus in terram proſilijt. E contra verò infeliciſſimus homo & nuſquàm ſatis deplorandus, qui peccando tantam Dei indignationem contra ſe prouocauit, vt ad cor eius potens hic digitus pulſare dedignetur. Etenim non ſolùm humana, ſed etiam Angelica doctrina parum ibi proficit, vbi diuina omnipotentia non adfuerit. teſte ſancto Proſpero libro de ingratis capite decimo quarto. S. Proſper. *Percurrat* inquit, *Angelus orbem, prædicet, hortetur, plantet, increpet; vt tamen his ſtudijs permoueatur homo, non Angelus, ſed gratia ſola efficit.* Quod confirmat ſanctus Gregorius homilia trigeſima. *Niſi* inquit *Spiritus ſanctus cordi adſit otioſus eſt ſermo Doctoris.* Hinc & ipſe condi-

conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per punctionem Spiritus sancti non loquitur. Certè Cain audiuit Dei vocem, *peccasti*: sed quia culparum suarum voce admonitus est, non punctione Spiritus sancti, audire quidem verbum Dei potuit, sed seruare contempsit. An Iudæis per Moysen parum locutus est? & tamen hæc loquela sine gratia intus operante non viuificabat Iudæos. [2. Cor. 3.] Quia vt dicitur secundæ Cor. 3. *Litera occidit spiritus viuificat*: sola enim omnipotentis inspiratio dat intelligentiam.

Si ergo Dei verbum ita est potens, vt omne dæmonium ligare, & ex hominibus eijcere valeat: quemadmodùm docet Iustinus in Disputatione cum Triphone. Per nomen ipsius Filij Dei, & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adiuratum vincitur: quis illud ad patrocinandum sibi non inuocabit? Agnouit virtutem diuini nominis S. Nazianz. dùm irruentes vehementer tentationes diabolicas, quibus homo sine peculiari Dei concursu resistere non valet, per ipsum Dei nomen, quasi per clypeum [S. Nazian.] superauit; *Augustum* inquit, *illud nomen vix plerumq; pronuntiaui, cum statim dæmon non sine strepitu se longissimè proripuit, Dei immortalis vim atq; potentiam clamans.* Agnouit iustus Iob sancti Dei nominis efficax auxilium, cùm dæmon ita omnem suam potentiam in illum exereret, vt aperto eum marte & palam aggrederetur. Destruxit domum eius, omni possessione spoliauit, proles carissimas sub tempus iucundi conuiuij occidit. [Iob. 1.] *Repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt.* Et nihilominùs licet maledictus sathan obtinuit à Deo facultatem, ita grauiter persequendi iustum Iob, minimè eius virtuti & humilitati nocere potuit, eò quòd cum clypeo nominis sui Deus protegeret: [Ibidem.] *In omnibus his non peccauit Iob Domino labijs suis.* Vt etiam Deus exprobraret dæmoni stultitiam, quòd tamdiu tentando rectum Iob nihil proficeret: excusat se sathan: [Ibidem.] *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum ac domum eius. Sed extende manum tuam paulisper & tange cuncta quæ possidet.* Iob 1. Concessit & hoc Deus sathanæ; verùm & hic in cassum abijt eius conatus, propter quod arguitur à Deo: [Iob. 2.] *Tu commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* Excusat se satan & vltra progreditur, stratagemate Iobū illaqueare volens. [Ibidem.] *Pellem* inquit *pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & videbis quod in faciem tuam benedixerit tibi.* Concedit etiam hic Deus satanæ amplissimam potestatem, exequendi in corpus eius omnis atrocitatis & tormentorum genera quæcunq; excogitare posset, coarctando nihilominùs & limitando hanc facultatem in vno, ne videlicet animam eius attingeret. Iob 2. [Ibidem.] *Ecce in manu tua est; verum tamen animam eius serua.* Quasi diceret Deus, fac quod lubet, vre, seca, percute, ad extremum miseriæ reduc seruum meum, sed caue ne animæ eius damnum vllum aut nocumentum inferas.

Disputant hic acriter sacri expositores, quidnam intenderit Dominus Deus, dum prohiberet dæmoni ne animam Iobi tangeret, sed illæsam seruaret. Respondet Didymus apud Pinedam in Iob, quòd Deus per animam intellexerit perfectum vsum & arbitrium integræ ac rectæ rationis. [Ibidem.] *Verùm enim* inquit, *mentis soporem insaniamq; ne adferas.* Deus itaq; consentiens dæmoni, vt anatomiam totius corporis faceret in Iobo, cumque omnibus modis excruciaret, non permisit ei, vt intellectum aut partem rationalem perturbaret, aut iudicium rationis peruerteret. Forsan ne veniret Iob in opprobrium aut ludibrium puerorum. Sed & hic tam potens diaboli iaculum irritum mansit, vt Deus ad benedicendum magis nouissimis Iob quàm primis moueretur. [Iob vltimo.] *Addidit Deus omnia quæ fuerunt Iob duplicia.* Dedit namque ei quatuordecim millia ouium,

ouium, pro septem millibus, quas perdiderat. *& facta sunt ei quatuordecim millia ouium.* Recepit pro tribus millibus camelorum, sex millia: *& sex millia camelorum.* Recuperauit pro quingentis iugis boum mille: *& mille iuga boum.* Soli filij non fuerunt ei duplicati: septem habuerat filios cum tribus filiabus, totidemque solùm illi reddidit, causa est; quia Iob in amissione & iactura cæterorum bonorum nullam persensit commotionem, nullum quippe doloris indicium exprimit scriptura, quod in amissione eorum ostendisset. At verò audita morte filiorum maximi mœroris signa exhibuit, attestante scriptura. *Tum surrexit Iob & scidit vestimenta sua.* Deus ergo omnia duplicia Iobo reddidit: quia iactura gregis, pecorum, & diuitiarum, cum nullam afflictionem reputauerit, non poterat duplicare prosperitatem, proinde necessum fuit, vt quantitas eorum verè & realiter multiplicaretur. Quia autem orbitas filiorum fuit principium doloris, & causa totalis calamitatis eius, ideò sufficiebat totidem ei filios & filias numero reddere, quot abstulerat. Qui ergo vult vt bona eius duplicentur, æquo animo & sine vlla animi immutatione sustineat, quæcunq; Deus immittit, & tunc primum verificabitur in illo illud Euripidis dictum in Medeam. *Geminatur cùm succedit aduersitati prosperitas.*

Terribile igitur est Dei nomen diabolo, quo quispiam mortalium tanquàm fortissimo clypeo vti debet contra diabolicos insultus: *Scuti vice crucis signo te muni, validissima enim armatura est,* inquit sanctus Ephrem. Igitur hoc tempore ô homo cum munimen istud habes diuini nominis, cuius ope potes omnes tentationes diabolicas vincere, sub clypeum diuini nominis confuge; cum Theophylacto in caput quartum Ephesiorum sæpiùs illa verba in corde tuo recogitando: [Theoph.] *Nolite locum dare diabolo, serpenti enim similis est.* De serpente narrat Rupertus, quod qui vult euitare morsum eius, debeat talem scalam ascendere, quò serpens peruenire nequeat; [Rupertus.] *serpens* inquit *vbi caput suum sub intro iecerit, omnem reliqui corporis tractum secum trahit, inficitquè totum hominis sanguinem, nisi prius caput eius vel leuissimè planta pedis pressum fuerit.* Sic dæmonium facilè superatur, si prima statim eius occasio quamuis minima conteratur. Nam non diabolus in hominem, sed homo in diabolum potestatem habet. Ecclesiastæ 10. [Ecclesiæ.] *Siquis potestatem habens ascenderit, super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.*

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ,

Et eiecerunt eum extra ciuitatem. *Lucæ 4.*

Summa infelicitas hominis Christum à se eijcientis.

Defendat qui vult malitiam, nil proderit: quia seipsam iugulat: qui enim innocentem persequitur, contra legem naturæ peccat, & qui iustum affligit, sibimetipsi interitum affert. Vt optimè discurrit sapientissimus Salomon Prouerb. 20. inquiens: *Ruina est homini deuorare sanctos.* Pagninus autem vertit. *Laqueus est homini deglutire sanctificatum.* vbi phrasi

phrasi deuorandi, siue deglutiendi, indicat vexationem, & persecutionem, quam impij in iustos exercent. iuxta illud Prouerb. 1. *Deglutiamus sicut infernus viuentem.* Sed male cedit impijs hæc malitia, quod facilè perspicere poterit, quisquis proditoris Iudæ, cùm infames artes, tum infelicissimum exitum considerauerit. Machinabatur ille Christo proditionem, Deiq; sanctum deuorare gestiebat: immò apud se intinctum panem, quasi tormentarium puluerem incluserat. Vtq; facinus perpetraret, cuniculo facem applicuit, cum in traditionis signum, ori suo Christi faciem charitate ardentem deosculandam admouit. Reciderunt tamen doli in caput eius, & dissipauit eum Rex sapiens, & incuruauit super eum fornicem. Prouerb. 20. Quia igne ad intestina perlato, flammisq; in arcto quærentibus exitum sublatus in altum, *crepuit medius, & diffusa sunt viscera eius.* Vnde pulcherrimè D. Ambros. in Psal. 39.

S. Chrys.

in persona Christi proclamat. *Ego osculum non nego, ipse videris, qui violaueris osculi sanctitatem.* Et breui post subijcit: *Nec immerito grauiore telo tantæ dignationis percussus est Iudas, quam si eum fulmine perculisset.* Incendebant ministri Regis Nabuchodonosor fornacem ad Dei seruos comburendos, sed ipsimet ab igne ab eis subiecto consumpti sunt. Daniel 3. *Porrò viros illos qui miserunt Sidrach, Misach, & Abdenago interfecit flamma ignis.* Conspirarunt Iudæi in perniciem Christi Prouerb. 1. *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem,* sed statim omnes maledictiones in se prouocarunt, Matth. 27. *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Considerabimus itaq; in summam infelicitatem eos deuenire, qui Christum à se eijciunt.

Daniel. 3.

Prou. 1.

Matth. 27.

Inter agentia contraria datur reactio & repassio.

Concors est sententia Philosophorum, inter agentia contraria communicantia secum in materia, dari reactionem & repassionem. Quia omne agens sublunare, est simul in actu & in potentia, proinde simul agit & patitur. Nam in quantum est in actu agit per facultates actiuas, & in quantum est in potentia patitur: quia caret qualitatibus inducendis. Sic ferrum candens aquæ immersum, aquam calefacit, & vicissim ab aqua infrigidatur aër cor refrigerat, & à corde calefit: glacies manum frigore suo afficit, & simul à calore manus liquescit. Agentia secum in materia communicantia sunt Christus & homo, quia Christus verè corpus humanum suscepit, vt nobis per omnia similis esset, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membris.* Proinde quoties homo agit in Christum, iustè & sanctè operando, tunc Christus simul reagit in illum, & homo patitur, sed feliciter, quia augmentum gratiæ Dei recipit. Verùm dum agit in Christum peccaminosè operando, iam fit contrarius Christo, iuxta illud 1. Ioann. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet.* Proinde Christus in illũ reagit, per abominationem & iram, simulq; peccator repatitur summam miseriã, quia deseritur à Christo. Quemadmodùm ipsemet promisit: *Ego diligentes me diligo, qui autem me spernunt, erunt ignobiles.* Ergò non est maior infelicitas, quàm deserere Christum, & illum à se eijcere: quia hanc impiam actionem, statim consequitur proportionata passio, vt talis homo à Christo quoq; eijciatur.

Christus & homo sũt agentia secũ in materia comunicantia.

1. Cor. 12.

Ioann. 3.

Rem Scripturæ sacræ authoritate illustro. Deseruerat populus Israëliticus Deum, eumq; eiecerat à se, turpem committendo idololatriam in adoratione vituli Exodi 32. *Feceruntq; sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atq; immolantes ei hostias dixerunt? isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et ecce statim iratus Deus decreuit non ampliùs cum illo populo iter agere, loquens ad Moysen: *Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus, quem eduxisti: & mittam præcursorem tui Angelum; non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis est, ne fortè disperdam te in via.* Res stupenda: addit sacra pagina. *Audiensq; populus sermonem hunc pessimum, luxit & nullus ex more vsus est vultu suo.* Cur obsecro populus sermonem illum Dei vocauit pessimum, cùm potius optimum dicere deberet. Siquidem promittebat illis Deus ductorem Angelum. Et insuper quôd per illum expulsurus esset Chananæum, Amorrhæum, cæterosq; inimicos, & populum Israël introducturus in terrã promissionis, In causa fuit timor, quem populus ex illis Dei verbis, *ne fortè disperdam te in via,* conceperat. Hanc rationem affert Hugo de S. Victore, in persona Dei loquens: *ne disperdam te iratus aliquando tuâ stultitiâ, si tecum essem assiduè.*

Exodi 32.

Hugo de S. Victore.

Verùm si hic sermo erat pessimus & crudelissimus, cur illum Deus protulit, quasi ad populi bonum, varij varias assignant rationes, sed optimè præ omnibus resoluit Rupertus, qui affirmat verba illa: *Non enim ascendam tecum.* Idem sonare, ac si dixisset Deus: Non iam ampliùs ego sum Deus tuus, nec tibi expedit, vt sic te malè agente ac peccante, adeoq; dura existente ceruice, me Deum tuum nomines. Nam sic potiùs me ad iracundiam concitabis, quam ad misericordiam. Hic est discursus Ruperti: *Non enim* inquit, *sum Deus tuus, non tu ipse es populus meus. Nam hoc est, quod dicit, non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es. Non tibi expedit, vt me Deum tuum nomines, vt culturam meam profitearis, vt leges meas baiules, ad præuaricandum tàm pronus & facilis.* Leuius enim multó est, Deum nescire, quàm cognitum irritare: tolerabilius est, viam Dei ignorare, quàm post cognitam retrorsum ire.

Rupertus.

Iustè ergo populus sermonem illum Dei pessimum dixit, licet Deus Angelum mitteret, licet inimicos per eum esset expugnaturus, licet populus per illum ingressurus in terram lacte & melle fluentem. Quia sine Deo, nec Angelus, nec totus mundus est aliquid. Abundent imperia & dominatus, adsint Cresi diuitiæ, & Midæ opes, habeat præsto animus omnia desiderabilia, insuper possideamus ipsos Angelos, si tamen ille non Deus noster, pessimum omnia sunt. Sic discurrit Rabanus: *Pessimum* inquit *sermonem dicit scriptura populum audiuisse, hoc est, crudelissimum atq; mæstissimum: nam quod maius est discrimen, quam authoris sufferre iram? nil habet boni, qui creatoris sui caruerit gratia atq; præsentia.* Iustè & Deus beneficium potiùs, non pænam putauit, non descendere cum illo populo: quia supposita eorum duritia, & simul Dei cognitione; & suppositis eius beneficijs, & quòd in populum peculiarem eos elegisset. Quoniam non viuebant secundùm voluntatem Dei, & eius mandata sibi per Moysen ad obseruandum proposita, consultius illis negauit dici Dei populum, Deumq; suum habere.

Sine Deo & tot⁹ mũdus nihil valet.

Rabanus.

Quid ad hæc insolens modernorum politicorum turba? quæ non ad regna, non ad imperia, sed vix ad palmum terræ acquirendũ, Deum ipsum pro nihilo facis, omnia ad libitum euertendo. Quid ad hæc moderni Christiani, nomine duntaxat, & non re Catholici? Nonne vobis ista competit comminatio: quia non estis Dei populus, & Deus non est vester Deus. Quia cùm sitis populus electus, non tamen vt tales viuitis, sed peiora aliquando facitis, quàm ipsimet gentiles. Exitiosum fuit Ethnicis Dei seruos affligere, propterea quòd Deus inde exacerbatus, debitas ipsis è vestigio toties pænas rependerit. Nunc verò inter Catholicos etiam vilissimi callones, & imbellis militum turba Dei ministris insultat. Contra manifestum Dei præceptum. Zachariæ 2. *Qui enim tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.* Apud Gentiles tangere res Dijs inanibus dicatas, grande nefas & morte piandum habebatur. Nunc autem Ecclesiam Christi sponsam, omnibus prouentibus, ad diuina sacrificia necessarijs spoliare, iubilei loco habetur. Cùm tamen D. Cyrillus Alexandr. seueram illis Dei vindictam prædicet: *Semper* inquit *persecutoribus Ecclesiæ; conatus ipsorum in caput reciderunt.* Apud Gentiles polluere alienum

num torum maximi ſupplicij crimen erat, nunc autem inter Catholicos, adulteria, ſtupra, inceſtus, fornicationes, imò & nefandum contra naturam ſcelus, ſupra modum increbuerunt.

Mirantur Doctores, quid ſit, quòd Herodes clam vocatis Magis, exquirebat ab eis tempus ſtellæ Matth. 2. *Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis* Quare enim clam & non palam? Reſpondet S. Chryſoſth. homil. 2. in Imperfectum. *Vt non viderent Iudæi, quos habebat ſuſpectos, ne fortè quaſi regem ſuæ gentis amantes, proderent conſilium eius.* Cuius rei pulchram rationem ſubiungit Paſchaſius Rathbert. inquiens: *Neq; enim æſtimare poterat, quòd contra Dei promiſſa tanto inſanirent odio, vt non vellent ſuſcipere eum, qui vocibus Prophetarum proprio ex genere fuerat repromiſſus.* En, quanta malitia & perfidia Iudæorum extitit, in repugnantia admittendi Chriſtum, vt ipſa diaboli illud excogitare non poſſet, vt Herodes totus diabolo plenus illud præſumere non auderet. Equidem non minorem hiſce temporibus video præſentium Chriſtianorum malitiam in Deum, qui adorantes, & ſcientes Chriſtum eſſe verum Deum, idque fide diuina credentes; tamen à cordibus ſuis illum expellunt, ac eijciunt ob peccatum, voce tantùm vt ſcribæ eum agnoſcentes, confitentes, operibus verò negantes. Et quid hoc aliud eſt, niſi gentilibus peiores, & Iudæis nos ſimiles eſſe. Quid aliud, niſi à Chriſto manifeſtè deſeri, & eijci.

Quærunt non pauci, quomodò homo deſeratur à Deo? Cenſent aliqui, quòd per ſubtractionem auxiliorum ſufficientium, ſine quibus impoſſibile eſt hominem ſaluari. Rationem hanc afferunt, quia homo eijciens à ſe Deum, fit induratus, proinde redditur indignus eiuſmodi auxilijs, neq; putant id derogare diuinæ miſericordiæ aut redemptioni Chriſti copioſiſſimæ. Quia iſta denegatio eſt opus diuinæ iuſtitiæ punitiuæ, quæ miſericordiæ Dei non derogat. Deinde quia eadem denegatio auxilij ſufficientis, non prouenit ex defectu redemptionis Chriſti, qui pro omnibus mortuus eſt, & ſatisfecit ſufficientiſſimè, ſed prouenit ex immani impiorum hominum duritia & obſtinatione. Probantq; inprimis hanc ſuam ſententiam, authoritate Sacræ Scripturæ ex D. Paulo qui Hebr. 13. loquitur de Eſau: *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lachrymis requiſiſſet eum.* Præterea authoritate ſanctorum Patrum D. Gregorij 11. Moral. cap. 5. & 31. Moral. cap. 11. vbi dicit, quod *cor Pharaonis nulla deſuper infuſi timoris ſenſibilitate tangebatur.* S. Bernardi, qui ſermone de nimia fallacia præſentis vitæ dicit: *Cor hominis indurati eſt ſiccum ab omni rore ſpirituali gratiæ.* Tandem probant ratione. Quia Deus defacto non confert iuduratis auxilia efficacia emollientia cor, ergò ab æterno ſtatuit poſitiuè ea non conferre. Conſequentia euidens: quoniam nihil in tempore fit, quod ab æterno non fuerit à Deo ſtatutum.

Hebr. 13. S. Gregr. S. Bernar.

Repugnat vt Deus decre… aturæ deneget auxilium ſufficiens:

Cæterùm aſſerere, Deum decreuiſſe ab æterno poſitiuè, ab induratis auferre ſufficiens auxilium, videtur manifeſtè repugnare Scripturæ Sacræ. Nam 2. Petri 3. dicitur: *Deus neminem vult perire: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quem locum S. Paulus ad Rom. 10. ita exponit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Vbi verba illa *tota die*, ſignificant durante tempore, & luce præſentis vitæ. *Expandere verò manus*, idem eſt, quòd velle trahere quemlibet, etiam non credentem, ſed contradicentem, cuius nomine, induratus intelligitur. Quod ſtatim comprobat D. Auguſtinus de prædeſtinatione 55. c. 13. & 14. Vbi dicit: *Nemini correptionis viam adimit Deus, neq; boni poſſibilitate ſpoliat.* Et profectò, quoniam nullus homo in hac vita conſtituitur extra ſtatum ſalutis, non poteſt tutò affirmari, quòd Deus alicui peccatori deneget auxilia ſufficientia, & neceſſaria ad

S. Auguſt.

ria ed ſalutem, quia ſic ille homo iam eſſet extra ſtatum ſalutis, quod implicat, vnde dicitur Ezechiel 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij.*

Ezech. 18.

Quantum igitur attinet ad propoſitum meum, quoniam certum eſt ex D. Auguſt. ſerm. 88. & ex Concil. Trident. ſeſſ: 6. quòd Deus neminem deſerat, niſi priùs ab illo deſeratur. Concludo, deſerentem Deum non aliter ab illo deſeri, niſi per pœnas temporales, quas iuſtè propter peccata immittit. Colligo hanc veritatem ex D. Auguſtino tomo 8. Pſal. 7. vbi dicit: *Qui deſerit eum à quo factus eſt, & peccato obtenebratur, tamen non penitùs perit, ſed in infimis ordinatur.* Si non penitùs perit deſerens Deum, profectò illi Deus non ſubtrahit auxilia obtinendæ ſaluti neceſſaria. Deſerere tamen dicitur eiuſmodi peccatorem, quatenùs eum in minimis reponit, hoc eſt in tribulationibus, quas Diuus Paulus velut paleam leuiſſimam reſpectu æternæ gloriæ vocat. Ita reſoluit S. Auguſt. Pſal. 42. *Ideò* inquit, *Deus huic vitæ dulci miſcet amaritudines tribulationum, vt alia, quæ ſaluberiter dulcis eſt, requiratur.* Quaſi diceret: Tunc derelinquere videtur populum, quando eius ſcelera per iuſtitiam vindicatiuam punit, vt his plagis caſtigatus melior euadat.

S. Auguſt.


Idem qui ſupra.

Perpendite quæſo, an hiſce temporibus, non tali modo vos Deus dereliquiſſe videtur, dùm vos grauis tribulationum preſſura exagitat. Quia enim eieciſtis Deum veſtrum inſolenter viuendo, Deus quoq; vos eiecit à ſua miſericordia. Sic quondam ingratam Ieroſolymam, propterea quòd Chriſtum nō recepiſſet, Chriſtus cum Angelis ſanctis deſeruit, terrilibiles illas voces ingeminando, *tranſeamus hinc*: Et ecce ſtatim miſerabilis deſolatio ſubſecuta eſt, ita vt lapis ſuper lapidem non remaneret. Peccauit Galaad ciuitas non ſolùm idololatrando, ſed etiam innocentem fundendo ſanguinem: *Galaad ciuitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine.* Sed effuſus innocens hominum ſanguis ad Deum clamans, eum in vrbem cultricem idolorum, quaſi manu duxit, vt grauiſſimas offenſiones acerbo ſupplicio vindicaret, iuſtaſq; ab illa ciuitate pro idololatria pænas ſumeret.

Oſeæ 6.

Quid aliud cauſæ, quòd per integros quindecim annos continuis bellis vndique vexamur, niſi frequens innocentis ſanguinis effuſio, quem nunc in gladio hoſtili vlciſcitur. Quid cauſæ, quòd inter decennium, per duas inundationes totum regnum grauiſſimè afflictum eſt, quarum recentior anno 1662. non tantùm ſegetes, & hortos; ſed etiam integras villas, Eccleſias, iumenta pariter atq; homines ſuſtulit, damnumq; irreparabile fecit. niſi turpiſſima carnis peccata, quæ quoniam vt aquas ſine timore Domini bibimus, aquarum etiam inundatione punimur. Quid cauſæ, quód fames, & peſtis tàm crebrò in regno Poloniæ graſſetur, niſi idola, ſcilicet omnium hæreſum dogmata, quæ liberè, & palam exerceri patimur.

Quare immenſam adhuc Dei miſericordiam agnoſcendo, quia nondùm conſumpti ſumus, reuertamur ad Deum noſtrum, quem ob peccata èx ciuitate cordis noſtri eiecimus, & ille viciſſim cum ſua clementia reuertetur ad nos.





DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

CONCIO PRIMA.

Abijt Iesvs trans mare Galilææ *Ioannis 6.*

Chriſtus propter enormia ſcelera recedit ab homine.



Nec maius detrimentum, nec maiorem ruinam pati poteſt quiſpiam, quàm is, qui Chriſtum Dominum, qui eſt fons & origo bonorum omnium, perdit : quia ſicut ex præſentiâ Chriſti, omnia bona in hominem promanant, ita ex eius abſentia omnia pariter mala eueniunt : ſiquidem populus ille, à quo Chriſtus recedit, infinitis maledictionibus percutitur. Nec mirum ? Si enim receſſus Prophetarum, & virorum ſanctorum, infortunia ſecum vehere ſolet, quantò magis ipſius Dei Filij ? Moyſes olim cum exiuit à Pharaone iratus nimis, extremam ſuo receſſu calamitatem portendebat. Quid enim iam duriùs Pharaoni potuit nunciari ? quàm cùm Moyſes illi obijceret : *Non videbo* inquit *vltra faciem tuam.* Non potuit Sauli infelicius quid contingere, quàm quòd recedens Samuel ampliùs eum viſurus non eſſet, iuxta illud ſcripturæ : *Non vidit Samuel vltrà Saul vſq; ad diem mortis ſuæ.* Non potuit demùm ciuitati illi Chriſti Apoſtolos non recipienti, aliquid magis calamitoſum euenire, quàm ab ipſis Apoſtolis repudiari, foras exeuntibus, & de ſuis pedib⁹ puluerem excutientibus; quem in ea collegerant : iuxta doctrinam Apoſtoli ; vbi ipſemet Chriſtus Dominus hanc calamitatem ad eum modum exaggerat : *Amen* inquit *dico vobis, tolerabiliùs erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Quòd ſi receſſus Moyſis à Pharaone, Samuelis à Saule, Apoſtolorum ab illa vrbe, tàm multas calamitates non ſolùm in hac vita, ſed etiam in futurâ ſubeundas ominatur. Quid non exhorreſcet illa natio ? à qua non Moyſes, non Samuel, non Apoſtoli ; ſed ipſe Redemptor, à quo omnia bona ſperantur, & ſine quo omnia mala ſubijciuntur : *in generatione & generationem ;* vt docet regius vates, diuertit. Quod probè cognouit Zacharias, vidit ille quondam nouum ſanè & inſolens prodigium : *Ecce* inquit *volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* Quæ obſecro hiſtoria, quæ tragædia, quæ Ilias malorum, tàm fuſa & extenſa eſſe poteſt ? vt tantæ magnitudinis volumen implere queat ? Reſpondet Angelus, qui tunc cum Zacharia, cœleſtium arcanorum, interpres loquebatur : *Hæc eſt* inquit *maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* Quaſi diceret : Totum huius voluminis argumentum eſt maledictio, quæ abeunte Chriſto tàm ampla, tàm ingens, tàm effuſa in regionem ingratam dimanat, vt non poſſit breuiori volumine, quâm illo, tàm inſolentis magnitudinis contineri. Quoniam ergò tàm multa obueniunt mala ex receſſu Chriſti, meritò ſciſcitabimur, vtrum etiam à nobis non abierit Chriſtus, & ſi abijt, quò, & quomodò.

Exodi 10. num. 29.
1. Reg. 15. num. 35.
Matth. 10. num. 14.
Pſal. 118. n. 90.
Zach. 5. n. 2.
Zach. 5. n. 3.

Duobus modis Deus recedere ſolet ab aliquo populo, inprimis propter peccata eius grauiſſima, quæ quinque modis in Devm committi ſolent.

Promò, cùm peccator nullâ re creatâ offensâ, in ipſum Deum inſoleſcit : quemadmodùm peccauit Lucifer, volens eſſe ſimilis Altiſſimo. Quod peccatum ne contraheret homo, diuinâ prouidentiâ & miſericordiâ anteuertit, imponendo illi præceptum circa rem creatam, ſcilicet circa arborem ſcientiæ

ſcientiæ boni & mali. Non quidem eo fine, vt illud frangeret homo, ſed vt leuiùs peccaret, ſi frangeret : non incurrendo immediatè in ipſum Deum, ſed quodam modò reflexè, à creaturâ offensâ, in Devm reſiliendo. Quoniam ſicut leuius vulnerantur ea, in quæ iacula obliq; relabuntur, quam ea, in quæ directè intorquentur ; ita leuiùs quodammodò offenditur Deus in creatura, quàm in ſeipſo. Sic docet D. Chryſoſth. *Deus* inquit *faciens hominem dedit præceptum in arbore, eligens vt per tranſgreſſionem in creaturam peccaret, quam ſine mandato, in creatorem delinqueret : non ſicut Angelus qui ſine præcepto cecidit, ita & homo, ſi præceptum non acciperet, æquè & ipſe diceret : Ero ſimilis Altiſſimo.*

Chryſoſt. homil. de Adam & Eua.

Secundò, peccatur in Deum per idololatriam, quandò homo Deo debitum honorem, tribuit creaturæ : nam tunc immediatè ipſi Deo irrogatur iniuria. Quod deducit D. Cypr. in epiſtola ad Donatum de exhortatione ad Martyrium, ex difficultate remiſſionis : *Non facilè eſt* inquit *Deum ignoſcere idololatris.* Et comprobat vlteriùs ex prophetia Hieremiæ, vbi Dominus non vult orationes Sanctorum, pro Idololatris ſuſcipere : *Tu ergò* inquit *ibi Dominus, noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.*

Cypr.
Hierem. 7. num. 16.

Tertiò, peccatur in Deum, quandò ex illis rebus, quæ pertinent ad cultum diuinum, aliquid violatur : ſiue locus Sanctus, ſiue perſona ſacra, ſiue actio ſacra. Sic expreſsè docet D. Auguſt: qui inprimis & loci ſancti violatione, ſacrilegum ex maximè iniurioſum Deo peccatum committi oſtendit. Si enim apud homines nihil eſt grauiùs, quàm in propriâ domo, quempiam aggredi, iniuriâ afficere, aut indignè tractare : ita & Deo nihil eſt grauiùs, quàm in templo ſancto, vbi ſedes propria eſt, offendi. Quamuis enim non quælibet locorum differentia, inſeruiat ad peccata diſtinguenda : quia vt loquitur Tertull. *Non refert, in cubilibus, an in turribus pudicitia trucidetur* ; tamen loci ſanctitas circumſtantia eſt, ex quâ peccati grauitas mirum in modum augetur. Hinc D. Hieronymus acriter inuehitur in Sabinianum, quòd is effrænatæ libidinis œſtro concitatus, in Eccleſiam, vbi quondam præſepe Dominicũ fuerat, irruerit temerarius, non vt ſacrificium offerret, ſed vt ſacrilegium patraret. Quem D. Hieronymus, oratione quadam felis plenâ, minas, & indignationem ſpirante inſectatus, ſic carpit. *Infeliciſſimè* inquit *mortalium, tu ſpeluncam illam, in quâ Dei Filius natus eſt, & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis ? Non times, ne de præſepi infans vagiat ; puerpera virgo te videat ; ne mater Domini contempletur.* Quod & Origenes ſentit inquiens : *Intereſt in ſanctis, & extra ſancta peccare.*

Aug. 9. 55. in Deut.
Tertul. lib. de pudicitia cap. 4.
Hieron. Epiſt. 48. in Sabinianum.
Origenes hom. 4 in Leuiticũ.

Quartò, peccatur in Deum grauiſſimè, quandò in ipſas ſacras imagines, aut Chriſti effigiem ſacrilegas manus inferimus. Ac tandem peccatum grauiſſimum cõmittitur, quãdò in ipſum Chriſti Domini corpus, non quidem naturaliter & viſibiliter ; ſed ſacramentaliter, in Eccleſia catholica exiſtens, illotæ manus injciuntur, prauæ exeruntur linguæ, & iniquæ aperiuntur conſcientiæ. Sic docet Origenes. *Quantò* inquit *plus arbitramini, deteriora mereri ſupplicia eum, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatur ; & contumeliam ſpiritui gratiæ fecerit.* Oſtenditq; paulò inferiùs, quàm difficulter hoc peccatum remittatur : *Si* inquit *conculcaſtis Ieſum Filium Dei, feciſtis conuitium ſpiritui gratiæ : quis parcet ſuper te ? quis contriſtabitur ſuper te ? quis reuertetur rogare ea, quæ in pacem ſunt tibi ?* Anima enim quæ ſingularem perdiderit patronum, quem quæſo alium inueniet opportunum.

Origenes hom. 10. in Hier.

His quinq; modis perfida gens Iudæorum, grauiter offenderat Deum ſuum : nam & in ipſum Deum blaſphemare auſa eſt, inquiens : *Nunquid poterit nobis menſam parare in deſerto.* Et loca ſancta profanâuit, teſte ipsâ æternâ veritate : *domus mea domus orationis, vos autẽ, illã feciſtis ſpeluncam latronum.* Et ido-

Exodi 16.

Et idololatrata est : quando Moyse cum Deo in monte commorante, aureum vitulum, pro Deo, tripudians [Exodi 32.] adorauit. Et quod grauissimum omnium, in ipsum Dei filium, manus violentas intulit, consilium illud peruersum ineundo : *Morte turpissima condemnemus eum.* Ideò Christus Dominus, recessit ab hac perfida gente, vt docet [Orig. hom. 10. in Hierem.] Origenes : *Angeli* inquit, *qui semper auxiliabantur ei* (id est Hierosolymæ) *deseruerunt eam, & dixerunt : multis facinoribus oppressa est : Iesum interfecit : & in Dominum nostrum misit manus.*

Nec tantùm Angeli, sed & ipse Dei filius, deseruit impium hunc populum, quandò post longam disputationem de salutis negotio, cum Iudæis [Ioann. 6.] initam ; inquit Euangelista : *Abijt Iesus trans mare Galilææ.* Vbi iam non Iudæi, sed gentiles habitabant.

Miratur hic D. Cyrillus Alexandrinus, [Cyrill. lib. 3 in Ioan. cap. 11.] quare Christus Dominus, à Iudæorum consortio abeundo, in gentilium familiaritatem sese immiserit. Cur potiùs non ad aliam gentem, ad fidem & veram religionē magis procliuem, nec tot erroribus immersam, sed virtutibus licet naturalibus clariorem, se se transtulerit. Et respondet ad præsens institutum satis eleganter. *Propterea* inquit *recedens ab Hierosolymis, non ad finitima castella diuertit, sed trans mare Tyberiadis abijt, vt re ipsa Iudæis intimaretur, se tàm longè pro impietate eorum ab eis migraturum, vt inaccessibilis ad eum via futura sit : non enim est possibile, pedibus hominum maria transiri.* Et quæ iam maior calamitas Synagogæ Iudaicæ esse potest, quàm à Dei filio, tam inuiâ diuidi viâ, vt nullus ad eum haberi posse regressus videatur : Perdidit Messiam Synagoga, pro pudor ! florem in se habuit, sed fructum eius non sensit ; quæ infelicitas ? Odorem percepit : sed saporem non gustauit, quod infortunium ? Sed non mirum : quia præ senio vitiorum caligauerunt oculi eius.

Cuius figuram mihi gessisse videtur [Genes. 27. num. 27.] Isaac Patriarcha, qui odorem filij sensit : *Ecce* inquit *odor filij mei sicut odor agri pleni.* Sed filium non agnouit : *Vox quidem* ait *vox Iacob, sed manus sunt manus Esau.* Typum certè gessit Iudæorum, qui floris (scilicet Christi Domini) odorem senserunt, multa de illo in prophetijs cognoscendo ; sed fructum eius non senserunt, neq; saporem. Sic rectè docet Diuus Bernar. [Bernardus serm. ad milites tēpli cap. 7.] *Tanquam fructus* inquit *in flore coalescens, intuitus & nutritus est Deus infans : vt floris odor, fructus saporem præcederet, ac de naribus Prophetarum, faucibus Apostolorum, sanctus liquor se infunderet : Iudæisq; tenui odore contentis, gustu solido reficeret Christianos.* Sed quid frustra incuso Iudæos ? cùm etiam à populo Christiano recessisse videatur hisce temporibus Christus Dominus. Quod manifesto documento comprobabo euidentissimè.

Ex tribus fundamentis colligunt Doctores sancti, recessum Christi à populo Hebræo. Inprimis ex bonis naturæ amissis : quia his omnibus, postquàm Christus abijt, spoliati sunt Hebræi. Nam præcipua naturæ bona, optimæ corporis & animi vires censentur esse : corporis inquam, quibus militaris fortitudo, & exercitatio continetur : ingenij verò, quibus felicitas & mentis acumen demonstratur. His vtrisq; naturæ bonis floruit populus Hebræus : quod ipsis etiam tacentibus, eorum victoriæ & triumphi, qui sacris literis exarati sunt, pleno ore buccinantur. Erant enim in terra Chanaan habitatores, de genere giganteo, quibus Iudæi comparati, quasi locustæ videbantur. Quis hoc genus hominum ad prælium lacessere non reformidaret ? Et tamen fortissimi Hebræorum, Iosue & Caleb ad suum exercitum audacter loquuti sunt : *Ne timeatis* inquit *populum terræ huius,* [Num. 14. n. 9.] *quia sicut panes, ita eos possumus deuorare.* Ecce robur bellicum ? quantâ felicitate editur panis ; tantâ Hebræi immanissimos & validissimos gigantes poterant debellare. Hinc est Israëliticæ fortitudinis monumentum : [Leuit. 26. n. 8.] *Persequentur quinq; de vestris, centum alienos ; & centum de vobis, decem millia. Cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.* Sed & hoc parum erat, cente-

centenos à quinis, & decies millenos, à centenis profligari : quoniam [Deut. 32. n. 30.] & milleni ab vno, & decies milleni à binis fundebantur, iuxta illud : *persequebatur vnus mille, & duo fugarant decem millia.*

Sic vnus Samson, nihil omninò [Iudic. 14. n. 6.] habens in manu, dilacerauit leonem quasi hædum in frusta. Et postmodùm mandibulam asini, quæ iacebat [Iudic. 15. n. 15.] in terra arripiens, percussit in ea mille viros. Sangar vnus de Iudicibus [Iudic. 3. n. 31.] Israël, percussit quoq; de Philisthæis sexcentos viros vomere, & solus de[1. Paral. 11 n. 11.]fendit Israëlem. Iesbaam, vir bellicâ gloriâ insignis, semel hastam vibrans, trecentos hostes vno ictu vulnerauit. Ionathas, ætate iuuenis, sed dignitate Princeps ; vno armigero sociatus, inter innumeros Philisthinorum cuneos irruens, atq; hâc & illâc hostes gladio velut herbas demetens ; totum [1. Reg. 14.] vnus exercitum profligauit. Sed perdiderunt Hebræi omnem illam gloriam ; & ex bellicosis ignaui, ex fortibus effœminati facti sunt : propter hoc vnum, quia Deus dereliquit eos.

Et cui obsecro palam non erit ex hoc fundamento, Christū Dominum abiuisse à nobis ? Nonne eædem vires, eadem fortitudo, idem robur, antea in Polonis vigebat ? Quantas enim hic populus Deo duce, in hostibus ediderat strages ? quantas victorias reportauerat. Vnus Huniades bellicæ virtutis insigne spectaculum, toti Turcarum regno magis erat terrori, quàm fortissimus leo, timido lepori. Vladislaus tertius, eius nominis Rex Polonorum, Amurathem Turcarum imperatorem fastuosum, exigua militum manu stipatus, ad Bialegrodum turpiter profligauit, & in fugam hostiles reliquias vertit. Quid recensebo Chodkieuicios, Coreccios, excelsi animi & spiritûs Duces. Quid memorem Vladislaum quartum, militaris disciplinæ exemplum, an miraculum ? Bellicæ virtutis documentum, an potiùs prodigium ? Qui vltra mortalem animum, elatum Osmanum, sanguinis Christiani sitientissimum hostem, ad Chotinum licet malâ valetudine lecto affixus, solâ tamen nominis sui famâ, gloriosè vicit, & ab arreptis armis ad muliebres lachrymas, superbum tyrannum compulit : qui cùm se victum cerneret, in planctu tandem pudoris remedium, & leuamen doloris quærere voluit ; ita vt propter hæc præclara facta, antemurale totius Christianitatis Polonia nostra dici meruerit. At nunc ò boni Lechiadæ, quò hæc omnia vestrarum virium monumenta reciderunt ? vbi illa patria virtus ? vbi illud auitum robur ? vbi illa quam semper hæreditare debuistis, fortitudo ? Ecce iam totus ille bellicus ardor deferbuit in vobis ? militaris ille furor elanguit ? Martius ille atque igneus spiritus refrixit ? Quæ vos obsecro metamorphosis olim pugnaces leones, nunc in fugaces ceruos transformauit ? Quod vos Circæum poculum, acriores olim Tygribus, nunc ouibus timidiores effecit ? Itane vos parentes vestri, fortes quondam Aquilæ, imbelles columbas progenuēre ? Equidem si illi è mortuis ad viuos redire permitterentur, modernos Polonos pro filijs suis legitimis non agnoscerent : illi enim à campo Martio, vos à puluinari fœminæo, nomen vobis adscribere videmini. Verùm si vultis scire, vnde vos tàm insolens timor & terror occupauit, certum conijcite documentum ; quia Christus à vobis recessit. Vestra ergo scelera, quæ indies maiora patratis, vobis tantæ timiditatis causa sunt. Quia nec iam virginitas, quæ apud gentiles semper in magno honore fuit, apud nos integra conseruari potest : sed turpiùs, quàm in Sodomâ & Gomorrhâ stupratur. Nec timor Dei, aut sacra ieiuniorum obseruantia quicquam valet ; sed ebrietas, & effusa in omne scelus audacia chorum ducit. Quam certè viuendi turpitudinem cùm iam Deus ipse aspicere non valeat, abijt à vobis ad gentiles, ad populum barbarum, à quo multò honorificentiùs & meliùs tractatur. Ideoq; vires illas fortissimas & robustissimas, quas habuistis ad hostes diuini nominis penitùs euertendos, perdidistis impijssimè &

mè & ſceleratiſſimè agendo. Atque A ex fortiſſimis ac ſtrenuiſſimis, infirmiſſimi & ignauiſſimi redditi eſtis. Hanc enim vobis pænam comminatus eſt iratus Deus, per Prophetam loquens; [Leuit. 26, n. 36.] *Dabo* inquit *pauorem in cordibus eorum: terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadent nullo perſequente.* En quo iam veſtra cecidit fortitudo bellicoſiſſimi quondam Poloni? vt à mulieribus inualidis nihilo diſcrepare videamini. Sic enim diuino afflatus ſpiritu de vobis protulit Propheta. [Nahum 3, n. 13.] *Ecce* inquit *populus tuus, mulieres in medio tui.* Nec mirum: Dominus enim firmamentum & refugium veſtrum erat, Dominus docebat manus veſtras ad prælium, & ponebat vt arcum æreum brachia veſtra. Sed quia illum deſeruiſtis, offendiſtis peccando, ad iracundiam prouocaſtis impudenter viuendo, ideo & ille abijt iam à vobis, vt potiori iure nunc de vobis illud dici poſſit, quod Ioſue quondam de Chananæis protulit. [Num. 14, n. 9.] *Receſſit ab eis omne præſidium.*

Quod ſi ad vires animi, id eſt: ad C ingenij felicitatem & acumen deſcenderimus, videbimus facilè, ſummam mentis obtuſionem & hebetudinem in nobis eſſe? Quamdiu ſciendi deſiderium, vigebat in pectoribus Polonorum; tàm diu inter bonum & malum optimè diſcernere poterant; ſinguliq́ue vitando hoc, quod eſt Dei offenſiuum, amplectebantur iuſtum. Nunc verò poſtquàm pro ſcientia, ignorantiam; pro libris, pocula; pro veritatis cognitione, amorem libidinis arripuimus; & Deum, & ſacra omnia contemnendo, ruimus quotidiè in maiorē cladem. Quod ægrè ferens Dominus clamat; [Deut. 32. n. 28. & 29.] *Stultus populus meus me non cognouit; filij inſipientes ſunt, & vecordes; ſapientes ſunt, vt faciant mala, benè autem facere neſciunt.*

Cuius rei pulchram figuram præſetulit Achitophel, qui cùm fuerit conſultiſſimus & prudentiſſimus, ita vt eius coſilium, tanquàm diuinum quoddam oraculum haberetur; referente id ſacra pagina. [2. Reg. 16.] *Conſilium Achitophel* inquit *ſacer textus, quod dabat* A *in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum.* Et tamen poſtquàm conſilium [2. Reg. 17.] dedit de Dauide opprimendo & occidendo, tanquàm infatuatus remanſit; iuxta illam Dauidis imprecationem: [2. Reg. 15. n. 31.] *Infatua quæſo Domine conſilium Achitophel.* Nam ſtatim eius conſilium vt ſtultum repudiatum eſt: [2. Reg. 17.] *Non eſt bonum conſilium quod dedit Achitophel hâc vice.* Quæ verba approbauit Abſalon, cum omnibus viris Iſraël, in medium proferens; [Ibid. n. 14.] *Melius eſt conſilium Chuſai Arachites, conſilio Achitophel.* B Ecce in quam infelicitatem abierit Achitophel? Cuius ſapientiam omnes paulò ante ſuſpiciebant, mox eius ignorantiam totus populus exſibilauit. Sic planè & nos diuinâ ſapientiâ illuſtrati, toti orbi antea luximus, quamdiu eius oraculis moniti & eruditi, ad virtutem proni eramus. Sed vbi peſſimum iniuimus conſilium, de licentiosè nimiùm & vitiosè agendo atq; viuendo, ſtulteſcere cæpimus & infatuari, adeò vt omnes etiam noſtræ conſultationes, meriſſima ludibria apud C exteras gentes reputentur. Quæ ſumma ignorãtia & infamiæ nota, nõ aliundè in populum Chriſtianum irrepſit, niſi quia Chriſtus ſeceſſit ex illius conſortio.

Colligunt ſecundò Doctores Deum receſſiſſe ab Hebræis, ex amiſſione omnium fortunæ bonorum. Bona fortunæ potiſſimùm hæc numerantur; diuitiæ, honores, & imperia, quibus olim populus Iſraëliticus abundabat. Nunc verò priſtinâ illâ fortunâ exareſcente, omnibus denudati ſunt, iuxta D prophetiam Dauidis: [Pſ. 108. n. 10. & 11.] *Nutantes* inquit *transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus ſuis.* Et quæ iam maior calamitas euenire potuit, quàm vt populus ille, qui antea lacte & melle fruebatur, poſtea hordeo & frigidâ victitaret? immò, vt ne viliſſimæ quidem dapes apud eum ſupereſſent. Quæ maior miſeria cogitari poteſt? quàm à domo, à patria, ab vrbe exulare, & toto orbe vagos circumferri? Et tamen hæc omnia mala, venerunt iam in populum illum infidelem, propter peccata in Ieſum crucifi-

crucifixum commiſſa. Proſcribuntur A enim vbiq; regnorum, nec in honore vllo, ſed in ſummo contemptu habentur; iuxta illud diuinum præceptum: *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem, ſurdum, & aures ei ſunt.* Vbi [Iſaiæ 43. n. 8.] diuina comminatio fulminat in eos hanc pænam, vt omnibus fortunæ bonis proſcripti, ſumma inopiâ premantur. Et quia in patriâ, diuinâ beneficia ingrati non videbant; vt extra patriam abſentia deſiderent, nec tamen obtineant. Quod ſi vtiq; rectè expenderent, certè iam ſuum veniſſe B Meſſiam nequaquã dubitare poſſent. Nam vbi illum ſperant naſciturum: nonne in Bethlehem? iuxta prophetiam Michææ. [Michææ 5. n. 2.] *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Vbi oro ſperant prædicaturum ſuum Meſſiam: nonne in Ieruſalem, iuxta vaticinium Iſaiæ: [Matth. 2. n. 23.] *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Vbi deniq; ſperant illum habitaturum; nonne in Nazareth? iuxta illud: *Dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* C Si ergò omnes illæ vrbes Iudæis colonis viduatæ, ab hoſtibus ereptæ, nunc ab alienigenis habitantur. Quid inſaniunt Hebræi? Quid ſperant? ſuumne Meſſiam inter Turcas naſciturum, victurum, aut prædicaturum? prô dementia! vrget fortiſſimè hoc argumentum Tertullianus: [Tertul. lib. contra Iudæos c. 13.] *Quomodò* inquit *naſcetur dux de Iudæa? & quatenus procedet de Bethlehem? ſic vt diuina Prophetarum volumina nuntiant: cùm nullus omninò ſit illic in hodiernum relictus ex Iſraël, cuius ex ſtirpe poſſit naſci Chriſtus.* D Sed quod ipſi ſuâ malitiâ obcæcati non credunt, faciunt vbiq; gentium diſperſi, vt omnibus credibile videatur. Dùm vbiq; exilium ſuum plangunt, tantò magis peccatum produnt. Dum Meſſiam vbiq; negant, eò illum magis vbiq; prædicant. Dum ſuam oſtentant legem; legifragos ſe luculenter conuincunt. Dùm ſacra pandunt oracula, perfidiæ ſuæ & veritatis Catholicæ certiſſima ferunt argumenta.

Sed in hoc deplorando infortunio, A non diſſimiles iam peruerſos Catholicos, Hebræis eſſe video: & ab his enim iam omnia fortunæ bona exulant. Abſorptæ ſunt mercatorum opes, propter arrogantem nimis & exquiſitum in mulieribus veſtitum. Abſumpſit in domibus magnatum atq; nobilium congregatos maiorum labore theſauros luxuria, ipſis etiam barbaris abominanda. Honorem Principum, cum ſumma auctoriate coniunctum, turpitudo vitæ, etiam belluis irrationalibus execranda deglutiuit: B omnemq; Polonorum gloriam, cum ignominia; virtutum ſplendorem, cum cœno voluptatum, commutauit. Adeò vt viliſſimus exterorum ſcurra, honorabilior iam à mundo æſtimetur, impio Chriſtiano. Hæc vobis qui commiſſa non deploratis, ſed in dies augetis ſcelera, grauiſſima pæna prædicta eſt, in ſacris literis. [Deut 28. n. 45.] *Aduena inquit* (ſacer textus) *qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritq; ſublimior; tu autem deſcendes, & eris inferior.* Quis non miretur hanc viciſ- C ſitudinem, vt populus barbarus ille, deſpicabilis, ille quondam canis mortuus, ille cadauere pollutior latro, illud deniq; vulgus promiſcuum, quod antea maioribus noſtris a viliſſima ſeruitute erat, iam nunc ſublimior eſſe videatur. Populus verò Chriſtianus, Dei Filius adoptiuus, primogenitus patris æterni, dilectus quondam Spiritui ſancto: ille inquam populus Chriſtianus? qui fide creuit, doctrinâ Euangelicâ nutritus eſt, humeris ſanctæ Eccleſiæ portatus, & in ſinu atq; D corde ipſiuſmet Chriſti, tanquàm pretioſus theſaurus antea ſeruabatur, nunc barbarorum fiat mancipiũ. Quid aliud ex hac deploranda viciſſitudine conijcere poſſumus; niſi manifeſtum Chriſti Domini à nobis receſſum: quo præſente nuſquam tot & tanta pateremur mala.

Verùm erubeſcite ô filij iræ, à primâ, illa & ſum̃a Chriſtianæ prærogatiuæ dignitate, nunc ad ſum̃am ignobilitatē deuoluti. Primogeniti per baptiſmi lauacrum Dei, nunc verò ne cum nouiſſimè genitis conferendi. Sed potiùs

tiùs propter deprauatissimos mores, propter conscientias, omni scelerum fœditate conspurcatas, ad mancipia; immò dicam veriùs, ad iumenta ipsa relegandi. Si enim nunc inter populum Christianum veram Christi fidem quæras, non inuenies illam. Quia fides consistit in credendo verbo Dei firmiter, & rectè operando: nunc verò deliramenta omnia esse videntur, quæ ad comprimenda & corrigenda vitia Ecclesia Dei prædicat. Si in moderna Christianitate quæras Prophetam; non inuenies; quia prophetia consistit in veri enuntiatione. Nunc autē quotus quisq; est, qui veritatem dicat? prorsus nemo? sed blandiri, assentari, & desiderijs hominum, non Dei voluntati quilibet se accommodare vult. Si quæras templum in moderno cœtu fidelium, non inuenies; quia templum Dei, est vnio credentium in fide & charitate non fictâ. At nunc vbi charitas? à dolis, fraudibus, & mutuis dissensionibus suffocata est. Et quare hæc quæ sunt optima, in Christianitate inueniri nō possunt? quærit D. August. (August.) Sed respondet regius vates: *A malitiâ inhabitantium in ea.* (Psal. 106. n. 33.) Quasi diceret: pessimè in Christianitate viuentes, hæc omnia præstantissima bona suffocauerunt.

Tertiò, tandem sancti Doctores colligunt Christum recessisse à Iudæis, ex amissione bonorum spiritualium: inter quæ præcipuum locum tenebat, templum illud Salomonis, non tantùm Iudææ, sed totius Orbis miraculum, à Salomone septē annorum spatio ædificatum: à Zorobabele sexaginta sex annorum interuallo restitutum. Tàm diues, tàm augustum, vt nihil reperiretur in toto orbe, quod in comparatione eius venire posset? & hoc tamen in flammas & cineres collapsum est. Quod certè incendium, non Romanorum furiâ, vt censent Hebræi; sed Angelorum irâ admotum erat. Refert enim Iosephus (Iosephus lib. 7. de bello Iudaico c. 10.), quòd, cùm à Romanis militibus Hierosolymæ admoueretur incendium, & iam flammæ tectorum fastigia superarent: Titum Imperatorem, totâ vrbe obequitasse, & nutibus, manibus, atq; clamoribus milites compressisse, ne templum Domini succenderent, ne sacram illam ædem, Orbis prodigium, & totius sanctitatis delubrum violarent. Nihilominùs tamen dicit Iosephus, milites cæcos ad imperium Cæsaris, vel potius actos ab imperio Numinis, in tædas & faces ire perrexisse; nec priùs ab admouendo vrgendoq; incendio cessasse, quàm totum illud templum Augustissimum, in flammas collapsum deflagraret.

Conijcite Catholici oculos vestros, in tot vastata in regno nostro monasteria, desolata templa, funditùs euersas Ecclesias: nonne ex his tanquàm certissimis indicijs, cognoscetis Deum à vobis recessisse ad mare Galilææ, scilicet; ad homines gentiles: apud quos, nusquàm tot probra, tot flagitia, sicut inter Christianos reperiuntur. Ideò leuiùs iudicat Deus, omnia sacra à barbaris ignorantibus conculcari, quàm à malis Christianis irreuerenter possideri. Quoniam templis suis omnem Deus reuerentiam exhiberi voluit à populo fideli, vt docet regius vates: *In templo eius omnes dicent gloriam.* (Ps. 28. n. 9.) Quem locum considerans sanctus Basilius: *Audiant* inquit *hæc psalmi verba, & confusi suppudescant ij, qui in templo prolixissima intertexunt colloquia. Qui enim in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obscænis rebus differtos sermones, pronunciet: sed in templo eius quisq; dicat gloriam. Assistunt enim verba describentes Angeli, adest & Dominus affectus intrantium considerans.*

Hinc mirantur non pauci, cur in Hebræorum Republica, iussu Dei, sex fuerint ciuitates constitutæ, in asylum delinquentium, vt habetur in Numeris, & Deutoronomio: vt scilicet qui se ad illas recepisset, capitali pœna eximeretur. (Num. 35. n. 6. Deut. 19. n. 2.) Mirantur inquàm non pauci, cur non potiùs tabernaculum, seu templum designatum fuerit à Deo in delinquentium asylum. Nam cùm hæc tota indulgentia, à diuina misericordia processerit, nullus videbatur locus aptior, in quo tanta clementia

mentia

mentia illis præstaretur, quàm templum.

Quoniam hoc est diuinæ misericordiæ & petendæ, & accipiendæ, destinatum. Sed optimè respondet Philo (Philo.) Hebræus, citatus in Glossa ad locum, Numerorum allegatum. *Non* inquit *in templis sacris aperuit asyla, ne ab immundis inficerentur.* Adeò certè Deus mundum esse voluit templum illud, in quo sedem delegisset; vt omnem in eius aditu immundum ablegaret. Hinc D. Hieronymus (Hieron.) omnem reuerentiam mirâ quadam religione templis exhibebat, vt ipsemet libro aduersus Vigilantium fatetur. Ego inquit confiteor timorem meum, quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrū intrare non audeo; ita totus & corpore & animo perhorresco. At nunc quæ templis reuerentia apud Christianos habetur? confluunt ad illa homines, non deuotionis, sed curiositatis causâ, non animo Deum orandi, sed de mundi voluptatibus colloquendi, non adorandi SS. Sacramentum; sed sibimet tantùm inuicem genua flectendi, mutuis se salutationibus diutiùs occupando, quàm in oratione persistendo. Verbo dicam? fit ad Ecclesias concursus, vt tantùm oculi pascantur venustate virginum, decore mulierum, & lingua non diuinis laudibus, sed personarum innocentum detractionibus occupetur. Verùm, dùm coram Angelis testibus oculatis non erubescimus, & coram DEO integerrimo iudice, tot mala audemus patrare, Ecclesias in ruinas euertit Deus, ne vllus refugij locus malè viuentibus supersit.

Sed ne Deus à nobis penitùs abeat, exulare longissimè debent à templis DEI profanæ & turpes actiones. Nam si hæ interdùm extra templum, & inter temporalia negotia quiescunt ac sopiuntur, cur intra templum, & inter officia diuina reuiuiscere debent ac tumultuari. Quemadmodùm præclarè argumentatur D. Cyprianus (Cyprian.) de singularitate clericorum. Inter ipsa inquit carnis mercimonia, multi voluptatem corporis negligunt: scilicet quando à legionibus exercitia meditantur armorum aut crepat litibus forum: aut resonant literis auditoria, negotiatores commercijs instanter incumbunt: aut artifices in artificia ipsa propensi sunt. quantò magis vbi non carnale opus hominum, sed spirituale geritur Angelorum.

Altero modo solet Christus abire à populo suo, non peccatis offensus, vt suo recessu puniat, sed piâ potiùs deuotione captus, vt suo recessu maiorem in populo fideli amorem, & desiderium sui excitet. Sic olim subtraxerat se diuinus sponsus cœlesti sponsæ, quæ statim fusa in preces. *Reuertere* inquit *dilecte mi.* Cant. 2. n. 17. (Cantic. 2.) Et cur obsecro ab illa anima recessit cœlestis sponsus, quæ illi tanti amoris glutino adhæserat. Respondet D. Bernardus serm: 74. (Bernardus serm: 74.) *Forte* inquit *ideò se subtraxit, quò auidius reuocaretur, teneretur fortiùs.* Idq; duplici comprobat exemplo, vno discipulorum laborantium in remigando, quos Christus Dominus volebat præterire Marci. 6. n. 48. altero discipulorum euntium in Emaus, quibus castello appropinquantibus, *finxit Christus se longiùs ire,* Lucæ 24. n. 28. (Lucæ 24.) quem locum expendens D. Bernardus (Bernard.). *Ne tunc quidem* inquit *istud volebat; sed magis probare fidem, & elicere precem.* Quasi diceret; adesse quidem suis volebat, sed adesse rogatus exoptabat. Sic olim Deus multa beneficia promiserat, tùm ipsi Dauidi, tum semini eius conferenda, quæ cùm ille audiret: rursus illa omnia feruentissimis votis postulauit. 2. Reg. 7. nu. 25. (2. Regum.) *Nunc ergo Domine Deus verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum.* Quid ergo causæ tam importunæ postulationis? an certè dubitauit Dauid Rex, reuocanda ne foret illa promissio: nequaquam. Propheta enim erat, cur ergo importunus redijt Orator; respondet Lyranus (Lyranus), Quia licet Deus velit dare beneficia in futuro; vult tamen super hoc deprecari, vt recipientes mereantur.

Benè eſt Catholici, ſi hiſce ſacris ieiunij diebus, ſic abijt à nobis IESVS, quia adhuc non affligere, ſed ſubleuare nos cogitat : à quibus enim ſe propter amorem ſubtrahit, eos ſibi fortiùs vnit. Et quidem certus ſum ego, quia licet multorum delictis grauiter læſus ſit, quia tamen habet aliquos in Eccleſia fideles ſuos ſeruos, ideò non abijt, vt nos penitùs deſerat, ſed vt magis ad poſtulandam ſuam gratiam prouocet ; & quamuis innocentes æquè cum impijs puniat, nondum tamen eſt indicium illius indignationis, nos ad perdendum inclinatæ, ſed potiùs ſignum eſt eius bonitatis, nos excitantis ; vt pro peccatoribus, pro quibus punimur, deprecemur Deum. Quoniam & in veteri lege innocentem Heliam, cum alijs delinquentibus æqualiter puniebat, vt hoc facto illum ad preces fundendas prouocaret. Quod eleganter obſeruauit D. Chryſoſth. ſerm. 1. de Helia tomo 1. Vbi ſic loquitur S. Chryſoſthomus. *Prophetam vna cum populo punit, vt dum etiam ipſe in famis ſupplicio comprehenditur, aliquid miſericordiæ, in relaxando ſententiæ ſuæ iuramento addiſcat.* Sed cùm & ſuo facto Helias ad Deum pro populo deprecando minimè flecteretur ; paſcitur à Deo per coruos ſuaptè naturâ immites ; & immiſericordes 3. Reg. 17. n. 6. vt eorum exemplo Elias miteſceret, & feris, humanitatem induentibus, homo feritatem non indueret : quaſi diceret Deus, inquit S. Chryſoſthomus : *Abſurdum eſt ò Helia, quòd apud te miſericordiæ patrocinantur corui, tu autem pro Iudæis, iniquis ſeruis non intercedis. Erubeſce & vel coruorum exemplo, Iudæis eſto clementior.* Sic planè punit Deus his temporibus Chriſtianitatem atrociter ; vt ſaltem ij, qui adhuc innocentiam integram, & fidem retinent ; diuinum furorem ſuis precibus lenire ſtudeant.

Chryſoſt.

3. Reg. 17.

Audiſtis igitur Catholici mei IESVM abijſſe à nobis, tum propter grauiſſima ſcelera, quæ impudenter patrantur à nobis, cuius diuini receſſus, ſigna & indicia manifeſta ſunt, quia A iam & bonis naturæ ; ſcilicet robore militari, & ſcientijs omnibus denudati ſumus : & bonis fortunæ, quia & diuitiæ omnes in luxu nimio abſumptæ, & gloria in contumeliam verſa eſt, ita vt vix iam non in paræmiam & ludibrium apud omnes gentes deueniamus, & quia dona ſpiritualia nobis erepta. Nam & fides deficit in dies, & ſpes emoritur, & charitas exareſcit, & templa non iam priſtinum perfectionis ſtatum retinent. Vidimus inſuper abijſſe à nobis IESVM B animo bono, vt illum tantò feruentiùs quæramus. Proinde ne cœlo & terrâ proſcripos Iudæos imitemur, & ne ex receſſu Chriſti vltima calamitas obueniat, vnicum adhuc nobis ſupereſt remedium, ſcilicet : pœnitentia, vt agnoſcamus culpam & poſtulemus veniam. Ad te ergo SS. IESV recurrimus hodiè, poſtulando vt ſi noſtris vitijs abijſti offenſus, noſtrâ quoq; humilitate placatus redeas ad nos. quòd ſi receſſiſti eo fine, vt tua abſentia, maiorem in nobis excitet tui amo- C rem, ecce nos ne vno momento ſine te volumus manere. Reuertere ergo qui veniſti ad ſaluandum nos, & quod in nobis noxium vides eſſe, tuâ clementiâ condona, atq; deſiderium in nobis tantum accende, vt animæ noſtræ non ampliùs, ſine te manere velint.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA

D **Cùm ſubleuaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum, vnde ememus panes, vt manducent hi.** *Ioann. 6.*

Ex Chriſti aſpectu modeſtiam diſcimus, & miſericordiam conſequimur.

NIhil magis diuinum pſaltem in admirationem Dei operum rapere potuit, quàm ſollicita eius circa omnes creaturas prouidentia. Quâ tot ac tàm diuerſa animalium genera ter-

ra terras incolentium, tot piſcium & auium ſpecies, maria & aëra tranantium, copiosè ſuſtentat, teſte Regio vate. *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Nam quid admirabilius eſſe potuit, quàm tot exiſtentibus piſcium, animalium, volucrumq; generib⁹, quæ diuerſis omninò indigēt alimētis, nec ſeminantib⁹, nec metentib⁹ ſuggerere tàm abundanter & opportunè paſtum omnibus conuenientem. Et licet his omnibus & ſingulis Dei prouidentia intenta ſit, minimè tamen eius confunditur adminiſtratio, aut theſaurus exhauritur, aut languet ſollicitudo ; nec puncto temporis à ſui ipſius contemplatione ceſſat. Hæc res in ſtuporem traxit Regium vatem . adeò vt admirabundus illud exclamaret : *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapientia feciſti : hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia quarum non eſt numerus.* Quaſi diceret : Tu Domine, cunctis animantibus, quæ ad exhibendam homini ſeruitutem creaſti, non ſolùm neceſſaria, ſed cuiuſq; guſtui accommodata paras alimenta. Flores apibus, capris frondes, iumentis hordeum, boui fænum, & ferocioribus beſtijs mitiores eſcas, vt docet propheta : *Catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi.* Et vnde tibi ô æterna bonitas hæc anxia cura ? certè non aliundè, niſi quòd cùm totius naturæ ſis conditor, etiam ſingularum & campeſtrium beſtiarum, & aërearum volucrum altor eſſe vis, omnibus neceſſaria ſubminiſtrando. Quorum ſi tanta tibi eſt cura, quid hominum ? quos ad imaginem & ſimilitudinem tuam creare dignatus es : an non longè maior ? Reliquis enim animantibus aſſignaſti cibum vnum, quibusdam ſolam herbam, alijs ſolum granum, nonnullis ſolam carnem, & pro potu cunctis ſolam tribuiſti aquam. Hominem verò lautioris menſæ, & varietate ciborum magis inſtructæ conuiuam eſſe voluiſti. Præbens ei in eſcam animalia, piſces, aues, totq; ſemina & fru- A ctus terræ guſtui gratiſſimos. Eidem in potum non aquam ſolùm, fontium & fluminum limpidiſſimam, ſed vina quoq; odorifera & pretioſiſſima, quibus liquores alios palato iucundiſſimos adiunxeras & valetudini cōuenientes, tribuens. Hæc tamen licet magna & admiranda, miſer homo nō cognoſcit, vt teſtatur ſacrum illud oraculum : *Vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelliget hæc.* Quia cùm homo ad rerum inanium ſtudia, & mundi fraudes, ſit ingenioſus & per- B ſpicaciſsimus ; ad ea, quæ Dei ſunt, hæbes, rudis, & cæcutiens redditur. Sed hodiernum ſaltem miraculum, & Chriſti circa reficiendam famelicam multitudinem ſollicitudo, nos in attentiùs perpendendum, Dei amorem permoueat. Quid enim Chriſtum Dominum mouit ad ſubleuationem oculorum, ad panis inquiſitionem ! niſi extrema mortalium egeſtas, cui ſemper ille paterno affectu ſubuenire vult. Atq; iam quantæ iſta Chriſti oculorum eleuatio fuerit efficaciæ, & quàm C proficua nobis, ſeriò trutinemus.

Pſal. 103.

Pſal. 91.

Pſal. 103.

Pſal. 91.

Rara admodùm, ſed inſignis & ſingularis fuit vbique Chriſti oculorum eleuatio. Quem Euangeliſtæ velut rem inſolitam, & notatu dignam atq; admirandam, quinquies tantùm integro vitæ ſuæ curriculo, oculos ſubleuaſſe annotàrunt. Primò, ſcilicet in monte, quando diſcipulis ſuis beatitudines octo prædixit, vbi inquit ſacer textus : *Eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat ; beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Secundò, D in reſuſcitatione Lazari : *Ieſus autem eleuatis oculis ſuis dixit, Pater gratias tibi ago, quoniam audiſti me.* Tertiô, in vltima cæna, dùm corpus ſuum ſacratiſſimum in ſalutarem eſcam Apoſtolis diſtribuit : quod tanquàm antiqua traditione certum Innocentius Papa in caput, cùm Marthæ, de celebratione miſſarum recenſet. Quartò, dùm iam morti vicinus ſpiritum Patri commendaturus eſſet : *Subleuatis in cælum oculis inquit, Pater venit hora clarifica filium tuum.* Quintò tandem in deſerto, dùm hodiernam populi multitudinem

Lucæ 6.

Ioann. 11.

Ioan. 17.

dinem itineris aſperitate fatigatam,
& famelicam reficere vellet. Cauſam
tàm inuſitatæ Chriſti oculorum ele-
uationis Doctores aſſignant, vt eſſet
ſummè modeſtiæ exemplar omnibus,
quomodò curioſam oculorum iacta-
tionem vitare debeant. Non enim
Chryſol. ſerm. 13.9. ſine myſterio inquit Chryſologus na-
tura in cuſtodien dis oculis adeò ſolli-
cita eſſe voluit, vt eoſdem & ſuperci-
liorum tegminibus, & extremo ſupe-
rioris genæ ambitu occluſerit, & vi-
ſum in ipſo pupillæ centro abſconde-
rit. Niſi quòd ſciret pernicioſam eſſe
frequentem oculorum erectionem.
Conuertit Eua in mortiferæ illius ar-
boris fructus oculos, & ſtatim per eius
oculorum feneſtras, tàm in ipſam,
quàm in vniuerſum genus humanum,
ingrata & funeſta mors irrepſit. A-
gnouerunt hoc priſci illi, noui & ve-
teris teſtamenti ſanctiſſimi Patriarchæ,
quantùm nocumenti effrænata ocu-
lorum diſſolutio ſecum afferret: vt
proinde iuſtus Iob adeò ſeuerus ocu-
lorum ſuorum cuſtos eſſe voluerit, vt
Iob 31. diceret: *Pepigi fœdus cùm oculis meis,*
vt ne cogitarem quidem de virgine. Quaſi
diceret; cùm oculi feneſtræ ſint, per
quos obiecta cogitationum ad men-
tem deueniunt, & cordis intima pe-
netrant. ideò dicit Iob ſe fœdus cum
illis pepigiſſe, ne ſcilicet illi nociua
videnti, materiam prauam cogitandi
ſubminiſtrarent. O ſi dilecta Deo fa-
mulantium corda, per hoc modicum
quadrageſimalis ieiunij tempus, fœ-
dus cum oculis veſtris iniretis, pro-
cul à veſtris mentibus (mihi credite)
omnis abeſſet concupiſcentia. Nec
tàm ingentem peccatorum catenam
compingeretis ſæpiùs, quæ vos diu
grauiſſimo ſeruitutis iugo adſtrictos
tenet; ſi cum lapſo Dauide, illud ſal-
tem ingemiſcendo proferretis: *Auer-*
te Domine oculos meos, ne videant vani-
tatem. Et certè vel ab ipſa cæcâ Gen-
tilium, ſed laudabili conſuetudine di-
ſcite veſtros oculos à nimia licentia
Cæli⁹ Rodigius. coërcere, Scribit enim Cælius Rodi-
gius, quòd cùm Rex Antiochiæ terti-
us, feſto quodam die, in templo Dia-
næ epheſinæ Sacerdotiſſã ſummæ pul-
A chritudinis videret, ne illius eleganti
venuſtate interiùs caperetur, continuò
è templo aufugit. Vegetius quoque Vegetius.
tradit, Alexandro inſigni quadam vi-
ctoriâ obtentâ, pulcherrimam omni-
ùm in captiuitatem abductam fœmi-
nam denuntiatam fuiſſe; ille tamen
neutiquàm illam ad ſuam præſentiam
adduci paſſus erat, ne illicito captus
amore, ſuæ quoq; captiuæ inuictus &
heroicus eius animus, captiuus red-
deretur. Nec virorum tantùm, ſed
etiam mulierum apud gentiles par erat
B oculorum modeſtia. Talem fuiſſe re-
fert D. Hieronymus lib. 1. ad Helio- Hieron.
dorum hiſtoria de Cyro, matronam
quandam Armeniæ, quæ ab inſigni
Cyri Regis conuiuio domum reuerſa,
percontanti marito, quid ſibi de Re-
ge, eiuſq; elegantiâ videretur, reſpon-
dit: *A te mi vir, oculos nunquàm deſle-*
xi, ideoq; qualis aliena forma ſit, prorſùs
ignoro. Sed & in Chriſti Eccleſia e-
uidens huius rei documentum habe-
mus. Nam concilium Conſtantino-
politanum ſextum cap. 10. agnoſcens
C laſciuientium imaginum picturas, ma-
gnum intuentibus nocumentum in-
ferre, ſub grauiſſimis pœnis prohibuit
effigies depingi, quæ turpitudinem
ſpectantium animis, prauas poſſent
excitare cogitationes. Hinc proinde
argumentemini vobiſcum: ſi turpium
imaginum vitâ carentium aſpectus fu-
giendus eſt, quæ oro cura ac ſollici-
tudo vobis gerenda erit in cohiben-
dis oculis, à viuis & animatis imagi-
nibus? Nam ſi vmbra impudicæ ima-
ginis comburit cor, quid viuus eius
D ignis non exuret? Vnde conſilium il- Eccleſ. 9.
lud nobis dat Spiritus ſanctus: *Ne*
reſpicias inquit *mulierem, ne fortè inci-*
das in laqueum illius. Quod ſi tot egre-
gijs & diuinis & humanis edocti e-
xemplis, adhuc oculorum veſtrorum
libidinem non compeſcitis, ſaltem vos
ad eoſdem cohibendos permoueant
innumera damna, quæ ob immodera-
tam oculorum licentiã in hunc mun-
dum profluxerunt. Euæ inordinatus
pomi aſpectus, nuditatis, famis, mor-
tis demq; ipſius miſerijs dedit initium.
Filij Dei præ curioſa oculorum licen-
tiâ,

tiâ, tantæ concupiſcentiæ flamã exar-
ſerant, vt ad eam per totum iam fer-
mè orbem graſſantem exſtinguendã,
Deus vniuerſum mundum cataclyſ-
Gen. 6. ſmo obruere debuerit: quando, *Vi-*
dentes filij Dei filias hominum, quòd eſſent
pulchræ, acceperunt ſibi vxores. Sichem
Princeps ob laſciuum Dinæ aſpectum,
ſimul cum tota ciuitate interijt. Quid
ſi iſta oculorum curioſitas, & vos hi-
ſce adhuc diebus Deo ſacratis detine-
bit: exuret profectò corda veſtra, at-
que in fauillam inanem rediget. Non
enim ſolet Deus oculos ſuos eleuare
in curioſos, & vanæ appetentes gloriæ,
ſed in humiles atq; ſoli Deo ſua pate-
facientes opera. Non ſolet & Chri-
ſtus laſciuientes circumſpicere pupil-
las, & impuram hominum compla-
centiam tantummodò quærentes, ſed
verecundiâ & Dei timore plenas, &
in magno virtutum apparatu Deo ſe
ſe dedicantes. Atq; vtinam & in nos
Chriſtus Dominus oculos ſuos beni-
gnè iam eleuet, quorum tanta virtus
& inaudita efficacia eſt, vt primo ſuo
intuitu, & pauperes multis diuitijs lo-
cupletes reddat: iuxta illud Sapien-
Eccleſ. 11. tis: *Facilè eſt in oculis Dei ſubitò hone-*
ſtare pauperem. Hoc eſt; tàm breui
tempore, quanto fit oculorum viſio;
quam actionem Philoſophi inſtanta-
neam vocant. Hic oculorum Chri-
ſti radius, & impios mirâ delinit pie-
tate, & impuros incredibili exornat
candore, & peccatores ad impeccabi-
lem redigit ſtatum, atque ad ſeipſum
clementer conuertit.

Ferunt aſtrologi rem quaſi ipsâ
veritate maiorem: natum ſub Martis
conſtellatione, eo ſigno crudelem
reddi: Iouis aſpectu benignum, &
clementem: Mercurij deniq; intuitu
expeditum & eloquentem. Sed ecce
nos omnes, quos in ſui gremium Dei
Eccleſia ſuſcepit, ſub feliciori ſigno
Chriſti, nati ſumus: cuius ſummè be-
neuolus aſpectus conſentaneum eſt,
vt nos iuſtos & ſanctos efficiat. Nam
ſi fulgenti radiorum aſpectu, Sol áè-
rem illuminat, tenebras expellit, ter-
ram fæcundat, in conchylijs margari-
tas gignit, in telluris viſceribus, auri
A & argenti pretioſa metalla producit,
atq; totum orbem terrarum quaſi re-
gulatiſſimum horologiũ dirigit. Quid
putamus de ſole illo iuſtitiæ, Chriſto
Dei Filio? quos ille quæſo effectus
benigno oculorum ſuorum intuitu in
mundo hoc minori, ſcilicet in homi-
ne (à Græcis Microcoſmos dicto) non
producet? Certè multò præſtantio-
res, quia vt dicit Sapiens; *Oculi eius*
multò plus lucidiores ſuper ſolem. Ad
ſolis vrentem radium, nix & gelu diſ-
ſoluuntur, ad Chriſti aſpectum cor
B obſtinatiſſimi etiam peccatoris peni-
tùs liqueſcit, & in lachrymas ſalutaris
pœnitentiæ reſoluitur. Ad ſolis or-
tum rore irrigantur prata, & reuiui-
ſcentes aſſurgunt herbæ. Ad primùm
Chriſti viſum deſtituta ſpirituali gra-
tiæ alimento peccatoris anima, dulci
Chriſti paſſionis rore perfunditur, &
emortuum planè in peccatis cor, quaſi
reuiuiſcens propiùs ad Deum aſſurge-
re incipit. Sole Hemiſphærium per-
tranſeunte incaleſcit humus, & ab o-
mni putreſcente luti fœtore ſiccatur;
C præteruolante etiam Chriſti intuitu
circa peccatoris animum infernalibus
ligatum vinculis, protinùs igne diui-
ni amoris ſuccenditur, & ab omni ſce-
lerum putredine depuratur.

Agnouerunt hanc admirandam
Dei oculorum efficaciam vetuſtiſſimi
illi Thraces, qui (vt refert Sidonius Sidonius.
Apollinaris) vt incredibilem diuini
aſpectus virtutem exprimerent, & pa-
lam toti mundo oſtentarent: depin-
gebant ſolem ex quo tres radij prodi-
bant. Quorum vnus mortuum illu-
D minans ad vitam reuocauit: alter in-
duratum lapidem conſpiciens, in mi-
nutiſſimas contriuit atomos: tertius
tandem niuis montem perluſtrans, il-
lum liquefaciebat. Cui tàm eximiæ &
ingenioſæ picturæ illam appoſuêre
inſcriptionem: *Oculi Dei ad nos.* Quaſi
dicerent: non diſſimiles effectus Dei
oculus producit in homine, immò
longè maiores, quàm ſol cauſet in to-
to vniuerſo. Emanant certè ex hoc
lucidiſſimo ſole Chriſto IESV in to-
tum orbem tres radij admirandi. E-
manat radius ineffabilis potentiæ.
An non

An non ſenſit eius potentiam magnus
3.Reg.17. ille Propheta Elias, qui in ſpelunca de-
liteſcens, ſingulis diebus à coruo pa-
Daniel 14. nem & carnes ſibi offerente paſceba-
tur. Senſit Daniel, qui in lacum leo-
num proiectus, cibo per Abacuc ma-
nu Angeli arreptum, allato refectus
erat. Senſit populus Iſraëliticus, cu-
ius ſexcenta fermè millia in deſerto
Exodi 16. mannâ cœleſti pauit Deus, & carni-
Num. 11. bus ſaturauit. Vbi incredulus Moyſes
illud temerè effutijt. *Sexcenta millia
ſunt, & tu dicis dabo eis menſe vno car-
nes ad ſaturitatem.* Senſerunt & hodi-
erna quinquè millia hominum, in de-
ſerto quinquè panibus ab illo abundè
ſaturata. Sentiunt creaturæ omnes
præſertim verò homines in timore
Pſal. 33. Deo ſeruientes : quia, *Non eſt inopia
timentibus eum.* Sentiunt deniq; & re-
gna mundi eius potentiam, cuius pa-
trocinio illæſa conſeruantur, vt agno-
ſcant ſolius Dei proprium eſſe, vt ſuis
viribus & poteſtate omnem barbaro-
rum & rebellium fortitudinè ſuperet.

Dimanat ex hoc ſole alter radius,
ſcilicet ſapientiæ. Quis enim alius niſi
ille, qui fons eſt & origo, à quo o-
mnes participati ſcientiæ riuuli in ho-
minum mentes diffunduntur, increa-
tæ ſuæ ſapientiæ magnitudine vniuer-
ſam mundi molem regit, eſtq; omni-
um iudex. Dimanat denique tertius
radius clementiæ, quâ etiam ſummè
egentibus ſubuenit Deus. Nam vt di-
Rom. 10. cit Apoſtolus : *Diues eſt in omnes qui
inuocant eum.* Subuenit autem non
tantum in temporalibus opem ferens,
ſed etiam in ſpiritualibus ſalutis vi-
res ſubminiſtrans. Suſcitauit poten-
tiſſimus iſte Chriſti oculorum radius
Saulum, iam planè in peccatis perſe-
cutionis & odij mortuum. Contriuit
Matthæum in Telonio ſedentem, &
cupiditate; quæ radix eſt omnium ma-
lorum, inſtar lapidis induratum, con-
tritionem cordis illi inſpirans, eamq;
cum libero eius arbitrio mirabiliter
coëfficiens. Calefecit deniq; Petrum,
niueo monte frigidiorem, & in ar-
dentem, præ diuinæ charitatis magni-
tudine lachrymarum imbrem eum re-
ſoluit. Et omnes, quotquot æternam
A eius felicitatem appetunt, ſuæ paſſio-
nis fructu quaſi lacte puriſſimo nutrit.
Et in hac certè ineffabili ſuâ clemen-
tiâ prudentium medicorum conſilium
mihi imitatus eſſe videtur Chriſtus
Dominus. Illi enim cùm infantulum
morbo periclitari vident, non illi ob
imbecillitatem largiuntur pharmacũ,
ſed nutrici, vt medicinæ virtus ſimul
cum lacte ad pueri ſtomachum pene-
trans, ſine illius faſtidio morbum de-
pellat. Faſtidiebat profectò humana
imbecillitas infirmitate peccatorum
B grauata pharmacum ſalutis, cùm ad
condignam Deo ſatisfactionem ex ſe
idonea non eſſet. Sed mox ei ſuc-
currere voluit nutricius IESVS, atq;
vt noſtram ſine faſtidio ſanaret ægri-
tudinem, ipſemet ore ſuo hauſit phar-
macum illud dolorum & paſſionis,
vt per ſanguinem ſuum, quo tanquam
lacte nutriendi eramus, ſuam nobis
communicaret puritatem, & lacteum
innocentiæ candorem, illud Apoſto-
li proferens : *Pater transfer à me cali-* Matth. 14.
cem hunc. Hoc eſt : (vt ſanctus Hi-
C larius & Baſilius interpretantur) tranſ-
fer huius calicis fructum in filios me-
os, & fac, vt paſſionis meæ virtute at-
que imitatione nutriantur.

Vt tamen hoc deſiderium ſuum in
nobis impleat Chriſtus, neceſſe eſt ani-
mam eſſe purgatam & defecatam o-
mni terreno affectu. Docent enim
Galenus & Auicenna cum vniuerſa
medicorum Scholâ, quòd vt lac in-
fanti ſit vtile & ſalutiferum nutrimen-
tum, oporteat corpus malis humori-
bus expurgari. Sic enim cum lacte
D noxius ſimul humor augetur. Par eſt
certè ratio, de efficaciſſimâ Chriſti
paſſionis virtute : nam & hæc vt ſu-
os menti noſtræ inducat effectus, præ-
requirit omninò illam eſſe alienam
ab omni genere culparum, quibus de-
formatur & inquinatur. Et quid ob-
ſecro magis animas noſtras depura-
re poteſt, ab omni contrario diuinæ
gratiæ ? certè nihil aliud, quàm beni-
gnus Chriſti oculus. Cuius cryſtalli-
no humore, velut abundantibus, &
opportunis irrigata nimbis peccatoris
anima, lætas virtutum producit ſege-
tes :

tes : & vndequaq; germinans, pieta-
tis floribus, ac fructibus perfectionis
redditur decora.

2.Mach.1. Refert ſacra Machabæorum hiſto-
ria, quòd cùm Hebræi ex Babylone,
vbi in ſeruitutem abducti multis an-
nis vixerant, redijſſent in patriam, ex-
quiſierunt locum, in quo ſacrum tem-
pli ignem abſconderant, antequàm in
miſeram redacti eſſent captiuitatem.
Vbi loco illius ignis craſſam aquam,
& congelatum quendam liquorem
repererunt, expoſueruntq; illum radi-
js ſolaribus, à quorum lumine calefa-
ciente, mox in ignem conuerſus eſt
liquor ille, vt teſtatur, ibidem Scriptu-
ra ſacra : *Tempus* inquit *affuit quo ſol
refulſit, qui priùs erat in nubilo, & ac-
cenſus eſt ignis magnus, vt omnes mira-
rentur.* Hoc planè vobis contingit
modò Catholici : reducti eſtis in ſer-
uitutem peccatorum, & ignis di-
uinæ charitatis abſconditus eſt in
cordibus veſtris. Sed tempus iam
affulſit redeundi ab hac crudeli, immò
prorſùs infernali ſeruitute. Ducem
habetis, quem per deſertum ieiunij
quadrageſimalis ſequamini, non Moy-
ſen, ſed ipſum Dei filium incarnatum
Chriſtum IESVM. Ipſe tanquàm ve-
rus Sol iuſtitiæ, vbi poſt peccati nu-
bilum, quo ſe à veſtris illecebris per
hoc tempus abſconderat, veſtras re-
ſpiciet mentes, & in animas fideles,
iam è foueis peccatorum ſe ſe attol-
lentes, oculorum ſuorum radios im-
mittet : ſubitò priſtinum ſui amoris
ignem in veſtris cordibus accendet,
& in antiquàm, quam amiſeratis cla-
ritatem vos reſtituet. Ad illum pro-
inde & vos, quos immoderatus con-
cupiſcentiæ ardor exagitat accedite,
quia ille eſt petra fluens aquis, melle
dulcior; ſcaturigo ſitientibus nonmo-
dò iucunda, ſed vtilis admodùm & ſal-
utifera, ex qua manant in omne mor-
talium genus fluenta gratiarum copio-
ſa, virtutum & meritorium torrentes
vberrimi. Feſtinate pauperes & ino-
pes, diuites & abundantes, atq; ab
irradiante Chriſti vultu veſtrarum ani-
marum quærite fæcunditatem.

Non aberrauit vt video, doctiſſi-
A mus rerum naturalium ſcrutator Pli- Plinius de
nius à veritatis ſcopo ; qui aſſerit in nat. hiſt.
Phrygia petras quaſdam reperiri eius
naturæ, quæ ſole eas irradiante, conti-
nuò aquæ guttas emittunt, & quaſi
lachrymari videntur. Petræ huiuſmo-
di veſtra peccatores corda ſunt, quæ
dùm in vitiorũ profunditatem labun-
tur, Petræ duritiem induunt. Sed vbi
Chriſtus Dominus velut fulgentiſſi-
mus Phœbus nos reſpicit, & irradiat,
ita potenter corda noſtra ſimul emol-
lit, vt ex eis continuò lachrymarum
B fluenta manare videantur, & guttæ
pœnitentialis aquæ decidant. Vt pro-
inde de illius oculorum virtute dixerit
Propheta : *A facie tua montes defluent.* Iſaiæ 64.
Quod magis adhuc Regius vates con-
firmat, inquiens : *Qui conuertit Petram
in ſtagna aquarum, & rupem in fontes* Pſal. 113.
aquarum.

Quærunt hic Doctores, quodnam
etiam ſignum humanæ prædeſtinatio-
nis, aut reprobationis eſſe poſſit. Et
primùm quidem feliciſſimæ prædeſti-
nationis ſignum innuit ipſa veritas :
C *Ego* inquit *quos amo, arguo & caſtigo.* Apocal. 3.
Qui enim ſæpiùs tribulationibus, &
aduerſitatibus premuntur, illi notiti-
am quandam moralem ſuæ ſalutis in-
de facilè coniectari poſſunt. Quem-
admodùm ſubtiliter infert D. Augu-
ſtinus, ex verbis Apocal. ſupra cita-
tis : *Si* inquit *exceptus es à paſſione fla-* Auguſt.
*gellorum, exceptus es à numero filiorum.
Noli eſſe iniquo ſenſu & puerili, vt dicas :
plùs amat Pater meus fratrem meum, cui
permittit facere quicquid vult, quàm me :
quia ſi me mouero contra eius iuſſionem,
D flagella inuenio. Potiùs inquit gaude ſub
flagellis, quia tibi ſeruatur hæreditas : il-
lis enim ad tempus parcit, quos in æter-
num damnabit.* Vbi S. Auguſtinus ſi-
cut tribulationem prædeſtinationis,
ita è contra, nimiam Dei conniuen-
tiam circa peccatorem, & omnis
amaritudinis ab eo remotionem, ſi-
gnum quoq; reprobationis eſſe vult.
Ne tamen omnes preſſi anguſtijs &
quibuſcunq; aduerſitatibus, ſe iam in-
de in certâ prædeſtinatorum ſorte ar-
rogantiùs poſitos eſſe præſumant ;
ideò certum eſt, non quamcunq; tri-
bulatio-

bulationem & aduerſitatem felicis ad gloriam electionis notam eſſe, ſed illam duntaxat, quæ immiſſa à DEO patienter ſuſtinetur. Quod clarè innuit D. Gregorius ſerm. 3. de bona patientia inquiens : *Nec enim magis aliud iniuſtos & iuſtos diſcernit, quàm quòd in aduerſis iniuſtus conqueritur & blaſphemat, patientia autem iuſtos probat.* Si ergo iniquè lata tribulatio, nec patienter ſuſcepta, reprobationis ſignum eſt, quâ dum impios Deus crebrò vel ad vitæ emendationem, vel ad peccatorum abominationem afficit, ferre illam maiori ſuo damno recuſant. Quantò nos his temporibus ad omnẽ amaritudinem libenter ſubeundam, & in ieiunando, & in corpora noſtra mortificando proni eſſe debemus, vt tantò plus à Chriſto diligi mereamur.

Gregori⁹.

Alterum prædeſtinationis ſignum innuit S. Paulus ad Romanos ſcribens, ſcilicet ; affectum pietatis, & omnis erga Deum ſubmiſſionis. Dicit enim ibi Apoſtolus : *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui.* Et in quo obſecro iſta conformitas conſiſtit ? certè in hoc; vt omnes fideles, qui cum Chriſto hæreditare volunt, illius imaginem humilitate & patientiâ, ieiunijs & morrificatione, caſtitate & continentiâ in ſe exprimant. Atq; inſuper, vt veram Chriſti Domini imaginem geſtent, hoc eſt : vt ſicut ille æternum Patrem tanquàm verum ſuum principium, ſingulariter coluit, obſeruauit, & adamauit, ita & nos ſingulari cultus & amoris affectu, tanquàm verum patrem noſtrum proſequamur. Ac deniq́ue ſicut Chriſtus Dominus Matrẽ ſuam omni veneratus eſt modo ; ita & nos eandem venerari diſcamus, per ipſam nos ſalutem ſperantes aſſecuturos. Hæc eſt mens Beati Alani lib. de pſalterio Virginis cap. II. vbi ad finem hæc ſcribit : *Secretum iam tibi pandam diuinæ prouidentiæ ; ſcias enim & ſecurè intelligas, quòd & inde latè alijs patefacias : quòd videlicet ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationi, horrere, & attædiari, & negligere ſalutationem Angelicam, totius mundi reparatiuàm ; habentibus verò deuotionem ad hanc, ſignum eſt ordinationis, & prædeſtinationis permagnũ ad gloriam.*

Rom. 8. Alanus.

Sed ego tertium adhuc in hodierno Euángelio diuini in nos amoris probabiliſſimum reperio argumentũ. Ipſam ſcilicet benignam Chriſti ſuper nos oculorum eleuationem : earundem verò à nobis auerſionem, infallibile noſtræ reiectionis documentum eſſe. Quod pulchrè figurârunr Ælianus de varia Hiſtoria, & Dio Carthuſianus ſuper cap. II. Leuitici art: 25. Qui tradunt rem ſingularem ac mirabilem de aue quadam Caladrion, vel vt alij ferunt, Caradrio, quod hæc ſolo aſpectu ſuo pleroſq; infirmos ſanare ſoleat, fatenturq; magnæ authoritatis Doctores, quòd ſi conſpectui illius obijciatur homo, cuius vita extremè iam periclitatur, & prorsùs deſperatur, tunc quaſi infelicem & indubitatum mortis euentum præſagiens, oculos ab eo auertat. Quòd ſi ad priſtinum ſanitatis vigorem reuerſurum præſentiat, placido vultu illum intuetur, & iucundo ſuo aſpectu priſtinæ eum ſanitati reſtituit. Hæc certè auis fatalem caſum, aut proſperum infirmi hominis euentum certò augurans, eſt ipſemet Dei Filius in cruce pendens, quem paterno ore auem vocatum eſſe teſtatur Iſaias, in perſona æterni Patris loquens : *Vocans ab oriente auem, & de terrâ longiquâ virum voluntatis ſuæ.* Ab oriente certè vocata eſt auis iſta Chriſtus IESVS, quia ab ipſo Patre (qui eſt fons, principium, & origo diuinarum perſonarum) prodijt. Eſt de longiquâ terrâ, quia ex hoc terreſtri limo carnem aſſumẽs, factus eſt vir, qui iuxta voluntatem Patris omnia operaretur. Vocata eſt inquam auis hæc cœleſtis in ſubſidium humanæ ægritudinis, vt lethalem animarum noſtrarum morbum, aut deſperatum iam, aut curabilem adhuc prænuntiet. Sed à quo oculos ſuos auertit, non iam ſpes vlla ſalutis haberi poteſt. Auertit ille oculorum ſuorum radios ab infirmis Phariſæis, obſtinationis morbo laborantibus, dùm ſe ſe illius conſpectui obijcerent : & ecce

Aelianus. Iſaiæ 48.

ecce ex hac auerſione, phariſæorum à regno cœleſti excluſionem, B. Ioannes in perſona Chriſti prædixit : *Quò ego vado vos non poteſtis venire.* Et quæ tantæ cauſa indignationis in populum illum, cum quo crebrior Chriſto erat conuerſatio ? non alia, niſi hæc, quam Apoſtolus recenſet : *Quia in peccato veſtro moriemini.* Quem autem oculo ſuo clementiùs intuetur Chriſtus, ſubitò illum ab omni ægritudine erigit, quemadmodùm docet Sapiens : *Oculus* inquit *Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius.* Hic enim benignus Chriſti oculorum aſpectus, etiam ab omni dæmonio hominem liberat. Quod probè cognoſcens vir quidam à dæmone obſeſſum habens filium, rogabat Chriſtum vt tantummodò filium eius intueretur, inquiens : *Reſpice in filium meum,* quem vt primùm aſpexit, ſubitò ſanatus eſt. Chriſti placidiſſimus oculus, vbi peccatorem reſpicit in momento illum ab omni macula emundat. Reſpexit ille Petrum ſeipſum negantem, & ſtatim mirâ ſui aſpectus virtute ſanauit eum. Sicut enim quandò Chriſtus Dominus clauſerat ad tempus oculos miſericordiæ ſuæ, per ſpecialium quorundam auxiliorum ſubtractionem, ſtatim etiam Petrus clauſit oculos ſuos veritati illius, Chriſti diſcipulum ſe negans eſſe. Quod pulchrè expoſuit S. Auguſtinus tractatu 113. in Ioannem inquiens : *Quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cum negauit Chriſtum : illum paululum Dominus deſeruit, vt in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere, nihil ſine gratia Dei præualere.* Sic planè dùm iterum aperiret Chriſtus Dominus oculos ſuos eundem Petrum reſpiciens, ipſe quoq; ſuos illicò aperuit, non ſolùm internos, quibus errorem agnouit ; ſed externos etiam, quibus miſerũ negationis caſum multis lachrymis deplorare cæpit. Quod innuit D. Ambr. *Bonæ* inquit *lachrymæ quæ culpas lauant, ſed & quos Ieſus reſpicit, plorant delictum : negauit primo Petrus, & non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus : negauit ſecundò & non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus : negauit tertiò & reſpexit IESVS, & ille amariſſimè fleuit.*

Ioan. 12. Ioann. 8. Eccl. 10. Lucæ 7. & 9. Auguſt. Ambroſ⁹ cap. 22. in caput 10. Lucæ.

Narrat Pierius Valerius inrer alias Ægypti myſterijs plenas imagines, quas cõfinxerant, prodigioſam quandam efformaſſe ; Baſiliſci caput, accipitris verò alas habentem, cui hanc appoſuêrant inſcriptionem : *Oculi diuum.* Atq; hæc imago tanto artificio fabricata fuit, vt quandoq́ue oculos clauderet, quandoq; aperiret : vt proinde toti⁹ Ægypti proſpera, aut aduerſa fortuna ex oculis illius imaginis penderet. Cùm enim clauſis eſſet oculis, infelicitas præ foribus erat : cùm autem apertis placidiùs proſpectaret, continuò felici aurâ fruebatur Ægyptus. Cõſiderate Catholici, an nõ hæc ſit portentoſa imago Chriſtus, in quo non diſſimile quid accidere vidimus. Quandó enim ille oculos ſuos tãtiſper à nobis dimouet, ſubitò in profundum peccatorum baratrum prolabimur : poſtquàm verò eoſdem miſericorditer aperiens nos reſpicit, confeſtim reſoluimur in torrentem lachrymarũ. Agnouit hanc admirandam Chriſti oculorum virtutem diuiniſſimus propheta Rex Dauid, inquiens : *Si ergo ita ſunt neceſſarij oculij tui Deus, reſpice in me, & miſerere mei.* Ferunt naturales Philoſophi bifariam lachrymas in homine cauſari. primò, ex metu : cùm enim quis timore afficitur, continuò calor ad fauendum cor tendit, & ideò cùm reliquæ corporis partes calore deſtituantur, frigiditate verò comprimantur, tunc temporis cerebrum, quod naturâ ſuâ frigidius eſt, eà compreſſione factâ, aqueum humorem non ſecùs atq; ſpongia aquâ plena exprimere ſolet crebras per oculos guttas, noſtris inſtar lachrymis emittens. Secundò ex ingenti gaudio : cùm enim in homine lætitia dominatur, tunc calor non quærit anguſti cordis domicilium, ſed per totum corpus diffunditur, cerebrumq; ita dilatat vt ampliora fiant pororum foramina ; atq; hinc euenit, quòd cùm aqueus humor ibi deliteſcens naturâ ſuâ ſit grauis, ſtatim per oculos defluens gut-

Pſal. 118.

ens guttatim deſcedat. Vtinam Ca-
tholici mei & vos his diebus, triſtitiâ
pariter & lætitiâ repleamini. Triſti-
tiâ inquã ob peccatorum grauitatem,
quibus Deum ſummè amabilem of-
fendiſtis : lætitiâ verò ob excuſſam
diaboli ſeruitutem, quam per ſacra ie-
iunia & ſalutarem pænitentiam fuga-
re cæpiſtis, vt tanto fortiùs Chriſto ad-
hærere, & veſtra peccata deflere va-
leatis. Nam vt dicit S. Ambroſius
S. Ambr. ſerm. 46. *Viliores lachrymarum preces
ſunt, quàm ſermonum; quia ſermo in pre-
cando fortè fallit, lachryma omninò non
fallit : ſermo enim interdùm non totum
profert negotium, lachryma ſemper totum
prodit affectum.*

Habetis proinde Chriſtum Domi-
num hodiè ſupra vos oculos ſuos ele-
uantem, tum vt omnem modeſtiam
& continentiam ex eo diſcatis : non
in mundi vanitatem, ſed in Deum ſo-
lùm veſtros oculos erigi debere. Tum
certè, vt ex hoc eius paterno aſpectu,
miſericordiam omnem aſſequamini :
vt iſta Chriſti oculorum eleuatio &
ignem diuini amoris in vobis accen-
dat, & omnem impuritatis ac concu-
piſcentiæ flammam extinguat. For-
tiſſimus quidem eſt omnium elemen-
torũ ignis : nam cùm apud Chaldæos
pro Deo coleretur, & ſtatua lignea
Iouis illi applicata eſſet, ſubitò in fa-
uillas & cineres redigebatur, & Ænea
Martis columna extemplò liquefie-
bat. Inuenerunt tamen Chaldæi ad
vincendam ignis potentiam remedi-
um, admouentes igni ſtatuam cuiuſ-
dam è numero ſuorum Deorum aquâ
plenam, & oculos cerâ obturatos ha-
bentem, quæ cùm caloris vi liquefie-
ri cæpit, ſtatim inundantes aquæ per
oculos prodibant, quæ ignem Deum
Chaldæorum penitùs extinxerunt.
Inſatiabilem & ego in vobis deaſtrum
reperio, ſcilicet concupiſcentiæ ignẽ,
qui ſemper dicit *affer affer*. Verùm
ſi hodiernus Chriſti aſpectus lachry-
mas pœnitentiæ in vobis excitauerit,
ſubitò hunc impuriſſimum ignem ex-
ſtinguetis. Quia potens eſt lachryma
vt dicit S. Hieronymus, cuius poten-
tia tribunal iudicis non veretur, ac-
A cuſatoribus ſuis ſilentium imponit.
Lachrymæ inquit D. Chryſoſthomus
ſerm: 11. de pœnitentia tomo 5. ſunt
quæ reconciliant Deo, à peccatis re-
dimunt animum, & ſanant languores
eius. Sordentem animæ veſtem la-
chrymæ lauant, & dant illi remiſſio-
nis candorem. Satagite igitur omnes
vt à placido Chriſti aſpectu lachrymæ
in vobis cauſatæ, vos Deo offenſo fe-
liciter reconcilient, & amiſſum inno-
centiæ candorem reſtituant.

B

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

**Eſt hic puer vnus, qui habet quin-
què panes hordeaceos.** *Ioan. 6.*

*Chriſtus quinquè panes nobis obtulit, ni-
mirum naturæ, doctrinæ, pœniten-
tiæ, Euchariſtiæ, & gratiæ.*

SVmmam Deus prouidentiam ge-
rit circa hominem, ſpectans tan-
C tam naturæ humanæ egeſtatem, vt
ſemper deficiat, & nuſquam abundet,
& toto prorsùs vitæ ſuæ curriculo ma-
gnis defectibus preſſus homo, ſubſi-
dium à Deo poſtulare cogatur, atte-
ſtante Scriptura ſacra : *Omnes ſollici-
tudinem proÿcientes in eum, quia ipſi eſt
cura de vobis.* Quaſi cum Diuo Petro
aptiùs loquatur : Domine ſi eo fine
creaſti hominem, vt inter mortales
degens tuam inacceſſam laudet ma-
ieſtatem ; homo verò ſine cibo ſubſi-
ſtere nèquit, oſtende tuam omnipo-
D tentiam, vt prouide nobis in omni-
bus vitam temporalem concernenti-
bus, tanquàm Pater miſericors. Vtiq;
qui vult alicui finem, etiam media ad
illum conſequendum neceſſaria ſup-
peditare debet. Sed ne deſperes ô ho-
mo : non eſt enim inopia timentibus
eum. Scito non defuturam tibi Dei
prouidentiam, ſi firmam ſpem in eo
poſueris : *iacta ſuper Dominum curam
tuam. & ipſe te enutriet.* En quomodò
hodiè circa quinq; millia hominum,
feſſa longitudine itineris, reficienda
ſollicitus eſt ? vnde inquit ememus
panes

panes ? ſed vt quid tanta circa indignũ
hominem cura, vt quid tanta ſollicitu-
do ? vtiq; ô immenſe conditor adſunt
tibi inexhauſti theſauri : vnico ſolùm
verbo impera, & omnia fient. Si enim
prophetam tuum Eliam in eremo la-
titantem miniſterio auium ſuſtenta-
3. Reg. 12. ſti : 3. Reg. 12. *Corui quoq; deferebant
ei panem & carnes mane : ſimiliter pa-
nem & carnes veſperi.* Si innocentem
Danielem leonibus ad dilaniandum
in lacum proiectum, & per integros
ſex dies fame confectum refeciſti ci-
bo, de terra ducta in Babylonem tran-
Dan. 14. ſlato. *Et clamauit Abacuc dicens, Da-
niel ſerue Dei, tolle prandium, quod mi-
ſit tibi Dominus Danielis* 14. vbi Dani-
el gratiјs Deo actis exclamauit : *Re-
cordatus es mei Deus, & non dereliquiſti
diligentes te.* Si populum Iſraëliticum
in deſerto per Moyſen eductum man-
na Angelorum miniſterio elaborato,
quadraginta annis circiter nutriuiſti,
& dulci liquore de petra ſcaturiente,
potaſti. Cur modo immenſe Deus
dubitas, vnde & quomodò famelicam
Ioan. 6. turbam reficere poſſis : *vnde* inquit,
ememus panes. Cauſam inuenio, vt ſci-
licet experiretur, num etiam Apoſto-
li dubitabant de eius omnipotentia :
proinde vt probarét, vtrum haberent
fidem in illum. Hac diuinâ proui-
dentiâ mundi vniuerſitas hucuſque
ſubſiſtit. atteſtante ſacra pagina, Sa-
Sap. 12. pientiæ 14. *Tua prouidentia Pater ab
initio cuncta gubernat.* & Prouerb. 8.
*Attingit à fine vſq; ad finem fortiter, &
diſponit omnia ſuauiter.* Et profectò ſi
Ethnicus Philoſophus agnouit hanc
Dei prouidentiam nemini deeſſe. E-
Seneca. piſtola 110. *Neceſſaria* inquit *tibi oc-
current ; ſuperuacanea & ſemper & toto
animo quærenda ſunt* : quis Chriſtia-
norum ſpem in DEO collocans am-
pliùs animo cadere poterit ? Quodſi
Deus cuipiam inuocanti ſubtrahit ſu-
am munificam dexteram, læſus gra-
uiter noſtris impietatibus id facit, ap-
probante eodem grauiſſimo morum
Idem. caſtigatore Seneca epiſt. 124. *Inter
cauſas* inquit *malorũ noſtrorum eſt, quod
viuimus ad exempla, nec ratione compo-
nimur, ſed conſuetudine abducimur.* Non
A eſt igitur ſub ſole vllus mortalium,
circa quem diuina prouidentia nihil
agat : *Puſillum enim & magnum ipſe* Sapien. 6.
fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.
Sapien. 6. vnde D. Gregorius 4. Mo-
ralium capite 26. dicit. *Sicut minima* S. Gregor.
*quæq; condidit per ſeipſum, ita minima
quæq; regit, & ſingulis prouidet.* Et li-
cet diuina prouidentia etiam circa mi-
nimam auiculam laboret : Lucæ 16.
Nonne quinq; paſſeres veneunt diſpondio, Lucæ 16.
*& vnus ex illis non eſt in obliuione coram
Deo.* Specialiter tamen hoc benefici-
B um homini præſtat : Hieronymus ſu-
per Abacuc 1. *In nos* inquit *ipſos in-* Abacuc 1.
*iurioſi ſumus, eandem rationabilium, &
irrationabilium prouidentiam dicentes.*
Conſiderabimus itaq; quis puer iſte,
qui quinq; panibus quinque millia
hominum ſatiauit, & quid per hos
quinq; panes intelligi debeat.

Puer iſte, qui quinq; panibus, quin-
que millia hominum perfectè ſatiauit,
eſt ipſemet vnigenitus Dei filius ; ſic
illum deſcribit Euangeliſta Lucæ 2.
loquens ad paſtores : *Inuenietis infan-* Lucæ 2.
C *tem in præſepio.* Quaſi diceret : ſi in
forma viri perfecti veniſſet Dei Filius
in mundum, verenda illa oris illius
maieſtas præcluſiſſet viam accedenti-
bus, & ideò ad imbecillitatem infan-
tiæ ſe demiſit, vt etiam pauperibus o-
pilionibus liber aditus pateret. An-
tequam veſte noſtræ mortalitatis in-
dueretur DEI Filius, admodùm armati
bellatoris, deſcribit illum S. Ioannes in
ſua Apoc. c. 7. *Ecce equus albus, & qui* Apocal. 7.
*ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & da-
ta eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vin-
D ceret.* At verò poſtquàm ad hominum
ſocietatem ſe demiſit, pueri nomen Lucæ 2.
habere voluit, Lucæ 2. *Cùm induce-
rent puerum Ieſum parentes eius.* Quia
nimirum ; abbreuiatum eſt in carne
humana verbum illud immenſum.
Hic itaq; puer cuilibet homini ad con-
gruam ſuſtentationem quinq; panes
obtulit, videlicet ; naturæ, doctrinæ,
pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & gratiæ.

Primum panem vitæ temporaneæ
neceſſarium, ad id conceſſit Deus, vt
ob tranſgreſſionem Dei mandatorum
toto vitæ ſuæ tempore cum ſatigatio-
ne panem

ne panem hunc quæreret homo. *In* (Genes. 3.) *ſudore vultus tui veſceris pane.* Sed quomodò æterne Deus hominem illum in delicijs paradiſi commoratum, omnibus diuitijs refertum, nullis aſſuetum moleſtijs, ita nunc deprimis, vt viliſſimo labori terræ excolendæ adiudices. Forſan non quilibet hoc tuum mandatum adimplere curabit, & tam graui iugo ſe ſubmittere, vt in ſudore & continuis laboribus cibum quærere debeat. Si enim iuſtus propheta Elias, fugiens crudelitatem impijſſæ Iſabellæ fatigatus in deſerto, poſtulauit eripi de omnibus illis ttibulationibus. (3. Reg. 19.) *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* 3. Reg. 19. Si zeloſiſſimus tui honoris Paulus pertæſus illorum cruciatuum, & perſecutionum, quas ſuſtinebat, mortem atiam expoſcebat. (2. Cor. 1.) *Super modum* inquit *grauati ſumus ita vt tæderet nos viuere.* 2. Corinth. 1. Vnde non immerito D. Bernardus. (S. Bernar.) *Omnes quidem patientiam laudant, ſed tange montes, & fumigabunt.* Fateor graue id videri hominibus: an certè pauci his temporibus reperiuntur, qui ab hac diuina lege deſciſcunt, qui ſolis principum fauoribus freti, ſolis aſſentationibus & fallacijs innixi, ſoli inordinatæ cupiditati, & damno proximi inhiantes, potiùs in voluptatibus, & vanitatibus mundi, quàm in ſudore vultus ſui pane naturali vti volunt, inclamante ſcriptura. *Suauis eſt homini panis mendacij.* Sed reflectite pauliſper mentem veſtram, & perpendite myſterium diuini illius mandati, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Veſtro mihi credite bono pæna hæc ſancita eſt; Reſpiciebat quippè Deus àd duplex nutrimenti genus, quo homo iuxta duplicem animæ, & corporis vitam ad ſui conſeruationem indiget; & ideò labores animæ, panem verò corpori, tanquàm neceſſariam vtriuſque annonam, prouidebat. Quaſi ſtatim tunc Deus oſtendere voluerit, quòd eundem effectum, quem panis in corpore, labores in anima eſſent producturi. Hinc D. Chryſoſthomus ad Romanos eleganter hoc inculcat; (S. Chryſ.) *Quiſquis* ait *per tribulationem euerſus fuerit, multò magis patietur.*

A Et ne rem ieiunè tractare videamur, exemplis res clarior fiat. Reuocate vobis in memoriam illum diuitem, qui quotidiè induebatur byſſo & purpurà. Lazarus verò vlceribus ſcatebat, ille in delicijs noctes dieſq; conſumebat, hic fame enecabatur. Vt non immeritò Petrus Chryſologus inhumanitatem diuitis auari (qui ne micas menſæ pauperi Lazaro, ante ianuas eius iacenti, & ſtipem emendicanti dare vluit: *& nemo* inquit *illi dabat*) (Chryſol.) cum beneuola illa pietate men- B dicantis Lazari componat, qui cùm nihil aliud haberet, proprijs carnibus famelicos canes paſcebat: *Sed & canes veniebant, & lambebant vlcera eius.* Lucæ 6. Diues ergo non ſolum denegauit pauperi micas cadentes de menſa ſua, ſed inſuper veniebant canes, vt eius ſanguine paſcerentur, vel quia eos accerſebat, vel quia ipſe accedentes admittebat. *Inuertitur inauditus pietatis ordo* (inquit Petrus Chryſologus ſerm: 122.) (Idem.) *nouo modo humanitatis ordo mutatur.* Quid ita? *Fit hu-* C *mana mendicitas, vt cupiditas prodatur inhumana.* Egregia profectò narratio; ſed quid inde ſequatur auſcultate: *Diues pauperem nec cadentibus de menſa micis paſcit, & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, de carnibus ſuis, canibus humanus exſtitit.* Quaſi diceret: ex impia crudelitate diuitis, eo quo poteſt modo humanitatem addiſcit, & eleèmoſynam porrigit canibus ſuis, alit bruta animantia, qui non habebat quibus homines paſceret, Sed quàm diſpar vtriuſq; exitus! Diues in D lecto eburneo inſperata morte ſopitus, in inferno ſepultus eſt, Lazarus verò in ſummis anguſtijs & tribulationibus vitam finiens, in ſinu Abrahæ dulce refrigerium ſumit: ita vt auarus ille diues in vltricibus inferni flammis, quas patiebatur, conſtitutus, Patriarcham Abraham rogaret Lucæ 16. (Lucæ 16.) *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Et quid oro cauſæ, quod Deus pauperem Lazarum vlceribus ſcatentem ad limi-

ad limina domus viri tam inhumani, qui nec analecta panum menſæ ſuæ cùm eo diuidere dignabatur: *Erat* inquit ſcriptura, *quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.* Reſpondet Petrus (Chryſol.) Chryſologus ſerm: 121. *Vt quem vox eſurientis non moueret, vel ſuſpiria, vel dolores gemitus, & tanta ærumnarum congeries commoueret.* Approbo conceptum, prouidentiâ diuinâ factum hoc eſſe; qua concurrerent & Lazari miſeria, & obdurata diuitis epulonis inhumanitas, qua lapideum hoc pectus emollitretur. Et ſi intermortua mendici vox ad occluſas aures peccatoris illius immiſericordis non penetraret, tanta ſaltem oris multitudo, quanta erat vulnerum quibus ſaucius languebat, miſericordiam poſtularet, pietatemque exigeret; & quem languenti inferni vox non euincebat, viſus tamen tot plagarum & ſanguinis ex illis defluentis mitigaret. O quàm penetratiuas, ſub hoc tempus emittunt voces vulnera illa noſtri Saluatoris, ſuorumq; fidelium prouocant animas. Quales inſpirationes dolorum triſte illud ſpectaculum, & funeſta pænarum tragædia, ad Chriſtianum cor hodiè tranſmittit. In nobis itaque eluceſcat pietas & compaſſio, ratio quippè hoc nobis ſuadet, vt per compaſſionem id in nòbis ſentiamus, quod noſtri gratiâ Chriſtus tolerat, ne noſtra adeò ſit infauſta ſors, ſicut fuit auari illius & immitis epulonis, qui ob defectum pietatis in æternum perijt. Cumulauit te Deus è homo magnis opibus, dedit tibi abundantiam frumenti, & panis temporanei, vtere in ſudore vultus tui, & in profunda humilitate gratum te tanti bebeficij præbe. Vides interdum pauperem mendicum, inſtar Lazari ad ianuas tuas iacentem. *Frange eſurienti panem tuum.* (Iſaiæ 58.) Iſaiæ 58. Vides inopiâ laborantem proximum: *Panem tuum cum egenis & eſurientibus comede* Thobiæ 4. (Thob. 4.) Quodſi iuxta Apoſtolum. *Charitas operatur iuſtitiam in cordibus hominum*: per talem miſericordiam tuam adimplebis Dei præceptum: Quia

A in ſudore vultus tui veſceris pane: quid enim aliud eſt in ſudore veſci pane, niſi erga ſudantes & egenos commoueri.

Alterum panem vitæ mortalium conuenientem dedit Deus homini, ſcilicet, panem Doctrinæ: per ſapientiam enim homo proximè ad DEI ſimilitudinem accedit, docente Apoſtolo: *tunc ſimiles ei erimus, cum videbimus eum ſicuti eſt*, vtique per cognitionem) Iſtius panis mentionem facit ſcriptura Eccleſiaſt: 15. (Eccleſ. 15.) *Cibauit* B *eum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum.* Hic panis eſt tantæ præſtantiæ, vt per illum & ipſa potentia diaboli ſuperata facilè cadat: nam & ipſe Chriſtus tentatus à diabolo, hoc pane eius inſultus repreſſit, inquiens: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed & in verbo Dei.* (Matth. 4.) Verbum autem Dei quid eſt, niſi panis ſapientiæ. Porrò panem hunc diuiſit Deus in tres partes, in credenda, agenda, & fugienda. Si ergo homo omnes articulos fidei ſponte & prompto corde C credit, idq; exequitur credendo, quia Deus eſt; id eſt munificus remunerator bonorum, & ſeuerus vltor malorum; ſi ſuopte nutu recipit omnia agenda, viuendo iuxta Dei voluntatem, & omnia ſua facta eò dirigendo, vt illis quàm optimè de Dei maieſtate poſſit mereri: ſi demùm ſagaci oculo reſpicit fugienda quoq;, cauendo ſibi ab omnibus occaſionibus peccandi; nam qui ſe periculo peccandi exponit, eo ipſo peccat; viam ſibi ad æternitatem ſternit. Vnde quoni- D niam panis iſte doctrinæ ducit hominem ad omnem perfectionem, theſauros opulentiſſimos animæ ei⁹ confert. *Iucunditatem & exultationem theſaurizate ſuper eam, & nomine æterno hæreditabit illum.* Panis iſte confert homini tantam prærogatiuam; vt illum ab omni impietate & maledicta ambitione præſeruet: *Longè enim abeſt à ſuperbia & dolo.* Effert hominem ad ipſum vſquè inacceſſum diuinitatis ſolium *Succeſſum habebunt vſq; ad inſpectionem Dei.* Proinde æquum eſt vt panem iſtum doctrinæ, omni cura & ſollicitudiue

tudine quiſpiam mortalium quærat, A incitante nos ad id Salomone Sap. 6. Sapien. 6. *Diligite ſapientiam vt in perpetuum regnetis.* Antea mundus ſummè infelix habebatur, quamdiu inopiâ panis ſapientiæ laboraret: Threṇ. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Threnorum 4. Nunc verò ita Deus mundum iſto pane ditauit, vt nemini deeſſe poſſit: frangitur enim modo panis iſte paruis & magnis, pluſquam velint.

Tertium panem in cibum & ſuſtentationem animæ dedit Deus homini, panem pœnitentiæ; de quo Pſalmiſta loquitur. *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura.* O felicem panem! per quem homo vitam amiſſam iterum recuperat: pœnitentia enim nos reconciliat Deo, & gratiam animæ viuificatiuam confert. Cedant hic ſubtiles Philoſophiæ mundanæ rationes, quibus probari ſolet, *à priuatione ad habitum non dari regreſſum*: quando pœnitentia ſancta eſt tantæ energiæ, vt homini vitam ſemel amiſſam ſcilicet gratiam ſanctificantem, reſtituere valeat. *Si pœnitentiam non egeritis omnes ſimul* Lucæ 13. *peribitis.* Lucæ 13. Qui ergo vult conſequi vitam æternam, pane hoc in humilitate veſcatur neceſſe eſt: corrumpitur enim pœnitentia & auſtera vita per fermentum vanæ laudis vel admixtæ amabilitatis vel ſeruilis timoris. Si enim pænitentia ſancta in tribus fundamentis ſita eſt, ſcilicet in contritione, confeſſione, & ſatisfactione. Ergo homo qui vult panem hunc ſalutis mereri apud Deum, debet tantum Dei fauorem quærere non in fermento ſeruilis timoris, ſed ſponte ex amore erga Deum, dolendo id ex toto corde quòd ſummam illam bonitatem ſuper omnia ſemper amabilem peccando offenderit. Hoc conſilium dat ſcriptura peccatori Deuto- Deut. 16. ronomij 16. *Septem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem*: id eſt; toto vitæ tempore, quod ſeptem voluitur diebus. Conſiſtit pœnitentia in hoc altero fundamento, in confeſſione; vt homo non ſolùm corde, ſed A etiam ore confiteatur ſuam iniquitatem. Conſiſtit demùm & in ſatisfactione, quæ fieri debet per varias corporis mortificationes, & eleëmoſynas, iuxta illud Eccleſiaſt: 28. Eccleſ. 28. *Conclude eleëmoſynam in manu pauperis, & ipſe pro te exorabit.* Tum etiam per ieiunium, per quod vitiorum ſpinæ in roſas virtutum conuertuntur.

Quartum panem propoſuit DEVS homini in ſanctiſſima Euchariſtia 1. Corint: 11. 1. Cor. 11. *Quicunq; manducarit panem hunc, & biberit calicem Domini indi-* B *gnè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quare vt dignè homo comedat panem hunc, debet ſe ipſum dijudicare in ſumma manſuetudine. Sed pauci admodùm tales reperiuntur, vt dicitur 2. Reg. 12. 2. Reg. 12. *Pauper vnam ouem habebat paruulam, quam emerat, & nutrierat, quæ erat de pane illius comedens, & de calice bibens.* Vbi paucitas dignè comedentium panem Euchariſticum figuratur: vt proinde Chriſtus pauper dicatur reſpectu manducantium; diues autem diabolus reſpectu impro- C borum.

Sciſcitantur plerique, cur Chriſtus Dominus Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui, & in pane inſtituerit, & panem vocauerit. Ioann. 6. Ioann. 6. *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit.* Sed facilè reſolui poteſt dubium; attendendo ſpecies panis, ſub quibus velatur, ſeu ad materiam eiuſdem panis, quem elegit ad inſtituendum hoc ſacramentum. videlicet vt nos edoceret illud eſſe ſacramentum charitatis, & vinculum perfectionis. An non videtis vnio- D nem, quàm inter ſe habent plurima tritici grana, ſi in mola conterantur, & plura acina, ſi in torculari exprimantur. Ex multis granis panis conficitur, & ex multis acinis vinum exprimitur: in tantam enim vnionem grana contrita atq; confracta conueniunt, & ita vnita omnia fiunt, vt vnum ab alio diſcernere nequeas. *Si ergo* (concludit Franconius Abbas Francon. tomo 2. de gratia Dei) *ita vniuntur atq; indiuidua ſunt, quæ de terra oriuntur; quantò magis ea, quæ de grano Euangelico, & ſemine diuinæ benedictionis* *naſcun-*

naſcuntur. Quaſi apertiùs diceret, ideò A Chriſtum Saluatorem elegiſſe materiam panis ad inſtituendum hoc ſacramentum, propter multitudinem granorum, ad denotandam animorum vnionem & concordiam, quam hæc ſacroſancta menſa requirit.

Quintum panem Deus homini dedit gratiam ſanctam, quæ omnem turpitudinem in anima hominis abolet, & exornat illam candore amicitiæ Dei: *Gratia Dei cùm eſſemus mortui peccatis carnis, viuificauit nos in Chriſto, cuius gratiâ eſtis ſaluati.* inquit Apoſto- B lus. Hic panis corroborat hominem Pſal. 103. in Dei charitate. Pſal. 103. *Panis cor hominis confirmat.* Quodſi Angelus Dei bis Eliam de ſomno excitabat, vt comederet panem, in cuius fortitudine quadraginta diebus ambulauit. 2. Reg. 19. ſub tempus quadrageſimale bis quoque excitat Deus hominem de graui ſopore peccatorum; primò per gratiam præuenientem Apo- Apocal. 3. cal. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Vnde ſanctus Celeſtinus epiſt: 1. ad Epi- Celeſtinus ſcopos Galliæ cap. 12. ſic dicit: *Agit* C *Deus in nobis, vt quod vult, & velimus & agamus.* Et comprobat S. Bernardus. *Hæc* inquit, *tria Deus in nobis operatur, cogitare, velle, & perficere*: & primùm ſine nobis ſecundùm nobiſcum, tertium per nos. Excitat nos iterum Deus per gratiam cooperantem, ne homo deficiat in ſuo propoſito bono, quemadmodùm docet Diuus Auguſt. Auguſt. *Vt velimus.* inquit *ſine nobis,* operatur, cum autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur; ita vt ſine illo vel operante, vt veli- D mus vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.

Magnam itaq; Chriſtus prouidentiam & ſollicitudinem demonſtrauit, dùm populum ſuum ieiunijs & mortificationibus feſſum reficere volens, diem hodiernum, diem roſæ nobis exhibet, id eſt; diem lætitiæ, quàm roſa monſtrat. Tum ideo, vt quemadmodùm roſa continet aureum colorem, floris pulchritudinem, & fragrantiam odoris: ſic Eccleſia agnoſcat in Chriſto tres quaſi ſubſtantias, A ſcilicet; ſacratiſſimum eius corpus immortale: *Semel enim mortuus ampliùs non moritur.* Quod ſignificatur per colorem aureum. Deinde animam odore virtutum omnium plenam, quæ ſignificatur per floris pulchritudinem: tandem diuinitatem; quæ ſignificatur per odorem. Expoſuit ergo nobis hodiè quinq; panes, naturæ, doctrinæ, pænitentiæ, Euchariſtiæ, & gratiæ. Vt homo hiſce panibus abundè ſatiatus, quinque ſenſus in omni abſtinentia conſeruet, iuxta conſilium ſcripturæ, B Iudicum 7. vbi legitur, quòd panis ſubcinericius caſtra Madian ſubuertere per ſomnium videbatur. Caſtra Madian Catholici mei ſunt quinque ſenſus noſtri contradicentes rationi frequenter. Vtere igitur Chriſtiana anima his quinq; panibus hordeaceis quia in tribulatione: vtere in remedium quinq; ſenſuum; vtere in recogitationem Chriſti vulnerum; vtere credendo in Deum, fugiendo vitia, agendo bona, deteſtando ſuperbiam, & humilitatem appetendo.

C

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVARTA.

Ieſus ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. *Ioann. 6.*

Chriſtus nos ſuo exemplo ad reſolutum certamen cum diabolo allicit, & ieiunio armari vult.

D

DVo in hodierno Euangelio obſtupeſco, Chriſtum videlicet principatum fugientem, quem ambire hominibus innatum eſt; & Iudæos Chriſtum in Regem violenter aſſumere volentes. Et quidem quòd Chriſtus regnum Iudæorum abnuat, nō tantoperè mirandum, cùm ſint abiectiſſimi inter omnes; excelſo autem animo ſordidæ genti dominari ignominioſum eſt. Quid enim in Iudæis non muliebre, infirmum, imbecillum, &

Zz vile

Rupertus.

vile apparet. Ait Rupertus lib. 8. in Geneſim cap. 8. *Infirmum genus eſt, reproborum Iudæorum, cunctiſq; hodiè populis imbecillius, & vbiq; diſperſum, multa tributa ſoluit dominis ſuis, & Regibus.*

Iudæi ante Chriſtũ glorioſi, poſt Chriſtũ opprobrio dati.

Cantatiſſimus erat populus Iudæorum ante Chriſti aduentum ob prælia, quia tot nationes ſubiugauerat, tot duces validiſſimos parturiuerat, tot hoſtium ſpolijs diuinas aras ornauerat. Ille inquam populus qui etiam captiuus viros fortiſſimos edebat, vt Mardocheos, qui Principi Amano reuerentiam negabat, ne aliquem præter Deum videretur adorare. Sed poſt Chriſti aduentum ita effeminatus, & infirmatus eſt, vt nihil in ſe fortè, nihil virile oſtendat; verùm ab omnibus nationibus contemnatur, & vel ad vnius pueruli vocem procumbat humi, & propter exiguum obulum adoret quemlibet Dynaſtam: ita enim in viliſſimã deuenerunt infirmitatem, vt eis & vires, & fama, & omnia deſint. Accipite huius rei luciſſimam vmbram ex ſacra pagina. 2. Reg. 15. Quando Dauid Rex deſeruit ciuitatem Ieruſalem, vt ſibi per fugam conſuleret à rebellis filij facie, ſolas mulieres in ſuo palatio reliquit 2. Regum 15.

2. Reg. 15.

Egreſſus eſt ergò Rex, & vniuerſa domus eius pedibus ſuis: & reliquit Rex decem mulieres concubinas, ad cuſtodiendam domum. Egregia ſanè cuſtodia à prudentiſſimo Rege domui ſuæ præpoſita: vbi validiſſimus exercitus collocari debuit, ibi Rex Dauid imbelles mulieres reliquit. Quis obſecro Monarcha tempore grauis, & periculoſi belli, decem mulieres pro cuſtodia domus ſuæ aduerſùs hoſtes flammantes ponere ſolet? Agnoſcite myſterium: non dicitur Rex Dauid poſuiſſe mulieres pro cuſtodia, ſed reliquiſſe eas, in quo hodiernum Chriſti factum ad vnguem figurabatur. Videns enim Chriſtus gentem Iudæorum ſordidam, effeminatam, contemptibilem, non virorum, ſed mulierùm imbellium nomine dignam, ſpreuit eius principatum: quia tantum Principem viliſſimæ genti imperare non decebat. Sic diſcurrit Petrus Damianus lib. 2. epiſt: 20.

Petrus Damianus.

Saluator inquit *noſter reliquit in domo Regis Iudæos, non viriliter incedentes; ſed muliebri conuerſatione viuentes.* Quid nunc ſunt Iudæi, niſi errabundæ oues? qui derelicti a Chriſto, per orbem vagantur, qui non ſolùm ciuitatem, & potentiam amiſerunt, ſed etiam penitùs exuerunt ingenuitatem; roburque virile, & ſub muliebri infirmitate degunt vbiq; timidi, & viles, ac deſpicabiles. Cæterùm, quòd Iudæi Chriſtum in Regem repoſcant, quis non veſperas ſiculas cantari crederet, cùm hoſtes eius capitaliſſimi ſint, Quidnam ergò permouerit Iudæos, ad regiam dignitatem Chriſto deferendã, in hodierna concione oſtendam.

Iudæi ob præſtitam panis copiã Chriſtum Regẽ cõſtituere volebant.

Vnde tanta Iudæorum propenſio in Chriſtum ſit, reſoluit hodiernum Euangelium: *Illi ergò homines, cùm vidiſſent, quòd faceret Ieſus ſignum*: nimirum, quia quinq; panibus propè quinq; millia hominum ſaturauerat. Quid eſt hoc? profectò copioſa, & ſæculis inuiſa miracula antea patrauerat Dominus; & tamen nulli in mentem venerat eum conclamare principem, & inaugurare Regem. Alibi leproſos curabat, vim inferebat ſepulchris, inuitos depellebat dæmones; non tamen populi Regem geſtiebant eum conſtituere, nec ad thronum moliebantur rapere? cur ergò hic regalem agnoſcunt teſſeram, & felicis imperij normam? Ne miremini: alibi enim vni, aut alteri morbido afferebat medelam; hic autem omnibus prouidit remedium contra vrgentem inopiam, hic vtrumq; coniunxit, cœleſti ſcilicet illos doctrina excolere, & alimentis opportunis ad vitam ſubuenire. Proinde regem illum conclamant, quia vident optimi regiminis politiam, ſcilicet doctrinam & alimoniam. Qui enim multitudini præeſt, & doctrinâ debet paſcere, & humanis etiam commodis ſtudere. Saturitas igitur fecit Iudæos venire in cognitionem regaliſſimi Prophetæ à Deo promiſſi, qui eos iuxta Michææ vaticinium feliciter regeret, ac duceret. Vt obſeruat Euthymius in citatum locum

Euthymius.

locum. *Cùm autem* inquit *impleti ſunt, tunc hunc eſſe Prophetam dixerunt, qui ex Moyſis promiſſione ab eis expectabatur.* Ergo ſaturitas panis tantùm valet apud homines, vt ex illo præſtito Iudæi in notitiam Chriſti deuenerint? Equidem ita fatetur Euangelium ſanctum: *Accepit Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus, quantum volebant.* Vbi Baſilius Seleucienſis, ingenioſus arcanorum indagator expendit, Iudæos Chriſtum in Regem poſtulaſſe, ob præſtitam panis copiam, quæ non ſine magno labore comparatur. O quam multa hominum paſtum antecedunt! terra aratro proſcinditur, ſemine proſciſſa ditatur, pluuijs madet, ventis alibilibus eget, tempeſtatum expectat viciſſitudines, lunæ deſiderat varietates, & ſexcenta alia, quæ vel relata fatigant. vnde quia Iudæi apud Chriſtum in deſerto, ſine retium iactatione, ſine vndarum periculis, ſine aratri ſudoribus, panis copiam habebant, & piſcium; ideò Chriſtum Regem depoſcebant. Dicit S. Baſilius orat: 33.

S. Baſilius.

Panes pariebant panes, & menſæ alimento extemporario differtæ erant: panes abſq; ruſticano ſudore parti, non de ſpicis erumpebant, ſed de Domini manu effloreſcebant. En quantum poteſt panis ſaturitas: hinc ortum eſt illud prouerbium *pane, & ſale homines ſibi conciliant amicos*: imò & ora murmurantium obturant, iuxta illud Pſalmo 58.

Pſal. 58.

Cùm ſaturati non fuerint, murmurabunt. Cui hæc ad oculum non patent in ipſa Polonia noſtra; vbi toties conuentus nobilitatis turbantur, toties generalia diſrumpuntur comitia, vno etiam ex nuntijs terreſtribus reclamante, ac proteſtante, cui poſtquàm ab aula pinguis offa vacantis alicuius dignitatis offertur, ſtatim more Demoſthenis anginam pati, & obmuteſcere ſolet.

In Polonia denegata vacans dignitas comitiarum ſit.

Quod pulchrè quidam inter ſua ſymbola expreſſit, depingens ruſticum digito os comprimentem, hac appoſita inſcriptione: **Non amplius loquar.** oſtendens homines loquaces, & murmurantes, imò etiam inimicos, pane præſtito mutos, & elingues reddi.

Reuocate vobis in memoriam, colloquium Samaritanæ mulieris cum Chriſto, venerat ille in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, vbi erat fons Iacob, & fatigatus ex itinere, petijt aquam ſibi dari à muliere, dicens: *Da mihi bibere.* Quod fecit eo fine, vt ibi copioſum liberalitatis miſericordiæq; fontem offerret, vbi Ioſephi magni, & Deo dilecti Patriarchæ corpus ſepultum erat, vt indicat ſacer textus Ioſue 24.

Ioann. 4.

Ioſue 24.

Oſſa quoq; Ioſeph, quæ tulerant filij Iſraël de Ægypto, ſepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in poſſeſſionem filiorum Ioſeph. Sichem enim, & Sichate, eandem ciuitatem eſſe tradit Lippomanus. Ibi ergo, vbi reliquiæ ſancti Ioſephi depoſitæ erant, Chriſtus vt ſuam miſericordiam largè diffunderet, aquam à muliere petijt, non vt ſitim ſuam extingueret, ſed vt fatigatos reficeret. Vt ingenioſè diſcurrit S. Ambroſ: lib. 5. de fide cap. 2.

S. Ambr.

Petit inquit *bibere ſitientibus potum ſpiritualem daturus eſurit, cibum ſpiritualem eſurientibus: traditurus: ſepelitur reſurrecturus: tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes; cælum caligine obducit, vt illuminet: terras tremefacit, vt ſolidet: maria conturbat, vt mitiget: reſerat tumulos mortuorum; vt oſtendat domicilia eſſe viuorum. Creatur ex virgine, vt ex Deo natus eſſe credatur: neſcire ſe ſimulat, vt ſcire faciat neſcientes: adorare quaſi Iudæus dicitur, vt quaſi verus Dei Filius adoretur.* Paruitne tunc eius poſtulatis? minimè: imò mille obtendit difficultates, ne parum aquæ Ieſu exhiberet, dicens:

Ioann. 4.

Quomodò tu Iudæus cùm ſis, bibere à me petis, quæ ſum mulier Samaritana. Poſtquàm verò Chriſtus reſpondit: *Si ſcires donum Dei, quia qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Ecce tibi mulier, quæ antea Chriſto tuiſabat, negabat aquam, Iudæum cognominabat, modò Dominum confitetur: *Domine da mihi hanc aquam.* Gauſa non alia, niſi quia de dono audiuit, quod ſperans, altiori titulo Ieſum honorare voluit. Imò adhuc addit ſacer textus.

Ibidem.

tus. *Reliquit hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus : venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunq; feci, nunquid ipſe eſt Chriſtus.* Ecce quæ tam ſtricta fuerat in præſtando aquæ potu, modò tam liberalis eſt in annuntiando Chriſto, vt omnibus Sicharis ciuibus illum annunciet, ſcilicet doni mentione allecta, ita religioſa facta eſt. Sic reſoluit D. Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 99. *Non aquam* ait *à terreſtri hauſit fonte, nec terreſtrem hydriam domum reportauit, ſed cœleſti Saluatoris gratiâ, & doctrinâ plena, ad ducendos alios fuit profecta.* Simili modo Iudæi, quia à Chriſto panibus ad ſatietatem repleti ſunt, ideò Regem illum volebant conſtituere.

Cyrillus.

Tendebat Iacob ad ſui auunculi domum, iram fratris prudenter effugiens, cumq; ſomnus, & itineris labor ligarent ſenſus, conſulerentq; defeſſos quiete fouere artus, obdormiuit ſub dio, duriſſimo lapide pro puluino plumeo capiti ſubiecto. Interim dùm frigida humo decumbit corpus, cœleſtia intuetur agmina, ſcalam videt à terra, vſq; ad cælum protenſam, ſacra illi referantur arcana, & humanæ cupiditatis metas, audit ſupergredientia promiſſa à Deo ſibi facta. *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac ; terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo.* Geneſ: 28. Statim expergefactus mane, votum vouit grati animi ſignum, ſed ad ſpeciem minus cordatum : *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Miratur Lyranus, quomodò Iacob pro pane votum facere non erubuit. *Ridiculum* inquit *eſſet, quòd hoc votum vouit Domino : quia credere Deum eſt de neceſſitate ſalutis.* Dominum in Deum illi eſſe, lex decernebat naturæ, nec erat optioni locus, quando cæli terræq; vnicus, & ſimpliciſſimus colendus, & adorandus eſſet Deus. Cur ergo vouet ſeruire, cur promittit adorare, cui naturæ tenebatur legibus obſequi ? Excuſat tamen Lyranus Iacobum, oſtendens illum vouiſſe ſpecialem cultum, & modũ colendi Deum, quod optimè ſub liberam promiſſioné voti cadere poteſt. Licet ergò Dei cultus non eſſet liber ; tamen de arbitrij voto, voluntatis decreto, neſcio quas vires ſugebat, vt Iacob ſtudioſiùs Deo inſeruiret, & religioſiùs obtemperaret. Quemadmodùm docet ſanctus Tho: in eundem locum his verbis : *Nec eſt ſuperfluum hoc, quia tunc ex hoc fit maior obligatio hominis ad Deum, & alter modus obligandi : primus enim modus ſolùm erat debitus, & ab altero impoſitus, & merè neceſſarius. Secundus verò, dùm ſcilicet accedit votum, eſt gratuitus : & à propria voluntate aſſumptus, & oblatus.* Moxq; ſubdit : *Et ideò includit maiorem applicationem voluntatis.* Naturæ ergo lege tenebatur Iacob, Deum orbis conditorem cœli victimis colere, & obſequijs adorare, ſed niſi arbitrij acceſſiſſet decretum, lentiùs exhibuiſſe officium ; dùm autem decreuit ipſe, & voluntas applicata eſt, iucundiùs, & obſequium exhibitum promptiùs. Nam homines non ita ſtudioſè rationis parent mandatis, vt proprij arbitrij decretis.

Geneſ.28. Ibidem. Lyranus. S. Thom:

Et certè quis non videt, propriæ voluntatis artificio emolliri dura, eaquè videri facillima, cùm id ſacer textus palam inſinuet. Cantic. 5. Placidos ſomnos capiebat ſponſa, cùm ſponſus noctis humore madidus, & labore itineris feſſus, portam ſibi aperiri vellet. *Ego dormio, & cor meum vigilat : vox dilecti mei pulſantis : Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea : quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Vbi humanitas cogebat ſubuenire afflicto, & ſponſa tenebatur obedire mandato. Non erat arduum oſtium aperire, cùm & ſponſi iuſſio, & ipſa compaſſio videretur vrgere. Quid verò illa tunc ? mille excuſationes prætendit, & ne ſomni vel tantillum interrumperet delicias, friuolas colorauit cauſas : *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa ? laui pedes meos, quomodò inquinabo illos ?* Videte, quàm cunctanter iuſſa exequatur,

Cantic. 5. Ibidem.

tur, quæ tamen poſtea per plateas, vicoſq; ciuitatis anxiè diſcurrebat, & vulnera patientiſſimè tolerabat, vt fatetur ipſamet. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatẽ, percuſſerunt me : & vulnerauerunt me : tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectũ meum, vt annuntietis ei : quia amore langueo.* Inquirite ſi lubet, cur ſponſa paucos antea greſſus ponere vocata renuerit ; quæ tamen poſtea non vocata, nuditatem plagaſq; tulit, & ciuitatis vicos peragrauit. Vtiq; duriùs erat amittere pallium, quàm corpori circumieciſſe ornamentum ? laborioſiùs per ciuitatis vicos, noctis caliginibus impeditam excurrere ; quàm paruæ domus oſtiolum reſerare. Cur ergo ſi detrectauit facilia, amplexa eſt duriora ? cauſam tacitè reddit ſacer textus : quia alibi vocantis vrgebatur præcepto : *Aperi mihi ſoror mea ;* hic autem propriæ voluntatis mouebatur arbitrio : & licet fuerint hæc difficillima, tamen vt dulciſſima deuorauit ; illa verò quæ profectò facillima erant, tanquàm mille implexa difficultatibus recuſauit. Vt egregiè incitatum ſcripturæ locum diſcurrit ſanctus Gregor: *Ad votum* inquit *ſuum hoc, quod inuocat, non occurrit : reſtat ergo vt in ſe reuertens ſe cognoſcat, & per ſcripturas ſanctas dilectum ſuum magis ac magis illo guſtu adiuta perquirat :* & hoc eſt quod ſequitur : *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem.* Quaſi diceret ; ſponſus antea vocabat, modò nec ad ſponſæ votum reſpondit ; verùm dùm ipſa inquirendi ſtimularetur voto, nullo deterrebatur damno. O quam promptè homines Deum quærunt, dùm volunt ; quàm verò lentè, dùm debent ! lex excuſationibus frequenter differtur, præceptum extrahitur ; ſed voluntatis citò impletur arbitrium, & arbitrij non differtur votum. Proinde ne & Iacob in Dei obſequio pigritaret, voluntaria promiſſione ſeipsũ obſtrinxit ; quo promptiùs & alacriùs Deum obſequijs honoraret. Haud ignorans propriam voluntatem ardua quæque mollire, promptiuſq; obtemperari propriæ voluntatis conſilio, quàm legis aut naturæ præcepto.

S. Gregor.

Et ne longiùs abeamus à ſcopo, offert ſe vlterior iſtius veritatis comprobatio, quòd videlicet pane maximè excitetur homo, ad cognoſcendum Deum. Apparuerat Dominus Ieſus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis, in Emmaus euntibus, ſed non agnoſcebatur, in tantumquè fuit illis incognitus, in quantum non ventum eſt ad fractionem panis. Vbi autem diſcumbens cum illis, panem accepit, & fregit Lucæ 24. *Statim cognouerunt eum in fractione panis.* Cur qui ignorabatur in viæ comitatu, in confabulatione, in explicatione ſcripturarum, ſtatim fecit ſe agnoſci in fractione panis ? Reſpondet Drogo Oſtienſis ſermone de Sacramẽto Paſſionis, quia in illa fractione panis, & Sacramentum Euchariſtiæ in pane inſtitutum, & ſuam paſſionem illis aperuit. *Vbi* ait *tandem agnouerunt eum ? in fractione panis, & verè non cognoſceris Domine, niſi in fractione panis. Panis caro tua eſt, fregiſti manibus tuis corpus tuum, quia poteſtatem habebas ponendi animam tuam : fregiſti corpus, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat, niſi enim patiaris, non cognoſceris.* Tunc ergo Ieſus ſe facit agnoſci, cùm panem exhibet indigentibus, cùm ſe in morte quaſi confractum oſtendit : nullibi enim clariùs apparet, qualis quis ſit ; quàm dùm ſub vmbris mortis fuerit, nec Deus magis cognoſcitur, quàm dùm famelicis panis copiam præbet.

Lucæ 24. Drogo Oſtien.

Reuocate vobis in memoriam ſtupendum illud factum, Exodi 16. Poſtquàm eduxerat Moyſes filios Iſraël de Ægypto, cœperant contra ipſum murmurare. *Et murmurauit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen, & Aaron, in ſolitudine.* Quod cùm audiret Deus, ait ad Moyſen : *Audiui murmurationem filiorum Iſraël, loquere ad eos : veſperè comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus.* Inauditum profectò conuiuium, veſperè carnes promiſit Deus, & nonniſi manè panem :

Exodi 16.

quis enim carnes ſine panibus comedere ſolet, niſi gulonis nomen mereri velit? Equidem non ob aliam rationem, niſi quod Iudæi Chriſtum non aliter cogrituri eſſent, prætèrquàm orto manè, hoc eſt, illuceſcente Euangelij luce, & pane Euchariſtiæ in ſalutem animarum inſtituto. His ergò Sacræ Scripturæ verbis, explicabatur filij Dei aduentus in carnem ad veſperam mundi. Sed quando ad mundi veſperam verbum caro factum eſt, ſimul additur, quòd mane nos ſaturabit cœleſti pane, cùm ipſe & caro factus ſit, & panis cœleſtis. Et quid veſper cum mane? ſi veſpertinis tenebris ades Domine, quale mane in veſpere erit? venit equidem Dominus veſpere, imò media nocte venit, ſed cùm eximiarum virtutum opera cœpit exercere, quaſi ſol in mundo, ſic tenebras in dies clariſſimos conuertebat. Vt exponit Origenes homilia 7. in Exod. *Quomodò dicit mane dari hunc panem, cùm aduentum eius in carnem factum dixerimus ad veſperam? Hoc modo intelligendum puto, quòd ad veſperam quidem vergentis mundi Dominus venerit, ſed aduentu ſuo, quoniam ipſe eſt ſol iuſtitiæ, nouum credentibus reparauerit diem.* Quia ergò nouum ſcientiæ lumen mundo accendit, ſuum quodammodò mane effecit, & ſuum mane tanquàm iuſtitiæ ſol produxit, & in hoc mane replentur panibus, qui eius præcepta ſuſcipiunt. Faciebat ergo Ieſus in carne ſua tot claros dies, quot præcepta vitæ, quot exempla præſtabat virtutum, & ex hoc maximè cognoſcitur verus Deus, ac Dominus omnium, quia panibus replet orbem terrarum, quorum copia animos hominum ad ſe trahit.

Origenes.

Vltimi iudicij ſpeciem Chriſtus proponens, electorum ac reproborum cauſam ita aperit, ac decidit: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere.* E diuerſo quoq; dicit reprobis. *Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum: Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum.* Obſtupuit vehementer Chryſologus ſanctus ad hæc verba, quaſi Chriſtus non poſſet alium quempiam nominare, niſi panis largitorem. Ergone Chriſte Ieſu obliuiſceris tot ſtrictam paupertatem profitentium, qui non habent, vnde panem erogent. Ergonè iam omnium criminum obliuiſceris? nec furta, nec adulteria, nec homicidia commemorabis, niſi ſolam panis negotiationem. Reſpondet ad hæc Chryſologus in Pſalm. XL. ſerm. 14: Chriſtum in die iudicij, poſtpoſitis alijs meritis, & demeritis, ſolam miſericordiam, & immiſericordiam exaggeraturum. *Quòd* inquit, *Abel paſſus ſit, quòd ſeruauit mundum Noë, quòd Abraham fidem ſuſcepit, quòd Moyſes legem tulit, quòd Petrus crucem reſupinus aſcendit, Deus tacet; & hoc clamat ſolùm, quòd comedit pauperum panem.* Alij cenſent Chriſtum hoc ideò feciſſe, vt oſtenderet, auaritiam inter omnia crimina capitaliſſimum eſſe. Proinde quia diuitijs affluentes miſericordiam colorant, quaſi Deus, qui opulentiam dedit, minimè egeat, vt ei retribuatur, ita ſatisfacit Saluianus. *Sed Deus* inquit, *non eget retributione. Non eget enim iuxta potentiam ſuam, non eget ſecundùm maieſtatem ſuam; ſed eget ſecundùm legem ſuam: & in ſeipſo quidem non eget, ſed in multis eget: non quærit in ſe munificentiam, ſed in ſuis quærit. Et ideò non eget quidem iuxta omnipotentiam, ſed eget iuxta miſericordiam; non eget deitate pro ſemetipſo, ſed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios & largos diſpenſatores Deus? venite benedicti, poſſidete regnum Patris mei: eſuriui enim & dediſtis mihi manducare.* Ecce tibi cui debito oberratus quiſque à Deo diuitias accipiat, non quaſi Dominus earum medullas exſorbens; ſed tanquàm fidelis diſpenſator, eas Chriſto Domino in pauperibus reſtituens. Hac igitur retributione Chriſtus eget, qui ea lege diuitias quibuſdam largiùs dedit; *Non enim eget Deus iuxta potentiam ſuam, ſed eget iuxta præceptionem ſuam: non eget ſecundùm maieſtatem ſuam, ſed eget ſecundùm legem ſuam, & in ſeipſo quidem non eget, ſed in multis eget.* Ecce diuina omnipotentia, & maieſtas Dei, nulla re ſibi indigens; diuina tamen pietas, & beneficentia indiget; hac lege quoſdam ditat, alijs depauperatis, vt quod in illis exundat, in hiſce affluat. Vbi Deus indigentiam arcet, non in ſe, ſed in ſuis: non in potentia, & maieſtate; ſed in noſtra egeſtate. Addit idem Author; *Solus cum eſurientibus eſurit Chriſtus, ſolus cum ſitientibus ſitit. Et ideò quantum ad pietatem illius, pluſquàm cæteri eget: omnis enim egeſtuoſus pro ſe tantùm, & in ſe eget: ſolus tantum modò Chriſtus eſt, qui in omnium pauperum vniuerſitate mendicet.* Chriſtus itaq; ſolius panis erogationem in die iudicij commemorare vult, vt nos ad largam eleemoſynam incitet quaſi ipſe in cœlo panem manducet, quem percipit pauper in terra.

Matt. 24.

Chryſol.

Auaritia maximũ crimen.

Saluian.

Idem qui ſupra.

Cùm itaque non ſolùm homines, aliorum animos pane ſibi concilient; ſed & ipſe Deus. ideò Dei miſericordiam æmulantes, date panem pauperibus, date veſtimenta, concedite loca in domibus veſtris, & ſic Deum non iudicem, ſed debitorem habebitis, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVINTA.

IESVS ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem.

Iudæos panis copia à Chriſto præſtita traxit, vt eum in Regem depoſcerent.

SVmmam Iudæorum ingratitudinẽ erga Deum, admiratus D. Chryſoſthomus, homil. 1. aduerſùs Iudæos, dicit eos tantæ ſemper exſtitiſſe peruicacitatis, vt totis viribus nollent vnquàm, quod velle cognoſcerent Deum; & è contra volent, quod Deus nollet. *Iudæi* inquit *ſemper fecerunt, quæ Dei placitis aduerſata ſunt: etenim cum illos volebat ieiunare, tunc incraſſabantur, dilatabanturq; rurſùs vbi non volebat eos ieiunare, mordicus tenebant ieiunium: cùm vellet eos victimas ſibi offerre, ad ſimulachra properabant; cùm non volebat eos feſtum diem celebrare, ſtudio feſtum diem agebant.* Quod vel ex illa erectione idoli, ad cuius fabricationem, Aaron inaures aureas ab eis requiſiuit. Et quidem vt obſeruat Caietanus, non quodlibet aurum petijt, ſed vxorum, filiorum, filiarumq;. *Tollite* inquit *inaures aureas, de vxorum, filiorumquè, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Exodi 32. Vt ſcilicet diſſenſio domeſtica, in domo qualibet oriretur, reluctantibus mulieribus, ac pueris. Nam vt obſeruat Lyppomanus in catena, verbum illud *tollite,* non ſolùm ſonabat idem, quod auferte; ſed etiam idem, quod confringite, diuidite, ſeparate, diſſoluite, dilacerate, excutite, ita vt nulla ampliùs recipiendi ſpes remaneret. Et tamen & mulieres, & pueri promptè dederunt, libentiſſimè obtulerunt, licet rem adeò difficilem. Ait S. Auguſt. in quæſtionibus ſuper Exodum. *Non abſurdè intelligetur difficilia præcipere voluiſſe* (puta Aaron) *vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret; factum tamen illud ipſum difficile, vt eſſet aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putaui, qui contriſtantur, ſi quid tale propter vitam æternam diuinitùs fieri, vel æquo animo tolerari iubeatur* En quam magna facilitate, ſumma promptitudine, ac lætitiâ, rem adeò difficilem Iudæi præſtiterunt, vt hinc facilè cognoſcamus, nihil eis vnquàm cordi magis fuiſſe, quàm derelicto vero Deo, ad falſos ſe conferre. Tranſite hinc mecum ad nouum teſtamentum, in quo S. Ioannes non minorem Iudæorum barbariem in Ieſum recenſet. *In propria venit; & ſui eum non receperunt.* Id eſt in mundum, quem ipſe fecerat, venit per carnis aſſumptionem, vt ibi eſſet nouo modo. Vel vt alijs placet: *In propria venit,* id eſt in Iudæam, quæ frequenter in veteri teſtamento, terra Dei dicitur, *Et ſui eum non receperunt,* id eſt Iudæi, qui in veteri teſtamento vocantur populus peculiaris ipſius Dei.

S. Chryſ.

Exodi 32.

S. Auguſt.

Ioann. 1.

Paruane

Paruane videtur hæc Iudæorum impolities ? Dominus, & ſupremus totius mundi Rector, ac gubernator ; ille Dominus, à cuius nutu legiones Angelorum cœleſtium pendent, & omnia eius iuſſa promptè exequuntur : ille Dominus, qui populum Iudaicum per 40. annos, manna cœleſti ſuſtentabat, venit in Iudæam per aſſumptionem carnis : eum tamen Iudæi non receperunt. Sed iam forſan, hodiè meliorem erga Chriſtum induunt animum, quia illum in Regem aſſumere cupiunt ? minimè : nō enim ex virtute, verùm ex copia panum præſtita id faciunt, vt docet ſanctus Chryſoſth: in citatum locum : S. Chryſ. *Vide* ait, *quanta eſt gula virtus : non vltra eis Sabbathi tranſgreſſionis cura, non vltra zelant, ſed omnia remota ſunt ventre repleto, & Propheta iam erat apud eos, & Regem inthronizare volebant.* Quia ergò non ſincerè ſed fictè, non ex virtute, ſed ex reſpectu eum Regem conſtituere volebant, ideò Chriſtus fugit, doctrinam nobis relinquens, ne & nos ob reſpectum, ad Dei obſequia moueamur. Quod breuibus deducere conabor.

Non priùs immenſa Dei bonitas Angelos illos cœleſtes, ad obſequia ſua admiſit, quàm cum illo infernali dracone Lucipero, diuinum ambiente honorem, fortiter manus conſererent, victoriamque conſummatam reportarent. Apoc. 12. *Factum eſt prælium magnum in cœlo : Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cœlo.* Apocal. 12. Nunquàm enim Lucifer ille induxerat in animum ſuum, vt verbum veſtitum carne veneraretur. Sic natiuis intumuerat ſplendoribus, ſic ſua plenitudine obcæcatus deſipuerat, vt ſe ſupra humanatum verbum tumidiſſimè efferret. Nam hoc Luciferi fuiſſe delictum, conſtans eſt Theologorum ſententia, quam vt exprimeret Ioannes Euangeliſta pugnam, dæmonem ſub draconis habitu depinxit : *Michaël* inquit, *& Angeli eius præliabantur cum dracone.* Pugnam hanc fuiſſe mentalem, nemo dubitat : vbi ratio pro armis mentium, noſtro modo loquendo, pro ſpiculis erant diſcurſus. Verùm ſi Michaël nulla aſſumpta ſpecie pugnabat, cur Lucifer draconis, brutiq; deſumpta ſpecie decertabat. Si enim iam aduerſa fortuna fuiſſet detruſus, non mirarer illum obſcuro nomine exprimi, & indigna ſerpentis forma adumbrari ; ſed cum adhuc prælium integrū ageretur, dùm anceps victoria, & incerta pugna reſtaret, cur ignobili dedecoratus eſt ſymbolo, ſerpentiſq; dehoneſtatus vocabulo ? O ſapientiam immortalem ! ſerpens ad ſpeciem videtur eſſe prudens, re tamen brutum eſt : vt ergo oſtenderet S. Ioannes, Luciferum vmbratili tantùm fulguraſſe ſapientia ; vera autem obbrutuiſſe ignorantia, draconem eum appellauit, tacuit Luciferum. Lucifer cur à S. Ioanne draco appellat. Lucifer itaq; cenſebat, tumiditate obcæcatus, incarnato verbo obſequia nullatenùs exhibenda. Michaël verò copioſuſque Angelorum numerus teſtabantur deberi. Nihilominus ille ſuam ſententiam tueri volens obbrutuit : quia inſiſtere propriæ ſententiæ, dùm tot ſapientes, tot iuſtos contrarium amplecti videret, non erat prudentia, ſed pertinatia. Ad ſpeciem igitur vocari poterat ſapiens Lucifer, dùm oſtentaret ingenium ; reuera tamen à tot Angelis diffidens, ſe prodidit brutum: ſolus namq; inſipiens nimiùm ſuo iudicio fidit, quantumuis probatorum acies reſiſtat, & oppoſitum teneat. Ita proinde fixæ ſuæ ſententiæ inhæſerat Lucifer, vt tot contrariam amplectentibus, nullatenùs aſſentiri voluerit : & ideò draconis rationabiliter ſpecie à ſancto Ioanne deſcribitur, vt hinc euidenter conſtet, illum & vmbratili eſſe deluſum ſapientia, & brutaliſſima obſcuratum pertinacia. Eſt quippè à rationis degenerare nobilitate, & in brutorum tranſire naturam fixè adeò ſemel decretis inſiſtere, vt quantumuis alij aliter ſentiant, nolit vaniſſimus iudicium ſuum retractare.

Poſt tàm grauem igitur pugnam, & reſo-

& reſolutum certamen, boni Angeli in gratia confirmati, & ad perpetuum Dei miniſterium admiſſi ſunt. iuxta illud Pſal. 103. Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Aquila. Aquila legit *ignem impetuoſum.* Symmach. Symmachus *igneam flammā.* Videlicet Angelicū miniſterium erga diuina iuſſa, ac deſiderium, notanter cum ſpiritibus, hoc eſt ventis, ſimulq; cum ignea flamma componens : vt innuat, nihil Angelis Dei voluntatem, & imperia exequentibus velociùs, ardentiuſquè excogitari poſſe, nec fulgura dicto citiùs micare & collucere, nec rapidiſſima fulmina curſus ſuos celeriùs exequi. Hinc meritò triumphant boni Angeli, quòd ex hac victoria de dracone obtenta, ad fidele Dei miniſterium admiſſi ſint. Apocal. 12. Apocal. 12. *Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Verùm tranſite mecum cogitatione, ad certamen aliud in Regia Pharaonis, inter Magorum, & Aaronis virgas initum. Moyſes populi libertatem poſcebat, quam Pharao duriſſimus negabat : ventum eſt tandem inter Magos, & Moyſen ad prælium. Proiecit Aaron virgam, quæ ſubitò animata eſt in draconem, reptantium principem : proiecerunt pariter Magi virgas ſuas, quæ illuſorijs fraudibus, veriſq; incantationibus ſpeciem aſſumpsēre ſerpentum. Difficilis ſanè conflictus, vbi ſingularis Moyſi veritas, tot mendatiorum impetebatur agminibus, Regia pro magis ſtabat, & quando mendatia veritatem non detriumphārunt in Regia, tunc Aaronis draco auido ore Magorum ſerpentes abſorbuit, vtq; adaugeret victoriam, nec ſtragis veſtigia oculis dereliquit. Quia gloriosior erat victoria, nullo veſtigio relicto poſteris dubia, quàm relictis fuiſſet indicibus certa. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum* : His ſi placet, immoremur tantiſper, videamuſq; quâ ratione vnica Aaronis virga, tot ſerpentes intrepidè aggredi non timeret, cum Michaël fortitudine armatus, ſocios auxiliares aduocārit, vt vnicum draconem deuinceret : *Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone : deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Vbi victrix virga Aaron, de tot ſerpentum deuoratione ſibi non plaudit, cùm Michaël ſtrenuus bellator, de ſerpentis pulſu ſibi plaudat : *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.* Apoc. 12. Et quæ huius diſcriminis cauſa ? Michaël draconem ſolùm pepulit, non extinxit ; & tamen fauſtis, iteratiſq; clamorib⁹ cœli perſonabant, inuiſumq; retrò ſæculis triumphum conclamabant : virga autem ſerpentes non tantùm expulit, ſed abſorbuit ; nullum tamen plauſum, nullum triumphum fecit. Audite differentiam. Aaronis virga ſerpentes deuorauit, ſed recens natos, qui modò primùm ſpirare cœperant, modò terram verrere, ſquamiſq; teneris loricari. *Proiecerunt* inquit *ſacra pagina, ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum* Exodi 7. vix editi, & iam dracones abſorpti, nondùm ſanguinem venis fouerant, & iam trucidati eum fundebant, ideò non erat, vnde triumpharet. At verò Michaël antiquum ſerpentem depulit, ſpinis ſinuoſis diſtortum, adultoq; veneno robuſtum. Cùm ergò arduum ſit inueteratis vitijs adhibere medelam, & multò faciliùs erumpentibus beſtiolis auferre vitam, ideò iure Michaël de triumpho quæſiuit gloriam. Rupertus. *Quod ille draco magnus* Ait Rupertus lib. 7. in Apocal. *ille ſerpens antiquus diabolus, & ſathanas, proiectus eſt in terram cum Angelis ſuis, dicunt magna voce cantores gratiæ Dei : Nunc facta eſt ſalus, & virtus.* Virga autem Aaronis, licet victrix, non canit triumphum, quia non apparuit adeò eximia virtus illius, in tot recens natis draconibus deuorandis, vt in verſutijs draconis antiquiſſimi deterendis. Nam teneros frutices facilè vna manu euelles, diſtorta verò & annoſa robora, vix ferri violentia extirpabis.

Magna igitur felicitas eſt, eſſe ſeruum & miniſtrum Dei ; ſed in quo conſiſtat iſta ſeruitus, reſoluit Propheta

Psal. 100.

pheta Domini Psal. 100. illis verbis: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* quasi diceret: seruire Deo ille dicitur; qui ab omni peccato immunis est. Ita resoluit D. Hilarius super illa verba: *Seruus tuus sum ego* Psal. 118. in hunc modum scribens: *Proprium hoc Prophetæ est, vt se seruum Dei profiteatur, in omni vitæ genere, famulatu conditionis suæ fungens, siue ambulans, siue residens, siue vigilans, siue dormiens, in cibo etiam atq; in ieiunijs Deo aut esuriat, aut satur sit, & nullo in tempore à seruitutis suæ officijs absistat. Hic liberè dicit seruus tuus sum ego, at verò qui stupris dormit, latrocinijs vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit; si dicat seruus tuus sum, profitetur quidem quod est, sed quod non est, agit.* Proinde seruire Deo, est sine vllo respectu, non ob beneficia accepta, Deum in omnibus actionibus laudare. Cæterùm qui Deo ob respectum seruit, vel quia eius substantiam multiplicauit, vel quia in varijs actionibus abundè benedixit, hic non ambulat in via immaculata, non verè seruit Deo. Sit religiosus nescio sub quàm arcta regula degens, austeritate vitæ, & sanctimonia florens; si tamen ex aliqua sua prætensione Deo famulatur, non est in via immaculata, non est seruus ipsius verus. Sit sacerdos probæ & inculpatæ vitæ: si tamen eo fine prælaturas ambit, vt titulum dignitatis, aut amplum prouentum, aut honorem apud alios habeat, non ambulat in via immaculata, non est verus Dei seruus. Sit homo sæcularis, domum suam rectè administrans, & circa rem familiarem continuò laborans; si tamen id facit ob accumulandas diuitias, non est verus Dei seruus. Quod si hoc faciat recogitans illud Dei mandatum, in pœnam peccati ad continuos labores hominem stringens: *In sudore vultus tui vesceris pane*, tunc ambulat in via immaculata, estq; verus Dei seruus. Hinc rectè concludit Theophylactus in caput 1. Ionæ: *Multi quidem ait colunt Deum, sed non sunt serui eius, vt qui non faciunt opera, nisi placentia.* Quod magis adhuc premit S. Bernardus: *Quam multi* inquit *sunt, qui se castigant, & tamen per hoc fauorem humanum expetunt.* Hi non ambulant in via immaculata, quia ob respectum Deo seruiunt.

S. Hilarius

Genes. 3.

Theophyl.

S. Bernar.

Et certè homo non ex respectu, sed ex amore, Deo seruire tenetur, cùm ad id & creationis, & redemptionis stricto iure teneatur. Nam quòd creationis ratio ad indefessum nos DEI obsequium vrgeat, fatetur Regius vates Psal. 110. inquiens: *Magna opera Dñi, exquisita in omnes voluntates eius.* Vbi verbum istud *exquisita*, enucleatiùs ex Græco alij transferunt, *exacta*, seu *parata* ad omnes voluntates eius, vt sensus sit, creaturas in omnes Dei voluntates, paratas expeditasq; esse debere, vt quidquid ipse voluerit, statim illæ perficiant, & voluntati eius plenè respondeant. Ita, vt nullus creaturarum vsus, nullum officium, siue obsequium à Deo expetatur, ad quem non paratam, & expeditam, imò obuiam etiam & occurrentem creaturam ille suam inueniat. Pulchrè Saluianus Massiliensis lib. 3. de prouidentia, & gubernatione Dei: *Primum* inquit, *illud considerandum est, quia nulli seruorum licet ex ijs, quæ Dominus suus imperat, eligere pro arbitrio, & insolentissima abusione, quod placuerit assumere, quod displicuerit repudiare, maximè cùm & terrestres Domini nequaquàm æquo animo tolerandum putent, si iussiones suas serui ex parte audiant, & ex parte contemnant, & pro libidine sua, quæ putauerint facienda, faciant: si enim pro arbitrio suo dominis obtemperant, ne in ijs quidem in quibus obtemperauerint, obsequuntur: quando enim seruus ex Domini sui iussu, ea facit tantummodò, quæ vult facere, iam non dominicam voluntatem implet, sed suam.* Hinc S. Paulus hortatur nos, vt non nostro arbitratu viuamus, sed per omnia seruitutis obsequia, omnē Deo honorem exhibeamus. 1. ad Corint 6. *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Græcè verò & Syriacè habetur. *In corpore vestro, & in spiritu vestro.* Vt appareat non exterius tantùm stigma, sed etiam interius à seruis Dei exigi, vt omne corporis & animi obse-

Psal. 100.

Saluianus Massilien.

1. ad Corint. 6.

mi obsequium, alijs dominis denegatum, vni Deo exhibendum putent. Vnde ex his D. Pauli verbis sic argumentatur Cyprianus lib. de disciplina, & habitu mulierum. *Glorificemus* inquit, *& portemus Deum puro, & mundo corpore, & obseruatione meliore, & qui per sanguinem, Christi Domini nostri redempti sumus, per omnia seruitutis obsequia redemptionis imperio pareamus, demusq; operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem, quam inhabitat derelinquat.* Ergò Dei seruitus non ex respectu, sed ex lege creationis, ac redemptionis, sed ex puro amore peragenda est.

S. Cypr.

Pulchrum istius rei documentum habemus in canticis Salomonis, capite 7. vbi cœlestis sponsus sponsam suam, à planta pedis, vsq; ad verticem capitis describens, sic ait: *Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia Principis.* Vatablus vertit: *Quàm pulchri sunt pedes tui calceati filia Principis* Quasi diceret: quàm pulchros habes calceos, & cothurnos: quàm pulchrè ijs calceata, & coturnata incedis. Nihil in pedibus, & eorum ornatu, ac proinde in tuo per viam virtutis incessu, non pulchrum, non venustum, non aspectabile est. Rarum enim hoc est inter homines, pedes, calceos, ac gressus sine vlla macula aut fœditate habere. Ergone tantam pulchritudinem pedum, calceamentorum, ac gressuum venustas conciliat? Ita profectò esse respondet Propheta Domini Isaiæ 3. *Auferet Dominus ornamentum calceamentorum.* Alij ex Hebræo transferunt: *Auferet Dominus gloriam calceamentorum.* Venusti igitur pedes calceis exornati, & pulchris gressibus incedentes, sine titubatione, lapsu, aut errore deformes, ita formosam reddunt sponsam, vt ab istiusmodi incessu gloriam fœneret. Tales pedes postulabat quondam Regius vates, ne in virtutis via sisteret, ne titubaret. *Non veniat* inquit *mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Psal. 35. Agellius in hunc locum, *per pedem superbiæ*, pompam in incessu, quam vana gloria ciet, idoneè commentatur. Sed cur affectum inanis gloriolæ, sic in incessu Propheta timuit? & cur hanc leuem arrogantiæ noxam, *pedis* vocabulo designauit? Argutè respondet Corderius ex Robberio, opere morali de peccato, ideò eum dixisse, *pes superbiæ*, non pedes: quia superbo vnicus tantùm est pes. Ideoq; sicut diu consistere non potest, qui vnico tantùm stat pede, illoq; totam incumbentis corporis molem sustinet, ita quoque nec diu stare potest superbus peccator: nutabit ille facilè, dubiumque librabit corpus, ac tandem præceps in ruinam dabit. Pes quippè hominis, qui stare debuit in via recta, simul atq; superbia corripitur, illicò cespitat, & labitur in obliquis peccati semitis. vnde Propheta postquàm dixit: *Non veniat mihi pes superbiæ*, confestim addidit: *& manus peccatoris non moueat me.* Quia sic in via stantem, vel leuiter mouere, est ad ruinam impellere. Quod ingeniosè obseruauit Euthymius, qui citata Psalmi verba ita transfert: *Non moueat me, ne me concutiat, vt peream.* Quoniam in via virtutis incedens, si vno tantùm pede inanis gloriæ innitatur, & vel tantillum moueatur, perinde est, atq; si violenter concutiatur, vt pereat. Cùm ergò Propheta Dauid anxiè timeret, ne illi veniret pes superbiæ, pulchra calceamenta virtutis, & pedes firmos à Domino precabatur obnixiùs, vt ambulans in via immaculata immotus consisteret.

Cant. 7.

Vatablus.

Isaiæ 3.

Psal. 35.

Agellius.

Corderi.

Sed illud admiratione dignum, cùm sponsa persequeretur laudes sponsi, à capite incepit, omnia eius membra dignis cohonestans elogijs. *Dilectus* inquit *meus candidus, & rubicundus, caput eius aurum optimum: comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Oculi eius sicut columbæ: genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs. Labia eius labia distillantia myrrham primam, manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, venter eius eburneus distinctus sapphiris.* Cant. 5. At verò dùm sponsus sponsam laudat, nonnisi eius laudes à solis pedibus auspi-

Cantic. 5.

catus eſt : *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Nonne meliùs eam à capite, à facie, à collo, à manibus laudaſſet ? Reſpondet Corneli⁹. Cornelius in cap. 6. Cant. *Sponſa laudans ſponſum orditur à capite, finit in pedibus; hic ex aduerſo ſponſus laudans ſponſam, orditur à pedibus, finit in capite. Ratio diſparitatis eſt, quod deorſum in terram deſcenderit, vt ſponſam ſibi copularet; ſponſa verò è terra in cælum per ſponſum euocata, ſurſum aſcendat.* Laus ergo ſponſi eſt in deſcenſu, laus verò ſponſæ in aſcenſu. Laus ſponſi in dignatione quamprimùm euocandi ſponſam; laus ſponſæ in dignatione gratiæ, & gloriæ, ad quam pulchris ſemper greſſibus, & nunquam deuiantibus ab auſpicio ſuæ conceptionis, detriumphato ſerpente, eius calcaneo hoſtiliter inſidiante, à ſuo ſponſo euocata perrexit. Non inficior rationem hanc ſat bonam eſſe; aliam tamen meo propoſito magis accommodam reperio. Non à capite, non à manibus ſponſus voluit laudare ſponſam : quia caput, ambitionis, manus verò auaritiæ ſymbolum, habentur. Hinc nonnemo depictis manibus inſcriptionem appoſuit : **Extendo, vt des.** qui autem ſyncerè Deo ſeruire vult, ſine manibus eſſe debet : *quia Deus bonorum noſtrorum non eget.* vnde S. Gregorius dicit : *Si ſeruis Deo, vt det tibi aurum, auro ſeruis, non Deo. Si ſeruis Deo, vt det tibi ſalutem, ſaluti ſeruis non Deo.* Sine manibus igitur Deo ſeruire debemus, hoc eſt, non propter aliquem reſpectum; ſed ex amore, & ideò precisè : quia DEVS eſt ſummum bonum. Atq; hanc ob cauſam Deus fugit in montem, cùm eum populus Iudaicus in Regem aſſumere vellet; quia id non ex amore, ſed ex reſpectu faciebant, nimirum quòd ab illo panibus repleti eſſent.


Vt autem hoc melius concipiatis, reuocate vobis in memoriam inſigne illud Chriſti factum, Matth. 8. Venerat ſcriba quidam ad Ieſum, ad omnia obſequia promptum ſe illi offerens : Matth. 8. *Magiſter ſequar te, quocunq; ieris.* Quem attendens Ieſus ait illi : *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos : filius autem hominis, non habet, vbi caput reclinet.* Siccine Domine ad diuinam ſequelam currentem detines ? Sic te ſequendi repellis animum ? cur homo ſecuturus vias tuas veniens, non magis placet ? vt qui homines ad te allicere, imò & renuentes ſuauiter trahere conſueueris, ſcribam hunc ſeſe tibi vltrò in diſcipulum offerentem, ſeueriùs repellas ? Ne miremini : venerat quidem ſecuturus, ſed venerat prorsùs imparatus, nondùm ſpinas curarum temporalium à corde euulſerat, nondùm virtutum exercitio excoluerat animum, quapropter his verbis docebat eum Chriſtus, quomodò ſeſe ad eius obſequium præparare deberet. Sic cenſet D. Chryſoſth : homil. 28. *Chriſti* inquit *verba non erant* S. Chryſ. *repellentis, ſed eius, qui prauam hominis opinionem carperet, & poteſtatem daret, ſi cum ſpe eiuſmodi ſequi vellet.* Per quod monſtratur ſequela Chriſti illorum tantum eſſe, qui terrena non ſapiunt, ſed cœleſtia. Sed cur Chriſtus vulpis imaginem illi iniecit ? Reſpondet D. Auguſt: in catena S. Thomæ & D. Ambroſius lib. 6. in Hexàëmer cap. 8. vt inde fraudulentum, & verſipellem illius animum à Chriſti ſchola alieniſſimum, & in quo ipſe nullo modo poſſet requieſcere, notanter argueret : *Filius hominis*, ait S. Auguſt; S. Auguſt. *non habet, vbi caput ſuum reclinet, ſcilicet, in fide tua : vulpes enim habent foueas in corde tuo; quia doloſus es : volatilia cæli habent nidos in corde tuo, quia eleuatus es. Doloſus, & elatus non me ſequeris, quomodò enim doloſus ſequetur ſimplicitatem.* Clariùs ediſſerit S. Ambr. inquiens : S. Ambr. *Fouea os hominis eſt, fouea alta pectus eſt hominis, vbi ſunt noxia & fraudulenta conſilia, malæ cogitationes.* Quia ergo Chriſtus cognouerat ſcribam illum non perfectionis cauſa, ſed lucri auidum ad ipſum acceſſiſſe, ideò eius obſequia ſpreuit. Vidit enim, quia Chriſtus tunc ſanauerat leproſos, centurionis puerum, ſocrum Petri febricitantem, & multos dæmoniacos, ideò ſperans ſe à Chriſto hanc artem acquiſiturum, ſequi Chriſtum voluit, vt

medicus factus diteſceret, curando poſtea multos infirmos, proindè non gloriam Chriſti, ſed proprium lucrum quærebat. Deo autem non placet obſequium ex reſpectu factum, niſi ex ſincero affectu, & puro amore procedat.

Tale obſequium fuit Mariæ Magdalenæ, & Marthæ, quas nec tribulatio grauis, nec mors fraterna, imò & propria à Chriſti ſequela retrahere potuit. Inciderat in grauem morbum vnicus earum frater Lazarus, expediuere illæ quantociùs legatum ad Chriſtum, qui periculum morbi denuntiaret : Ioann. 11. *Ecce quem amas infirmatur.* Ioann. 11. Quid verò Chriſtus ? perrexitne ſtatim ad ſanandum languentem, minimè : imò reſpondit : *Infirmitas hæc non eſt ad mortem.* Interea cùm data opera moras texeret, Lazarus è viuis exceſſit, & ſepultus eſt. Si hæc inter homines agerentur, ſi medicus infirmitatem alicuius de vita periclitantis non eſſe ad mortem aſſereret, quem interea mori contingat, nonne medicus manifeſtè argueretur mendacij. Et nihilominùs vbi Ieſus poſt quatuor dies venit in Bethaniam, nihil tale ſorores Lazari defuncti obiecerunt, imò ad pedes prolapſæ Dominum humiliter confeſſæ ſunt : *Domine ſi fuiſſes hic* : Quia probè nouerant Chriſtum, non de infirmitate animæ, ſed de infirmitate corporis locutum fuiſſe. Sola autem infirmitas animæ mortem æternam affert, & præcipitium irreuocabile. Cùm tamen mundiales homines de hac fulcienda & munienda minimè curent, toti poſiti in externorum bonorum defectibus, & infirmitatibus tollendis, ac curandis. Quam grauem ſtultitiam damnat S. Auguſt: lib. de ciuit: Dei, cap. 1. aiens : *Hæc ſola mali deputant mala, quæ non faciunt malos; nec erubeſcunt inter bona, quæ laudant ipſi mali eſſe, qui laudant : magiſq; ſtomachantur, ſi villam malam habeant, quàm ſi vitam. Quaſi hoc ſit hominis maximum bonum, habere bona omnia præter ſeipſum.* Erubeſcit homo in malo pallio, in malo equo, in mala domo, & non erubeſcit in ſeipſo malo, & infirmo, ac per vitia atq; ſcelera rapto. Totiſq; viribus curat, vt pallium melioretur, equus paſcatur, domus ruitura muniatur, villa validis ſepimentis cingatur, ne hoſtibus pateat, de animæ autem infirmitate tollenda, eiuſq; vita melioranda, nullam rationem, aut curam habet. Nihil ergò mouit ſorores Lazari, quòd Chriſtus dixerit, eius infirmitatem non eſſe ad mortem, licet contrarium eueniſſet : quia optimè ſciebant corporis infirmitatem leuioris momenti eſſe, dùm anima ſana eſt.

Audiſtis igitur Chriſtum fugiſſe in montem, dùm ei dignitas Regia deferretur : quia ad hoc panis copia præſtita mouebat Iudæos, corde alias à Chriſto longè alienos; Deo autem ingratum, quidquid ob aliquod intereſſe illi defertur. Proinde ſi vultis, vt veſtra obſequia non ſint repudiata, amore, non reſpectu ad parendum Chriſto moueamini

Amen.





FERIA SECVNDA POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ,

Et cùm fecisset quasi flagellum, de funiculis, eiecit omnes ex templo. *Ioannis 2.*



STupor me obruit, quomodo Christus templum ingressus, & quasi suæ mansuetudinis oblitus, adeò rigidè cum populo processerit, vt omnes de templo eijceret. Qui antea mulieri in adulterio deprehensæ, ita se clementē & benignum exhibuerat, vt Pharisæis illam accusantibus, atq; iuxta legis præscriptum ad mortem condemnari vrgentibus, citra omnium opinionem liberam pronuntiauerit. *Adducunt autem scribæ & Pharisæi, mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei : hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare : Tu ergo quid dicis ?* Obstupescite ! extorquebant Pharisæi sententiam à Christo contra adulteram. Quid autem ille ? Respondet S. Ioannes cap. 8. *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Quid obsecro scribebat ? sequor veram S. Hieronymi opinionem lib. 2. contra Pelagium, quia peccata eorum qui accusabant : *Accusabant* inquit *ille scribæ & Pharisæi iuxta legem adulteram lapidare cupientes : at Iesus inclinans se deorsum digito scribebat in terra, eorum videlicet, qui accusabant, & omnium peccata mortalium.* Quod manifestè indicant sequentia Scripturæ sacræ verba, quæ Christus Pharisæis in proposito persistentibus, obiecit, inquiens : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* quæ verba in tantam eos adduxerunt confusionem, vt confestim omnes præ nimio rubore abscederent. *Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Credo non aliam ob causam, nisi quia sua deformia peccata negare iam non poterant, vt potè scripta, & literis à Christo exarata in puluere. Sic censet Diuus August: in citatum scripturæ locum : *Sic igitur ait illi voce iustitiæ, tanquàm telo, percussisse se aspicientes, vnus post vnum omnes recesserunt.* Moxquè sententiam absolutionis, quam nemo Pharisæorum condemnare ausus fuerat, pronuntiauit : *Nec ego te condemnabo, vade, & noli ampliùs peccare.* Quid est ? vtiq; Christus pronuntiauit se non ad soluendam, verùm ad implendam legem venisse ; lex autem pro adulterio mortem decreuit. Genes. 20. *Morieris propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum* Et leuit: 20. *Si quis adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte morietur, & mœchus, & adultera.* Quare ergò pro tanto peccato, non mortem infert, sed veniam concedit ? at verò in hodierno Euangelio, omnes indiscriminatim de templo eiecit, causa est, quia adulteram non iam obstinatam, sed verè pœnitentem vidit, & ideò illam absoluit, nos autem omnes quia in dies in maiora ruimus peccata, ab illo eijci meremur, & ex nostris delictis, materiam ad conficiendum vltionis flagellum illi suppeditamus. Quod in hodierna cōcione deducam.

S. August.

Adulterā quare Christus liberā pronuntiauit.

Genes 20.

Leuit. 20.

Fontem & originem flagellorum Dei, esse peccata hominum, abundè testatur sacra pagina Sapientiæ 17. tenebras illas Ægyptiacas appellans horrendas, densissimas, terribiles, earumque in abysso imaginem, ignibus, monstris, lancis, spectris, serpentium sibilis, animalium rugitibus, montium decidentium fragoribus, nimbis, ventis, & vulcanis intermixtas. Ita vt ex earum perpessione siccarentur homines ; & nihilominùs affirmat, ipsos Ægyptios multò grauiores sibi fuisse illis tenebris. *Ipsi ergo grauiores sibi erant tenebris.* Vt scilicet palam fiat, peccatorem sibi ipsi esse onus grauissimum, Deumq; non aliunde materiam ad conficiendum flagellum desumere, nisi ex peccatis delinquentis. Sic protestatur ipsemet Deus Psal. 49. *Existimasti inique, quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Et vnde obsecro tàm præsumptuosa cogitatio inuasit peccatorem, vt Deum sibi similem poneret ? Equidem ex eo, quia ad sua enormia peccata, & scelera infinita Deum tacentem vidit : subiungente sacro textu. *Hæc fecisti, & tacui.* Tacet Deus per summam bonitatem & patientiam, dum eius maiestatem impudenter offendimus, & tamen nihilo meliores effecti, loco pœnitentiæ reputamus, quòd Deus per approbationem nostris peccatis delectetur. *Tu autem* inquit S. Chrysosth: *non solùm non mutatus es, nec pudore suffusus, sed me etiam qui longâ patientiâ vsus sum, existimasti, quòd non hæc ferrem propter patientiam ; sed propterea, quòd nollem hæc castigare, & quòd ea, quæ à te fiebant, non ægrè ferrem.*

Sap. 17.

Psal. 49.

S. Chrys.

Quid ergò Deus ? ob infandam istam cogitationem, ad vindictam descendit, & ipsiusmet peccatoris delictis, quasi quibusdam funiculis ad flagellandum eundem vtitur. *Arguam* inquit *te*, hoc est, tua peccata, tanquàm rationes tibi opponam, quibus iure meritò te conuincam. *Et statuam contra faciem tuam.* Hoc est, me ipsum tibi ex aduerso opponam, vt ex aduerso, tanquàm ex speculo limpidissimo, suam cernens peccator fœditatem, turpitudinem, obscœnitatem, deformitatem onere suæ malitiæ oppressus cadat. Deus enim speculum limpidissimum hominis est, tales repræsentans homines, quales sunt in seipsis. Vt eleganter docet Agapetus diaconus ad Iustinianum Imperatorem in oratione paren: tomo 6. Bibliot: Patrum num. 23. inquiens : *Sicut exquisita specula tales monstrant vultus apparentes, qualia ipsa sunt archetypa, nitidos videlicet nitentium, tristes tristantium, eodem pacto iustum Dei iudicium actionibus nostris assimilatur ; qualia enim sunt, quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.* Omnesq; & reges, & subditos, & sacerdotes, & populos, per eadem punit, per quæ peccant.

Psal. 49.

Deus speculum hominis.

Tomo bibloth. Patrum.

Peccauit Iudas Christum tradens Iudæis, sed ipsiusmet peccato Christus ad vindicandum suæ maiestatis læsæ crimen contra eum vsus est Matthæi 27. *Tunc videns Iudas, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus populi dicens, peccaui, tradens sanguinem iustum.* Quos Pharisæi recipere nolentes, responderunt : *Quid ad nos, tu videris.* Seriò hic ponderate, vnde hominibus rapacissimis, tanta argenteorum nausea, vt tàm ipsi, quàm perfidus discipulus, eos apud se retinere noluerint ? Equidem ex eo, ne apud se, pretium sanguinis retinentes, pulsantem continuum sui peccati haberent, suæq; malitiæ obiurgatorem. Iniquitas ergò ipsa magis extimuit hanc pænam, quàm cupiditatis detrimentum. Sic resoluit S. Maximus : *Videte* ait, *quanta vis Dominicæ pecuniæ, quam inde Iudas reijcit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt : iusti enim sanguinis pretium, pertimescit iniquitas possidere.* Ne itaq; spiculis infandæ malitiæ conscientia vulnerata existeret, *non posuerunt illud in carbonam, sed emerunt ex eo agrum figuli, ad sepulturam peregrinorum.* Vt scilicet misericordiæ pallio obtectâ malitiâ peccati, non reminiscerentur, & sic non se semper ante oculos haberent.

Matth. 27.

S. Maxim.

Matth. 27.

Quid aliud faciunt hodiè collatores ecclesiasticorum beneficiorum, nisi insatiabiles Pharisæos imitantur, dum intuitu iuris patronatus Christi patrimonium vendunt, imò & ipsum Christum Iudæis tradunt Dum iam hoc sæculo, vix vnum de mille reperias, qui more Aaron, vocatus à Deo, in san-

in ſancta ſanctorum aſcendat. Sed quemadmodùm temporibus Apoſtolorum Simon magus gratiam Spiritus ſancti pretio ſibi comparare voluit, ita nunc ſimonijs violenter inuaditur regnum Chriſti. Verùm malè ceſſit Phariſæis pro Chriſto triginta argenteos in pretium offerentibus : quia *Sanguis Chriſti, ſuper eos, & ſuper filios eorum.* Malè ceſſit & Iudæ proditori accepta pecunia, licet eam retulerit: quia proiectis argenteis in templo receſſit, & laqueo ſe ſuſpendit. Propterea, quòd pænitentiam inchoatam, non conſummauerit. Parum enim eſt, peccatorem pænitere, niſi pænitentiam peregerit. cùm ad emandanda crimina ſola vox pœnitentiæ non ſufficiat, ſiquidem in ſatisfactione ingentium criminum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Ita planè Chriſtus omnes de templo ſuo ementes, & vendentes ſimoniacos eijciet, dùm eis in extrema vitæ periodo gratiam cum finali perſeuerantia, & tempus pænitendi ſubtrahet,

2.Reg. 12.

Peccauit Rex Dauid homicidio innocentis Vriæ, & ecce ſtatim Deus omnia mala ipſi minatus eſt. 2. Regum 12. *Non recedet gladius de domo tua, tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius : tu enim feciſti abſconditè : ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis.* Quid non mali, quid non extremæ calamitatis verba hæc continent ? gladium, id eſt, bellum, mortem, vltimam deſolationem, eaq; non ab hoſtibus externis ; ſed ab internis amicis, ſed à familiaribus, & domeſticis inferenda oſtendunt. Sanè quia Rex Dauid in domeſticum, idq; ſuum ſubditum peccauerat, per ſubditorum quoq; rebellionem Deus eum punire voluit, vt per quod peccauerat, per idem pænas daret. Hinc deprecans Dominum ait : *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Pſal. 50. Appellans igitur, ad multitudinem Dei miſerationum, non pro bello, non pro morte, ſed pro ſola iniquitatis deletione deprecatus eſt, ſubdens : *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Propterea, quòd optimè ſciret hæc flagella, ex ſuis peccatis promanare.

Pſal. 50.

Quò referemus obſecro continuas plagas, quibus hodiè inceſſanter concutitur noſtra Polonia. Militaris ordo in obeundo munere, in bellis gerendis, non militare decus, non ex victo hoſte ſpolia, non inſignia gloriæ, ſed domeſticam cogitat prædam, haurit & deglutit Reipublicæ patrimonium, ſacræ prophanæq; opes ei in rapinam cedunt, Lixæ, & calones cæteræq; caſtrenſes ſordes, graſſantur impunè, nec iam quærunt, quod rapiant, ſed extorquent potiùs, & abradunt, non quæ in vſum cedant, ſed vt calamitatem calamitati accumulent, idque potiſſimùm ſpectare videntur, vt quàm peſſimè de genere ſuo, & de patria mereantur. Verbo dicam increbreſcunt quotidiè mala, lues graſſatur, & populatur orbem, bella ferociunt, & fames indiuidua belli comes, nullam relinquit ſpem ſalutis, homine impaſto, cui nulla ſuppetunt pharmaca, aduersùs inediam corpora depaſcentem. Fluunt egentiorum lachrymæ, ſqualidi ſacerdotes viſuntur, & gementes, à domo Dei exoritur diuini iudicij vindicta, dùm bona eccleſiaſtica iam penitùs deſolata manent.

Horum certè omnium malorum, noſtra peccata cauſæ ſunt proximæ, & quia omnes peccauimus, omnes quoq; luemus pænas. Olim reſecanda erant hæc vlcera, nec malo fauore blandiendum improbis. Spectauimus horrenda vitiorum monſtra, adulteria, & periuria impunè fieri : fuit ne quiſpiam noſtrum, qui hæc crimina, lege, & pænis coërceri peteret? equidem nemo. Idcirco de noſtris peccatis, velut de quibuſdam funiculis Deus flagellum confecit, quo nos omnes tanquàm ementes, & vendentes, hoc eſt, nil niſi illicita lucra, priuata commoda, & vitia cogitantes, de templo ſuæ miſericordiæ eijcit.

cit. Vt meritò iam flagellis crebrò repetitis ſauciati. & oneri delictorum ſuccumbentes, ingemiſcere poſſimus cum Dauide pænitente Pſal. 37. *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum, quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*

Pſal. 37.

Quod ingeniosè ſuo ſymbolo expreſſit Ioann. Ferus, pingens aſinum lemmate appoſito : **Et Plagis, & oneri.** oſtendens hoc ignobile animal, ſolùm editum eſſe ad hoc, vt vapulet, & conceſſis breuibus inducijs, magno pondere prægrauetur. Profectò hiſce temporibus ignobilem aſini naturam induimus, dùm peccatis ſupra modum grauamur. Sic enim ignobilem peccatoris ſortem decantat Regius Vates Pſal. 72. *Vt iumentum factus ſum apud te.* Ideoque nulla poſthac ſtipendia recepturi. niſi verbera : Æquum enim eſt, vt iumenti naturam æmulati, eius quoque participemus plagas, & onera iuxta illud Pſal. 37. *Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Hinc ſapientiſſimus Salomon peccatores, velut iumenta indomita, **Et plagis, & oneri** adiudicat Prouerb. 26. inquiens : *Flagellum equo, & chamus aſino, & virga in dorſo imprudentum.* Quia nimirùm eo ſolo, quòd homo timorem Domini excutiat, exuit imaginem Dei, & induit rationem pecoris, flagello, & pondere ſubigendi, teſte D. Ambroſio libro 2. epiſtolarum epiſtola 7. *Non ſunt* inquit *liberi inſipientes, quibus dicitur : Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.*

Pſal. 72.

Pſal. 37.

S. Ambr.

Militum incorrigibilitas.

Verùm dùm modernorum militum facinora expendo, animumque immani crudelitate ferocientem, non iumenta inſipientia, ſed viperas matris viſcera corrodentes, meritò dixerim, imò voraginem quandam potiùs, & immenſam charybdim iure eos appellauero, quàm homines. Nam ſi iam dudum tot rapinis expleti, ſatiatique fuiſſent, & vel communis humanitatis reputatione, calamitatibus aliorum hominum, eiuſdem linguæ, eiuſdem gentis, conciuium ſuorum indoluiſſent. At verò iſti acerbiores in dies crudelioreſquè, cædibus, flagitijs, & expilationibus graſſantur, etiam in corpora ſæuientes, vbi rapinæ non eſt materia. Nullâ legum, nulla magiſtratûs reuerentiâ, nulla poſteritatis verecundiâ ducuntur, ſed tantùm quiſque audet, quantum habet virium. Cæterùm grauioribus plagis, & oneri materiam accumulant : qui enim nunc alienas calamitates ſecuri, & quaſi ſubſannantes aſpiciunt, infallibili certitudine veniet tempus, quando eædem in illos redundabunt. Omnium quippè rerum viciſſitudo eſt, & nunc hi, nunc illi, ſub incundem tribulationis mittuntur.

Quocirca tantis afflictionibus preſſi, aſſurgamus, & tandem ad meliorem redeamus frugem, agnoſcentes nos iuſtè ob peccata noſtra his malis concuti. Et vt tandem aliquando ira Dei quieſcat, ſubtrahamus illi materiam vindictæ, cum eius adiutorio laborando, vt virtutes in poſſeſſionem vitiorum introëant. Non ſint in templo Dei vendentes, & ementes ; non ſint in iudicijs nundinationes, & corruptelæ, non ſit in militia diſſolutio diſciplinæ, & ſic placatus Deus à regno noſtro omne malum auertet, & reddet nouiſſima primis multò feliciora.



DOMI-

DOMINICA
PASSIONIS.
CONCIO PRIMA.

Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum. *Ioannis 8.*

Christus contumelias patienter tulit, erudiens nos quomodò inanem gloriam fugere debeamus.

RArum omninò atque inusitatum est, summis virtutum splendoribus coruscare, nec tamen laudis gloriam ambire. Nec humanum, sed potiùs diuinum esse videtur, operum atq; meritorum famâ illustrem esse; minimè verò sibi adscribere: sed totam rectè factorum, ab illo duntaxat, cuius nutu trina hæc vniuersi machina regitur; in profundâ humilitate, laudem expectare. Quod S. Chrysosthomus admirabili eloquentiâ laudat. *Hæc summa* inquit *virtus est, omnia Deo accepta referre, nihil nostrum ducere, nihil ad humanam gloriam facere, sed ad Dei placita.* Talis erat vir desideriorum Dei Propheta Daniel: cui dùm post interpretatum somnium, Nabuchodonosor Rex, magnam sapientiæ commendationem tribueret; humilis Daniel ne in vanâ illâ gloriâ sibi complaceret, sed vt eam penitùs à se remoueret; respondit. *Est Deus in cœlo reuelans mysteria, mihi quoq; non in sapientiâ quæ est in me, plusquàm in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est, sed vt interpretatio Regi manifesta fieret.* Talis erat præcursor Christi Domini Ioannes Euangelista; cui dùm Messiæ dignitatem Pharisæi deferre vellent, respuit tanquàm sibi indebitum honorem illum. *Confessus est* inquit *Scriptura sacra, & non negauit, quia non sum ego Christus.* Ab hac vanæ laudis fugâ, minimè alienos fuisse reperio Paulum & Barnabam Apostolos, quos cùm in Lystris commorantes, populus ille barbarus, propter insigne miraculum à Paulo perpetratum, adorare

Chrysost. hom. 5. in epist. 2. ad Corint.

Daniel. 2.

Ioann. 1.

A vellet pro dijs; Paulum pro Mercurio, Barnabam autem pro Ioue: cùmque iam hostias illis offerendas appararet ille populus. *Conscissis tunicis exilierunt in turbas Apostoli* (inquit sacer textus) *clamantes: viri quid hoc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.* Sic videlicet in his sanctis viris, vincebat sublimitatem nominis, humilitas cordis: vt nusquàm tantùm posset vniuersus mundus eos erigere, quantùm seipsi deijcere soli. Verùm licet insolita omninò, & phœnice B rarior virtus inter mortales existat, vt aliquis gloriam de suâ perfectione & sanctitate non quærat: illud tamen magis prodigio simile crediderim, vt innocentissimus quispiam grauissimis calumnijs affectus, saltem meritorum famâ se eo tempore non tueatur. Nullum certe eiusmodi virum humanæ mortalitatis incunabula nobis hucusq; produxerunt. Cùm mundi huius filij nihil magis laborent; quàm vt SS. doctissimi, fortissimi, prudentissimi videantur. Qui in re ipsâ nihil C minùs sunt, quàm sancti, docti, fortes, prudentes. Vnus solùm tantæ virtutis æmulator Christus Dominus fuit; qui cùm summa conuitia à Pharisæis pateretur, non ad miracula, quæ antea in oculis illorum patrabat; non ad vitæ puritatem, quam omnes admirabantur in eo; non ad virtutum eminentiam, quæ pulchriùs de facie Christi, quàm de sole radij exeuntes, malè verecundas Iudæorum pupillas fricabant, refugit. Vt se contra blasphemantium contumelias tueretur, D sed ad ipsum tantummodò Patrem æternum

Actor. 14. n. 12.

æternum: *Est* inquit *Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum.* Igitur considerabimus hodiè, quid causæ, quòd Christus Dominus tàm patientissimum se gesserit inter Pharisæorum contumelias, & quomodò Pharisæi Patrem æternum non cognouerunt, quoniam illum Deum esse suum fatebantur.

Ioann. 8.

Quoniam vnigenitus Dei Filius assumpsit ad suæ diuinitatis consortium hominem, vt exemplum nobis rectè viuendi præberet, ideò necessum erat, B vt ad erudiendum hominem per media sibi maximè placita & conuenientissima procederet. Quod nullum aliud melius occurrebat præter patientiam, quæ cæteris omnibus attributis supereminet in Deo, vt testatur ipsemet per Prophetam: *Tacui* inquit *semper silui, & patiens fui.* Vbi maximè Deus commendat suam patientiam ex silentio diuturno, quo dissimulare solet peccata hominum propter pœnitentiam, vt docet Sapiens. Sed magis adhuc protestatus est Deus, quantùm C sibi in patientiâ complaceat, in Leuitico. Vbi refert sacra pagina, accusatum fuisse quendam apud Moysen blasphemum in Deum, & maledicum in ipsum Moysen. Cunctante verò Moyse circa tantum scelus dijudicandum, delata est interea criminatio hæc ad diuinum tribunal, vbi à diuino Oraculo sententia hæc lata est, (quemadmodùm septuaginta vertunt) *Educ eum qui maledixit extra castra, & lapidet eum omnis multitudo Israel.* Eccur obsecro solus maledicus in D Moysen, non autem blasphemus in Deum puniri, ab ipso Deo iubetur? Respondet eleganter Isidorus clarè: Deum id fecisse, ad declarandam suam misericordiam: *Deus* inquit *cui sui curæ sunt, magis voluit vlcisci iniuriam Moysis, quàm propriam contumeliam, ideò dixit, educ maledicum; & non dixit, educ blasphemum* Ecce quanta sit DEI patientia? qui licet alienas iniurias vlciscitur sæpiùs, ad proprias tamen contumelias quodam modo conticescit: immò eas interdum tàm pati-

Isaiæ 24. n. 14.

Sapien. 11 n. 14.

Leuit. 24. n. 14.

Isidorus.

A enti silentio tolerat, vt ex illo improbi homines sumant occasionem ad peccandum. Diuina enim patientiâ silente, insolescens homo, diuino mandato abusus est, quod videns diabolus vt Euam tentaret; prolixam texuit orationem, inquiens: *cur præcepit vobis Deus ne comederetis de ligno?* respondit mulier, ne fortè moriamur. Tunc diabolus: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Quando verò seducta iam mulier tentaret Adam, ne verbum quidem protulit, sed tantùm, vt dicit sacer textus: *Comedit deditq; viro suo, qui etiam comedit.* Quid est? ergone potentior fuit viro mulier? vt serpens quem dæmon inuaserat, ad hanc decipiendam multâ verborum ambagine vteretur: hæc autem ad virum tentandum, ne verbum quidem allegaret, cùm tamen vir multò fuerit constantior in virtute, quàm fœmina. Causam forsitan aliquis crederet esse hanc, quia fortior est tentatio per fœminam, quàm per diabolum. Ideò C quòd diabolus in serpente loquens vix potuit efficere longo sermone, facilè potuit mulier id ipsum præstare sine verbis. Vel certè quia vehementior est tentatio per malum exemplũ, quàm per verbum suasorium: idcircò quod diabolus vix persuasit Euæ subtiliter argumentando, faciliùs Eua potuit persuadere Adamo perperam agendo. Digna equidem applausu ratio, sed ad præsens negotium, illa est credibilior, quia scilicet vidit Adam comedentem Euam prohibitum sub D pœna mortis pomum, & non vidit morientem. Sciuit quidem & audiuit Deum mandantem, sed non vidit tunc obiurgantem. Propterea credens sibi quoq; impunè fore, si comedisset; etiam nullis illectus verbis, à porrigente muliere accepit fructum & comedit. Sicq; ex patientia Dei silentis ad peccatum Euæ, ausus fuit violare præceptum ipsius Dei, quem ad suam pariter transgressionẽm dissimulaturum sperabat. Ita censet D. August. super Genesim, vbi ponderans, quo pacto Eua nullis prorsus verbis Adamo suasisset,

Genes. 3. n. 6.

August. in Genesim.

suasisset, subdit : *Non suaderi* inquit *iam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat.* Quasi apertiùs diceret : non erat opus suasione oratoriâ Euæ, vbi aderat patientia taciturna Dei, quâ vir ad peccandum abutebatur. Quin immò interprete Caietano, Eua ex hac diuina patientia, prorepsit ad tentandum virum : *Mulier* (inquit Cardinalis Caietanus) *nihil mortis, nihilq; mali in seipsa sentiens, animosior efficitur ad persuadendum marito vt comedat.* Ecce quàm grata & pænè congenita est Deo patientia ? qui ita patienter & silenter hominum peccata sustinet, vt (teste Tertulliano) suâ sibi patientiâ plurimum detrahat. *Plures enim* inquit *Tertullianus, Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.*

Caietan⁹.

Tert. lib. de patient. cap. 2.

Hinc ipsemet redemptor noster, vt seipsum verum patientiæ exemplar sequendum proponeret, conuitia Pharisæorum æquo animo tulit, quia cùm verus esset Deus, nihil illi familiarius erat, quàm inter iniurias & contumelias tacere. Vt testatur de illo Apostolus : *cùm* inquit *malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Hinc mirantur Doctores sancti, quid sit, quòd Christus Dominus ad laudes suas responderit, ad probra autem & contumelias omnes tacuerit. Nam rogatus à præside an esset Rex, libenter annuit respondens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Accusatus autem à Principibus sacerdotum, & senioribus populi, nihil penitùs respondit. Quod discrimen ponderans D. Chrysosthomus : *Dicentibus* inquit *maleficum esse, & quo eum arguerent non habentibus, tacuit tamen, cum de regno interrogatus, & tunc locutus est, erudiens eum, & ad altiora erigens.* Quasi diceret : Christus Dominus suas contumelias non reiecit à se, sed cum silentio patienter excepit. suas verò laudes (quamuis non negauit) cùm essent verissimæ, temperauit tamen silentio easdem, ne quo vanitatis fuco coloratæ viderentur. Atq; adeò promptiorem se ostendit ad contumelias, quàm ad laudes propterias audiendas. Vnde & diabolo eum laudare volenti, cum illum sanctum palam profiteretur : *Scio* inquit *quis sis Sanctus Dei* : silentium Christus imperauit inquiens ; *Obmutesce.* Neminem verò sibi conuitiantem prohibuit à loquendo : acsi laudum esset impatiens, qui fuit ad contumelias patientissimus. Immò quid dico Christum Dominum neminem calumniatorum prohibuisse ? dicam veriùs eum quodam modo inuitasse suos aduersarios ad contumelias sibi inferendas. Fuit enim Christus Dominus omnium hominum atque causarum iudex vniuersalis, ab æterno patre constitutus. Vt docet Euangelista : *Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Et tamen in iudicandis contumelijs, quæ sibi inferebantur, se ab hac potestate quodam modo abdicabat. Nam audiens verba Pharisæorum, & illa conuitia : *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* tantùm abfuit vt aliqua indignatione commoueretur, vt potiùs mitissimè responderet : *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet.*

1. Petr. 2. n. 23.

Ioann. 18. n. 36.

Chrysost. hom. 83. in Ioann.

Marci numero 25.

Ioann. 5. n. 22.

Ioann. 8. n. 48.

Ibidem n. 50.

Quid est obsecro iustissime IESV, quare iudicem tanti criminis te esse dissimulas, quem pater supremus iudicem omnibus præfecit. Respondet optimè D. Chrysosthomus. *Illatas* inquit *contumelias patris iudicio reseruat : vt nobis profectò insinuet, quantum nos patientes esse debemus, dùm se adhuc vlcisci non vult, & ipse qui iudicat.* Quasi apertiùs dicere vellet : idcircò Christus Dominus dissimulauit se iudicem esse in proprijs contumelijs, ne conuitiatores perterreret ; & à conuitijs inferendis retardaret ; sed liberè eis permitteret, quæcunq; vellent probra in se vnum iaculari. Non quod ipsæ contumeliæ, quæ peccata erant, delectationem ipsi afferrent ; sed quòd contumeliarum patientiâ summopere oblectaretur, vt docet Tertullianus : *Saginari* inquit *voluptate patientiæ discessurus volebat.* Atq; hac summa patientia Christus Dominus non tantùm suam sanctitatem, & innocentiam, sed ipsam etiam diuinitatem manifestè comprobabat ; purus enim homo nusquàm continere se potuisset, quo minùs tàm iniquas à se calumnias reijceret, vt eleganter argumentatur D. Cyprianus. *Inter cætera* inquit *admirabilia virtutum, quibus iudicia diuinæ maiestatis expressit, paternam quoq; patientiam tolerantiæ tenore seruauit.* Quasi diceret ; sicut æternus pater hominum peccatis grauissimè lacessitus, patientissimè interdum silet, ita etiàm Christus Dominus suas iniurias profundo silentio tolerabat. *Adeò vt & ipse gentilium præses Pilatus, hanc Christi Domini taciturnitatem miraretur vehementer.* Ratus non esse humanum tàm profundum silentium, sed diuinum. Quomodò enim à solo homine, tàm arcta in tàm manifestis iniurijs tolerantia exhiberi potuisset. Vnde Tertullian⁹ ; rectè arguit Pharisæos, quòd ex tanta patientiâ pro Deo ipsum non agnouerint. *Qui* inquit *in hominis figura proposuerat latere, nihil de patientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Deum agnoscere debuistis ? quoniam patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.*

Tert. lib. de patientia cap. 3.

Cypr. lib. de bono patientiæ.

Matt. 27. n. 14.

Agnoscite & vos Christiani summam vestri redemptoris patientiam, & illam amplectimini, iuxta consilium regij vatis, qui dicit. *Reuela ad Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem.* Vbi sanctus Propheta hoc vnico versiculo, qualis esse debeat Christianus, manifestè declarat.

Psal. 36.

Quis enim ad Dominum reuelat viam suam ? nisi ille, qui Deo occultorum suorum arbitro, interna sui pectoris confitetur. Ille solus reuelat ad Dominum viam : qui aperit conscientiam suam, ne eam sæculi istius grauet vmbra aut carnis. Nam quemadmodùm prorumpentia semina, si fuerint obumbrata, tenuantur, soli autem subiecta pinguescunt. Sicut ipsas arbusculas, quò minus se in altum subijciant, vmbra syluestris internecat, & prohibet brachia ramosa diffundere. sic planè natura hominum prona peccato, velut quoddam menti nostræ velamen obducit, ne nostra Domino peccata fateamur, qui solus potest vulnera animarum nostrarum sanare. Premit ergo seipsam inter hominem conscientia, cùm latere non possit, & tamdiu differt, quoad vulnus efferueat : vt iam non fidei salubritate, sed immedicabili atrocitate vlceris detegatur. Verùm tamen quia obnoxia fragilitati omnis humana conditio est, neq; in nostra est potestate, iter nostrum ex voluntate dirigere ; idcirco meritò addit diuinus Psaltes. *Spera in Domino & ipse faciet.* Hoc est diuinum cum fiducia inuoca auxilium, vt aperiat viam tuam, nec talem te esse permittat, vt fugias lucem, dùm times prodire, & diligas tenebras, vt possis occultare tua flagitia : allegando illud Ecclesiastici. *Tenebræ operiunt me, quis scit si videt Altissimus.* Sic enim semper, qui adulterium molitur, noctem suis accomodam quærit tentamentis. Qui falsum cogitat, testem suæ fraudi satagit adhibere : qui corruptelam iudicis captat, vt opprimat innocentem ; iniquitatis sedulo explorat secretum. Iniquitas ergo tenebræ sunt, Deus autem lux est : qui dùm tu conaris tuam occultare iniustitiam, ille eam educit in lucem ; nec patitur latere iudicium, quo ea quæ bona sunt elegisti ; quæ improba, refutasti. Sed facit omne opus hominis bonum lucere, sicut meridiem, quandò se sol iste totus in splendorem effudit. Vt tamen hæc lux conscientias nostras illuminans, ab alto in nos veniat, illud Dauidis consilium explendum est. *Subditus esto Domino, & obsecra eum.* quasi diceret : si vis ne tua conscientia vmbris peccatorum aggrauetur, sed lumine gratiæ perfusa splendeat, arripe patientiam Christi, qui omnia acerba, & gloriæ suæ summè læsiua, non tantùm patienter, sed etiam modestè tulit. Hæc enim hominem mirè splendidum facit. Nam Moysis facies tanto fulgore coruscabat, vt Hebræi in eum inspicere non possent, hac solum de causa

Eccles. 23.

Psal. 36.

cauſa, quia contumelias patienter tulerat, à Maria ſorore & Aarone grauiter laceſſitus, & à toto populo prouocatus ad iracundiam. Hanc rationem aſſignat D. Ambroſius : *Quantas* inquit *à populo illatas Moyſes abſorbebat contumelias ; quàm miti ſermone poſt iniurias appellabat ? quando conſolabatur in laboribus, delinibat oraculis ; fouebat operibus ? meritò æſtimatus eſt ſuper homines, & vt vultui eius non poſſent intendere ?* Quaſi diceret : meritò radiorum fulgor decorauit eum vultum, quem tacentem contumeliarum pudor deformauerat, meritò & Iudæorum oculi caligauerant ad videndam illam faciem, in quam ipſi nihil reſpondentem, maledicas linguas cauerant.

Ambr. lib. 2. de offic. cap. 7.

Sed quid memoro ſolare decus, in hominem ex virtute patientiæ redundare, cùm etiam Angeli ſplendor fulgeat, ex illo ore, quod patienter & ſilenter illatas iniurias auſcultat. Paucane in B. Stephanum probra iaciebant Phariſæi ? Quibus cùm ille audiendis ; non verò retorquendis vacaret, in Angelum lucis transformatus apparuit, atteſtante Luca : *Et intuentes* inquit *in eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Vbi Salmeron, ſentit idcirco Angelo ſimilem viſum fuiſſe Stephanum ; vt pro illo inter calumnias tacente, Angelica claritas reſponderet. Nam vbi humana patientia conticeſcit : ibi æquum eſt, vt Angelica præſentia patrocinetur. Nec mirum patienti homini adeſſe Angelum patrocinantem, cùm & ipſe Deus adſit illi præſentiſſimus protector. Teſtis eſt huius diuinæ præſentiæ pijſſimus Iſaac ; qui dùm eum Rex Abimelech quondam de ſuo regno abire iuſſiſſet, & in alieno ſolo exulare, patienter iniuriam hanc tulit. Quin etiam nec vllum verbum pro ſeipſo interponens, peregrinus exceſſit.

Actor. 6. n. 14.

Salmeron tract. 23. in Acta.

Et ecce pauló poſt ab eodem Rege regnique primoribus conuenitur SS. Patriarcha, atq; in deſertas ſedes, & veterem amicitiam libenter inuitatur. *Vidimus inquiunt tecum eſſe Deum, & idcirco diximus, ſit iuramentum inter nos & ineamus fœdus.* Et vnde quæſo ô Rex, Deum eſſe vidiſti cum Iſaac ? nonne quia tacentem ſpectaſti in iniurijs. Qui enim ſe ab iniurijs non defendit. Deum certiſſimè habet defenſorem. Vt oſtendit ſapientiſſimè Tertullianus, vbi manifeſtè oſtendit Deum patientium præſidem & patronum eſſe. *Satis* inquit *idoneus patientiæ ſequeſter Deus : ſi iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt ; ſi damnum, reſtitutor eſt ; ſi dolorem, medicus eſt ; ſi mortem, reſuſcitator eſt ; quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem.*

Gen. 26. n. 28.

Tert. lib. de patientia c. 15.

Quòd ſi patientia præſentem homini ſiſtit Deum. certè impatientia ab homine eum remouet, vt ingenioſè Chriſtus Dominus in hodierno Euangelio argumentatur, contra Phariſæos. *Eſt pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus veſter eſt, & non cognouiſtis eum.* Quomodò enim Chriſtus legitimè referret, illos non cognouiſſe patrem æternum, licet illum faterentur, eſſe Deum ſuum, niſi quia videbat eſſe impatientes, ſed arrogantes, elatos, fraudis & furoris plenos ; idcirco legitimè concludit, quod non cognoſcant Deum ; quia cùm Deus ſit mitiſſimus & patientiſſimus, agnoſci non poteſt, niſi ab eo, qui humilis & patiens eſt. Propter illud axioma Ariſtotelicum. Intelligens fit ipſum intelligibile. Proinde & homo, qui vult Deum cognoſcere neceſſe eſt, vt fiat Deus imitatiuè, hoc eſt : imitando eius attributa, & operationes, quantùm per humanæ debilitatis conditionem fas eſt. Phariſæi autem quia non ad Deum, ſed ad mundum ; non ad virtutes, ſed ad vitia, ſuos componebant affectus, meritò non cognouerunt Deum. Quod ipſis exprobrat Scriptura ſacra. *Porrò filij Heli, filij Belial ; neſcientes Dominum.* Vbi nomine filiorum Heli intelligit ſacra pagina omne genus Hebræum. Quod inprimis vocat filios Belial, propter Etymologiam ; vox enim iſta Belial, ab Hebræo beliar, ſeu belior deducta, idem eſt, quod tenebroſus : hoc autem maximè Phariſæis quadrabat, qui erant ſummi

Ioann. 8.

1. Reg. 2. n. 12.

ſummi peccatores, & potiùs filij tenebrarum, quàm lucis. Præterea phariſæi in Scriptura ſacra vocantur filij Belial propter proprietatem huius vocis, quæ eſt exaggerata quædam malitia. Quaſi tam inſigniter iniquus ſit, qui hoc nomine exprimitur, vt ipſamet iniquitas eſſe videatur. Porró phariſæi cum eſſent legum diuinarum violatores & contemptores, meritò in ſacris literis nomine iſto Belial veniunt : tanquam homines perditiſſimi, & corruptiſſimis moribus deprauati. Tertiò propter accommodationem Iudaica labes vocatur filij Belial, hoc eſt ; abijcientes iugum diuinum, & recuſantes illi in fide & ſinceritate ſeruire. Quod illis palam exprobrat Dominus apud Prophetam : *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti non ſeruiam.*

Hierem. 2. n. 20.

Sed metuo an etiam modernis Chriſtianis non conueniat iſta denominatio Belial. Paucinè ſunt modò, qui odiunt lucem, opera tenebrarum exercentes ? Proſcribunt virtutem, ſola vitia in ſocietatem vitæ ſuæ adſciſcendo. Pietatem omnem abiurant, fœdis & prorsùs belluinis immerſi voluptatibus. Atque cùm omnibus debeant eſſe ſuo officio vtiles, omnibus prauo exemplo fiunt pernicioſi. Paucinè ſunt, qui ſuorum pondere ſcelerum prægrauati ; ſurſùm ad cæleſtia bona aſpirant, ſed deorſùm ad terrena feruntur : immò neq; alios ad bona ſpiritualia ſurſùm eniti permittunt, ſed omnes peruerſo exemplo, ad ima malorum deturbant. Paucinè inquam modernis temporibus ſunt eiuſmodi, qui excuſſo Chriſtianæ obſeruantiæ & piæ ſeruitutis iugo, exleges viuere volunt ? dùm fiunt prophanatores templorum, violatores ſacerdotij, cõtemptores ipſius numinis, deniq; illuſores omnium, qui Deo mancipati, honeſtatem amplectuntur. Verùm quid ex hac deprauatiſſimâ & impudenter effrænatâ viuendi licentiâ ſequatur, auſcultate ; ignoratio ipſiuſmet Dei. Quæ ſola vnicum & maximum eſt homini malum. nam ſacra pagina poſtquàm vitia Phariſæorum incorrigibilia notauit, protinùs appoſuit : *Neſcientes Dominum.* At quomodò obſecro neſciebant eum, quem vti Deum ſuum profitebantur ? quem in Synagogis prædicabant, in templis colebant. Neſciebant ſanè : quia ſicut duplex eſt notitia de Deo, vna theorica & puræ ſpeculationis, quâ DEVM cognoſcimus & contemplamur. Altera practica & piæ affectionis ; quâ ad Deum colendum & obſeruandum dirigimur, atq; quomodò illi ſeruiendum ſit, edocemur. Ita planè duplex ignorantia de Deo haberi poteſt : vna puræ priuationis, quâ rudes & infideles laborant, Deum ſimpliciter ignorantes. Altera prauæ inclinationis, quâ laborant frequenter etiam docti fideles, ſed improbi ; Deum eiuſq; ſanctas leges contemnendo, & ſæpiùs tranſgrediendo. Phariſæi ergo priorem quidem ignorantiam de Deo non habebant, cùm eſſent legum peritiſſimi, & multi ſacerdotes, quibus nullo modo competit ſimpliciter ignorare Deũ, iuxta illud Malachiæ Prophetæ : *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.* At verò ignorantiam prauæ inclinationis habebant, vt conſtat ex ipſo Ieremia, per quem Deus ſic loquitur : *Et tenentes legem neſcierunt me.* Quaſi diceret : etiamſi ſcirent legem diuinam, Deum tamen neſcierunt, quia grauiter delinquendo non paruerunt voluntati eius. Quod clarius confirmat Apoſtolus in epiſtola ad Romanos : *Cùm* inquit *cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt :* Chaldæus autem vertit : *Non fuerant cognoſcentes ad timendum ante Dominum.* Quia noſſe Deum nihil eſt aliud, quàm laudare opera eius, quàm rectè agere, & benè viuere. Quemadmodùm præter alios intrepretes doctiſſimè exponit antiquiſsimus Origenes, homilia prima ſuper illa verba, *Nouerant omnia opera Domini.* Vbi dicit argutiſſimus iſte doctor : Quis eſt qui cognoſcit amnia opera Domini, niſi qui facit ea ? ſicut enim dictum eſt de filijs Heli, qui erant filij peſtilentiæ neſcientes Dominum ; non

1. Reg. 2. n. 12.

Malach. 2. n. 7.

Ieremiæ 2. n. 8.

Rom. 1. n. 12.

Iudicum. 2. n. 7.

non quòd ignorarent Dominum, qui vtiq; doctores erant cæterorum, sed quia sic agebant quemadmodùm agunt illi, qui nesciunt Deum. Hoc modo etiam de pharisæis intelligendum est : quia omne opus Domini cognouerunt, sed illud non fecerunt. Consentit huic præclaræ expositioni Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Ioannem cap. 11. qui verba Christi Domini in hodierno Euangelio dicentis : *Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Non soli* inquit *cognoscere Deum dicuntur, qui viam mandatorum eius perambulant, neq; ab ea declinant.* Si ergo Iudæi, quia Dei præcepta non obseruabant, in cædem Saluatoris cæca mente ruentes, rectè dicuntur non cognouisse patrem ; nonnè æquiori iure peruersi Christiani dici poterunt Deum ignorare, quem licet confitentur se nosse, factis tamen eundem negant. Meritò inquam Deum dicuntur ignorare etiam viri sapientes nimiùm elati, atq; in suâ doctrinâ, quæ vana est ; plurimùm confidentes. Quoniam quamuis de Deo subtilissimè philosophentur, cum tamen propter suam arrogantiã, neq; colunt neq; timet. Sic expresse docet D. Bernardus serm: 23. in Cant. *Aliud* inquit *est nosse Deum, aliud timere : nec cogitatio sapientem, sed timor facit, qui & afficit. Quis enim illos sapientes, nisi insipientissimus dicat ? qui cùm cognouissent Deum, non tanquàm Deum glorificauerunt. Ergo magis cum Apostolo sentio, qui insipiens cor eorum, manifestè pronuntiat.* Et comprobat D. Chrysosthomus tom. 5. serm: contra desperationem : *Sicut* inquit *sapientiæ initium Dei est timor ; ita insipientiæ eiusdem ignoratio.* Vbi manifestè videtis Catholici, Dei timori, opponi eius ignorationem : quasi hanc habeat, qui illo caret ; & Deum ignoret, qui Deum non timet. E contra verò qui Deum timet, quamuis totius Philosophiæ ignarus sit, sapientissimus tamen habetur. Quod acuminosè tetigit D. Gregorius Nazianz. Deum sic definiens : *Deus* inquit *est, quem omnia nesciunt, omnia metuendo sciunt.* Quia Dei cognitio non tàm speculando, quàm potiùs timendo, atq; diuinis præceptis obediendo comparatur, iuxta illud Euangelistæ effatum. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Agnouit hoc perbellè magnus ille & felicitate & sanctitate Rex Dauid, qui iam iam moribundus filium suum Salomonem, & Regni heredem, in hunc modum allocutus est. *Tu* inquit *fili mi, scito Deum patris tui, & serui ei corde perfecto, & animo voluntario.* Quasi ostendere vellet, Dei cultum esse summam sapientiam ; & Dei contemptum maximam ruinam. iuxta illud Apostoli, *si quis ignorat, ignorabitur* : hoc est, si quis Deum contemnit in hac vita, is in futura à Domino contemnetur. immò etiam in hac vita non abibit inultus, sed reijcietur à Domino Deo, iuxta illam comminationem : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te.* Propter hanc Dei ignorationem perijt Lucifer, & æternæ perditioni traditus est : quia odori virtutum, donorum, & gratiarum, quibus fuit ornatus, perfrui volebat ; gloriam & honorem inde procedentem sibi aucupando : à Deo autem quasi ignoto, per inordinatam suæ pulchridinis complacentiam recedendo. Cui propterea illud dictum est (vt notat S. Thomas 2. 2. q. 145. Dist: 2. ad 3.) *Eleuatum est cor tuum in decore tuo ideo in terram proieci te.* Noluit Rex Tyri agnoscere Deum in rectè factis, quoniam gloriam & honorem, quem in Deum referre debebat, propter diuitias & potentiam. quibus hominum in oculis clarescebat, in suum voluit vsum conuertere, Ideò derelictus est à Domino Deo, & quasi vile mancipium in lanigenam hostib⁹ traditus. *Eò quòd eleuatum est cor tuum, quasi cor Dei, scilicet intendens gloriam, quæ tantummodò Deum decebat, idcirco ego adducam super te alienos robustissimos, qui interficient te.* Ignorauit Deum impius Herodes, quandò splendore regio fulgens, gloriam ab adulatoribus sibi delatam, quam Deo tenebatur seruare,

Cyrill⁹ Alexandr. — Bernard⁹. — Gregorius — 1. Ioan. 2. n. 4. — 1. Paralip. 28. n. 6. — 1. Corint. 14. n. 4. — Oseæ 4. n. 6. — Ezech. 28 n. 6.

re, acceptauit. Sed ideò manifestas dedit pænas, quia percussus ab Angelo subito expirauit, vt habetur in actis Apostolorum.

D. Ioannes Chrysosthomus hom. 1. & 4. in illud 4. Reg. 15. n. 1. *Vidisti Dominum :* miratur Regis Oziæ percussionem, quem Dominus insanabili lepra percusserat, ita vt propterea vitam cum morte commutauerit. Et quidem iure meritissimo miratur : res enim grandi stupore digna est. Nam Ozias fuit Rex, qui fecit quod rectum erat in oculis Dei, cumquè requireret Dominum, duxerit eum Dominus in omnibus, vnde insignes, comparauit victorias, resque grandes fuit adórsus. Hinc egressum est nomen eius procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum. Nihilominùs tamen percussit eum Dominus : *orta est enim lepra in fronte eius coram sacerdotibus, in domo Domini super ;* id est iuxta altare Tymiamatis : *& sacerdotes festinatò expulerunt eum, & fuit leprosus vsq; in diem mortis suæ.* Quærit ergo causam D. Chrysosthomus, cur tam grande supplicium huic Regi intulerit Dominus, qui teste scriptura fecerat quod rectum est in oculis eius ? Docetque tandem, rationem huius pænæ eam fuisse, quòd Deum ignorauit. Quando gloriam & honorem non quidem ipsi Deo, sed eius sacerdotibus reseruatam, super altare Tymiamatis suffimentum & oblationem offerendi, sibi arrogare ausus est, volens adolere incensa. Cùm enim Ozias roboratus esset : *Eleuatum fuit* (inquit sacra pagina) *cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.* Si ergo propterea solum, quòd Rex iste sibi vsurpare auderet, quod ad solos sacerdotes pertinebat, scilicet vt offerret Tymiama Deo, adeò horrendè punitus fuit ? Nonnè multò acerbiore pænâ plectetur ille, qui odorem soli Deo reseruatum sibi vsurpare præsumit. Et tamen in hoc peccati genus sæpè incidunt, qui cùm bona opera faciant, contendunt odorem laudis, ex illis procedentem in seipsos conuertere. Quod certè diabolo proprium est : ille enim qui quasi prædator in viâ ex primordijs suæ conditionis, voluit Dei gloriam sibi vsurpare, & nunc bona opera, quæ in Dei obsequium à nobis fieri conspicit, totis viribus furari conatur ; excitando desiderium & appetitum inanis gloriæ. Suadens Dei mandatum contemnere, terrena appetere, & in vetitum scelus resoluto ausu propendere. Cùm autem plurimos in Christianitate videat, qui eligunt semitam illam strictam, quæ ducit ad vitam æternam. Cùm inquam eos videat, quòd semitam hanc iustitiæ & legis diuinæ perambulent, per opera sancta mortificationis, pœnitentiæ, religionis, & cæterarum virtutum. Istis se exhibet tanquàm cerastem, qui exiguus serpens est, summâ tamen cupiditate exoptans deijcere equitem, quem videt generoso currentem equo. verùm cùm id præ suâ pusillanimitate nõ facilè possit præstare, inter pulueres se abscondit, & illo transeunte mordet vngulas equi, vt recalcitrans equus, equitem retro deijciat. Sic planè diabolus, dum videt iustum & sanctum hominem, per strictam virtutis semitam currentem, quem non potest impedire in bonis operibus, inter pulueres humanarum laudum sese abscondens latenter vngulam, id est : rectam intentionem mordere conatur, appetitum inanis gloriæ callidè ingerens, vt generosum animum Dei gloriam intendentem, à sublimi intentione deturbet.

Quod si suadenti hosti in tanto virtutum gradu constituti fideles consenserint, condolet infelici eorum sorti Thadæus sanctus, epistolâ suâ canonicâ : *Væ* inquit *illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Vbi tria personarum genera exprimuntur, quibus Apostolus sanctus grande comminatur supplicium, præmittens illam comminatricem interiectionem *Væ ;* quæ quoties in sacris literis inducitur (teste Chrysost. hom: 2. in Genes ; & lib. de Virgini-

Actorum 12. n. 21. — 4. Regum 15. n. 1. — 2. Paralip. 26. n. 15. — Thadæus. — Chrysost.

tate

tate cap. 21.) ſemper horrendam, maximam, & irremiſſibilem pænam portendere ſolet. Inprimis per illos, qui in viâ Cain abierunt, exprimit Scriptura ſacra homines inuidos. Hoc namq; fuit peccatum Cain, per quod ad execrandum fratricidium peruenit: Genes. 4. *Quare iratus es, & quare concidit facies tua? nonne ſi benè egeris, recipies.* Quaſi diceret: non imputes fratri tuo, quòd à Deo contemnaris, ſed tibi; qui ſi ſimilis illi volueris eſſe, ſimiles reportabis fauores. Deinde per eos qui in contradictione Core perierunt, ſignificantur ſuperbi & ambitioſi, qui frequenter illis, qui ſibi ab alto præpoſiti ſunt, rebelli ſe contradictione opponunt. Deniq; per eos qui cum Balaam mercede effuſi ſunt, ſignificantur homines vani, qui pro ſuis rectè factis, non apud Deum, ſed apud homines præmium temporale quærunt. Balaam enim fuit quondam falſus propheta, qui cùm à Rege Balac, vt populo Dei malediceret, accerſitus fuit, veriſſima eum prophetaſſe docent Origenes, Auguſtinus, Baſilius, Chryſoſthomus, ideò; quia tunc (vt probabiliter cenſet D. Gregorius) grandi Spiritu Dei fuit illuſtratus, per quem cognouit veri DEI maieſtatem, & populi illius excellentiam, & felicem ſortem eorum. qui illi obſequuntur. Vnde etiam prophetando exclamauit: Num 23. *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Licet ergo ſpiritu prophetico illuſtratus eſſet, inter maledictos tamen à Scriptura ſacra numeratur, quia mercede effuſus fuit: quoniam verba quidem prophetiæ in ore habuit, ſed in corde deſiderium mercedis, & cupiditatis pecuniæ à Rege percipiendæ. O quot in modernâ Chriſtianitate reperiuntur tales prophetæ, quos Dominus repleuit Spiritu ſancto, & dedit eis intelligentiam in obſcuritate ſcripturarum, vt ſint Eccleſiæ ſanctæ ornamento, & vtilitati; populo autem magiſterio & exemplo. Sed pro dolor! effuſi ſunt mercede Balaam, quandò non iam eos DEI gloria, ſed terreni honoris ſpes; non Eccleſiæ ornandæ amor, ſed pecuniæ quærendæ cupido; non religionis propagandæ feruor, ſed elatæ facundiæ oſtentatio; non deniq; cura ſalutis populi, ſed inanis hominum complacentia, accendit. Quaſi verò Deus talem noſtrum laborem ſit acceptaturus, qui non ex corde, ſed tantùm ex ore; neq; ex ſincero animo, ſed ex ſimulato procedit. Verendum profectò eſt, ne nobis adeò fraudulenter cum Deo procedentibus illud eueniat, quod Menecrati quondam medico, qui hominum tantùm fauores captans, eò iam ſuperbiæ deuenerat, vt ſeipſum Iouem appellaret. Quem ad ſplendidum conuiuium Philippus Macedo inuitans, ſeparatam ei menſam iuſſit apparari, & aſſidenti ſuffitum fieri imperauit. Quo ille plurimùm delectatus, ſed fame tandem vrgente, cùm cæteris epulantibus nihil ipſi aliud apponeretur, deluſus & confuſus à menſa abijt. Ne inquam & nos, quos hæc terrena nimiùm oblectant, inuitati tandem ad magnam illam menſam cœleſtis patrisfamilias, deluſi vanitate mundi, & confuſi præſentiâ Regis æterni, in perpetuam famem, & ſuffitum infernale abeamus.

Verùm ecce præeuntem habemus Chriſtum Dominum, qui & in ſummis laudibus, quas illi turba deuota acclamabat; & in conuitijs pariter, quæ arrogantia Phariſæorum in eius innocentiſſimam ſanctitatē iactabat, adeò humilis & patiens exſtitit, vt non humano ore, ſed ſolius æterni patris voce glorificari voluerit. Nobis exemplum præbens, quomodò infenſum & deteſtabile inanis gloriæ vitium fugere debeamus. cùm ad cognoſcendum perfectè Deum, & in patria beatâ æternis temporibus ſpectandum; non ſufficiat patrem omnipotentem fateri Deum ſuum, niſi & rectè factis in hac mortali vitâ à confitentibus celebretur. Igitur & vos Catholici Ducem veſtrum Chriſtum ſecuti, nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, quia vana ſunt. Sed patienter omnia quæ Deus probandi causâ immittit, tantilum ſuſtinendo, & rectè

& rectè ac ſanctè agendo, ſicut decet populum fidelem, nolite vobis vanam apud homines conciliare laudem, donec pater æternus, vos filios ſuos legitimos & Chriſti hæredes agnoſcens, clarificet immutabili felicis illius beatitudinis gloriâ, cui ſit honor per infinita ſæcula.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. *Ioannis 8.*

Dies quem vidit Abraham, fuit reuelatio Trinitatis, Incarnationis, & Chriſti paſſionis.

MAgnum illud Chriſti Eccleſiæ lumen D. Auguſt. cuius ſublimem ſapientiam & ſanctitatem, ſingularem vitæ innocentiam & animi integritatem admirando, attonitus planè hæſit celeberrimus ille Poſſidonius. Tribus potiſſimùm tenebatur deſiderijs: primò ſcilicet, vt celebrem alicuius Romanorum triumphum ſpectare poſſet. Altero vt diuinum illum ſacræ eloquentiæ fontem, B. Paulum prædicantem audiret. Tertiò demùm, vt Chriſtum Dominum in carne paſſibili, proprijs oculis intueretur. Sed ecce alterum in felicitate parem, in ſanctitate ſimilem, in virtutibus æqualem, nobis æterna veritas hodiè proponit virum, ſcilicet fidelem Abrahamum: tria etenim illa pariter ardentiſſimè appetijt. D. Auguſt. triumphantium illam Romanorum gloriam, tàm admirabilem atquè viſu dignam eſſe exiſtimauit, vt eàm ſpectare, toto animo cuperet, Iuſtus Abraham, maiori admiratione & ſtupore dignum cenſuit, Chriſti in terras aduentum, appetens triumphum illum videre; quem non creatura, ſed creator ipſe & rerum omnium opifex, non purus & qualiſcunq; homo, ſed homo ſimul & Deus, non vnus ſuperbiſſimæ vrbis Romanæ imperator, ſed cœli & terræ Dominus, nō de hoſte, carne, & ſanguine compacto, ſed de peruerſis ſpiritibus, mundi huius Principibus, ac infernalium tenebrarum rectoribus, glorioſè referre debuit. Quem certè triumphum ſpectauit in ſpiritu B. Ioannes: Apocal. 6. *Vidi* inquit *& ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Quæ verba doctiſſimus Primaſius (Primaſius ſuper c. 6. Apocal.) hoc modo interpretatur: inquiens equum iſtum album ſignificare innocentem Chriſti humanitatem, propter ſanctitatem eius ſummam. Per ſedentem verò ſuper equum vult intelligi diuinum verbum: quoniam hoc rebus omnibus ſupereminet. Per arcum & ſagittas, dicit ſignificari arma, quibus omnes ſuos hoſtes atquè inimicos Chriſtus debellauit. Hoc eſt; primò peccatum, vt nos ex illius eriperet ſeruitute: deinde mortem; vt non ampliùs illam homines pertimeſcerent: tandem dæmonis ſuperbiam, atq; elatam eius arrogantiam, & totum infernum, prædâ ſuâ illum ſpolians. B. Aug. dulci nectare, & ambroſiâ loquentem Paulum audire deſiderabat. Gentis Iudaicæ & multarum nationum pater Abraham, vocem ipſius Chriſti, deſideratam mundo ſalutem reſonantem, ſummo conatu auſcultare appetijt. D. Auguſt: Chriſtum in carne paſſibili videre, proprijs oculis ſatagebat. Perfectus Abraham nihil magis oculis ſuis cernere appetebat, quam repromiſſionē ſeminis ſibi à Deo factam, expectans adimpletionem diuini illius vaticinij. *In te benedicentur omnes gentes.* Hoc eſt: quòd ex familia illius, Dei filius naſciturus eſſet. Nec certè in caſſum abijt hæc eius cunctatio: ſed ſpes præconcepta votorum magnitudinē adæquauit, dicente ipſamet incarnatâ veritate: Ioann. 6. *Vidit & gauiſus eſt.* Quid ſit igitur iſte dies Domini, & quomodò illum viderit Abraham, multò tempore ante Chriſtum mortuus, hodiè edifferemus.

Magna eſt controuerſia inter Doctores Eccleſiæ Sanctæ, qualemnam, & quando diem Chriſti Domini viderit

rit iustus Abraham. S. enim Gregorius hom: 18. in Euangelia diem illum fuisse censet, quando mysterium Sanctissimæ Trinitatis reuelatum fuit Abrahamo in conualle Mambre. Gen. 18. Vbi inquit Scriptura sacra: *Apparuerat Dominus Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi sui* Et cùm eleuasset oculos procul apparuerunt ei viri tres, quos ille Dei vnius figuram esse agnoscens, non tanquam plures, sed tanquam vnum est allocutus in hunc modum. Ibidem. *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Et profectò hæc altissimi arcani reuelatio, omnem creatum excedens intellectũ, meritò diei Domini nomine venit; quia sicut dies tenebras caliginosæ noctis dissipat; sic manifesta illa Dei personarum visio, sustulit omnem errorem & occasionem, inæqualitatem aliquam de sanctissima Trinitate sentiendi. Verùm magno reuera mysterio singula huius diuinæ apparitionis verba non carent. Nam cur non alibi, sed in valle apparuerit Dominus Abrahamo? eâ puto de causâ, vt per conuallem, locum humilem & depressum figuraret, significans se non alijs, nisi corde humilibus, & inflatione animi carentibus velle apparere, eisq; occulta & sublimia reuelare. Iuxta ipsiusmet Matth. 11. Christi Domini sententiam: *Gratias tibi ago pater, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* id est humilibus: nam quis verè paruulus, nisi qui omnem fastum calcat. Quemadmodùm enim fulgentes cœlo stellas diurno tempore nemo videt, non quòd illæ fulgore tunc careant, sed quia humanus aspectus nimiâ solis luce præpeditur, ne ad subtilissimos stellarum radios tunc pertingat. Tradunt nihilominùs Astrologi, quòd si quis profundissimum ingrediatur puteum, ad cuius ima fulgor solis non penetrat, easdem stellas in firmamento optimè possit intueri. Stellæ profectò istæ micantes sunt ipsa diuina mysteria, & fidei Catholicæ articuli, quos si ad rationis nostræ radios inspicere & trutinare voluerimus, caligine potiùs, quàm luce, mens nostra perfundetur. Verùm si cum humili ad fidei nutum obedientiâ non in arduo humanæ sapientiæ vertice; sed in humili conualle, & omnimoda submissione eosdem considerauerimus cum obsequente Abrahamo, Deo mentem nostram illuminante, facilè ea omnia cognoscemus, quæ supra nos sunt. Et quid plerosq; Hæreticos in tam vastam errorum omnium abyssum præcipitauit, vt infidelitate semel absorpti, emergere ampliùs nequeant? certè ideò solum, quia cùm nimium proprio fidant ingenio, pertinacem in obsequium fidei suam voluntatem captiuare nolunt. Sed ecce quò altiùs euolare conantur, eò miserabiliùs & profundius corruunt.

Alterum mysterium ista Dei apparitio in se continet: quia Dñus apparuit Abrahamo sedenti. Quid est? nonne decebat ô æterna maiestas, vt Abrahã stans, non sedens, omnem tibi tunc exhiberet reuerentiã. Sed discite mortales ex hoc Abrahami exemplo, ad cognoscendam & sæpiùs considerandam Trinitatis imaginem, necessariam esse vobis mentis tranquillitatem, atquè motuum & perturbationum securam quietem, quâ deficiente à diuinarum contemplatione rerum, mens nostra repellitur. Nam sicut aqua dùm quiescit & lucida est, rerum imagines pulchriùs repræsentat: quòd si fluctuet, aut agitetur; nihil prorsùs illarum nobis exhibet. Ita planè mens humana quousq; mundanis æstuat affectibus, nullas refert honesti species, nullas diuinarum imagines rerum; at verò, cùm bonæ conscientiæ fruitur pace, ipsam perspicuè Dei effigiem clarè exhibet.

Tertium mysterium diuinæ istius apparitionis est: quia dicit Scriptura sacra, Dominum apparuisse Abrahamo sedenti in ostio tabernaculi. Quid tabernaculum istud? nisi nostrum corpus mortale est, iuxta illud Apostoli: Petr. 2. c. 1. *Certus sum, quòd velox sit depositio tabernaculi mei*; scilicet corporis. Hoc est profectò tabernaculum, intra quòd, dùm anima nostra moratur, sensibus quidem quasi vinculis capta tenetur;

tenetur; cogitatione tamen & affectibus pijs foras erumpere, & neglectâ terrestri conuersatione, cœlestem quærere contendit. Ecce Abraham dùm non terram, sed cælum intueretur, Deus in tribus personis illi apparuit; vt & naturæ indiuisæ vnitatem, & personarum simul pluralitatem demonstraret. Scribunt naturalistæ de miluo, quòd ille in sublime quidem euolat, sed tamen oculos semper in terram detorquet, vt prædam quam quærit, ibi rapiat. Naturam profectò milui, & mores, non pauci nostrum imitari videntur: qui erigunt quidem mentem suam in sublimia, & ipsas cæli nubes transcurrere videntur; sed tamen milui instar insatiabili rerum humanarum cupiditate hiantes, terram respiciunt, vt inde prædam aliquam temporalem, scilicet opulentiam aut dignitatem rapere possint. Quibus Daniel 13. hanc imprudentiam exprobrat Scriptura sacra: *Euerterunt* inquit *sensum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent.* Verùm nos non insensati milui, sed perspicacis Aquilæ Christi, ductum sequamur. Cœlum ille semper irretortis aspicit oculis, & nos diuino spiritui obtemperantes, non ad terram inanis desiderij oculos deflectamus, sed in cælum propiùs erigere conemur, vbi dignam hominis animo prædam possimus inuenire, quam nos die ac nocte expedit meditari.

Quartum huius diuinæ apparitionis mysterium est, quod Abrahamo tres illi viri apparuerint in ipso feruore diei. per quod puto Deus significare voluit diuini amoris necessitatem: quò enim in aliquo feruentior extiterit amor in Deum, eò præstantiorem arcanorum DEI cognitionem habere potest. Quia hanc plus iuuat charitatis ardor, quàm subtilis ingenij acumen; magis prodest si pietate mens delibuta fuerit, quàm multorum annorum studio literarum labor impensus, potissimum si vitiorum Albertus Magnus. impediatur affectibus. Scribit Albertus magnus, quòd ouum si ab eo vitellum & albugo extrahatur, atquè impleatur cœli rore, apponaturque stanti lanceæ, vbi primùm solis ardentibus radijs calefieri incæperit, facilè sursùm per lanceã ascendat. Ouo planè similis est hominis animus, qui si diuinorum cupit assequi mysteriorum intelligentiam, necesse est extrahi omnem ab illo impuritatem, & carnis consortium excludi. Caro enim pondus est grauissimum, quo mens nostra deprimitur, iuxta illud Sapientis: Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Fælix certè quem diuinus amor ita potenter in suam allicit contemplationem: fælix quem ardor cœlestis illius charitatis ita vulnerat, vt diuinis semper aromatibus postulet inuolui. Sed non eandem amoris sui vim Dominus singulis impertitur, verùm quibusdam igne fortiorem, quibusdã verò niue tepidiorem.

Pulchrè hoc figurarunt Antiqui, pingentes diuinum amorem duas habentem sagittas: vnam plumbeam, auream alteram; cuius pedes Gryphi pedibus similes erant. Et aurea quidem (vt Pòëtæ fabulantur) dilectos tantùm vulnerabat, plumbea verò infestos & inimicos percutiebat. Hinc cognoscite Christi fideles, quo amore vos Deus prosequatur, & quo vicissim eum redametis Si enim igne fortiùs mens vestra succenditur desiderio Dei videndi, aurea est sagitta; quia auro pretiosioribus Dei Charismatibus animum vestrum implet. Quòd si tepescit anima vestra cœlesti illo feruore, plumbeam sagittam ponderate. Plumbum ab igne amotum statim concrescit, & & in humanam perniciem subministratum est. Quos enim Deus despicit, & suâ charitate spoliat, plumbo citiùs obdurantur, & æternam sibi propinant mortem.

Iam verò Lyranus diem hunc, quem vidit Patriarcha Abraham, vult esse Lyranus supra Ioannem. diem incarnationis Christi. Dum enim spectaret in spiritu oculis fidei & cordis lucem de Deo fulgentem, mirâ gestiens lætitiâ exultauit: propterea, quòd tunc Christum nasciturum in carne, & pro homine vt redemptorem passurum cognosceret. Cæterùm D. Chrysosthomus hom. 54. in Io- Chrysost.

A ann: diem hunc appellat Chriſti paſſionem. Cùm enim ad experiendum obedientiã Abrahæ, ſimulq; ad oſtendendum futuram IESV Chriſti paſſionem, præciperet Deus Abrahamo, vt filium ſuum vnigenitum Iſaac immolaret, tunc ſtatim Abraham de nocte ſurgens, & nemini quid facturus eſſet aperiens, ſumptis lignis atq; igne, ſolus cum filio montem conſcendit. Et cùm iam filium ſpontè ſuâ in mortem propiam conſentientem, eleuato gladio immolaturus eſſet, ſubitò Angelus manum extenſam illius cohibuit, ne puerum interimeret. Vbi reſpiciens poſt tergum Abraham, vidit arietem, inter vepres hærentem cornibus, quem arripiens ſui loco nati immolauit. Quid quæſo facto illo Deus voluit ſignificare? ſuam certè in genus humanum propenſionem. Abraham enim à ſacris literis interpretatur multarum gentium pater: in quo nobis vniuerſi mortalium generis, creator Deus conſiderandus proponitur. Per Iſaac Filius æterni Patris incarnatus, pro mundi huius in C maligno poſiti delictis immolandus nobis manifeſtatur. Per arietem loco Iſaac oblatum oſtenditur impatibilis Chriſti diuinitas, quòd ſcilicet ſola eius caro omnes ſuſtulerit cruciatus, quaſi innocens aries hærens inter vepres & aculeos peccatorum. iuxta illud Apoſtoli: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo.* Verùm ſi diem hunc, id eſt Chriſti paſſionem vidit Abraham, quomodò illi Scriptura ſacra attribuit gaudium in illa viſione? inquiens: *Vidit & gauiſus eſt.* Siqui- D dem in morte Chriſti communis fuit omnium dolor, adeò vt ipſum tunc cœlum, lugubri amictum habitu terram operiret, Sol eclipſatus dimanantes negaret radios, Luna obſcurata ſolitam obtegeret claritatem, terra pauida cerneretur, & ſaxa inuicem ſcinderentur colliſa. quin immò & ipſi Angeli iuxta magnorum opinionem Doctorum, aſſumptis corporibus aëreis, lachrymis mærorem ſuum teſtarentur. Quod prædixit propheta: *Angeli* inquit *pacis amarè flebunt.* Quomodo ergo in tàm acerba Chriſti viſionis paſſione Abraham lætari potuit? dum tantus eſſet vbiq; dolor, vt deficiente Domino in cruce, omnia ſimul deficere, & diem ſuum claudere cuperent, Quemadmodùm fatetur S. Leo de paſsione Domini: *In obitu* inquit *conditoris ſui, volent omnia finiri.* Sed eſt profectò, quod paſsionē Chriſti meditantem hominem ſummoperè recreet, atque in lætitiam rapiat. Cùm enim Deum & hominem ſimul pati recogitas, ſubitò te ſummus horror inuadit, vt à peccatis abſcedas: quibus multò maiorem Deo incutis dolorem, quàm ſi omnes corporis cruciatus illi perferendos obijceres. Ac proindè cùm diuinæ paſsionis recogitatio, hominem à peccaminoſis affectibus liberum faciat: iurè meritò, cui illa in mentem venerit, is lætitiâ impletur. Agnouit hoc D. Paulus, quòd meditatio Chriſti paſsionis plurimum valeat ad hoc; ne triſtitiâ exſiccante oſſa cor hominis contabeſcat, aut aduerſitate rerum animus deficiat. Nam ad Hebræos 12. inquit: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduersùs ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Sicut enim nulla gratior cogitatio venire poteſt in mentem captiuo, aut ære alieno oppreſſo, quàm ſi paratam pecuniam, & in ſui redemptionem, debitorumq; ſuorum ſolutionem, pretium iam exhibitum videat. Ita planè, cùm miſer peccator ſit captiuus, iuxta illud Apoſtoli: *Qui facit peccatum, ſeruus ſit peccati.* Cùm ſit inquàm captiuus diaboli, ſub cuius æterna ſeruitute illum degere neceſſe eſt, cùm ſit debitis peccatorum innumeris grauatus, quibus nulla hominum ſatisfactio ſoluendo eſſe poteſt. quid gratius illi venire poterit in mentem memoria paſsionis Chriſti? quæ prætium noſtræ redemptionis, & omnium condignam ſatisfactionē debitorum exſoluit. Dulcis hæc erat recogitatio cœleſti ſponſæ, vt teſtatur Sapiens Prouerb. 2. *Sub vmbra eius quem deſiderabam, ſedi & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et quæ carior ſponſa Chriſto eſſe poteſt, quàm anima fidelis: quàm ille ſibi ſuo ſanguine æternum deſpondit.

Gen. 22.
S. Leo.
S. Baſilius.
1. Petri 2.
Ioann. 8.
Ioann. 8.
Iſaiæ 32.
Prou. 2.

A Huius vnica dulcedo eſſe debet, vt cùm iam ſancta Eccleſia, amaram Chriſti paſsionem recoligit, ſub hac vmbra crucis diuinæ, deuoto ſæpiùs animo conquieſcat, totis viſceribus recogitans, maiorem in Chriſto fuiſſe commiſerationem, quâ nobis peccatoribus compati dignatus fuit; quàm paſsionem ipſam, & multitudinem tormentorum, quæ pro nobis pertulit. idq; tribus de cauſis. Primò ſcilicet, quia B paſſio cùm in corpore ſuſtineretur, propter eius vnionem cum anima, etiam ſpiritum ipſum feriebat. At commiſeratio eius ſuper humano lapſu, ortum habuit à ratione, & cùm in ipſo ſpiritu immediatè reſideret, fortiùs quàm dolor paſſionis angebat. Secundò, quia tempore paſſionis, Chriſtus Dominus re ipsâ tantummodò ab ipſis carnificibus cruciatus fuit; at verò in anima tot iterum atq; iterum crucifigentes ſeſe habet, quot hominum peccatis in dies offenditur. C Quorum tam grauiſſimis crebrò caſibus condolens, multò maiorem & acerbiorem ſuffert mærorem; quàm corporis mortificationes ſuſtulit. Tertiò, quia obiectum commiſerationis Chriſti, fuerunt peccata noſtra, & nos omnes, quatenùs peccatis obnoxij: compaſſionis verò eius, pænæ tantummodò & tormenta. Atque cùm deteſtabiliora ſemper ſint mala culpæ, quàm pænæ dubium non eſt, quin diuina mens magis doluerit de ipſis delictis, quibus offendebatur, quàm D de pænis, quas patiebatur. Fatetur hoc clarè S. Bonauentura in 3. diſt. 15. q. 3. vbi de Chriſti commiſeratione ſic loquitur: *Quòd iſte dolor intenſior fuerit, colligitur ex duplici ſigno, vnū eſt; quòd maluit animam ſuam à corpore ſeparari, quàm quòd nos eſſemus à Deo ſeparati: aliud verò ſignum eſt, quòd fleuit pro peccatis noſtris, ſed non fleuit pro pænis corporis ſui.* Et hæc certè cauſa puto erat, cur Deus Num. 4. præcepiſſet Moyſi, vt ſerpentem æneum in altum erigeret, vt quicunq; percuſſus aſpiceret illum, mox à lethali ſanatus morſu viueret. Quo mirabili artificio ſapienter Iudæis compulerat Dominus, vt ſerpentis illius non immemores, frequenter in eum oculorum aciem intenderent. Figura vt video hæc Chriſti Domini, qui in ſimilitudinem ſerpentis illius in cruce exaltari voluit. Quo facto munitos eſſe nos intendebat, frequenter nobis mentis aciem in Chriſtum crucifixum dirigendam eſſe? vt quicunque lethali vulnere in anima ab infernali illo ſerpente percuſſus eſt, ab hoc iterum in cruce pendente velut efficaciſſimo antidoto ſalutem recipiat. Quemadmodùm indicat ipſemet Chriſtus Zachariæ 3. *Et ego* inquit *celabo celaturam eius.* Hoc eſt (vt exponit S. Gregorius) ego meis vulneribus vulnera languentium hominum ſanabo. Qui enim ſæpiùs aſpexerit manus crucifixi, facilè ab inimicorum vindicta continebit ſuas. Qui attentiùs conſiderauerit felle & aceto Chriſtum in cruce ſitientem fuiſſe potatum; haud difficulter à delicatiſſimorum epularum, & exquiſitiſſimorum ingluuie ciborum ſeipſum coërcebit. Qui adeò liberalem Chriſtum & munificum ſeriùs intuebitur, vt totum ſuum ſanguinem pro peccatoribus effuderit, ſubitò execrandam deteſtabitur auaritiam. Qui deniq; tàm ingenti animi mærore, ac totiùs corporis dolore confectum IESVM inſpexerit, illicò libidinoſos veneris motus comprimet, & laſciuientem ac indomitam carnem, ab illicitâ voluptate retrahet. Sicq; crebra Chriſti paſſionis memoria, & aſpectu myſtici huius ſerpentis in altum erecti, quilibet mortalium, efficaciſſimè medebitur.

Ad extremum S. Aug: lib. 2. contra Pelagium cap. 27. & ſerm: 70. de tempore: per diem illum Chriſti quem Abraham vidit, intelligi vult æternitatem Chriſti, & eius diuinitatem. *Incertum eſt* (inquit ibidem Auguſt:) *an diem temporalem intelligat, quo erat venturus in carnem, an verò diem æternitatis, ſed vtrumq; Abrahàm vidit.* Vidit autem non reipsâ, ſed in ſpecie reuela-

S. Bonau.
Num. 4.
Zacha. 3.
Gregorius
S. Auguſt.

reuelationis, quando ipſi longo iam interuallo cum patribus in limbo quieſcenti, reuelatum eſſet, aduentum Chriſti iam expletum eſſe. in qua certè viſione, omnem creati intellectus intuitum longè ſuperauit. Et ſi quondam arguebat Plato Græcos in Timeo, quòd pueri eſſent, & in nullo reperiretur cana ſapientia. Profectò exceſſit omnes ſapientes, Græcos, Perſas, Arabes, & omnes mundi Philoſophos, ipſumq́; diuinum Platonem, qui diem æternitatis in Chriſto atq; redemptionis in ſpiritu meruit videre. Et quid vobis qui Chriſti membra eſtis, magis conſentaneum eſt, quàm vt æternitatem ſæpiùs meditemini. Non tàm enim facilè ſuæ quiſq; prodigus eſſet vitæ, ſi in ipſam interminatam æui durationem oculos ſæpiùs conijceret : probante hoc ipſum magno & arguto Ethnicorum Philoſopho Seneca cap. 14. de breuitate vitæ. *Quidni* (ait) *ab hoc exiguo & caduco tranſitu, in illa nos toto demus animo, quæ immenſa, quæ æterna ſunt, quæ cum melioribus communia. O quàm multi erunt, quos aut ſomnus, aut luxuria, aut inhumanitas ſubmoueat : quàm multi, quos heſterna crapula ſemiſomnes & graues, illis miſeris ſomnum ſuum rumpentibus damnatis, oſcitatione dolendâ aſſociabit.* quia cùm æternitatem minimè cogitarent, in æternitatis deplorationem abire cogentur. Feliciores ego vos omnes cenſeo feliciſſimo Abrahamo, qui iſto tempore diem hunc paſſionis Chriſti expreſſè iam incipitis videre. (Seneca)

Sed vt faciliùs in eius contemplationem abeatis, tria potiſſimùm vobis neceſſaria ſunt. Primò, vt ab illis vitijs, pro quibus DEI Filius diluendis paſſus eſt, ſedulò caueatis : & ſi in aliqua iam veſter irrepſit animus, per quadrageſimalem pænitentiam, & paſchalem quæ hodiè incipit confeſſionem accuratiùs eluatis. Ne vobis obijciatur illud quod Iob. 24. deplorat Scriptura ſacra inquiens : *Dedit illi Deus tempus pænitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Si enim Philippus reſponſum accipiens in æde Trophonij, vt caueret ſibi à curru, ita rigidè oraculum ſeruauit, vt nuſquàm poſtea currum ingredi vellet. Nonne maior & delectabilior nobis vita, animæ noſtræ eſſe debet, quam corporis Philippo, vt tantò magis vitemus peccata animam inficientia, quantò ſeueriùs crucis trophæum illum nobis minatur interitum : *Stipendium peccati mors.* Ad hanc certè delictorum expiationem incitant nos grauiſsima, quæ ex peccato oriuntur mala. Inprimis tenebræ quas incurrit peccator, ob auerſionem ab incommutabili bono, & conuerſionem ad commutabile : in quibus homo cæcutiens nihil videre poteſt, niſi ſuum illi Deus impertiatur lumen. Vrget nos præterea culpa & crimen commiſſum in ipſam Dei clementiam. Vrget inſuper macula horrendâ nigredine animas noſtras peccatrices deturpans, quam nonniſi ſolâ Dei gratia redintegrare & conſolidare poteſt. Vrget demum reatus & obligatio ad æternam pænam, vbi erit fletus & ſtridor dentium, vbi nec pænitentia, nec clamor, nec deteſtatio peccati valorem ampliùs habebunt. Agnouit hanc peccatorum grauitatem Ethnicus Orator officiorum 1. vbi dicit : *præter culpam & peccatum nihil poteſt homini accidere, quod ſit horribile atq; pertimeſcendum magis.* Alterum, ſi diem Chriſti paſsionis non tantùm videre, ſed eius etiam fructum ſentire volumus, neceſſe eſt ; vt renouando iam in nobis Chriſti mortis memoriam, gratias illi pro tanto beneficio, quòd pro nobis pati dignatus ſit, ſeriò agamus Hoc ſuadetur nobis Exodi 12. vbi præcipitur cum lactucis agreſtibus agnus comedi. Et quis eſt obſecro iſte agnus, niſi paſchalis, niſi ille qui tulit peccata mundi, qui nobis iam hodiè ſumendus proponitur. Sed neceſſe eſt in eius ſumptione, ſuccum amarum cor noſtrum implere ; illam ſcilicet altam cogitationem, quòd filius Dei innocens pro nobis occiſus ſit. Cui vt monet Apoſtolus : *In omnibus gratias agite.* Miratur Plinius elephantorum naturas ; quòd illi Regem adorent, genua ſubmittant, & coronas porrigant. Cuius rei cauſam aſſignat Martialis Poëta, ipſam gratitudinem ; inquiens.

(Iob. 24.) (Cic. libr. 1. offic.) (Theſſal. 5.)

Quòd pius & ſupplex Elephas te Cæſar adorat,
Hic modo qui tauro, tám metuendus erat :
Non facit hoc iuſſus, nulloq́; docente Magiſtro,
Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

Si elephas pro exiguo beneficio tantas exhibet Regibus gratias, quòd ſe de illorum horreis pabulum ſumere agnoſcat. Quantò maiores mortalis homo Deo referre debet, qui non iam de fructibus Chriſti, ſed de illius pretioſa carne & ſanguine vberrimè paſcitur. Tertium eſt, ſi diem paſſionis Chriſti inſpicere, & ſalutis fructum ſentire deſideramus, vt Chriſto in recompenſationem bonitatis præſtitæ rependamus inuicem opera bona. Nam licet illa exigui ſint momenti, Deo tamen gratiſſima veniunt. Quod pulchrè figurauit Carolus Borlinius, qui coruum impotentem ad volandum videns, alas ipſi addiderat, inſcribens : *Curſum intendimus alis.* Coruo non abſimilis eſt homo, quia in illo nihil DEO dignum & iucundum reperitur. Sed apponet ipſe Deus alas, vt tantò faciliùs in eius laudem aliquid boni facere valeamus. (Carolus. Borlinius.)

Imitemur ergo B. Abrahamum, & videamus perſpicaci oculo mentis diem Domini : tum myſterium Trinitatis deuotè recolendo, tum arcanum Incarnationis in noſtri remedium peccati factum, religioſè conſiderando, tum ſacratiſſimam eius paſſionem humiliter & reuerenter cogitare incipiendo. Et ſi Andreas ille Doria, cùm ad altum mare deduxiſſet bellum contra Turcas, ſtellam erexit in ſuprema nauium, cum inſcriptione : *Vias tuas Domine demonſtra mihi.* Et nos iam in altum quadrageſimalis obſeruantiæ mare, deduximus bellum contra infernales ſpiritus, & carnis ac mundi illecebras, ſed vt fœliciter pertingamus ad portum victoriæ, in ſuprema mentis noſtræ contemplatione inſcribamus : *Vias tuas Domine demonſtra mihi.* Vt etiam diem æternitatis tuæ, quo iam fœliciter fruitur pater noſter Abraham, intueri, & poſſidere valeamus. (Andreas. Doria.)

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Quis ex vobis arguet me de peccato. *Ioannis 8.*

Chriſtus quatuor rationibus oſtendit ſe de peccato argui non poſſe, illudquè ſibi repugnare.

INgratitudine nullum peius vitiorum, teſte Seneca cap. 10. de beneficijs : *ingrato* inquit *animo vix vllum facinus maius accreuit.* Vnde pijſſimus ille propheta Samuel poſt tot beneficia ingrato illi populo Iſraelitico præſtita, ad exprobrandam ſummam eorũ ingratitudinem ſic eos allocutus eſt, 1. Regum 12. *Ecce conſtitui ſuper vos Regem, conuerſatus ſum coram vobis ab adoleſcentia mea vſq; ad hanc diem : loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquàm tulerim, aut aſinum ; ſi quempiam calumniatus ſum : ſi oppreſſi aliquem : ſi de manu cuiuſquam munus accepi.* Chriſtus pariter veniens in hunc mundum, immenſa beneficia homini ſecum attulit, videlicet ; ſalutem æternam ; & nihilominus pro hoc tantam ingratitudinem expertus eſt, inter homines commorando, vt & ſui eum non receperint. Patienter ſatis tulit illam blaſphemiam Iudæorum Matth. 11. *Ecce homo peccatorum & publicanorum amicus.* Suſtinuit modeſtè æternæ ſuæ ſapientiæ, & cæleſti doctrinæ falſò obiectam calumniam Ioann. 7. *Seducit turbas.* Acerbam nimiùm ſuſtinuit perſecutionem, cùm eius infallibile teſtimonium falſitati commiſcerent Ioan. 8. *Teſtimonium tuum non eſt verum.* Non eſt commotus dum eius miracula linguis maleuolorum carperentur : *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Lucæ 9. Sed vbi ventum eſſet ad peccatum : *Hic peccator eſt.* Hic iam infinita Dei bonitas tantum contemptum diutiùs ferre non potuit : adeò vt cùm ageretur de eius veritate, cum maiori longè dolore, quam ſuſceptâ olim cruentâ

(Seneca.) (1. Reg. 12.) (Matth. 11.) (Ibidem 8.) (Ioann. 7.)

in domo

in domo Caiphæ alapâ, reſpondit : *Si* A *verum loquor cur mihi non creditis.* Iuſtè igitur ingratitudinem Iudæorum (Ibidem.) accuſat hodiè Chriſtus ; *Quis arguet me de peccato.* Quaſi dicere vellet, ſi eſſem peccator, iuſtè non crederetis mihi ; quia ſi peccare poſſem, quomodò peccatores ſaluarem : manus enim quæ tenent lutum, non lauant, (Ioann. 1.) ſed coinquinant, *ego autem me metipſũ obtuli immaculatum Deo, & emundaui conſcientiam veſtrã ab operibus mortuis.* Ioan. 1. Conſiderabimus itaquè cur Chriſtus ab homine ſe irreprehenſibilem eſſe vult, & vnde ſe impeccabilem iactat.

Totum diſcrimen inter Deum & hominem, à mendacio & perpetua viciſſitudine originem traxit, teſte ſacra (Num. 23.) pagina Num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur ; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Etenim quemadmodùm Deus ob ſummam perfectionem diuinæ ſuæ eſſentiæ, nullis defectibus obnoxius eſſe poteſt, ſed eſt ipſamet veritas ; ita per oppoſitum, quilibet homo, ad omnes defectus propendens, vel ex ipſa finitudine naturæ labitur, & maculâ peccati coinquinatur. (Rom. 3.) Rom. 3. *Eſt autem Deus verax, omnis homo mendax.* Quoniam ergo (Iacobi 1.) Deus eſt immutabilis : *Apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio.* Iacobi 1. Ideo omnia verba diuina infallibilia eſſe debent, adeo, vt hoc ſolo immutabilis Dei veritatis fundamento innixus Richardus de ſancto Victore lib. 1. de Trinitate ca- (Richard[9].) pite 2. auſus fuerit dicere. *Si error eſt quem credimus, à te decepti ſumus ; ijs enim ſignis doctrina hæc confirmata eſt, quæ niſi à te fieri non potuerunt.* Non poteſt itaq; Dei immenſa bonitas falli, non poteſt vllam creaturam decipere, non poteſt demùm vllo modo peccare, quia omnipotens eſt, vt do- (S. Auguſt.) cet ſanctus Auguſt: lib. 1. de ſymbolo cap. 1. *Deus* inquit *eſt omnipotens, & cùm ſit omnipotens falli non poteſt, mentiri non poteſt, peccare non poteſt ; quàm multa non poteſt, & omnipotens eſt? & ideo omnipotens : quia iſta non poteſt : nam ſi mentiri poſſet, ſi peccare poſſet, non* A *eſſet omnipotens.* Cur autem peccare non poſſit Deus, cauſa eſt, quia ſemper efficienter tantùm operatur, & nunquam deficienter, eò, quòd ſit eſſentialiter a ſe, & non ex nihilo; homo verò vt plurimùm deficienter operatur, quia ex intrinſeca conditione ſua, contingenter exiſtit & ex nihilo, proinde etiam in idem principium, ſcilicet in nihilum, hoc eſt; peccatum ex natura ſua tendit. Quia ergo reprehenſio debet fieri à ſuperiore, & perfectiore, iuxta illud Catonis; *Turpe eſt* (Cato.) B *Doctori, quem culpa redarguit ipſum.* Et nemo mortalium ſine crimine reperiatur, ideo Chriſto nihil grauius accidere potuit, quàm reprehendi ab homine, vt potè ſupremo ab inferiore, innocenti ab iniquo, iuſto à peccatore, Regi regum à glebæ filio, Deo inſuper ab homine. Sed videamus iam, vnde nam Chriſtus Dominus probet ſe impeccabilem eſſe, vtq; res argumentis clarior fiat.

(Impeccabilitas vnde Chriſto competit.) Competit inprimis Chriſto impeccabilitas ratione vnionis hypoſta- C ticæ; quæ cùm ſit naturalis Dei filiationis conſtitutiua, remouet omnes defectus à Chriſto vt homine, ita vt non ſolùm Chriſtus, eiuſq; humanitas nullum habuerit peccatum actuale, vel habituale, veniale aut mortale, ſed quòd eius humanitas vnita verbo, de lege ordinaria peccare non potuerit, peccato actuali, æquè veniali ac mortali, cuius ratio euidentiſſima eſt, quia viſio Dei connaturaliter pugnat cum peccato. Atqui humanitati vnitæ verbo, debebatur connatura- D liter viſio Dei, ergo debebatur illi & carentia peccati. Immò ne quidem etiam de potentia abſoluta, Chriſtus vt homo manente vnione hypoſtatica peccare potuit, quod vel ex eo luculenter deduci poteſt : quia verbo incumbit ita dirigere humanitatem aſſumptam, vt non peccet : alioqui tribueretur ei peccatum, vt potè cui incumbit curare, ne peccet, incumbere verò id verbo probatur à ſimili. Quia incumbit v. g. homini dirigere ſua membra, Domino ſeruos, parenti liberos, ne quid indecorè aut ineptè agant.

agant. Ergò pariter verbo diuino in- A cumbit, ita dirigere humanitatem, vt non peccet : neq; valet ſi dixeris : de ſententia multorum Theologorum, peccatum de abſoluta potentia poteſt ſtare cum gratia ſanctificante. Ergo & cum vnione hypoſtatica : proinde Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticæ nõ debetur impeccabilitas. Nam miſſo antecedente, de quo ingens eſt cõtrouerſia inter Theologos, negatur facilè conſequentia. Et ratio diſparitatis affertur hæc : quia humanitas aſſumpta à verbo poſtulat ſanctificari infinitè in B genere ſanctitatis participatæ, cùm non potuerit iam reddi magis ſancta, perfectiorem ſanctitatem, aut perfectiùs participando. Atqui ſi Chriſti humanitas potuiſſet peccare, iam non ſanctificaretur infinitè ; quia non ſanctificaretur modo perfectiſſimo : daretur quippè adhuc melior ſanctitatis modus, ſcilicet ; cùm carentia peccati; quàm ſine illa; gratia verò cùm non ſanctificet infinitè, neq; poſtulet ita ſanctificare, vt non poſſit cogitari melior ratio ſanctificationis participatæ, C ideò non videtur repugnare, quo minus de abſoluta potentia cùm peccato ſtare poſſit.

Repugnat prætcrea Chriſto peccatum, ex ipſa definitione peccati, quod iuxta D. Auguſtinum, eſt receſſus ſeu auerſio à Deo. Atqui Chriſtus nunquam fuit auerſus à Deo, vt pote ſemper Deus per gratiam vnionis hypoſtaticæ. Igitur ſicut non potuit recedere à ſeipſo ; ita non potuit peccare. Neq, valet ſi dixeris. Chriſtum in illo inſtanti auerſionis à Deo, eo ipſo D amiſſurum fuiſſe vnionem hypoſtaticam, proinde non fuiſſet auerſus à ſe, quia iam deſijſſet eſſe Deus. Quia hoc ex communi Theologorum ſententia falſum eſt : cùm enim humanitas Chriſti ſanctificetur infinitè, debet carere potentia peccandi etiam in ſenſu compoſito vnionis : quippè hæc carentia pertinet ad infinitatem ſanctitatis. Atqui ſi peccare poſſet cum effectu amittendæ vnionis, non careret potentiâ peccandi, habita ſimul cum vnione ; quemadmodùm iuſtus A non caret eâdẽ potentiâ. Quodſi opponas : nõ pertinet ad infinitatẽ ſanctitatis, carere potentiâ peccandi radicaliter : igitur neq; potentiâ peccandi proximâ. Facilè negatur cõſequentiâ : quia radicalis potentia tolli non poteſt, (cùm ſit ipſa entitas naturæ intellectualis) ideoq; neq; debet tolli ; at verò proxima potentia peccandi poteſt tolli, ideoq; tolli debet per infinitam ſanctitatem, quæ infinita eſt.

Tertiò, repugnat Chriſto peccatum propter plenitudinem & immenſita- B tem gratiæ ; peccatum enim eſt defectus gratiæ, Chriſtus autem defectum gratiæ habere non potuit, ex illo Io- (Ioann. 1.) ann. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* Porrò duplicem gratiam in Chriſto agnoſcunt Theologi, nimirum perſonalem, quâ perſona illa quæ eſt Chriſtus, redditur ſancta : alteram capitis, per quam Chriſtus conſtituitur caput Eccleſiæ, (Epheſ. 1.) iuxta illud Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Cuius rationem (S. Thom.) ſanctus Thomas deſumit ex analogia cum capite corporis humani : quem- C admodùm enim caput in corpore humano eſt primum ordine, perfectione & virtute. Ordine quidem, quia eſt prima pars : perfectione : quia ſuperat alias partes corporis, cùm vigeant in eo omnes ſenſus tam exteriores, quàm interiores, ſecus in alijs. Virtute autem : quia in eo eſt vis appetitiua & motiua, quâ mouet & gubernat alia membra. Ita Chriſtus in Eccleſia eſt primum quid, ordine, perfectione, & virtute. Nam & primus eſt inter omnes creaturas, & perfectior D omnibus, propter omnis generis pulchritudinem, & gubernat ac influit in alia membra, non ſolùm in homines, ſed etiam in Angelos. cùm enim habeat ſuper Angelos excellentiam, & dominationem, ideo ratione eius influit in Angelos per imperium, & directionem in ordine ad varias operationes : qui quidem influxus per imperium aliter ſe habent, ad bonos, aliter ad malos Angelos : boni enim libenter imperium acceptant, ideoq; vniuntur Chriſto imperanti voluntate parendi, ob quam cauſam dici poſ-

ſunt membra Chriſti, ſecus accidit in malis Angelis, qui Chriſto inuiti parent, propter quod membra Chriſti dici non poſſunt, cùm ei nullo modo coniungantur, ad ratione verò membri requiritur coniunctio. Influit præterea in eos aliquam gloriam accidentalem, & aliquas reuelationes ac illuſtrationes, vt docet S. Thomas in 3. diſtinct: q. 2. art. 2. ad finem, idq; multò euidentiùs, quam vnus Angelus in alium. Atq; ratione huius eminentiæ, quòd ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ Chriſtus, debetur illi plenitudo gratiæ, cum qua ne minimum peccatum ſtare poteſt.

[1. Cor. 12.] Dices forſan, Chriſtum eſſe membrum Eccleſiæ iuxta doctrinam Apoſtoli 1. Corint. 12. *Vos* inquit eſtis *corpus Chriſti, & membrum de membro, vbi Ly de membro,* videtur referri ad Chriſtum, proinde illi non deberi tantam plenitudinem gratiæ, cui peccatum repugnet. Reſpondetur enim negando Chriſtum eſſe membrum Eccleſiæ, membrum enim dicitur, quod etiam influxum accipit ab alijs membris; quemadmodùm caput in corpore humano. At verò Chriſtus ab alijs Eccleſiæ partibus, nullum accipit influxum, proinde membrum dici nequit. Porrò ab Apoſtolo membra de membro di cuntur Corinthji; vel quia erant ex Paulo, ſicut vnum membrum eſt ex alio; v. g. manus & brachium: vel quòd nõ ſoli eſſent fideles & membra Chriſti, cùm & alij præter eos fideles eſſent, adeoq; illi ſolùm ex parte eſſent membra Chriſti ſeu particulæ: vel deniq; quia Chriſtus dici poſſet membrum, ſi vna cum fidelibus comparetur ad Deum, vt ad caput.

Deniq; rectè Chriſtus dicit ſe non poſſe argui de peccato; quia non peccauit opere [1. Petri 2.] 1. Petri 2. *Peccatum non fecit.* Non cogitatione: [Apocal. 1.] Apocal. 1, *Capilli eius candidi erant tanquam lana,* id eſt cogitationes. Non locutione 1. Petri 2. Non eſt inuentus *dolus in ore eius.* Non omiſſione Iſaiæ 5. *Quid eſt quod vltra debui facere & non feci.* Non demùm origine: Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* O magna Chriſti puritas! [Origenes.] Origenes in hunc locum ſcribens, inquit: *Quis hominum poteſt hoc dicere? certè nullus.* [Ioann. 1.] Ioannis 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vnde [S. Hieron.] S Hieronymus alloquens hominem ait: *arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te.*

At, quid obſecro? iam ne hiſce euidentiſſimis rationibus conuicta Phariſæorum malignitas quieſcit? minimè: immò in maiorem adhuc blaſphemiam erumpit: *Nonne* inquit *bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Samaritanum vocant propter tria, primò ideo, quia vt habetur [4. Reg. 17.] 4. Reg. 17. poſtquam Salmanazar, Rex Aſſyriorum bello vniuerſam Samariam caperet, induxerat varias gentes in terram Iſrael, eaſque vocauit Samaritanos, qui partim legem, partim Chriſtum ſequebantur. Secundò ideo, quia Iſraelitæ ſummo odio perſequebantur Samaritanos. Tertiò ideo, quia Samaritani erant illis gentibus contrarij. Quia ergo Samaritanus idem ſonabat, quòd malignitas, & dæmonium habens, ideo Chriſtum vocabant Samaritanum, quòd iuxta Theophylactum frequenter reuelauerit cogitationes eorum: quod ipſi dæmoni attribuebant: cùm tamen id ſoli Deo competat. [3. Reg. 8.] 3. Reg. 8. *Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum.* Vnde ſancti Patres Chriſtum concludunt verum eſſe Deum, quia congnoſcebat cogitationes Iudæorum, vt eleganter diſcurrit ſanctus Hieronymus in Hieremiæ 15. [Ierem. 15.] *Ieſus videt cogitationes, & nullus poteſt videre cogitationes, niſi ſolus Deus. Ergo Chriſtus eſt verus Deus.*

Oſtendit itaq; Chriſtus quatuor rationibus ſe dæmonium non habere. Primò, quia inquit *Ego honorifico Patrem meum.* Quod dæmon non facit. Secundò, quia ego gloriam meam non quæro; diabolus verò nimiùm eſt cupidus laudis, iuxta illud D. Hieronymi, [S. Hieron.] *Qui nõ quærit gloriam,* non ſentit contumeliam. Tertiò, quia quem Deus glorificat, dæmonium non habet. Sed Chriſtus erat talis [2. Petri] 2. Petri 1. *Accipiens à Deo Patre honorem voce lapſa de nube, Hic eſt filius meus dilectus.* Igitur Chriſtus dæmonium habere non poteſt. Quartò, cuius iniuriam Deus iudicat, dæmonium non habet, ſed Chriſti iniuriam Deus Pater iudicat. [Ioann. 8.] *Ego* inquit *non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet.* Proinde dæmonium habere non poſſum. O inaudita Iudæorum & omnium peccatorum malignitas, qui dum ædificari deberent ex Chriſti prædicatione, peiores fiebant. o malignitas execranda? pro tantis beneficijs lapidare Ieſum cupiunt. [Ibidẽ. 10.] Ioannis 10. *Multa bona operatus ſum vobis, propter quod opus vultis me lapidare.* Vbi per ingratos Iudæos figurabantur mali Chriſtiani: quot enim peccata homo committit, tot lapides in Deum proijcit. [Ezech. 16.] Ezechielis 16. *Lapidant te lapidibus.* Gloſſa inuertit. *Renouant paſſionẽ paccatis ſuis.* Vbi peccatum lapidi comparatur, inprimis propter grauitatem. [S. Greg.] *Peccatum enim.* inquit Gregorius *quod pœnitentiâ non diluitur mox ſuo pondere ad aliud trahit.* [Pſal. 37.] & Pſ. 37. *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Sic poſtquam Dauid vnum peccatum commiſit cum vxore Vriæ, ſtatim illum traxit ad aliud, ſcilicet; [2. Reg. 11.] ad homicidium 2. Reg. 11. Et tandem trahere ſolet in infernum Exodi 15. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* Secundò, comparatur peccatum lapidi propter infructuoſitatem. [Lucæ 8.] Lucæ 8. *Aliud cecidit in lapidem, & natum aruit: quia non habuit humorem.* Sic omne bonum factum in peccato mortali nõ facit fructum: [S. Gregr.] quia non habet humorem gratiæ iuxta illud S. Gregorij. *Qui charitatem non habet, omne bonum perdet.* Et Saul quippè multum bellauit pro populo; quia tamen in peccato fuit, ideo minimè Deo placere poterat: immò neque eleëmoſynæ in peccato erogatæ faciunt fructum, [Eccl. 34.] Eccleſiaſtici 34. *Dona iniquorum non approbat Altiſſimus, nec reſpicit oblationem illorum.* Tertiò, comparatur peccatum lapidi propter duritiam: quia homo ſicut lapis induratur per peccatum [Hierem. 5.] Hierem. 5. *Indurauerunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reuerti ad Dominum.* Quod comprobat ſcriptura Iob 41. [Iob. 41.] *Indurabitur cor eius quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Ne ergo in nos hæc lapidea obduratio cadat, à Chriſto in quem nulla peccati labes cadere potuit, poſtulemus noſtras conſcientias emundari.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVARTA.

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. *Ioannis 8.*

Iudæi animo calumniandi Chriſtum Samaritanum & dæmoniacum vocabant.

LEuior adhuc ignominia Iudæorũ erat, dùm illos Doctor Gentium D. Paulus Rom: 3. inutiles appellaſſet: [Rom: 3.] *Omnes* inquit *declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.* in Hebræo autem textu habetur: *Fætidi facti ſunt.* Quia ſicuti fœtor eſt rerum corruptarũ, per quem illæ redduntur ita inutiles: vt eas natura horreat, & deteſtetur, malitque ex morte famem, quam ex tali ſatietate vitam. Et tali modo Iudæi erant, & nunc ſunt inutiles. [Iudæi cur inutiles, & fætidi.] Quippè inutilem Ariſtoteles 1. Et hic: ex Heſiodo ita deſcribit: *Inutilis eſt, qui neq; ſibi ipſe ſapit, nec alium audire in animum admittit.* An non tales Iudæi? qui malitioſè, & ex ſumma impietate Deum verum deſeruerunt. Qui non modò Prophetas, & iuſtos deſeruerunt, ſed etiam monita eorum non ferentes, crudeliter interemerunt. Sed illud maximum eorum opprobrium eſt, quòd illos ſepulchro patenti comparet idem Apoſtolus? [Ibidem.] *Sepulchrum* inquit *patens eſt guttur eorum.* Quoniam vt patens ſepulchrum, ſua exhalatione peſtem viuentibus generat, ita Iudæi prauâ ſuâ doctrinâ, & adulatione contaminant, & interficiunt audientes. Hinc Phariſæos ſepulchra dealbata vocabat Chriſtus, ob malè velatam hypocriſi ſpurcitiem: [Iudæi nihil candoris habẽt.] & Paulus ſepulchrum patens appellat eos, qui

palami

palam innocentes trucidabant, & interficiebant. Et quid in Iudæo candoris, aut fidei reperies ? profectò nihil, vt aliud ore promittat, aliud corde volutet. Propter quod addidit Rom. 5. Apostolus loco citato : *Venenum aspidum sub labijs eorum.* Quod testimonium contra Iudæos desumpsit ex Psal. 134. Psalmo 134. Vbi dicitur : *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Quia enim venenum aspidum occultum, & insanabile est, vt potè per torporem, & somnum læsos occidens, ideò maximè Iudæis adulantibus, & dolosè blandientibus assimilatur à Scriptura sacra. Per quod significatur eorum dolus, & fraus cum insigni crudelitate coniuncta : qualis etiam fuit in Herode, Pilato, Anna, & Caipha, ac Tiberio, Tacitus. de quo Tacitus profert : *Occultum & subdolum illi frangendis virtutibus ingenium, instabilis sæuitia.* Sicut ergò vulnus aspidum non sentitur, & tamen perimit, morsq; sensum plagæ anteuertit ; ita dolosi Iudæi nulla industria vitari possunt, cùm latenter feriant, & dolo omnia misceant. An non manifestum istius rei documentum habemus in hodierno Euangelio? ante octo dies Iudæi Christum in Regem eligere volebant ; hodiè verò lapidibus eum obruere, & maximis calumnijs dishonorare contendunt. Nō sic sæuum & rugientem leonem bestias insequi, non sic ferocem pardum paruos lepores rapere, non sic voracem lupum mansueto agno insidias struere cerneres ; quàm hodiè efferatam rabie Iudæorum gentem, Christū innocentissimum impetere. Bellum graue, & periculosum, ex vna parte tota Iudæa confæderata stat in acie ; ex altera Christus innocens, qui pro armis solam modestiam assumit, pro cuius defendendo honore ad bellandum vos instruam.

Primus, isq; fortissimus Iudæorum impetus, & insultus in Christum est, calumniosa obiectio ; *Dæmonium habes.* Et vndè hoc tibi constat o peruersa Iudæorum natio, quòd Christus dæmonium habeat ? Equidem inde : quia illis Christus palam veritatem dicebat : quia scelera eorum aperiebat, quo faciliùs resipiscerent. Rom. 3. inquiens : Rom. 3. *Non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt.* Quibus verbis ostendit, Iudæos non fuisse intelligentes ratione beatitudinis æternæ, cùm toto animo terrenis rebus inhiarent ; summum bonum, quod est vita æterna, non considerando, nec procurando per opera meritoria, cùm ad hóc requiratur gratia, quâ illi destituti erant. Ostendit non solùm plebem Iudæorum, sed primarios quosq; & in lege versatos, à via vera beatitudinis recessisse, & ideo non leuem, aut subitam à iustitia aberrationem ; sed apostasiam, & rebellionem illis exprobrat. Declinare enim proprium est Apostatarum. Hinc concepta malitia, hinc odium, hinc furor in animis Iudæorum aduersùs Christum. Sic ille hominum amore flagrabat, vt nullas in operando permiserit sibi inducias, sed etiam sabbathis humanam miris operis procurabat salutem. Sanauerat languidum, triginta & octo annos ad piscinam probaticam decumbentem die Sabbathi, mox Pharisæi de malitiæ armamentario sumpserunt calumnias, quibus eum apud populum infamarent, ingratisque vocibus, & exertis clamoribus sabbathi violatorem obmurmurarent, inquientes : *Non est hic homo à Deo, qui sabbathum non custodit.* En quàm delicata scrupulositas humana, quando sua statuere, quando aliena diruere intendit ; quàm è contrario crassa, quàm ampla, vt quodlibet, quod placet, sine scrupulo agat. Christum persequebantur Iudæi, Deum esse negabant, peccatorem affirmabant, vultis scire, vnde hoc colligebant ? quia nimirum secundùm ipsos sabbathum soluebat : *Propterea persequebantur eum Iudæi, quia hæc faciebat in sabbatho.* Ioann. 5. Ioann. 5. At sciscitemini, in quo ista solutio sabbathi consistebat, & facilè aduertetis, quòd in miraculis, quòd in bene operando. Quia enim cæcos illuminabat, mortuos ad vitam reuocabat, languidos sanabat, infirmis medebatur, quod Iudæi negare non poterant Dei virtute fieri, ideò persecutione dignū æstimabant, & se Deo sacrificium præstare, si eum occiderent. O quàm peruersè tunc Christi Domini honorem infuscârunt : quia enim Patrem æternum Genes. 9. sabbatho quieuisse ex sacris literis constabat, Genes. 9. *Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrauerat.* ideò de operum dissimilitudine, opera Christi calumniosè improbrabant peruersi. Adeó autem apud populum hæc criminato valebat, vt Saluator noster, cùm alijs criminationibus nihil responderit, huic de sabbathorum violatione satisfacere voluit : Deus inquit nisi omni ex parte absoluto, perfectoq; homine non quieuit sabbatho, ergo vt ego sabbathis quiescam, medelam morbo afflictis hominibus adhibeo, eorumque vtilitatem exopto. S. Hieron. Pulchrè ad rem præsentem D. Hieron: in quæst: super Genes : *Iuxta Græca* inquit *exemplaria habetur, & consummauit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit. Pro die sexta in Hebræo dies septima habetur. arctabimus igitur Iudæos qui de otio sabbathi gloriantur, quòd iam tunc in principio sabbathum dissolutum sit : nam Deus operatur in sabbatho complens opera sua, & benedicens ipsi diei, quia in illo vniuersa compleuit.* Quasi diceret : Deus sabbatho quieuit, dùm opera sua non sorderent mutila, sed perfectè resplenderent completa : Christus ergo vel ipso patris exemplo, ad hominis absoluendam perfectionem alliciebatur, & quamuis alijs diebus opera similia aliquando intermitteret, sabbathis tamen Patris exemplum secutus, humanam salutem absoluebat, quia Pater eo die hominis perfectionem curauerat.

Quid ad hæc Iudaica malignitas, quomodò de peruersitatis ingenio dissimilitudinem in operando Christo opponis, vt originem deneges ? cùm ipsa Patris quies, ne imperfectò homine quiesceret, sufficienter edoceat, quandoquidem, ne ipse Pater, nisi perfectis absolutisque operibus olim vacauerit. Fateor sabbathis ex Dei lege non esse licitum operari, sed malè, non benè, peccare sabbatho non licet ; at benè facere minimè. Sic enim resoluit venerabilis Beda, qui super Marci 3. illa verba Marci 3. *Et obseruabant eum, si in sabbatho curaret, vt accusarent illum,* ita scribit : *quia æstimabant in sabbatho etiam à bonis operibus feriandum, cum lex à malis, hoc est, à peccatis abstinere iubebat.* Et tamen inuidiosa scrupulositas Iudæorum, quando contra Deum stare desiderabat, ita sabbathi obseruationem subtiliter pensabat, vt nec benefacere in die festo licere reputaret. Cùm tamen eadem Iudæorum subtilitas, ac inordinata scrupulositas nihil penitùs curauerit, ne festa soluerentur per ebrietates, per commessationes, per ludibria, quasi hæc mala plus licitum sit in festis diebus agere, quàm ipsa bona. Hinc meritò illos, vt refert S. Marcus, *Christus circumspexit cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum.* Vtinam non cum eadem nunc & nos aspiciat, sic in diebus cæcos festiuis, sic corde insensatos, vt ipsa mala bona dicere, & ipsa peccata, Dei sacrificia vocare nō erubescamus. Eritne Dei cultus in peccatis dies festos insumere ? Manna olim Deus non permittebat Iudæis sabbatho colligere, & nunc permittet comœdiarum solicitudinem, mensarum apparatum, commessationes, & belluinas voluptates, vt festa carnaliter à populo Christiano celebrentur ? Lippom. Audite Lippomanum in catena: *Vt vacationi die Dominico seruiatur, audiendo verbum Domini, contemplando Dei opera, consolando proximum, & orando, id demùm verus Dei cultus est. Otio autem inerti indulgere, vacare tamen ab opere, cultus Dei non est, multò minus libidinari verbis, vel factis, vt hodie communiter consueuit.* Quid ergo ? Nonne in veteri testamento mandauit Deus lapidibus obrui hominem, qui ligna in sabbatho collegerat Num. 15. Num. 15. *Cùm inuenissent filij Israël hominem colligentem ligna in die sabbathi, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini.* Peccatum hoc Moysi, & Aaroni, ita leue visum erat, vt licet præceptum fuerit non operari in sabbatho,

tho, dubitarint tamen ob rem adeo leuem, an morte plectendus eſſet, Ibidem. quemadmodùm præcipiebatur. Vnde dicit ſcriptura : *recluſerunt eum in carcerem, neſcientes, quid ſuper eo facere deberent.* Nihilominùs vt moreretur, præcepit Dominus : *Morte ait moriatur homo iſte, obruet eum lapidibus omnis turba extra caſtra.* Iſidorus Clarius. Quid ex hoc ? Audite Iſidorum Clarium, in hunc modum argumentantem *Legimus* ait *hominem, qui ligna collegerat in die ſabbathi, oblatum Moyſi, iuſſu Domini lapidibus obrutum, quantò ergo magis putandum eſt, eos grauiſſimè peccare, qui negotiationibus, ſpectaculis, ludis, aleà, tripudijs, ſaltationibus, & choreis incumbunt, qui commeſſationibus, colloquijs prauis, & impudicis cantilenis diem feſtum conſpurcant.* Quippè idem prorsùs nunc Deus eſt, ac in lege antiqua, ſicq; ob violata feſta exaſperatur, ac olim, vt ex hoc timeamus & contremiſcamus, ſicque feſta ſanctificemus, vt hoſtes Christiani nominis ea non irrideant. Iudæi odio Chriſti omnia Chriſtianorum ſacra irrident. Quemadmodùm faciunt rabie excæcati Iudæi, qui vt olim Chriſtum grauiſſimis calumnijs; ita nunc Chriſtianorum ritus, cerimonias, & ſacramenta iiſdem impetere non ceſſant, quò nihil magis Chriſti cor affligere poteſt.

Si enim conuitiorum verba duriſſima ſunt viro ingenuo, quid Chriſto vero Deo ? In duro conflictu poſitus erat Moyſes, quandò vniuerſa penè multitudo rebellans contra illum Num. 14. inſurrexerat, vociferando : *Conſtituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum. Quo audito Moyſes & Aaron ceciderunt proni in terram.* Numer. 14. Et tamen Moyſes ad tantam rebellionē, ne quidem mutijt, nec vllam oſtendit iram, ſed tacitus ſe proſtrauit humi. At verò poſtquàm durus ille populus opprobrijs eum afficere cœpit, inquiens : *Eduxiſti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri.* Ibidem 16. Tunc primùm excanduit Moyſes vehementer : *Iratuſq; Moyſes valde ait ad Dominum : Ne reſpicias ſacrificia eorum.* Et quæ huius commemorationis cauſa ? equidem hæc vnica : quia in illa priori rebellione, Moyſes nullis petebatur iniurioſis verbis, ſed re ipſa deſerebatur a cunctis; in poſteriori autem rebellione, multis petitus eſt conuitijs, quando & illud dixerunt : *An & oculos noſtros vis eruere.* idcircò horum conuitiorum certamen, plus commouit iuſti hominis bilem. Nam quæ per opprobria, & contumelias fit tentatio, omnium validiſſima ad ingenuorum commouendos hominum animos cenſetur. Conceſſerat Dominus facultatem ſæuiendi dæmoni in fortiſſimum ſuum Athletam Iobum : *Ecce* inquit *in manu tua eſt ; verùm tamen animam illius ſerua.* Iob 1. Quid tunc virulentus hoſtis ? ita furebat, vt carnibus eum denudârit, & mortis ſepulchriq; horrore veſtierit. Diffluebant iam dolore tabeſcentia viſcera, in foraminoſæ carnis ſpecubus beſtiolæ nutriebantur, omnia corporis membra, doloribus vehementiſſimis tabeſcebant. Et tamen patientiſſimus Iob, qui vermes corrodentes vocabat fratres : Iob 17. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus.* Iob 17. Amicos contumelioſos acriter obiurgabat : Iob 19. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini.* Iob 19. Quia nimirum vermes ſolùm eius carne ſaturabantur, amici verò illum iniuſtum, & peccatorem calumnioſè vocabant. Quorum tentationem adeò grauem æſtimabat Iob, vt putaret contortam ab omnipotenti Dei manu pro contundendis eius carnibus, quando tentationem à vermibus corrodentibus ortam, putabat venire à fraternis brachijs. Valent quippè probroſa verba, pluſquàm vermes ad homines cruciandos, maximeq; ingenuum virum opprobria, & contumeliæ ſolent vexare.

Cur dæmon Iobū affligens linguā eius & labia illæſa ſeruauit. Sed illud hic admiratione dignum, quòd dæmon accepta facultate ad affligendum Iob, in tanta ægritudinum illuuie linguam eius & labia illæſa ſeruauerit ; cùm tamen Antiochus ille tyrannus, plenus diabolico ſpiritu, aggreſſus conſtantiſſimos iuuenes Machabæos fratres, iuſſerit ei, 2. Mach. 7. *qui prior fuerat*

fuerat locutus, amputari linguam. 2. Machab. 7. Ecce dæmon per Antiochum ſæuiens, primùm in nobili Machabæo puero certamen à lingua inchoauit, quam in Iobo ne vltimò quidem tetigit. Quippè Iob poſt prælium, poſt ſpoliationem bonorum, poſt raptos filios, poſt morbos, poſt carnes exeſas, Iob 19. adhuc dicebat : *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Iob 19. Et cur pellis non conſumpta, quando vel oſſium fortitudo dolore exeſa ? cur Iobo poſt tot prælia, derelicta adhuc erant, quæ ad vocem pertinebant, cum Machabæo in primo congreſſu lingua fuerit erepta ? Duas hic rationes aſſignant Scripturæ ſacræ interpretes. Primam, quia diabolus in Iobo nunquàm deſperabat victoriam, ſed ſemper credebat ſe præualiturum, & ideò vocis inſtrumenta reliquit intacta, ſi fortè in maledicta aliqua proſilirent. In nobili autem Machabæo, ita mirabatur inuincibilem iuuenem, vt prorsùs de illo vincendo deſperauerit, & ideò, vel linguam ei auferri ſuaſit, minimè eius malitiæ profuturam. Sic cenſet Euſebius Gallicanus ferm: de S. Romano Euſebius. in re ſimili inquiens : *Qua ſpe vltra in ſacrum corpus belluina graſſaris immanitas ? propter hoc ſolùm hactenùs in reliqua membra ſæuiſti, vt aliquem fructum crudelitatis tuæ ex afflictione ſuſciperes, ſed dùm vocis miniſterium rapuiſti, iam de victoria deſperaſti.* Alteram rationem aſſignat S. Greg. lib. 14. moral. cap. 23. quia pellis, ſanctas illas mulieres, quæ Domino neceſſaria præbebant, ſignabat. Licet ergo accepta facultate carnes dolorum æſtibus conſumpſerit inimicus in Iobo ; pelles tamen hoſtilis dilacerare non tentauit conatus, quia miſericordiâ impeditus, & contra ingenium inuidè S. Greg. lentus. *Per pellem* ait *S. Gregor. quæ exterior carne manet in corpore, quid niſi ſanctæ illæ feminæ figurantur, quæ ad præparanda ſubſidia corporis, exterioribus Domino miniſterijs ſeruiebant.* Pellis mulieres miſericordes deſignat, & ideò quia Iob fuit miſericors, & in erogandis eleemoſynis liberalis, dæmon accepta facultate, pelles doloribus non aduſſit, & licet carnes conſumpſerit, pelles non tetigit. Quia miſericordibus propinquare non aſſueuit. Si igitur patientiſſimo Iobo, ex omnibus cruciatibus, quos in corpore ſuo ſuſtinebat, ſola amicorum calumnioſa verba grauiſſima fuêre, quomodò Chriſtus ad tanta Iudæorum opprobria, commoueri non debuit ? cùm detractionum tela omnibus tormentis acerbiora ſint.

An non grauis Iudæorum calumniantium impetus erat Chriſto, dùm illum, qui intus caſtus, & extra totus, candidus eſt, dæmoniacum vocare non erubeſcerent, *dæmonium habes* ; cùm ipſi in rei veritate dæmones incarnati eſſent. Quod illis Chriſtus his verbis exprobrat : *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria eius vultis perficere.* Ioann. 8. Ioann. 8. *Quid eſt deſideria eius vultis perficere* ? cur non dixit *opera* ? Reſpondet S. Chryſoſth: vt indicaret Chriſtus, non quocunque modo, ſed magno ſtudio cupiditateque Iudæos Iudæi ſunt diaboli cōadiutores. diaboli mores imitari, ita vt non tantùm cōadiutores cum dæmone, contra Chriſtum, & eius fideles inueniantur, ſed etiam deſideriorum, appetitionum, adinuentionum diaboli veloces executores, vt hinc euidenter cognoſcamus, multò difficilius eſſe malitioſorum hominū bellum, quàm ipſorummet dæmonum, crudelioreſq; eſſe malos calumniatores dæmonibus, vt quod hi in deſiderio tantùm habent, ac in voluntate, & per ſe efficere non poſſunt, illi perficiant, & conſumment. Sic Chriſtum occidere dæmon non potuit, occidit homo, & cùm ipſe eum tradere non poſſet, hoc in cor Iudæ immittendo perfecit. Ergo multò periculoſius eſt bellum cum malitioſo homine, quàm cum dæmone, ita vt tunc non vno Angelo, ſed millionibus Angelorum ad ſuccurrendum opus ſit. Vnde Chriſtus ad Petrum Matth. 26. dicebat : Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum.* Quæ neceſſitas, vt tot

tot Angelos Pater æternus Chriſto in ſubſidium tunc mitteret ? vtiq; antea Chriſtum in dæmonis manibus proſpiciens, quandò ſuper montem pinnaculumq; eum tranſtulerat, nullos miſit, reputans ſolum Chriſtum ſuffecturum.

Bellũ cum homine periculoſius, quàm cum dæmone.

Ne miremini : cùm enim Chriſtus in horto ab illis Iudæorum ſatellitibus caperetur, bellum illi erat cum hominibus malis crudelius, ac potentius, quàm ſi cum ipſis fuiſſet dæmonibus, ideò opus erat, vt tunc legiones Angelorum mitteret ſummus pater, non vnum Angelum. Sic quando Iacob non cum dæmone, ſed cum homine bellum gerebat, fratremq; fugiens pertimeſcebat, non vnum Angelum, ſed integra Angelorum caſtra ei Deus in ſubſidium miſerat.

Procopi⁹.

Quod eleganter eloquitur Procopius in hunc modum : *Caſtra apparuerunt Iacobo, ne formidaret Eſau fratrem, ſcilicet cogitando quòd Dominus exercituum ipſum protegat, eiuſq; ſit adiutor, & auxiliator Deus Iacob.* Vt ergo fratrem non timeret, non quomodolibet ſe ei oſtendere voluit Deus, ſed Deus exercituum, hoc eſt, potentiſſimus, fortiſſimus. Ita terribilis eſt homo, ita bellum eius formidabile; vt ne ſuccumbat iuſtus, neceſſarium ſit, vt in medijs Angelorum excipiatur caſtris.

S. Hieron.

Pulchrè S. Hieron: de Iacobo Patriarcha dicit : *Ad fratrem iturus inimicum, Angelorum ſe comitantium excipitur choris.*

S. Chryſ.

Quod magis adhuc enucleat S. Chryſoſth. *Poſtquàm* ait *ceſſauit timor Labani, excepit eum timor fratris, propter hoc miſericors Deus iuſtum animare volens, & omnem metum eius diſcutere fecit, vt Angelorum videret caſtra.* Videte ergo calumniatores, quantum ſit veſtrum peccatum, qui tanquàm homicidæ calumnianti lingua, & vos ipſos, & proximum, cui detrahitis, interficitis. Videte genimina viperarum, qui materna viſcera calumnioſis oblocutionibus corroditis. Videte infernales furiæ, qui ignitis detractionum ſagittis, proximi famam proſcinditis.

Alter Iudæorum impetus eſt contra Chriſtum : quia ad opprobrium Samaritanum eum vocant : *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu.* Et vnde illis hæc calumnia ? videbant Chriſtum cum muliere Samaritana colloquentem, & inde Samaritanum eſſe iudicârunt. Conſiderate, quænam iſta colloquia fuêre ? & videbitis non alia, niſi quæ errantem mulieris intellectum illuminarunt, niſi quæ longo tempore obduratum cor eius emolliuerunt, & ad veram flexerunt pœnitentiam, niſi quæ certam ad æternitatem monſtrârunt viam. Et tamen tàm ſalutaria Chriſti cum muliere colloquia, non placuerunt calumniantibus Iudæis : non dicunt, quia eam Chriſtus lumine ſuperno irradiauit ; ſilent, quiâ in viam veritatis reduxit ; ſed tantummodò Samaritanum dicunt, quò grauius eum apud plebem diffament. Talis eſt malitia detractorum, vt quod eſt in homine pium, & laudabile, non videant; à virtutibus oculos auertant; minimos autem defectus curioſiùs inueſtigent, & propalent. Hoc eſt ingenium malignantium ſuſurronum, vt prætermiſſis operibus bonis, illa ſolùm proponant, quæ ſuſpicionem poſſint generare.

Iuxta probaticam piſcinam hians ad optatiſſimam ſanitatem, pauper quiſpiam paralyticus iacebat, triginta octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cùm vidiſſet Chriſtus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dixit ei : *Vis ſanus fieri.* Ioan. 5. Ioan. 5. Qui ſciebat diuturno morbo acerbiùs cruciari, & eo animo illic adeſſe, vt diligentiâ præ reliquis (ſi fortè poſſet) ſanitatem mercaretur, non ignorabat Paralyticum velle ſanari, vt huiuſmodi interrogatio palam faceret, eius pietatem anteuertiſſe vocalem paralytici præconem, & diuturnioris morbi tacitis clamoribus permoueri.

S. Cyrill.

Magnum (ait in eo loco Cyrillus) *miſericordiæ Chriſti eſt argumentum, non expectare ſemper laborantium preces, ſed ſuâ miſericordiâ præuenire.* Non ſemper itaq; Chriſtus, vocales afflictorum preces expectat, quia ipſa infirmitas, ipſa calamitas, miſeria ipſa apud Chriſti miſericordiam precaria eſt, & ſilenter linguata. Poſtquàm Chriſtus paralyticum verbo ſuo omnipotenti ſanauit, præcepit ei, vt grabatum tolleret : *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Per quod indicare voluit ſanitatem animæ, quæ fit per pœnitentiam, vt exponit S. Gregor: homil. 17. in Ezechielem.

S. Greg.

Tolle grabatum tuum inquit ; *Quia cum mente mortui in vitijs iacemus, in carnis delectatione quieſcimus, infirmi portamur in lecto. Cùm verò ſanati fuerimus mente, & iam pulſantibus carnis vitijs reſiſtamus, neceſſe eſt, vt tentationum contumelias de noſtra carne toleremus. Ægro itaq; ad ſalutem redacto præcipitur: Tolle grabatum tuum, id eſt porta lectum, in quo portatus es ; quia neceſſe eſt, vt ſanatus quiſq; portet contumeliam carnis, in qua priùs iacebat ægrotus. Quid eſt ergo dicere : Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, niſi porta tentationes carnis, in quibus hactenus iacuiſti, ac reuertere ad conſcientiam tuam, vt videas quæ feciſti.* Hæc eſt profectò ſumma prudentia, poſt pænitentiam ediſcere cautelam, ne turpiùs relabamur. Quid ergo Iudæi tantum videntes miraculum ? circumſteterunt ſanatum paralyticum interrogantes : *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi. Tolle grabatum tuum ?* Reſpondit paralyticus : *Quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.* Res ſtupenda, nihil Iudæi de ſalute accepta quæſierunt, ſed tantùm de grabato ſublato in ſabbatho ; paralyticus tamen non de grabato, ſed de ſalute data reſpondit. Cur nihil de grabato ? cauſam affert D. Cyrillus Alexandrinus in citatum locum :

S. Cyrill. Alexandr.

Non enim quaſi accuſans dixit, qui tollere grabatum in ſabbatho imperaſſet, ſed qui fecit eum ſanum. Quaſi diceret : ſicut nequiſſimi Iudæi, diſſimulabant miracula Chriſti, facta ſtupenda, & nunquàm antea viſa, eaq; omnia, quæ ad bonum faciebant ; ſola verò promebant, quæ poterant ſuſpicionem parere ; ita bonus iſte paralyticus, alienus ab hac malitia, ſolùm explicabat, quod ad commendationem Chriſti pertinebat ; ſilentio autem inuoluit, quod poterat retorqueri ad malum à malignantibus.

Inuidia proinde Iudæorum, ſemper Chriſtum calumnijs & detractionibus impetebat, ſine vlla cauſa, quia proprium eſt maleuolorum hominum, alienam famam & præclara opera detractionibus lacerare. Hinc Regius vates clamabat ad Dominum : *Protege eos à contradictionibus in tabernaculo tuo.* id eſt, in cælo : quia in mundo ab his nemo liber. Non eſt quiſpiam tantæ perfectionis, & ſanctitatis, qui calumniatorum linguas effugere poſſit : non eſt veritas ita felix, quæ odium non pariat. Et quoniam dominica hodierna eſt Chriſti paſſionis, quia hodiè incipimus eius paſſionem recogitare, ideò remedium contra obtrectatores vobis offeram, Chriſtum innocenter patientem, quem in graui mœrore ſponſa cœleſtis deſiderabat Cant. 1. *Faſciculus mirrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cantic. 1.

Et cur ſic pectori ſuo aptabat Ieſum ? Reſpondent aliqui, propter odorem : notum enim eſt omnibus, Hebræorum corpora fœtentia fuiſſe, & ideò vtebantur illi tot lauacris, tot prætioſorum vnguentorum vnctionibus.

Iudæorum corpora ſemper fœtida.

Præcipuè verò, quæ nuptiali thalamo parabantur puellæ, multis vnguentis liniebantur, vt gratæ maritis eſſent. Cùm ijs ergo locuta DEI ſponſa oſtendit, vnde ipſa ſibi compararet odores, quibus grata ſit ſponſo, nimirum ex vno Chriſto, qui adhibitus pectori, & graucolentiam eliminat, & ſuauiſſimam fragrantiam præſtat. Ita refert D. Nicænus homil. 3. in Cant.

S. Nicæn.

Aiunt inquit *ſtudio ſui ornandi mulieres, non ſolùm externis procurare ornamentis, vt ſint amabiles ijs, qui cum ipſis viuunt ; ſed etiam dare operam, vt per quandam ſuaueolentiam, corpora quoquè ſuis maritis congruenter videantur agere, ad eum vſum aromata intra ſuæ veſtis ambitum occultantes, quo ſuum emittente vaporem, corpus quoq; bono odore halitus ſimul afficiatur.* Cùm ergò moris ſit Iudæis, ab aromatibus, & vnguentis emendicare odores, quibus & graucolentia tollatur, & ſuauiſſima

fragran-

fragrantia oriatur, ideò sponsa cœlestis vnum Iesum pectori adhibet, qui est pro omnibus vnguentis, & pro omni suauitate odorum, sub quo squallidissimi quiq; fiunt maximè odoriferi.

Non inficior bonam hanc esse rationem, aliam tamen ego magis proposito meo accommodam inuenio. Patiebatur sponsa licet alias sanctissima, multas Iudæorum calumnias, contra illibatam eius virginitatem oblatrantes, ideò Christum suo pectori aptare desiderabat, vt sic dolor eius minueretur. Christum enim innocenter passum recogitans, ad fortiter perferenda omnia opprobria incitabatur. Idcirco & vos, vt graues detractorum calumnias æquo animo sustineatis, Christi passionem meditemini, quæ vobis omnia amara in suaues delicias commutabit, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVINTA.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. *Ioannis 8.*

Maxima omnium pœna est, Christi recessus ab homine.

PRidem non solùm in erudito Iure consultorum consistorio, sed etiam in sacro Thelogorum senatu proclamatum est, vt merito præmium, sic pœnam culpæ proportionatam esse debere. Quantum enim quisq; meretur, tantum præmiari; quantum peccat, tantum puniri debet. Peccauerat in sacram Regiam maiestatem, quidam Franciscus Rauaillanus, qui Henricum IV. Galliæ Regem, currui insidentem gemino cultri ictu interfecit; sed breuì post condignas, tanti sceleris pœnas luit. Nam candenti forcipe dilacerabatur, infusis in plagas oleo, pice, sulphure, resina, & plumbo. Seruabantur laniando corpori interstitia, infusuſq; in brachia,

Franciscus Rauaillanus Henricum IV. Galliæ Regem interfecit.

Atrox eius suppliciū.

A & humeros, successiuè sulphuris, & plumbi liquor, quo per singula membra moreretur. Distractum deinde per quatuor equos, in partes totidem corpus, & flammis commissum, bona fisco adiudicata, æquata solo domus, in qua ipse natus erat, nunquàm posthac superinducendo areæ ædificio. Parentes scelesti illius hominis ditione Gallica pulsi, cum cognatis, & Rauaillaneum nomen infame, in omne æuum futurum proclamatum est. teste Thuano, & Gramondo. Atrocius B equidem scelus hodiè, in ipsa principe vrbium Ierosolyma patratum auditur, dùm colluuies Iudaica Christum Regem Regum, & Dominum dominantium, in ipso DEI templo, salutarem eius doctrinam sustinere non valens, lapidare vult, quid est pro Deum immortalem, ante septimanam Iudæi Christum in Regem deposcebant, hodiè verò nihil intentatum relinquunt, vt Christum lapidibus obruant. Quis læsæ maiestatis crimen non fatebitur? si enim homi- C nes reuereri tenentur sacram vnctionem, quâ Deus Reges suos in terra vicarios honorat, quantò magis Iudæi debebant reuereri Christum, ipsa diuinitate vnita humanitati vnctum, imò Regem simul, & summum sacerdotem. Videte qualem pœnam referunt Iudæi pro tàm sacrilego ausu: non punit eos Christus, sicut quondam Dathan & Abiron, quos temerè contra Moysen murmurantes, terra viuos deglutiuerat. Numeror. 16. *Confestim igitur dirupta est terra sub pedibus eorum,* D *& aperiens os suum, deuorauit illos, cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum.* Quia pœna hæc non fuisset proportionata culpæ ait Theophylactus. *Quid magnum erat, si infernus os suum aperiret, si terra dehiscens eos absorberet.* Facilè enim poterat infernus os suum aperire, & eos absorbere; sed noluit Christus. Verùm punit eos subtractione sui ipsius, dum videns eos lapides rapere, *abscondit se, & exiuit de templo*; quia hæc sola pœna pro sceleratis Iudæis erat sufficiens, sola sacrilego eorum delicto proportionata.

Num. 16.

Theoph.

Sic

Aloysius Nouár.

Sic resoluit Aloysius Nouarinus: *Non poterat atrociori pœna punire Iudæos, quàm abscondere se.* Ostendam igitur, non potuisse magis puniri Iudæos insolentes, nec iam posse magis puniri Catholicos, quàm dum se eis Christus abscondit, & de templo illorum exit.

Leue forsàn tormentum Iudæis illatum, leuemque vindictam de illis sumptam putaret quispiam, quòd se Christus absconderit, & de templo exiuerit. Verùm rectè concludit citatus Aloysius: *Maiori pœna temeritatem Iudæorum punire non poterat, quàm abscondere se.* Excogitate quàm atrocia vultis supplicia, ad æquale mihi credite nunquàm deuenietis, quàm sit subtractio Christi à creatura. Miratur vehementer Lyranus, vnde Iudæis tantum audaciæ, & malitiæ inerat, vt Christum lapidibus impetere non vererentur. Et firmiter innixus Glossæ interlineari, respondet: Quia putabant, verba Christi esse blasphemiam. Dixerat quippè eis Christus: *Amen dico vobis, antequàm Abraham fieret ego sum.* In quibus verbis ostenditur eius æternitas, coniungendo verbum præsentis temporis, *ego sum,* cum verbo præteriti temporis, *antequàm fieret,* quia æternitas assistit omni tempori. Cùm ergo Iudæi verbis Christi contradicere non valerent loquendo, ideò contradixerunt corporaliter persequendo, tollentes lapides tanquàm in blasphemum. Ad quod non mouebantur amore iustitiæ; sed liuore inuidiæ: quod ex eo manifestè patet. Quia in lapidatione blasphemi apud Iudæos, requirebatur debitus iuris processus, per accusationem coram iudice, & testium depositionem, & iudicis sententiam formatus, & tunc primùm sequebatur lapidatio extra ciuitatem. Vt habetur Leuitici 24. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt: manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus.* Iudæi autem cùm nihil horum fecissent, omisso eiusmodi necessario processu, volebant Christum lapidare. Et quod ma-

Lyranus.

Iudæorum quāta malitia Christum lapidare volētium.

Leuit. 24.

A gis adhuc scelus eorum aggrauat, in loco sacro, vbi etiam sontes morte perimere sacrilegum nefas erat.

Hinc rectissimè Salomonem damnant, ac execrantur Doctores, quòd confugientem Ioab ad altare, ibi mandauerit eum occidi 3. Reg. 2. *Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Bananiæ, qui iubebat vt egrederetur, respondens: *non egrediar, sed hic moriar.* Quod cùm ad Regem detulisset Bananias, dixit Rex, *fac sicut locutus est.* quasi diceret, B non solùm eum interfice, sed etiam iuxta altare, quemadmodùm ipse dixit. Licet enim sanguinis effusoribus, qui ex malitia, qui dolo proximum occidebant, ex DEI præcepto nullum suffragaretur refugium ad locum sacrum, ad altare, iuxta illud Exodi 31. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euellas eum; vt moriatur.* Licet talis esset Ioab, proinde meritò homo sanguineus, ac dolosus occisus sit. Quod ingeniosè adnotauit Philo C lib. de præmijs, ac honoribus sacerdotibus debitis: *Qualemcunq;* ait *homicidam nefas erat fanum ingredi, vt se religione loci tueretur.* Pulchrè equidem: Ecclesiæ enim sacrataq; Dei templa, non asyla debent esse sicariorum, non latronum subterfugia, non instrumenta facinorum, quemadmodùm essent, si quis ex malitia, ex iniquitate, datâ operâ, & inique sanguinem effundens, Ecclesiam reputaret indemnem se facturum. Quod Deus præuidens iustus iudex, pro sacris altari- D bus, pro ipsorum sacerdotum stans reuerentia, volens vt quilibet intelligeret, nefandos ab ipsis defendi non debere, expressè illud excepit, & noluit, vt altare sanguinem malitiosi homicidæ seruaret, qui vafrè sanguinem fudisset humanum. Ait Rupertus libro 3. in cap. 37. Exodi. *Nihil debet fides altaris, qui per dolum occidendo proximum, omnem fidem perdidit.* Inique tamen egit Salomon, quia etsi non peccauit, Ioabum homicidam mandans occidi; peccauit tamen, & grauiter peccauit mandans vt iuxta altare oc-

3. Reg. 2.

Exodi 31.

Rupertus.

re oc-

re occideretur. Nam priùs ſecundùm legis præſcriptum, inde eum euellere debebat, & poſtea extra templum occidere. Ergo licet iuſta Salomonis ira, licet morte dignus Ioab, tamen ex eo culpandus, ex eo peccati reus, quia ſine modo proceſſit, quia locum ſacrum non eſt veneratus, vbi Deus, vbi eius ſacerdotes degebant.

Non ſic fecit ſanctiſſimus Ioiada ſacerdos, qui videns ſceleſtiſſimam omnium mulierem, impiam Athaliam Reginam, quæ omne ſemen Regium innocenter ſuſtulerat, templum Domini ingreſſam, non eſt paſſus in templo ſancto eam occidi, ſed extrahi mandauit. 4. Reg 11. *Educite eam extra ſepta templi; dixerat enim ſacerdos, non occidatur in templo Domini, ne templum violarent veneficam in eo occidendo.* Hæc enim reuerentia debetur ſacris locis, & dignitati ſacerdotali, ne etiam flagitioſorum hominum confugientium, in illis ſanguis effundatur, vel aliqua violentia fiat. Quod pulchrè tetigit Philo loco citato. *Iam* inquit *aperta ſunt oppida, velut aſyla ſecundaria, propter incolarum honorem, ac priuilegium, qui ſupplicibus contra vim futuri erant præſidia, non armorum ope, ſed dignitatis reſpectu, & iuſta reuerentia ſacerdotalis ordinis.* Ecce in veteri teſtamento non muri, non portæ, non bellica tormenta, non neceſſarij enſes erant, aut haſtæ, vt homicidas defenderent ſacerdotes ab iniurijs, à iuſtitiæ miniſtris, ab iratis conſanguineis; ſed ſola dignitas ſacerdotalis pro omnibus ſufficiebat, vt ad eius dignitatem reſpicientes, ab armis ſe continerent, ac vindictâ, miniſtri iuſtitiæ, iudices ſeueri. Quia tanti æſtimabatur ſacerdotalis dignitas, vt eam non modò Reges, verùm etiam & ipſi Angeli reuererentur. Sic Angelus ille percutiens, dum ſacerdotem inter mortuos viuenteſq; aſpexit, & iſti omni ſupplicio digni eſſent; tamen ipſe etſi iuſſus, etſi Dei exercebat vindictam, iuſtamq; ſententiam; tamen maieſtatem culminis reueritus ſacerdotalis, in tuto ac indemnes licet culpatos iudicans reliquit, & reuerenter abſceſſit. Hoc Angelus fecit; at quid nunc homines etſi Chriſtiani? ab ipſis altaribus fugientes euellunt, in ipſamet ſummi Chriſti ſacerdotis præſentia manu extrahunt armata. Et vbi humanati verbi in altaris ſacramento reſidentis timor? vbi reliquiarum ac imaginum honor? vbi templorum priuilegia? vbi dignitatis ſacerdotalis reuerentia? o quantus hic Catholicorum Regum pudor, qui talia permittunt.

4. Reg. 11.

Philo.

An certè ignoratis, ſic eſſentialem cum dignitate ſacerdotis reſpectum, ac reuerentiam coniunctam eſſe, vt barbaræ ipſæ gentes, quæ ad notitiam vnius veri Dei non peruenerunt, ipſo lumine naturali tantùm duce, ſacerdotes ſuper omnes alios ſint veneratæ. Et quidem non ſupra quoslibet alios, ſed ſupra Reges, & Dynaſtas. Teſtis eſt Strabo lib. 7. Geographiæ, vbi refert apud Æthiopes, arbitrio ſacerdotum Reges creari, ac deponi ſolitum fuiſſe. Vnde hoc? niſi quia ſuper Reges eorum dignitatem æſtimabant, eorumq; imperium, ac iudicium Regibus præponebant. Neq; ſanè mirum hoc videri debet, ſuper ipſos Reges æſtimandos eſſe ſacerdotes, ac ſuper ipſorum præeminentiam, ſacerdotum eſſe dignitatem; cùm ea vltra Angelicam ſe extendat; ita vt ſi cui Angelus, & ſacerdos ſimul occurreret, priùs ſacerdoti, quàm Angelo reuerentiam exhibere teneretur, tanquàm Angelo maiori. Quod equidem non operosè deducitur ex facto illo Apocal. 19. quando S. Ioannes ad adorandum Angelum procumbens, ſtatim veluti repercuſſus, & ab Angelo reprehenſus audiuit: *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.* Vbi quærunt interpretes, cur tunc Angelus non permiſerit ſe à Ioanne adorari, cùm antea non ſic fuerit. Nam Ioſue videns Angelum Domini, cadens in terram adorauit eum, quod minimè Angelus prohibuerat: *Cecedit Ioſue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum.* Ioſue 5. Referunt hoc aliqui

Apud Æthiopes penes ſacerdotes poteſtas Reges creandi & deponendi.

Sacerdos Magis quā Angelus honorari debet.

Apoc. 19.

Ioſue 5.

aliqui, vt Viegas, & Cornelius in ſpiritum Prophetiæ, quem Ioannes poſſidebat, idq; ſatis rationabiliter: nam ex reuelatione mirabilium futurorum ab Angelo prædictorum ſtupefactus & attonitus Ioannes, in tantam Angeli reuerentiam propendebat, vt eum adorare vellet, cui Angelus: *Vide ne feceris, quia conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium Ieſu; Deum adora, teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus Prophetiæ.* Quaſi diceret: non eſt, quod tanti ſupra te me facias, quia futura tibi prædixi: nam eodem tu imbutus es Prophetiæ ſpiritu, quo & ego.

Apoc. 19.

Verius tamen mihi videtur, Angelum illam adorationem S. Ioannis recuſaſſe, ob reuerentiam ſacerdotalis characteris in Ioanne, & ob ſacrum ordinem, ac ſacerdotalem prærogatiuam, corpus ſcilicet Chriſti conficiendi, & à peccatis abſoluendi, ob quod dignior Angelis iudicabatur. Quod ex ipſis Angeli verbis conijcio, quando dixit: *Vide, ne feceris*: ſonant enim timorem, tanquàm ex aliquo indebito, vnde ſuper hæc Angeli verba, ita diſcurrit D. Gregorius homil. 8. in Euangel: *Angeli poſtquàm naturam noſtram ſupra ſe aſſumptam in Chriſto perſpiciunt, proſtratam eam ſibi videre pertimeſcunt.* Ergo verba illa Angeli timorem, ac horrorem quendam deſignabant, quaſi aliquid præpoſterè factum. At verò ſi Angelus ſolùm in Ioanne ſpiritum Prophetiæ concepiſſet, dubio procul non habuiſſet illum timorem, nec oblatam à Ioanne adorationem exhorruiſſet, tanquàm aliquid præpoſterum, tanquàm ſi maior minorem adoraret. Quemadmodum Ioannes timuit, dum Chriſtus ab illo baptizari vellet, reſpondens: *Tu venis ad me baptizari, ego à te debeo baptizari.* Ita planè Angelus volenti eum adorare reſpondit: *vide, ne feceris*: Quaſi diceret; quid agis, tui inferiorem adoras? Deum adora, cui poſt Chriſtum natum, poſt characterem acceptum ſacerdotalem immediatè ſubijceris: nam ego tui conſeruus, & non ſuperior, ſed inferior. En quanta reuerentia antiquis illis temporibus, deferebatur ſacerdotibus, non tantùm à Regibus, & excellentioris præeminentiæ hominibus, ſed etiam ab ipſis Angelis. At nunc proh dolor in tam miſerabilia, & deploranda incidimus tempora, vt viri Principes, Reges, Dynaſtæ, imò quod magis dolendum, etiam homines inferioris ſortis, & conditionis, audeant ſacerdotes in Republica ſuperfluos iudicare, otioſos, inanes, ob quod non ſolum ſuperflua nos habere effutiunt, ſed & prouentus ſat exiguos eripere contendunt. Reputantes proprium ſacerdotis eſſe, more veterum Prophetarum herbis victitare, pane duntaxat, & aqua ſuſtentari, viliſſimo indui amictu, quaſi mundus, diuitiæ, & deliciæ quæuis, propter ipſos tantummodò creata ſint, cùm meâ ſententiâ, ne vnum quidem arboris folium. Cùm tamen Philo diſertiſſimus affirmet, regiam ſacerdotibus vitam deberi ex Dei inſtituto: noluit proinde Deus, vt ſacerdotes more plebeiorum victum quærerent, ac pro illo deſudarent, ſed quandoquidem circa Dei cultum ſolum eſſent occupandi, & pro ſua ſorte, ac occupatione Deum habituri, ideò Deus ad morem Regium præparauit illis victum ſine labore. Ait Philo ſupra citatus. *Accedunt alij honores virtutis ergo illis habiti, & ante omnia cibus abſq; eorum cura, laboreq; paratus, vt nemo ſacerdos tàm pauper ſit, quin diues videatur.* Recolligant ergo ſe homines mundiales, & moderni Pſeudo Politici, quantam pœnam promereantur, adeò grauibus opprobrijs ſacerdotalem dignitatem carpentes, cum in hoc etiam peruerſiſſimis Iudæis deteriores eſſe videantur.

Cur Angelus non permiſit ſe adorari à S. Ioanne.

S. Gregor.

Dishonorârunt Iudæi templum Dei ſanctum, conſurgentes in illo aduerſus Chriſtum, non ſunt reueriti dignitatem ſacerdotalem, lapides in eum, qui erat ſacerdos ſecùndùm ordinem Melchiſedech vibrantes, audite igitur quomodò puniti ſunt: *Ieſus abſcondit ſe, & exiuit de templo*, quo grauior pœna illis euenire non potuit.

De' ſacerdotes vt Reges viuere voluit.

Philo.

tuit. Rem ita ſe habere cognoſcite: Deum eſſe ſummum bonum concors eſt omnium ſententia, ſed quam ob cauſam, variæ Doctorum opiniones. S. Damaſcenus cenſet ideò, quia de ratione boni eſt, vt ſit communicatiuum ſuiipſius, quod maximè DEO competit, qui ſe communicat & ad intra tribus perſonis, & ad extra creaturis. Boëtius verò cenſet ideò, quia de ratione boni eſt, vt ſit id, quo nihil maius eſſe, aut cogitari poſſit, quod cum Deo omnimodè competat, meritò illum eſſe, & dici ſummum bonum fateri debemus. Ergo per oppoſitum licitum eſt concludere, ſummum malum illud eſt, quo nihil maius eſſe, aut cogitari poteſt; talis autem eſt Dei ſubtractio, vnde ſequitur Chriſtum non potuiſſe magis punire Iudæos, quàm abſcondendo ſe eis, recedendo à templo, deſerendo illos, cùm hoc ſit ſummum malum, quo nullum maius eſſe & cogitari poteſt. Hinc infernum, & pœnas illas gehennales, conſiderantes Theologi, quærunt, quid ſit grauius, an pœna ſenſus, quam damnati in anima & corpore ſuſtinebunt; an certè pœna damni, hoc eſt diuinæ viſionis carentia. Et concludunt hanc præ illa millies grauiorem eſſe. Vnde S. Auguſt: lib. de triplici habitu dicit: *Abſentiâ Chriſti quoad viſionem faciei eius, nulla pœna eſt grauior.* Non adeò graue erit damnatis pati vſtionem ignis in anima & corpore, per potentiam obedientialem; ſed Chriſtum Redemptorem non videre in æternum, hoc prorſùs intolerabile. Ex quo manifeſtè ſequitur, nullam pœnam atrociorem eſſe, quàm deſeri à Deo, hæc enim omnes calamitates vincit. Quid enim Chriſto abſente ſupereſt, niſi denſiſſimæ tenebræ, niſi extrema perditio, quod ex ipſa Chriſti morte quis non perſpiciet,

Pœna damni grauior, quàm pœna ſenſus.

S. Auguſt.

Crucifixo à Iudæis Domino, tenebras totam Iudæam impleuiſſe fatetur Apoſtolus Matth. 27. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Ad quid tenebræ? Reſpondet D. Leo ſerm. 10. de Paſſione: *Sol ſideraq; indignos vos ſuo miniſterio Proteſtantes, terribili motu, inſolitoq; defectu tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt.* Quas mentis Iudæi habebant tenebras, ſecutæ ſunt illarum indices externæ illæ tenebræ, quibus diurno lumine priuati erant. Pergit vlteriùs, Apoſtolus loco citato. *Et velum templi ſciſſum eſt in duas partes.* De quo S. Chryſoſth: ſerm. 3. de paſſione ſic loquitur. *Illicò rumpuntur ſacrario dicata velamina, & in publicum templi ſecreta mittuntur, vt admiſſi ſacrilegij clandeſtina machinatio panderetur.* En quanta ex tenebris mortuo Domino Iudæorum pœna, vt internum illorum ſacrilegium, externa comitaretur, oſtenderetq; ſciſſi veli calamitas. Heu quàm certò interna hominum peccata, externorum bonorum clades manifeſtat. Quærit curiosè S. Ephrem, quid etiam Chriſtus Dominus per iſtas tenebras in ſua morte immiſſas deſignare voluit, & reſpondet: quia mœrorem, quem ſol ex morte Chriſti conceperat: *Sol* inquit *turbatus è facie contraxit lucis ſuæ radios, & ignominiam tanti Domini non ſuſtinens, tanto mœrore veſtitus eſt.* Bella equidem ratio: ſed noſtro propoſito magis accommodatam reddit S. Maximus: *Adhuc* inquit, *crucifixo Domino immorantur tenebræ, ſed quid mirum: quoniam lux deſcendit ad inferos, id eſt Chriſtus.* Palam oſtendens, nihil boni ſperandum eſſe, dum lux illa inacceſſa Chriſtus Dominus oculos ſuos à nobis auertit, ſeq; abſcondit, & ſubtrahit, quia tunc omnium malorum tenebræ ſuccedunt, nec poteſt euenire atrocior pœna, quàm Chriſti abſentia.

Matt. 27.

S. Leo.

Ibidem vt ſupra.

S. Chryſ.

S. Ephrem

S. Maxim.

Iudicum 16. refert Scriptura ſacra, cùm Philiſthijm cepiſſent Samſon, *ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcerem molere fecerunt.* Poſt aliquantum temporis, *capilli eius renaſci cœperunt.* Miratur vehementer Abulenſis, quòd cùm Philiſthym optimè ſcirent, totum robur, & inuictam illam fortitudinem, qua & leonem, tanquàm hedum dilacerauit, & mille Philiſthæos arreptâ aſini maxillâ percuſſit, in ſeptem capillis ſitam fuiſſe; & tamen non curarunt, vt renaſcentes eius capilli iterum abraderentur. Et reſpondet: quia Philiſthijm putabant, eum iam à Deo fuiſſe deſertum. Alij cenſent: quia putabant, quòd Deus iam ab illo receſſiſſet, & ideò contemnebant renaſcentes crines. En quanta pœna hominis deſeri à Deo, vt & ipſæ barbaræ gentes ei illudant, nihiliq; æſtiment. Verùm non benè ſucceſſit Philiſthæis hic Samſonis contemptus: quia licet ad tempus receſſerat Deus ab eo, proptereа, quòd vni laſciuæ mulieri ſecretum ſuæ fortitudinis reuelauerit; non tamen illum ex ſua prouidentia dimiſit, & ideò renaſcentibus iterum crinibus priſtinam fortitudinem reſtituit Nam poſt ſic illuſum Samſonem, læti Philiſthijm conuenerant in ædem idoli ſui, ibiq; laudabant Deum ſuum Dagon, quaſi tantæ victoriæ auctorem, lætanteſque per conuiuia, ſumptis iam epulis, præceperunt, vt vocaretur Samſon, & ante eos luderet. Quid verò ille? amplexatus duas columnas, quibus domus ſuſtentabatur, concuſſit fortiter. *Cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multoq; plures interfecit moriens.* Iudic: 16. Nec mirum: vir enim pius non potuit ferre, quòd honores, & laudes diuinæ tribuerentur creaturæ. Dicit D. Auguſt. *Samſon ruina ſe ſimul, & illos voluit opprimi, ne laudes dæmonum in contumeliam Dei ſui à quoquam libenter pateretur audiri.* Proinde vt ſenſit Dei laudes dæmonibus impertiri, non ſuſtinuit diu viuere, nec cauit ſe inuoluere inimicorum ruinis. Verùm cui ſe Deus non tantùm abſcondit, ſed etiam de ſua prouidentia illum dimittit, huic pœna atrocior euenire non poteſt. Digrediamur tantiſper à Samſone, ad paradiſum, vbi dicit Scriptura ſacra, Dominum Deum poſt peccatum, Adamum eieciſſe. *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Moyſes Barcepha cap. 2. de paradiſo quærit, quidnam tum Adamum magis afflixerit, an quòd de paradiſo pulſus eſſet, an verò quòd à Deo eiectus? Et reſpondet, non tam graue fuiſſe Adamo, quòd de paradiſo expelleretur; quàm quòd Deus cum illo non deſcenderit, neq; comitatus ſit abeuntem, cùm nulla pœna atrocior ſit Dei abſentiâ.

Iudic. 16.

Samſoni capilli abraſi renaſcuntur.

Samſon domum concutiens ſe, & Philiſthæos interfecit.

S. Auguſt.

Genes. 3.

Adamum magis afflixit Dei ſubtractio, quàm expulſio de paradiſo.

Agnouit hoc perbellè Rex Iſraëlitarum Dauid. Pſal. 50. clamans ad Dominum. *Auerte faciem tuam à peccatis meis: Et à facie tua ne proijcias me.* Pugnantia ſecum videntur hæc duo loca: In vno enim Dauid poſtulat faciem Dei, in altero eius auerſionem. Reſpondet Caſſiodorus: Benè ille dicit: Domine auerte faciem tuam à peccatis meis, ſed me à facie tua non proijcias: quia à facie tua lumen, & ſalus venit. Auerſionem ergo diuinæ faciei à peccatis ſuis poſtulabat, vt penitùs obliuioni traderentur, ne eorum memoria remaneret; à ſe verò diuinam faciem auerti timebat, quia tunc nulla atrocior pœna euenire poteſt. Hinc idem Rex & Propheta, adeò bellicoſus Dux, correptus metu fugam capiebat, aduentante Abſolone *fugiamus* aiebat, *neq; enim erit nobis effugium à facie Abſalon.* Vnde quæſo tàm vanus timor potuit tàm exercitatum ducem occupare. Ne miremini: timor erat cadens in virum ſapientem: vt enim Dauid videbat animum ſuum deuictum peccato adulterij, & homicidij; ita certò credebat regnum ab hoſtibus expugnandum. Sequuntur enim & comitantur ruinæ, bonorum temporalium ruinas internas animi. Ait Carthuſianus: *Dauid conſcius ſibi malorum, quæ fecerat, formidauit ſuccumbere propter ſua peccata.* Ergo faciem Dei à peccatis ſuis auerti poſtulabat, vt clementi oculo eum reſpiciente Domino, ab inſolito illo timore, & imminentibus calamitatibus citiùs eliberaretur: quoniam præſente Domino, omnia fauſta ſuccedunt. Reuocate vobis grande illud tædium, quod ſponſa ex breui abſentia ſponſi conceperat, vt cum gemitu ſuſpitaret: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam*

Pſal. 50.

Carthuſ.

Cantic. 8.

& iam nemo me despiciat. Cantic. 8. Vbi tres Anonimi apud Theodoretum, hæc verba tribuunt animæ sanctæ, optanti secundùm Christi aduentum. At verò S. Gregor. Theodoretus, & Cassiodorus cum alijs, tribuunt Patriarchis desiderantibus Christi incarnationem. S. Ambr. *Foris factus est* (ait Ambr.) *qui erat intus. Vide illum intus quando legis, quòd in sinu est Patris: cognosce illum foris, quando nos quærit vt redimat.* Nempè Dei Filium, qui intus est in sinu Patris, debemus foris quærere, & foris profiteri redemptorem, scilicet humanitate indutum, nosq; passione sua redimentem. Quod explicatiùs in Philo Carpatius. eundem locum tradit Philo Carpatius. *Tunc enim* inquit, *foris inuentus est sponsus, & osculatus à sponsa, cùm humanitate vestitus, & extra Ierosolymam crucifixus, eam ipsam à sempiterna morte redemit.* Ecce tibi sponsus Christus foris quærendus est, foris inueniendus est, foris deosculandus: id est, adorandus, & sic laudandus est, foris ac publicè venerandus est, quin retardet improperium crucis, & peracerbum passionis probrum.

Et vnde quæso tantum sponsi desiderium, vt sponsa nullo modo quiescere velit, donec illum inueniat? nimirum ex eo, quia anima fidelis, licet alioqui in occulto pia, fit despicabilis, si Christum crucifixum foris non quærit, foris non profitetur, foris non inuenit, & publica professione non laudat. Habet enim suos recessus virtus, cui diuini oculi satis amplum theatrum sunt: sed aliquando pia quadam ambitione, foras exire, ac se prodere satagit, ne despectui habeatur, dum publicatione despectum declinat, & animositatis mercatur elogium. Ergo sponsa vehementer desiderat sponsum, quia illo præsente nemo eam contemnere audet. *Quis mihi det, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo me despiciat.* Si ergo sponsa alias pietatis, & virtutum plena, ob breuem sponsi absentiam, tanto tædio afficitur, quid facient magni peccatores, qui suis enormissimis criminibus, velut duris lapidibus Christum è

A corde eijciunt? nonne illos perpetuum tædium, & omnium contemptus cruciabit? Abundet diues omnibus diuitijs, auro, & argento totam domum repleat, quid hæc proderunt, dùm sua turpi auaritia Christum a se expulerit? Profectò tantæ deliciæ sponso absente, solatio esse non possunt. Floreat iuuentus pulcherrimis naturæ, & artis dotibus, quid hæc proderunt, cùm Christum suis temerarijs affectibus, & insolenti modo viuendi à se eijciat? Equidem tantæ deli- B ciæ sponso absente solatio esse non possunt. Extollat quempiam fortuna in supremum honoris fastigium, valeat opibus, & potentiâ, ita vt etiam Ioui sceptrum eripere videatur, quid hæc proderunt, si Christum in corde præsentem non habuerit? Enimuerò tantæ deliciæ sponso absente, solatio esse non possunt.

Quod cùm ita sit, quia DEVS non potuit grauius punire Iudæos, quàm dùm se illis abscondit, tunc rectè concludit venerabilis Beda cum C D. Augustino: *Christus à lapidibus fugit, sed væ illis, à quorum cordibus lapidatus Deus fugiet.* Beda. Et quomodò Deus à nobis fugere potest? respondet citatus Beda. *Quoties malas cogitationes in Iesum sumimus, tot lapides assumimus.* O bone IESV, fugis hodiè Iudæos: quia vides, quòd te lapidibus impetere velint, ecce ego primus plenus lapidibus, plenus peccatis, nihil aliud facio, nisi te lapido, quoties te saltim cogitatione offendo. Sed væ mihi, si fugis à me, velut ex templo Salo- D monis, væ mihi. Verùm, & vobis erit væ sempiternum, si illum peccatis lapidare ausi fueritis. Quare resipiscite tandem hoc sacro Quadragesimæ tempore, si vultis, ne Christus faciem suam à vobis auertat. Emendate in melius, quæ ignoranter aut etiam insolenter patrastis, & ego vos assecuro, quia vbi venerit Christus, faciem suam vobis ostendet, & salui eritis, Amen.

DOMI-

DOMINICA I.
POST PASCHA.

Dùm esset serò die illa, vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit IESVS, & stetit in medio eorum, & dicit eis: pax vobis. *Ioannis 20.*

Christus suâ præsentiâ, vulnerum ostensione, & insufflatione, omnem timorem ab Apostolis depulit.

Ehemens timor, & extrema admouens, alios in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri suadet, vt Seneca. docet Seneca lib. 1. de clementia capite 12. inquiens: *Si feras lineis & pinnâ conclusas contineas, easdem à tergo eques incessat; tentabunt fugam per ipsa, quæ fugerant, proculcabuntq; formidinem; Acerrima virtus est, quam vltima virtus extundit: relinquat oportet securi aliquid metus, multoq; plus spei; quàm periculorum ostentet.* Alios verò animo cadere, & in turpem fugam se se proripere compellit. Intentauerat bellum virulentissimus serpens feminæ illi sideribus redimitæ, filiumquè recens editum anhelabat ore spurcissimo deuorare, quò mulier nec partus vitasset cruciatum, nec possedisset fructum. Quid inter metum & mortem constituta prudens femina, sexus fragilis non ignara, & Euæ infortunatis casibus erudita, fugâ periculum elusit, & solitudinis portum petijt: Apoc. 12. *Mulier fugit in solitudinem.* Apoc. 12. Hoc est ad Christum, vt exponit D. Ambrosius: *Solitudinem* inquit *Christum vocat*: Securum equidem contra serpentis versutias asylum, & patens omni fugienti perfugium. Sed maius experimentum sumite, quàm sit res probrosa, & infamiæ plena timor, vel ex ipsis Apostolis, qui solo metu perculsi, alij proprium abnegârunt Dominum; alij ad vilissimæ colluuiei Hierosolymitanæ Christum comprehendere volentis, in fugam dilapsi sunt: *Et relicto eo fugerunt o-*

A *mnes.* En, quomodò non solùm gressibus, sed planè volatibus fugerunt, qui anteà; dùm Christus innumeram hominum multitudinem in deserto cibaret, ita magistri sui lateribus adhærebant, vt aliquomodò opus fuerit violentiâ, vt tantisper illum dimitterent, & transmitterent pelagus. *Statim compulit Iesus discipulos ascendere* Matth. 14. *in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Mat. 14. Quomodò, qui violenter quadamtenus olim disiungebantur, & studiosè B adeò ambiebant consortium, posteà ita celeres eius diffugerunt conspectum? Nonne idem vtrobiq; Dominus, & Magister? ergo aut in deserto aufugere debebant, aut in horto comitari. Idem fateor vtrobiq; Dominus, sed diuersus status: in deserto enim ditissimus omnibus impertiebatur liberalissimè beneficia; in horto autem extrema inimicorum sustinebat opprobria: in horto catenis diuexatus, in deserto diuitiarum cumulis opulentus: ipsius ergò in horto fu- C gerunt consortium, cuius antea studiosè ambiuerant magisterium: *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Marci 14. Quando? *tunc*? quando catenis vinctus, quando ab inimicis captus, quando ab impijssimis scribis comprehensus. Compulit illos aliquando Christus discedere; sed cùm ditissimus; sed cùm fortunatus; quia fortunæ respexere vultum, non rationis præscriptum: *Statim compulit Iesus discipulos ascende-* Matt. 14. *re in nauiculam, & præcedere eum trans fretum.* Super quæ verba S. Hierony-

mus

S. Hieron.

mus ita diſcurrit: *Diſcipulis præcepit transfretare, & compulit, vt aſcenderent naviculam. Quo ſermone oſtenditur inuitos eos à Domino receſſiſſe, dùm amore præceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo vellent ſeparari.* O quàm hoc verum, & quàm certâ experientiâ firmatum, qui nocturnis diurniſque horis domum olim frequentauerat importunus, ſi in contrarium ſors vergat, mox aſpectum negat etiam quæſitus, indeq; fugit, vnde probabatur amicus: vt noueris reluctantiam iſtam ſeparationis ad ſpeciem, ortam non tàm à perſona, quàm à fortuna. Necdum ſatis, ad peiora adhuc compulit diſcipulos Chriſti acer timor, vt etiam poſt triumphalem eius reſurrectionem, territi ſeſe abſconderent: *Congregati propter metum Iudæorum.* Sed venit hodiè Ieſus ad propulſandum ex cordibus diſcipulorum indiſcretum timorem, quod quib' medijs præſtitit, oſtendam.

Mutata fortuna mutatur amicitia humana.

Ioann. 20.

Tribus medijs vſus eſt Chriſtus, ad propulſandum timorem ex cordibus ſuorum Apoſtolorum. Inprimis ſuâ præſentiâ: *Stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* Et quid neceſſum erat, munire Apoſtolos pace, quos iam gloriæ recreauerat luce? equidem vt ipſum gloriæ gaudiū conſummaret, & omni metu vacuos redderet: quia ſine pace frui non potuiſſent tantæ viſionis lætitiâ, nec poterant non frui, ſi amicâ adunarentur concordiâ. Pax erat gaudij complementum, & omnis triſtitiæ atque timòris exilium: quia ſine pace ſolùm poterant vigere lamenta. Vnde dicit Chryſologus ſermone 24. *Imperio pacis ſuæ bella naſcitura compreſſit, ne alter alteri improperaret, quod ipſe, cui totum debebatur, donauerat in futuro.* Chriſtus itaque vbi præſentem ſe diſcipulis exhibuit, protinùs omnem metum ab animis eorum abegit. Habet enim hoc ſingulare præſentia Domini, vt etiam in extremis periculis ſeruos ſuos minimè trepidare faciat. Arripite veritatis iſtius euidens documentum ex ſacra pagina. Actor: 7. Stephanus furoris reliquias, quo in ipſum redemptorem aduerſarij paucis ante diebus furebant, A primus excipiens, dura lapidum grandine impetebatur, neque tamen de loco certaminis ſe ſubduxit. Strepebat vndiq; indiſcretus Iudæorum furor, mors ipſa & à tergo, & à fronte ineuitabilem admouebat inſultum, & nihilominùs intrepido animo ſtetit. Vnde obſecro tantum animi reſolutus Chriſti Protomartyr habuit? Equidem ex præſentia ſui Saluatoris, vt reſpondet ipſemet loco citato. *Video cælos apertos, & filium hominis, ſtantem à dextris Dei.* Hæc præſentia Chriſti in cælo B viſi, inuictum robur, ſuo addebat Martyri, vt incunctanter ſanguinem offerret, quia Regem ſuum, & brauium præ oculis habebat.

Chryſol.

Actor. 7.

Et licet varia ſit ſacri huius textus Doctorum interpretatio, diuerſæque rationes, cur Stephanus ante mortem deguſtauerit cœleſtia? cùm plures pro Chriſto furentium inſaniā tyrannorū perpeſſi, cælos apertos non viderint. Aliqui enim cenſent, ob illibatam caſtitatem cœleſtia Stephano reſerata, quod non operosè deducunt ex illis C ſcripturæ verbis Actor. 6. *Viderunt faciem eius, tanquàm faciem Angeli.* Hoc eſt, caſtitatis decor Angelico prodebatur in vultu, & toto corporis agnoſcebatur in geſtu. Ergo quia caſtitati debebatur in terris delibare cœleſtia, ideò illi ante mortem pandebantur arcana: poſſidere æterna gaudia debebatur martyrio; prægustare autem caſtitatis priuilegio, vtq; Deus caſtitati debitum ſolueret, cælum ante mortem Stephano aperuit. Quoniam caſtitatis priuilegium eſt, in terris adhuc D deguſtare cœleſtia, delibareq; ſacratiora. Ita concludit Emiſſenus oratione de ſancto Stephano: *In ipſa ait colluctatione pugnantis, iam profert ſpeciem reſurgentis.* Quaſi diceret: ſicut reſurgentes beati videbunt Deum, quia erunt ſicut Angeli; ita Stephanus adhuc prælio deſudans, in hac prærogatiua cum Angelis coæquatus erat: quia propter ſummam caſtitatem vidit cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris DEI. Cauſam reddit Gloſſa interlinear: *quia pulchritudine candoris Angelus erat.* Citatus verò Emiſſenus

S. Stephano ante martyriū cur Chriſtus apparuit.

Actor. 6.

Emiſſen.

Gloſſa interlin.

miſſenus addit *Abundantia cordis tranſit in decus corporis: in exterioris gloriam candor interioris exundat, & abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant: habens inter ſe Spiritum ſanctum, os præ ſe geſtat Angelicum.* Ne ergo illæſa puritas mentis careret priuilegio, adhuc in terris cœleſti gaudebat intuitu.

Nonnulli putant, ideò B. Stephano cæli palatia reſerata fuiſſe, vt agnoſceret, nulla re magis cælùm exornari, quàm ſanctorum Martyrum cruore, vt tantò alacriùs per dura carnificum tormenta eò properaret. Vnde cùm Iudæi illo adhuc ſpiritu ebrij, quo dudum clamabant: *Crucifige, crucifige,* in eius necem atrociùs incumberent, cœleſtis illius agonis proximo pediſſequus interuallo, reliquias excipere furoris illius meruit, quo paulò ante ſæuiente mundo Saluator occubuerat. In certaminis igitur ſui auſpicio, vidit cælum apertum, & in ipſo ſolem iuſtitiæ præclariùs fulgentem; quàm ſol materialis ſplendet; ſed nulla adhuc aut materialia, aut myſtica in eo aſtra vi- C diſſe perhibetur. Quia in exordio ſuæ paſſionis, cùm eam nondùm ſubijſſet, ſine aſtris cælum vidiſſe legitur. Quia Martyrum vulnera, & glorioſi vibices ſtellas præferunt, quibus nondùm exornatum, ſed mox exornandum erat cælum à Protomartyre viſum. Ita hac de re S. Chryſoſth: ratiocinatur: *Non ita cælum aſtrorum chori ſplendidum reddunt, vt martyrum corpus ſplendidius vulnerum facies reddidit. Atq; vt martyris vulnera cælo infixis aſtris ſplendidiora eſſe diſcatis.* Ecce vobis huius viſio- D nis ſacramentum, paſſioni proximus Protomartyr cælum oculis vidit, vidit quoque in eo ſolem iuſtitiæ, ſed nulla adhuc in eo vidiſſe aſtra fertur: quia nullis adhuc corpus eius vibicibus liuebat, nullis tabeſcebat vulneribus, nullis cruentabatur plagis, quæ ſunt glorioſiora cæli aſtra, aſtriſque ſplendidiùs fulgent, vt citatus infert Chryſoſthomus: *Martyris* ait *vulnera cælò infixis aſtris ſplendidiora ſunt.*

S. Chryſ.

Sed ſcopum mihi præ omnibus attigiſſe videntur, qui exiſtimant, Bea- A tum Stephanum vidiſſe cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, vt illa viſione fortiùs animaretur, ac prorsùs redderetur inuictus ad futurum martyrium. Quod inde colligunt: quia poſtquàm illa arcana B Stephano fuerunt reſerata, ſtatim lapidum rapidiſſimi nimbi in illum à Iudæis mittebantur, inter quos ipſe poſitis genibus clamabat: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Actor. 7. Quid eſt hoc? de vulneribus ſuis nihil loquitur, nihil de ictibus lapidum, quibus totus fran- B gebatur; ſed magis aliorum curat lapſus. Cur non potiùs tua vulnera meminiſti prima martyrum gloria? cur non potiùs dolores tuos Deo recenſitos obtuliſti? ne miremini, ex viſa Domini præſentia ita inuictus euaſit, vt non æſtimaret vllos perferre dolores. Audite S. Hilarium in citata ſcripturæ verba ita diſcurrentem: *Vides quod ſpectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis. Dignè patentibus cœli portis comparatur cælum, bella deſudant, ac ſi dum occupatur in ſtupore,* C *& amore cœleſtium Stephanus, non turbatur duro imbre ſaxorum.* Quaſi diceret: dùm nobilis Chriſti athleta præ oculis habet Chriſtum, ſic præſentis præmij viſione occupatur, vt pro nihilo habeat ſuos labores, ſuas plagas. Sic quondam D. Paulus in cælum aſſumptus dicebat. 2. ad Corint. 12. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim raptum huiuſmodi vſq; ad tertium cœlum.* Qui raptus contigit Paulo in ſuæ conuerſionis initio: poſt quem raptum, quis numeret Pauli la- D bores & ærumnas, qui plus omnibus laborauit: *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter: ter virgis cæſus, ſemel lapidatus, ter naufragus: ſæpè in periculis fluminum, in periculis latronum, periculis in falſis fratribus;* Quæ omnia dum alij ſtupent, ipſe de illis dicit: *Idem quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ.* 2. ad Corint. 4. Leue putat tantum laborum, & ærumnarum pondus. Vnde ſic apud Paulum tot tribulationis anni euanuerunt, vt momentum ab ipſo reputa-

Actor. 7.

S. Hilar.

2. Cor. 12.

2. Cor. 4.

reputarentur? sanè ex eo, quia raptus in cælum, Deum quem breuissimo illo tempore vidit, ex tunc semper præ oculis vt præsentem habuit; præsentia autem Domini etiam maxima pericula, & diuturna incommoda momentanea reddit. Ita discurrit S. Chrysosth. lib. 1. de compunctione cordis: *Paulus* inquit, *vbi perspexit illa, quæ in cælis sunt, contempsit ista, quæ egestatis, & squaloris in terra plena sunt, & cum hominibus quidem pro necessitate corporis conuersabatur; mente verò & solicitudine totum se illuc transferebat, quò eum amoris sui ducebat intentio: etiamsi triste aliquid perferebat, animo ibi occupato non sentiebat: & si delectabile & suaue aliquid videbatur, illa delectatio, illa suauitas, quam per spiritum contuebatur, delectationis huius suauitates obscurabat. In tantum enim succensus erat igne Christi, vt etiamsi flammas mortales adhibeas, nesciat, nec sentiat, nec vratur.* Ecce quid Christi visi amor faciebat in Paulo, sic occupabatur, & animabatur illa præsentia Domini animo suo impressâ, vt nihil formidaret, nihilque aliud sentiret nec suaue, nec amarum. [S. Chrys.]

Quodsi nondum contenti estis, recurrite ad alium scripturæ locum 1. Regum 17. Imminebat ferale bellum Israëlitis cum Philisthæis, graue satis & periculosum, quia cum gente arenæ instar maris populosa. Inopinato malo perturbatus Rex Israëlitarum Saul, in campo armatorum disponebat agmina, quô Philistinorum eluderet militares conatus, hostilesq; retunderet assultus. Et ecce gigas ille origine spurius, proceritate vanus, vanitate superbus, Israëlitas omnes ad singulare certamen altè vociferans prouocabat; verùm atrox hominis aspectus, visus horridus, insolitusq; incessus, sic Israëlitarum castra timore percellebat, vt quisq; ante certamen palmam concederet aduersario, ac periculum propulsare, indecoro fugæ conaretur auxilio. Deserebat stationem totus exercitus, & Saul in tanto militum tumultu cum hoste congredi non ausus, ac virtutis causam, vt

A vitæ consuleret, nullatenùs defendere aggressus, animo concidebat. Quia *omnes viri Israëlitæ fugerunt à facie eius, timentes eum valde.* Puerulus Dauid montibus adultus, ferarumq; certaminibus exercitatus, videns hostem vultu trucem, proceritate immanem, incessu terribilem, corpus molle, superbum, in Deum ac eius populum verba blasphemiæ fulminantem, regem suum animosè alloquitur. *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Processit ergo in locum certaminis agolo, & funda obmarmatus contra Philistæum, sic ei locutus: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthijm hodiè volatilibus cæli, & bestijs terræ.* Mira iactantia, vnde huic iuueni inermi contra fortem, robustum, expertum, armatum, tanta confidentia, vt ante triumphum canat victoriam. Aspicite quid tulerit in manibus, & facilè rationem inuestigabitis: Tulit baculum, ait scriptura, & fundam, & lapidem. Quid hæc significabant? Respondet D. August: serm. 198. de tempore. *Sicut enim baculum, ait; crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percussus est, Christum figurabat. En tota illius fiducia, tota spes ex lapide, ex Christo. Vidit præsentem suum Regem Saul, vnctum Domini, ideò animo imperterrito, assumpto baculo crucis typo, & lapide Christum figurante, audacter in campum processit, ac de Philisthæo victo triumphauit. Et misit manum suam in peram, tulitq; vnum lapidem, & fundâ iecit, & percussit Philisthæum in fronte.* Quia præsentia regis animum inuictum suo militi addebat, vt docet Eusebius. *Spectantis* ait *intuitus, constantiam armabat triumphantis.* Quis hoc non videt in Apostolis Christi? hi præ nimio timore abdita loca quærebant, in occluso conclaui sese abscondebant; sed postea viso Domino resumptis viribus, in oculis totius mundi palam Christi fidem prædicabant, teste sacra pagina: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* [1-Reg. 17.] B [Ibidem.] C [S. August.] D

Visus

Visus est præterea Christus, ad depellendum timorem ex animis Apostolorum, ostensione suorum vulnerum: *Ostendit eis manus, & latus* Ioann. 20. Rem stupendam: quæ in manibus, & latere foramina vulnerum seruauerat Christus, ostia faciebat Apostolis, per quæ ad salutem & fidem intrarent. De capitis autem vulneribus, à spinea corona factis, nec verbum quidem facit hodiernum Euangelium, sed quasi nulla remansissent, alto illa premit silentio. Et cur, qui tantus erat in ostensione vulnerum capitis. Existimo id propterea factum: quia Apostolos suos summa Ecclesiæ capita parabat, vnde eam tunc ostendebat virtutem propriam capitibus Ecclesiæ, & populi sui, quod iniuriarum à subditis acceptarum, ne minimum vestigium seruare, nec vllam vnquàm memoriam retinere debeant. Sic Prælati, Principes, absumere in se debent populi iniurias, & errores subditorum, vt nullum illarum vestigium appareat. Matth. 27. accipientes milites Iesum, *chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.* Hoc fecerunt milites, & post multas irrisiones, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent. Duo fecerunt in Iesum milites, & chlamydem, & coronam spineam illi imposuerunt: de chlamyde statim refert scriptura, vt exuta fuit; de corona autem spinea, nihil penitùs habetur, quod deposita sit. Et cur, quando dicitur chlamys deposita, non dicitur corona spinea deposita? Respondet Origenes homilia 35. in Matth. de chlamyde scriptum esse, quia denuò spoliauerant eum chlamydem coccineam, de corona autem spinea nihil tale Euangelistas tradidisse, vt quæramus exitum rei de corona spinea imposita, & nunquàm detracta. *Ego igitur arbitror, quòd spinea illa corona consumpta est à capite Iesu, vt iàm non sint spinæ nostræ antiquæ, postquam semel eas à nobis abstulit Iesus per venerabile caput suum.* Ponderate [Ioann. 20.] B [Prælati & Principes iniuriarũ debent obliuisci.] [Matth. 27.] C D [Origenes.]

A verba hæc: *Consumpta est à capite Iesu.* Etenim sacratum Iesu caput, ita absumpsit iniuriam sibi coronam, vt ne mentio illius remanserit. Quis non obstupescat, quòd fornax ardentissima pectoris Iesu non absumpserit adactum sibi ferrum lanceæ, nec manus, nec pedes Iesu absumpserunt clauos, sed illorum vulnera in monumentum æternum seruârunt. Caput autem Iesu spinas sibi impositas penitùs in se absumpsit, vt hinc pateat, quàm proprium sit illorum, qui capita populi sunt, quòd absumant & iniurias, & errores subditorum, nec permittant, vt etiam vestigia illorum appareant.

Illud tamen consideratione dignum, quòd Christus ostendens Apostolis manus, & latus suum, pedes sanctissimos illis ostendisse non refertur. Credo: quia ad propulsandum metum ex cordibus discipulorum, ostensio pedum minus congruebat: qui enim audacem se exhibere vult, non pedibus, sed forti animo, & manu robusta opus habet, vt nemo ex acie recedat, verùm cum hoste animosè congrediatur. Tali modo victor euasit Dauid Goliam perimens: 1. Reg. 17. *Præualuitq; Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide, percussumq; Philisthæum interfecit. Cumq; gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum è vagina sua, & interfecit eum.* Equidem magnum fuit, quòd lapide Philisthæus armatus prosterneretur, sed illud singularissimum, quòd gladius ille, qui in latere Philisthæi pendebat ad percutiendum Israëlem, & Dauidem, in defensionem eorum verteretur, eorum hostem perimens. Ex hoc maximè Dauidem extollit Macarius Philadelph: Episcopus, oratione in exaltat: crucis: *Supernâ* inquit *gratiâ Dauid egregiè munitus, lapidisq; iactu talem ac tantum prosternit, deinde micantem contra se gladium ipse vibrauit, eoq; blasphemum trucidauit, & abstulit opprobrium ex Israël. Hunc in modum Dauid Propheta simul & Rex, instrumentum, quod mortis alioquin causa erat, in præsidium* [1. Reg. 17.] [Macarius.]

sidium salutis verti posse docuit. Quid pulchrius? Dauid vt Propheta, vt Rex nominatissimus, dùm gladium aduersùs Israëlem conflatum, in eius hostem Philisthæum conuertit, illud effecit, vt doceremur mortis nostræ causas in præsidium salutis conuertere, quod præstantissimæ virtutis est argumentum. Hinc Ioann. 3. dicitur: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Moyses exaltauit serpentem, vt serpentes, qui lethalissimi hominibus erant, in salutares conuerteret. Quod & Iesus meus fecit, quando exaltatus in cruce, cruces, mortesque in salutem, & præsidium nostrum conuertit, teste Macario supra citato, qui dicit: *Christus autem cunctarum rerum Rex, lignum crucis, quod dæmon aduersùs naturam erexerat, per illud mundo libertatem largitus est.* Vt & nos pariter discamus, de serpente antidotum facere, & cruces, mortes, cunctaq; mala in instrumenta vitæ, & salutis conuertere, peccatum autem quod aduersùs nos est, ita mortificare, vt inde theriaca, ad vitam æternandam procedat. Hinc Christi Domini virtutem maximè efferebat S. Ioann. cap. 13. *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus.* Omnia inquam habebat Iesus in manu, hoc est in potestate, vt vel mala illata in bona conuerteret, & mortem in vitam, ac in lucem tenebras. Sic exponit D. Gregor. 6. Moral. relatus à D. Thô. in Cat: *Omnia enim tradidit ei pater in manus, hoc est in opere eius, & potestate: sciebat enim, quod in manu sua ipsos etiam persecutores haberet, vt ipse in se ad vsum pietatis intorqueret, quidquid eorum contra se malitia permissa sæuiret.*

Ioann. 3.

Ioan. 13.

S. Greg.

Non in pedibus ergò, sed in corde, & manu vera animositas consistit, hinc Israëlitæ videntes Gigantem aspectu horridum, magnitudine trucem, quia in pedibus confidebat, aggredi eum minimè ausi, in turpem fugam dilapsi sunt: *Omnes viri Israëlitæ fugerunt à facie eius.* Dauid autem, quia solas manus aspiciebat, *præualuit in funda & lapide*: qui enim pedibus confidit, nunquàm vincit, sed corde & manibus bella gerere oportet. Fuit apud Babylonios draco quidam terribilis, faucibus ignem cum fætore intolerabili spirans, & omnibus terrorem incutiens, quem omnes vt Deùm adorabant. Tandem eò ventum erat, vt Rex Danielem induceret ad adorandum draconem: quid ergo Daniel strenuus idolorum euersor? pillulam de pice & adipe confectam draconi porrexit, quæ illum confregit: *Tulit Daniel picem, & massam, & dedit draconi, & draco ruptus est.* Nonne dracone ferocior erat Iudæorum rabies, quam & ipsimet Apostoli fugiebant in occluso conclaui latitantes, sed vbi Christus eis suum latus & manus ostendit, protinus ita fortes euaserunt, vt totum mundum Christi obsequio subiugarint: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.*

Danielis artificium in destruẽdo dracone.

Tertio medio vsus est Christus ad abigendum timorem ab Apostolis, scilicet insufflatione: *Insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioann. 20. Et cur insufflauit? audite mysterium: dederat in principio Deus homini per insufflationem animam indutam Spiritu sancto, quam homo per peccatum hoc pulcherrimo ornamento exuit. Christus ergo nõ est grauatus ad eundem statum recurrere, vt prædictum spiritum in homine instauraret. Ita exponit Cyrillus Hierosolymit: Cathech. 17. *Altera hæc est sufflatio, quandoquidem illa prima obscura est per voluntaria peccata, vt impleatur quod scriptum est: Ascendet sufflans in faciem tuam, liberans te de tribulatione. Vnde ascendet? vtrum ex inferno? sic narrat Euangelium, quod post resurrectionem sufflauit.* Ita quem primùm diuinissimi oris dedit afflatum in hominis faciem; eundem repetijt, cùm illi placuit hominem reparare. Dederat Deus homini in prima eius creatione animum imperterritum, vt omnibus terræ animantibus præesset, sed quia homo per peccatum perdidit hanc generositatem, timidus factus, vt & vilissimam belluam facilè expauesceret, Christus iterum perditam animositatem insufflare homini voluit. Quia nemo fortis, audax & animosus euadit, quem conscia mens sceleris angit; & impius etiam nullo premente terga fugit. Dauid ita resolutus erat, vt nullum periculum expauesceret; ita prudens, vt si quando de publicis rebus consultandum esset, non sententiam, sed prorsùs oraculum proferre videretur. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Expeditus in militiam à Rege Saul, ita strenuè se e gerebat. vt integra hostium castra aut penitùs deleret, aut fugaret, videbaturq; pectus quasi æneum habere, velut Aiax ferro inuulnerabilis, attestante id sacra pagina Psal. 17. *Posuisti vt arcum æneum brachia mea, persequar inimicos meos, confringam eos.* Sola nominis sui fama debellabat superbos, & quemadmodum turbo vehemens dissipat cineres, sic ille inordinatas hostium acies dissipabat, vt fatetur ipsemet Psal. 17. *Delebo eos vt lutum platearum.* Vbi manifestè ostendit, hanc potissimam militi conditionem necessariam esse, vt scientiam teneat militarem, & viribus robustè polleat. Ars hæc à Romanis primùm tanti facta est, vt cum ipsa vrbe nata sit, & alta, & cum eà simul extincta. Sed quæ est hæc militaris ars, qua ad bella strenuè gerenda, & victorias passim gloriosè reportandas, Prophetæ manus erudiunt? Sapientes edisserunt Græci P. P. in paraphrasi super illa verba, *qui docet manus meas ad prælium.* ita discurrentes. *Etenim ad preces manus expandens, supero inimicos meos. Per arcum nempe æneum, & infractum, brachiorum firmitatem symbolicè demonstrat.* O præclarum bellicæ artis gymnasium, & rei militaris perita sapienter eruditio! manus quæ benè ad Deum in oratione leuantur, peritè contra hostes præliantur. Ad *preces manus expandens*, eas ad prælium animosè erudit: nec lassantur militum brachia, quæ à precibus sanctis in firmitatem æream, obdurantur. Etenim oratio disciplinæ militaris compendium est, quæ imbelles refingit in fortes, ex pusillanimis magnanimos facit, & tyrones in veteranos recudit. Ergo oratio est officina valoris, peritia militum, Imperatorum gymnasium, alacritatis fomes, roboris arbitra, victoriarum auspicium, & precarium gloriosè trophæum.

Ioan. 20.

Christus cur insufflauit Apostolos.

Cyrillus Hierosol.

Psal. 17.

Militis cõditio, scientia militaris & robur.

Græci Patres.

Orationis encomia.

Verùm intelligite, ad quid fortissimus ille bellator Dauid postea deuenit, tantus timor eum inuasit, vt proprium puerum fugeret procul. Collecto milite bellum ei intulit degener filius Absalon, & ecce perterrefactus pater illicò fugam arripuit. 2. Reg. 15. *Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Hierusalem: surgite, fugiamus: neq; enim erit nobis effugium à facie Absalon festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam.* Nimitum Absalon inops mentis, pietatis, ac consilij, festinata coniuratione patrem Dauidem inuadere properabat, vt ambitum immaturè regnum patris sanguine quantociùs possideret. Cupiebat facinus conceptum instanter implere, desiderabat scelus dispositum instantissimè perpetrare. Pergit Chrysost: expendens, quàm insano ardore exasperatus filius ad fundendum paternum sanguinem festinus aduolaret, cogitationis calcare exstimulatus. *Cupit* inquit *parricidium ante implere, quàm gerat: festinat patrem ante intercipere, quàm occidat: sitit sanguinem Patris, cruorem appetit genitoris. Timet differre vel modicum, ne aut ira remorata deficiat, aut furia dilata languescat.* Ecce tibi cognati sanguinis exasperati impatientiam. Quasi parum foret, paternum sanguinem hianter sitire, præcauet, ne rabidæ sitis ardor tepescat, & furia dilatione languescat. Imo & (quod magis detestere) *cupit parricidium ante implere, quàm gerat.* O vesanè impotentes exasperati sanguinis iras! Parricidij perpetrandi rabida fames, parricidium prodigiosè anteuertit, & præcoqua ambitiosius rabie, priùs quàm gerat parricidium, complere parricidium exambit.

2. Reg. 15.

S. Chrys.

Absalõ impius in Patrem.

bit. Tandem disponitur bellum, acies dirigitur, pugna paratur: cognati exercitus insemet armantur, & parricida Absalon suos bellatores aduersùs Patrem inflammat. Dauid verò quasi de suis viribus diffidens, fugit à facie Absalon, latitat in montibus, per colles, & syluas oberrat. Ne miremini: peccatum imbellem Dauidem reddidit: postquàm enim adulterio thronum suum polluit, illicò omne robur ab illo recessit. Sic censet Theodoretus in citatum scripturæ locum scribens: *Vita* inquit *secundùm legem acta testis est innocentiæ, post peccatum fugiebat.* Ergo priùs mens vitijs expurganda, quàm ad præliũ descendendũ, iuxta illud commune prouerbium: *Si non vis timere omnes, time Deum.* Vnde meritò concludit D. Gregorius: *Nequaquàm terret externus hostium aceruus, quem non deuastat interiùs turba vitiorum.*

Theodor.

S. Greg.

Meritò itaque Christus, vt suos Apostolos ad pugnam contra insensatum mundum obarmaret, & contra quæuis pericula imperterritos redderet, suâ præsentiâ, vulnerum ostensione, & insufflatione eos animauit. Quocirca & nos si volumus quibuscunque hostibus formidabiles euadere, ne nos vnquàm timor ad fugam impellat, Deo reconciliari festinemus, postulantes, vt nobis spiritum sanctificationis, & fortitudinis insufflet. Am̃.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam, in latus eius, non credam. *Ioann. 20.*

Ostenditur felix ignorãtia Thomæ, quia per eam, & sibi gloriam, & toti mundo fructum ingentem comparauit.

CHristus Dominus mortis victor, inferniq; detriumphator, discipulis adhuc metu trepidantibus, se præ- A buit videndum: illi stupore correpti figunt lumina, & inflammari præsentiunt corda. Obstaculum obiecerant sibijpsis contrarij, sed Christus per occlusas penetrauit fores, vt resurrectionis caligantibus oculis clarissimas refunderet luces. Aberat tunc Thomas, quem cæteri condiscipuli ad fidei meritum, ad lætitiæ partem trahere volentes, illi aduentanti nuntium communicârunt: Dixerunt ergo alij discipuli, *Vidimus Dominum.* Ioann. 20. Sed ille, forsan ne in discipulis præ- B rogatiuam agnosceret, dubius hæsit, hæsitabundusq; dubitauit, resurrectionem Christi credere refugiens. imò quasi leuitatis eos arguens, dùm ex solo visu credidissent, affirmauit se non crediturum, nisi simul tangeret, palparet, insuper digitos, ac manum in vulnera mitteret: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* O magne Apostole, vnde tibi hæc incredulitas, & pertinacia! ante oculos tuos Christus nondum passus Laza- C rum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulchro surgere? Quæris loca clauorum, & oblitus es miracula tanta signorum? Nonne ante oculos tuos cæcos illuminauit, paralyticos sanauit, leprosos mundauit? itane in triduo perdidisti memoriam Magistri, vt potentiæ eius non crederes? vtiq; mors Christi in carne, vita tua debet esse in fide. Vidisti quidem lanceâ percutientem militem latus eius, sed diuinam minimè penetrantem potentiam. Quid tunc? despe- D xitne clementissimus redemptor discipuli sui affectum adeò erroneum? Audierat viuum, & signa petebat attrectare mortui, quid magis erroneum? sed accipite, ad quid ventum est, vt Christus post salutatos pace Apostolos, & Thomæ dubitanti satisfecerit. Deinde dicit Thomæ, *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus.* Tetigit Thomas, tactuque illuminatus Deum ac Dominum proclamauit: *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.*

Ioan. 20.

us meus. Ponderate Thomæ vocem ex A vulnerum contrectatione ortam, nimirum, *Dominus meus, & Deus meus.* Cur ex vulnerum contrectatione diuinitas innotuit Thomæ, cui antea resurrectio non innotuit, sub tot tantisq; testibus? Equidem tunc non potuit non ostendi Dominus Deus, cùm vt discipulum saluaret, permisit illi malè optatam visionem, vt præclarè docet D. August. Serm: 159. de tempore. *Modo* inquit *est Dominus, & Deus tuus, quia voluit, vt videres, ne incredulitate animum perderes.* Tunc B enim maximè innotescit, & ostenditur Dominus Deus noster, quando vel nostris affectibus erroneis satisfacit, vt præstandæ salutis habeat occasionem. Quod ipsemet insinuat Isaiæ cap. 43. illis verbis: *Verum tamen seruire me fecisti peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Videte, per quæ Deus testetur se, & suam patentissimè miserationem, & magnificentiam ostendat: nimirum per illa præmissa: *seruire me* C *fecisti tibi.* Quando enim ita fit, vt homines male aliqua petant, quæ Deus illis præstat, vt inde eos ad salutem venetur, tunc meritò dicitur Deus seruire prauis illorum affectibus, quibus satisfacit præstans ea, quæ malê concupierunt. Sed tunc euidentissimè ostenditur Deus esse, quia nemo nisi Deus sciret, erroneis peccatorum affectibus satisfaciens, illos saluti reddere. Hanc gratiam præstitit Thomæ Christus, dum se dubitanti palpandum præbuit, vt sic non solùm videns D sicut reliqui, sed attrectans, sed tangens, sed in vulnera se immittens, per illa foramina ad deitatem penetraret, exclamans; *Dominus meus, & Deus meus.* Concludit D. Bernardus serm. 61. in Cantica: *Vnde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus?* Non ergò iam culpandam Thomæ incredulitatem, sed potiùs felicem esse ostendam.

S. August.

Isaiæ 43.

S. Bern.

Scriptura considerans causam finalem, seu motiuam incarnationis non aliam fuisse nisi peccatum, in cuius remedium Christus venit, vt ha- A betur 1. ad Timot. 1. *Fidelis* inquit *sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Probatq; id palam Concil. Toletanum 6. cap. 1. vbi dicitur: *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ Originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resoluenda, à secreto Patris arcano prodijsse.* Considerans inquam, quòd Christus venerit in remedium peccatorum, tàm originalis; B quàm actualium. Vt dicit S. August. in Enchiridio cap: 49. *Ille* inquit *Adam verus vnum peccatum misit in mundum, iste verò Christus vnus, non solùm vnum illud, sed cuncta simul abstulit, quæ abdita inuenit:* Felix Adæ peccatum pronuntiat: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Felicem & ego pariter hodiè culpam dubitantis Thomæ pronuntiare audeo, idque inprimis ex eo, quia magnam vtilitatem toti mundo attulit.

1. ad Timot. 1.

Cõcilium Toletan.

S. August.

Fatetur hoc D. Gregor. inquiens: C *Plus nobis infidelitas Thomæ profuit ad fidem; quàm fides aliorum Apostolorum.* Quasi diceret: ego plus æstimo incredulitatem Thomæ; quàm fidem aliorum Apostolorum: dùm enim Thomas dubitans, Christi vulnera tangeret, omnes nos simul ad firmiter credendum confortauit. Fatur D. August: *Quàm bona ignorantia erudiuit ignaros; quæ instruxit incredulos. Quàm bona infidelitas, quæ sæculorum fidei militauit.* Quid sibi quæso verba hæc magni Doctoris volunt: & quomodò D possibile, vt ignorantia sit bona, cùm homo ignorans neminem quidquàm docere possit. Hinc parentes ad informandos suos filios, quærunt eruditos magistros. Et quidem vtcunq; esset. si D. August: dixisset, non in abstracto, *bona ignorantia*, sed in concreto, *bonus ignorans.* Nam Astrologia non docet, quanta velocitate orbes cœlestes moueantur, sed ipse Astrologus. Arithmetica non ostendit modum, computandi numeros; sed Arithmeticus. Credo verba hæc inquirentis esse, non negantis, ostendere voluit S. August.

S. Greg.

Thomæ dubitantis culpa felix.

Quærit enim Thomas, & docere vult nos omnes, quomodò in Chriſti reſurrectione credenda minimè hæſitemus. In his ergo verbis Apoſtoli totius mundi vtilitas agitur, & vnius interrogatio, vniuerſitatis eſt inſtructio. Dùm enim hæc diceret, doceri voluit, confirmari deſiderauit.

Petrus Chryſologus pia meditatione abreptus, conſiderans Thomam Chriſti lateri digitos imponere volentem, ſic eum alloquitur. Quid facis o Thoma, vulnera tui Redemptoris tangere non erubeſcis? cecidit iam poteſtas diaboli, patefactus eſt carcer inferni, diſrupta ſunt vincula mortuorum, moriente Domino ſunt euulſa monumenta, & reſurgente Domino tota mortis eſt mutata conditio; ab ipſo Domini ſacratiſſimo ſepulchro lapis reuolutus eſt, linteamina reſoluta ſunt, & reſurgentis ad gloriam mors fugit, vita redijt, caro ampliùs caſum neſcitura, ſurrexit. Et cur tibi ſolus Thoma, ſola vulnera præſentari ad indicium fidei nimis callidus explorator expoſtulas? quid ſi iſta cum alijs abolita fuiſſent, quod periculum fidei tuæ curioſitas iſta peperiſſet? nulla pietatis monumenta, nulla Dominicæ reſurrectionis inueniri æſtimas potuiſſe documenta, niſi manibus tuis ſulcares, iudaica crudelitate exarata ſic viſcera? ne miremini: amor diuulgandæ Chriſti reſurrectionis hoc in Beato Thoma effecit. Sic cenſet Chryſologus ſerm: 84. *Quæſiuit* inquit *pietas iſta, exegit iſta deuotio, vt reſurrexiſſe Dominum nec ipſa in poſterum dubitaret impietas: ſed Thomas non ſolùm cordis ſui, ſed omnium hominum curabat incertum, & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodùm tantæ fidei adſtrueret ſacramentum, executor ſtrenuus, perquirebat.* Ecce Prophetia magis, quàm cunctatio fuit: nam cur talia peteret, niſi à Domino ad indicium reſurrectionis ſuæ ſeruata, ſola vulnera prophetali ſpiritu cognouiſſet? Imò dicam amplius: ne ipſi quidem Apoſtoli conſtantem de Chriſti reſurrectione fidem habuiſſent, niſi patefacta ſponte Chriſti vulnera, quæ Thomas tardiùs implorabat, præſentes conſpexiſſent. *Venit quippè Ieſus, & ſtetit in medio, & oſtendit eis manus & latus.* Et tamen licet ingreſſus fuerat clauſis oſtijs, à diſcipulis ſpiritus eſſe putabatur: proinde non aliter ipſum ſe, niſi ipſa corporis paſſione, ipſis vulnerum notis, taliter dubitantibus, poterat approbare. *Venit ergo iterùm Ieſus, & dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Vt ſcilicet effundant toto orbe, iterum te aperiente, hæc vulnera fidem, quæ aquam in lauacrum, ſanguinem in omnium pretium iam fuderunt. Reſpondit Thomas & dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Veniant ergo iam omnes veræ fidei lumine deſtituti, & ſicut dixit Dominus, non ſint increduli, ſed fideles: & non ſolùm corpus humanum, ſed per pœnalis corporis paſſiones, Deum & Dominum eſſe Chriſtum, Thoma vociferante confiteantur.

Chryſol.

Hinc quilibet facilè agnoſcere poteſt, Thomam longè fide diuina alijs Apoſtolis antecellere. Crediderant fateor Apoſtoli Chriſtum reſurrexiſſe, & ipſo die reſurrectionis, & iterùm hodiè, quando illis oſtendit manus & latus; & tamen Chriſtus firmiorem adhuc fidem in illis requirens, vlteriùs progreſſus eſt inquiens: *Pueri habetis hic aliquid, quod manducetur.* Lucæ 24. ſimilique modo loquendi vſus eſt ad oram, maris Tyberiadis, vbi conſiſtens Apoſtolos pariter pueros appellauit, inquiens: *Pueri nunquid pulmentarium habetis.* Quid ergo Apoſtoli: *Obtulerunt ei fauum mellis, & piſcem aſſum.* Miratur vehementer Cyrillus Alexandr: quid ſit? Quandò Chriſtus venit ad Apoſtolos, non ſatis erat, ſe illis præſentem exhibuiſſe, non ſatis oſtendiſſe vulnera, ſed & manducare cum illis voluit. Vbi verò ad Thomam ventum eſt, nihil tale habetur in Scriptura Sacra. Et reſpondet ipſemet: *quia* inquit *corporis vera illis reſurrectio non ſufficiebat, alio ſigno illos conuincere voluit, ideò comedit fauum mellis, & piſcem, quod ſpiritui conuenire non poteſt.* Thomas verò poſtquàm vulnera Chriſti palpauit, protinùs diuinitatem eius confeſſus eſt. *Dominus meus, & Deus meus.* Super quæ verba Theophylactus ſcribens dicit de Thoma Apoſtolo: *Ille rudis & idiota, qui fuerat ante, nunc egregium Theologum ſe oſtendit.* Et vnde obſecro profundam Theologiam hauſit? audite Aloyſium Nouarinum: *Ab aſpectu vulnerum Chriſti quæ illi ſublimem indiderunt mentem* Ergo primatum in credenda firmiter Chriſti reſurrectione obtinet Thomas inter alios Apoſtolos: quia ſolus peruenit ad notitiam diuinitatis, per illa beata foramina, quæ attrectauit, vbi ſtatim ad ſublimem Doctoratum in ſacra Theologia promotus eſt, accipiens annulum digito in latus Chriſti impoſito, vt nobis vtramq; naturam & hypoſtaſim ediſſereret.

Lucæ 24.

S. Cyrill. Alexandr.

Theophyl.

Aloyſius Nouar.

Thomas Apoſtol. vulnera Chriſti palpans in Doctorem Theologiæ promotus eſt.

Sed illud torquet multorum ingenia, quare Chriſtus manifeſtans ſe diſcipulis, pueros appellauit? quæ enim eſt hæc appellatio? nonne genti ſanctæ, & regali ſacerdotio, ſenum ſeu virorum potiùs, quàm puerorum appellatio quadrabat? Præſertim cùm iuſti (quales erant Apoſtoli) nonniſi cum cedris, quæ ſummæ altitudinis arbores ſunt, componi ſoleant? *Sicut Cedrus Libani* (loquitur de homine iuſto Dauid Pſal. 91.) *multiplicabitur.* Imò dicam amplius, in Epiſcopos, & ſupremos Eccleſiæ Præſides iam ordinati erant Apoſtoli à Chriſto, quos tamen Dominus pueros appellauit. Licet D. Petrus hunc titulum non fuerit auſus illis imponere, ſed ſeniorum vocabulo honorificauit. 1. Petri 5. *Seniores* inquit, *qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis paſſionum Chriſti.* Ergone ijdem & paruuli, & cedri, & pueri, & ſenes erunt? Profectò reclamat natura, & ſi ad mores reſpexerimus, peior inde cauſa redditur: oraculo conclamante: *quoniam puer centum annorum morietur.* Iſaiæ 65. Reſpondet S. Auguſt: Chriſtum diſcipulos ob fidei ſuæ magnitudinem pueros appellaſſe. Quemadmodùm & D. Ioannes idipſum à Chriſto edoctus omnes fideles pueros cognominauit. 1. Ioannis 2. *Filioli nouiſſima hora eſt.* Sanctus verò Auguſtinus & alij legunt: *Pueri.* puerorum ergo nomine omnes fideles deſignantur, qui licet morum excellentiâ præditi ſint, ad virtutis tamen ſtadium ſine intermiſſione, aut defatigatione indeſinenter percurrendum incitari debent, nouoſq; in dies progreſſus faciendos vrgeri.

Pſal. 91.

1. Petri. 5.

Iſaiæ 67.

1. Ioan. 2.

Benè equidem eſt: pueri à Chriſto dicuntur fideles, quia ſemper in virtutum profectu creſcere debent: ſi enim naturæ conſentaneum eſt, puerum corpore, & ſtatura creſcere: multò magis naturale eſſe debet, & Chriſtianæ diſciplinæ proprium, vt fideles nouos quotidiè in virtute profectus faciant. Ad quod vel ipſo Chriſti exemplo incitemini, de quo refert Euangeliſta Lucæ 1. *Ieſus proficiebat ſapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum.* Super quæ verba S. Gregor. Nazianz. ita diſcurrit: *Dicitur autem ſecundùm humanitatem proficere: non quòd ipſa ſuſcipiat augmentum, quæ ab initio fuit perfecta; ſed ex eo, quod paulatim manifeſtabatur.* Quid verò cauſæ, quòd priùs ſapientiæ, quàm ætatis profectum ponat Euangeliſta: *proficiebat ſapientia, & ætate;* cùm tamen narrationis ordo, & locutionis ſeries, priùs ætatis; quàm ſapientiæ incrementum adſtruere efflagitet. Exiſtimo: vt inde admoneamur, quòd licet humanæ vitæ naturale videatur, corpus per horas, & dies augmentum capere; multò tamen magis proprium & naturale ſit vitæ ſpirituali, vt animus ſapientiâ, & virtute creſcat, cùm longè nobilior animæ animus; quam corpori ſit. Quemadmodùm enim animâ corpus vegetatur, & creſcit; ita animus ipſomet diuino ſpiritu animatur, & alitur, vt proficiat, & creſcat, donec conſummetur. Sic cenſet Tertull. lib. de velandis virginibus cap. 1. inquiens: *Quæ eſt ergo paracleti adminiſtratio, niſi hæc: quòd diſciplina dirigitur, quòd ſcripturæ reuelantur, quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora proficitur.* Sanè quaſi ad meliora profectus, ſiue in virtutibus progreſſus, diuinum ſpiritum

Fideles dicuntur pueri.

Lucæ 1.

S. Gregor. Nazianz.

Tertull.

ritum inhabitantem in cordibus noſtris, nobiſq; vitam & ſpiritum dantibus arguunt. Sicut ergò iſte genius, & ea eſt iſtius vitæ conditio, vt nunquàm contenta acceptis, ſpe alatur continenti, & ſecura præteritorum inhiet futuris; ita à fortiori is ſupernaturalis vitæ genius eſſe debet, vt eorum quæ retrò ſumus obliti, ad vlteriora indeſinenter curramus.

Non aliunde ergo Thomas articulum reſurrectionis diſcere potuit, niſi ex vulneribus Chriſti, quòd ſpiritu diuino afflatus prædixerat Propheta Iſa-
Iſaiæ 12. iæ 12. loquens: *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.* Vbi nobis proponit Chriſti vulnera, & paſſiones, quaſi quoſdam patentiſſimos fontes, vt ab illius vulneribus, ita ſalutem habeamus, ſicut aqua ſolet haberi à patenti fonte. Quid vilius aqua? quis liquor ſtat minori? de vulnerum ergo Ieſu cultu, & religioſa deuotione, non multis laboribus, ſed vel ſimplici meditatione ſalutem acquirimus. Hinc dicebat regius vates Pſalm. 37.
Pſal. 37. *Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſq; in finem.* Alia verſio legit: *Miſeriis afflictus, & curuatus ſum vſq; in finem.* Quia nimirum multas miſerias, & afflictiones, & dolores, & ſudores pro ſalute emenda ſuſtinebat, vſque dùm veniret in finem. Et quis finis inuentus eſt, in quem perueniens, non multis eget afflictionibus, & doloribus, vt in ſalutem eat: Equidem non alius, niſi Chriſtus mortuus, & paſſus pro nobis, de cuius mortis affectuoſa, & iugi meditatione habent homines, quòd ſicut aquam bibant ſalutem, etiam ſine multo impendio corporalium afflictionum, vt præclarè fatur
S. Ambr. D. Ambr. in citatum Pſalmum. *Curuatus ſum* inquit *vſq; in finem? vſq; in quem finem? vſq; ad Chriſtum, qui finis legis eſt, qui ſe paſſus eſt verberari, paſſus eſt corpus ſuum mortuum vulnerari: Deniq; non tabes mortis de vulnere eius, ſed fons vitæ ſcaturiuit æternæ, vt ſcriptura nos docet, dicens: Et ſaliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris. Exiliuit ergo de vulnere aqua, vt nos liberemur.* O quanto compendio ſalutem obtinet, qui Dominicæ paſſionis cultui operam impendit, qui de Chriſti vulneribus ſalutem metit.

De hac aqua ex vulneribus Chriſti profluente, multa ſtupenda Doctores Sancti proferunt. Inprimis Pro-
Procopius copius, exponens verba hæc, *haurietis aquas de fontibus Saluatoris*, dicit: *Fontes iſti ſunt diſciplinæ, & libri.* Lyranus
Lyranus. verò: *Haurietis aquas de ſacramentis nouæ legis*, ad differentiam ſacramentorum veteris legis: quia ſacramenta veteris legis non faciebant fructum in animabus hominum, quemadmodùm nouæ legis ſacramenta faciunt, quæ non ſolùm excitant, & confirmant fidem iuſtificatiuam, vt volunt Hæretici, ſed verè & ipſam gratiam ſanctificantem producunt, vt conſtat ex illis verbis Actor 2. *Baptizetnr vnuſquiſq; veſtrum in remiſſionem peccato-*
Actor. 2. *rum.* Tandem Gloſſa ordinaria ita exponit: *Haurietis aquas, id eſt de fontibus gloriæ, & gratiæ, de plenitudine*
Gloſſa vtraque. *diuinitatis.* Gloſſa verò interlin: dicit: *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris, id eſt de vulneribus Chriſti.*

Mirari ſatis nequeunt Doctores ſancti, quòd cùm Rebecca concepiſſet duos illos geminos, Iacobum, & Eſau, dumq; iam proxima eſſet partui, vehementi dolore angebatur, quòd illi infantes pugnaciſſimè ſecum de primatu contenderent: *Et collidebantur in vtero eius paruuli.* Scholiaſtes Græcus ex Symmacho legit: *colluctabantur.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, pugnam ibi, ſeu luctam infantium ſignificari, in qua Iacob victoriam reportauit. Quid ergo Rebecca? præ anguſtia exclamauit: *Si ſic futurum*
Genes. 25. *erat, quid neceſſe fuit concipere.* Gen. 25. In quo Iacob expreſiſſimam prætulit Chriſti imaginem: Chriſtus enim ita deſcendit in virginis vterum, quaſi in ſtadium, ſeu arenam deſcenderet. Non ibi otioſus hæſit nouem menſium ſpatio, ſed inde nobiliſſimorum Heroum more aduerſarijs timorem incutiebat, imò iuſto certamine ſubiugabat, ait ſapiens cap. 18. *Omnipo-*
Ecclеſ. 18. *tens ſermo tuus exiliens de cælo, à regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit.* Quæ ver-
Hugo Cardinalis. ba ſic explanat Hugo Cardinalis: *Exiliens de cælo, id eſt ſaliens de ſinu Patris in vterũ virginis, durus bellator, quia durè & fortiter aëreas poteſtates debellauit.* Quemadmodùm enim Vterus Marianus fuit verbo diuino floridus lectulus ad delicias, ita quoque fuit ſtadium, in quo pugnaciſſimus & duriſſimus bellator aduerſarias poteſtates triumpharet. Quo ſpectans Iſaias c. 9.
Iſaiæ 9. ait: *iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Vbi S. Cyrillus & iugum, & virgam, & ſceptrum, exactoris putat moleſtias, & à Sathana, & à peccato introductas in mundum, ſub quibus etiam viri ſancti gemunt, cum D. Paulo exclamante. *Quis me liberabit à corpore mortis huius.* Hoc ergo onus, has moleſtias, has duriſſimas exactiones confregit Dominus Ieſus, ſicut in die Madian. Per diem Madian in citato Iſaiæ loco exprimitur celeberrima Gedeonis victoria, qui vt habetur Iudicum 7. cum trecentis militibus lampades ardentes ex improuiſo repræſentantibus aduerſus caſtra Madianitarum, qui primo hoſtium aſpectu ita exterriti fuerunt, vt funditùs perditioni ſeſe darent. Et cur relictis aliorum Ducum victorijs, maluit Saluator noſter Gedeonis triumpho ſuum comparare, quem habuit de onere & exactione peccati? Rationem indigitat ipſum Gedeonis vocabulum, quod idem ſo-
Gedeon quid ſignificet. nat, *ac circumiens vterum*: vt iam inde pateat, & onera, & moleſtias peccati, & ipſam idololatriam à Chriſto deſtructa fuiſſe, quando maternam circumiuit aluum. Sic exponit Ruper-
Rupertus. tus in cap. 3. Abacuc inquiens: *Secundùm illius rei geſtæ ſimilitudinem turbabuntur pelles Madian, id eſt omnia ſacra gentilium, non credentium eſſe futurum iudicium. Quod Gedeon prætulerit Chriſti typum, ſecundùm ſui nominis interpretationem, Gedeon namquè interpretatur circuiens vterum.* Verùm quemadmodùm Rebecca in illis ſuis doloribus non conſuluit augures, non requiſiuit Aſtrologos futura prædicentes, cur paruuli in vtero, eius colliderentur, ſed Deum ſolum deprecata eſt, ait
S. Chryſ. S. Chryſoſth: *Perrexit, vt conſuleret Dominum, cucurrit ad Dominum, non hominum quærebat iudicium, ſed confugit ad diuinam ſapientiam.* Ita cum Apoſtoli de veritate Chriſti reſurgentis ſecum contenderent, & alij mulierum teſtimonijs id aſſerentium facilè crederent, ſolus Thomas non hominum quærebat iudicium, ſed confugit ad diuinam ſapientiam, vulnera Chriſti palpans, quo ſolidius vniuerſum mundum in fide reſurrectionis ſtabiliret.

Sub tempus meridianum ſole intenſiùs vrente, conſederat Abraham ſub vmbra, cumq; eleuaſſet oculos: *Apparuerunt ei tres viri, ſtantes propè eum, quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adorauit in terram, & dixit: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.* Miratur Abulenſis, magnamq; hoſpitalitatem ſubſcribit Abrahamo, quòd illos tres viros ad tabernaculum ſuum inuitauerit; videtur tamen Abraham contra politiem peccaſſe, quia cùm tres vidiſſet, vnum
Gloſſa. tantùm inuitauit: *Domine ne tranſeas ſeruum tuum.* Reſpondet Gloſſa: *Angelos videns, mauult ipſi Domino loqui, quàm Angelis.* Optimè equidem: nam in tribus illis viris Deus Abrahamo ſeſe oſtenderat, Deus venerat, vt pauliſper viſibili in forma moraretur, apud Abrahami tabernaculum. Et cur Deus Abrahamum ita voluit honorare, vt eius hoſpes fieret, vt viſibilis eius tabernaculum intraret, ibiq; cibum caperet? Quæ mens omnipotentem illum in hæc abiecta & humilia hoſpitij humani compulit. Profectò illa ſola mens, quâ adductus eſt Deus, vt aliquando inter veros filios Abrahæ ſecundùm veram aſſumptionem carnis vellet numerari, & eſſe; hæc inquam ſola mens eum tantò ante adduxit, vt hoſpes Abrahæ tabernaculum intraret. Nihil quippè magnum ſolet Deus præſtare, cuius multò ante non ponat fundamentum. Ait Ter-
Tertull. tull: lib. de Trinitate. *Quod erat futurus, meditabatur in ſacramento, Abrahæ factus*

ba factus hospes, apud Abrahæ filios futurus. Qui ergo inter filios Abrahæ numerandus erat, quo sacramento vel Angelos obstupefaceret, voluit multò ante tantæ rei fundamenta iacere, dùm sub forma visibili in domo Abrahæ hospitium caperet. Equidem quod dicitur de Abrahamo, quia Angelos videns maluit ipsi Domino loqui; hoc de Thoma Apostolo meritò dicere possumus, audiens discipulos, Christi resurrectionem annuntiantes, maluit ipsi Domino loqui.

Alij Apostoli cum mulieribus de resurrectione colloquebantur; Thomas verò cum ipso Domino. Alij Apostoli dicebant: *vidimus Dominum*, Thomas credere noluit, donec sacratissima vulnera tangeret. Nonne ergò benè pronuntiat D. August: *Quam bona ignorantia, quæ erudiuit ignaros.* Nonne rectè possimus inferre: Felix culpa Thomæ, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem: ex his enim verbis Thomæ totius mundi vtilitas spectatur. Parum tamen esset id attribuere Thomæ Apostolo, quod toti mundo sua dubitatione magnam vtilitatem attulerit, nisi fateamur eum per hanc culpam, & sibi, & orbi vniuerso famam immortalem peperisse.

S. August.

Non me latet quendam ex Sanctis Patribus paulò acriùs inuehere in Thomam Apostolum, dùm hæc scribit: *Audeo affirmare, quod si Thomas in sua perseuerasset incredulitate, pœnas inferni æternas minimè effugisset*: ipsa enim Sanctissima Virgo, cum alijs pijs mulieribus, integris septem diebus Christum resurrexisse Thomæ Apostolo annuntiabat. Dicebat Virgo Deipara, surrexit filius meus; sed surdo fabula narrabatur. Idem asseuerabant mulieres sanctæ; Thomas tamen antiquam cantilenam occinebat: *Non credam nisi videro.* Addit vlteriùs idem S. Doctor: *cùm nec Maria Mater Iesu, nec alia Maria potuerunt conuincere ipsum, ipse Christus misericordiâ motus erga illum venit obuius. Ecce iterum venit Dominus, ne periret discipulus: & dicit Thomæ, infer digitum tuum huc.* Nihilominùs affirmo constanter Thomam Apostolum per istam suam dubitationem, & sibi, & toti mundo famam immortalem comparasse. Quod inde quisq; facilè colligere potest: quia Christus alijs discipulis per mulieres solum denuntiauit: *Ite dicite discipulis eius, & Petro.* Marci 16. Thomam autem ipse quæsiuit, ipse vulnera palpanda exhibuit, quasi Thomam plus alijs æstimaret. Per quod B. Thomas tantam gloriam consecutus est, vt non solùm reliquos Apostolos, sed totum fermè mundum transgredi videatur.

Marci 16.

Ad quod magis illustrandum, quærunt Theologi, quodnam maius fuerit miraculum, Incarnationisne, an Resurrectionis? Incarnationis stupendum fuisse mysterium nemo non fatebitur: statim enim ab instanti conceptionis in Christo fuit vera diuinitas, fuit corpus, fuit anima vnita corpori passibili. *Simul Deus, simul anima, & caro,* inquit S. Damascenus. Sed & Resurrectionis non minus prodigiosum opus, vbi cum glorioso corpore, vulnera vnita sunt. Equidem hoc portentum maius videtur esse, quàm illud: cùm gloriosa corpora vulneribus minimè sint obnoxia. Cæterum ego vtrumq; istud miraculum æquale esse censeo. Vnita est in incarnatione anima immortalis, cum carne mortali propter vnionem hypostaticam; seruata pariter in resurrectione lethalia vulnera cum glorioso corpore propter Thomam. Sic concludit Eusebius Nyssenus cum D. Augustino: *Vt* inquit *per plagas has discipulus sanaretur.* Quod miraculum non minus propter Thomam; quàm propter vniuersum mundum fecit Christus. Si enim v. g. summus Pontifex iubileum totius anni pro toto orbe concederet apertâ portâ, vt omnes Catholici peccatorum suorum remissionem, ac plenariam indulgentiam consequantur, & in exspiratione anni procederet ad claudendam portam, si inquam tunc ad vrbem sanctam de longinquo veniens aliquis Princeps rogaret, vt tantisper prolongaretur occlusio portæ, donec

S. Damasc.

Incarnatio & Resurrectio Christi æquale miraculum.

donec & ipse tanti beneficij particeps fieret, & summus Pontifex eius petitioni annueret, nonne facilè quisque concluderet, illum Principem tanti à Pontifice habitum, quanti vniuersum mundum.

Hinc ad rem nostram proportionatè argumentemur, corpus Domini & redemptoris nostri, quid aliud fuit, nisi templum sacratissimum: sic enim seipsum appellauit Ioann. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Sed cur in tribus diebus? nimirum vt innueret in sui reuelatione Trinitatis notitiam. Audite D. Ephrem serm. de pœnitentia: *Per tres* inquit *dies mors soluta est, per tres remissio datur: quoniam & per tres dies resurrectio facta est. Poterant in momento, in ictu oculi, omnia fieri, ob mysterium Trinitatis inter triduum, hostem gratia ligauit, non quod impotens esset citra eos (nimirum tres dies) agere quæ oportebat, sed vt mysterium ostenderetur diuinitatis.* Ecce tibi vbicunq; diuinitatis mysteria ostendebantur, simul quoq; præsentissimæ Trinitatis signa dabantur, vt sic in vero Deo accepto, disponerentur etiam rationes ad distinctionem recipiendam personarum. Hinc quando Deus Isaiæ apparuit super solium excelsum & eleuatum, simul etiam Seraphini tres acclamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, ne videlicet diuinitas sine aliquali Trinitatis repræsentatione innotesceret. In hoc sanctuario, hoc est in corpore Christi, porta erat lateris vulnus: aperta fuit hæc porta sub tempus cruentæ passionis, vt quidam ex Neotericis pronunciat: *Latus Christi est porta cæli.*

Ioann. 2.

S. Ephrē.

Vnde D. Ioannes cap. 19. refert, quòd postquàm Christus spiritum in cruce emiserat: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua.* Quando totum se pro hominibus effuderat, & animam effuderat, quid adhuc ab illo requirens miles latus eius aperit? Quid expectat à mortuo posse venire? nimirùm, quia licet cæteri in morte omnem suam beneficentiam finiant; Christus tamen etiam mortuus habebat, quod præstaret, adhuc aquam, & sanguinem mittebat in mundi salutem. Ita concludit D. Hyppolitus Martyr epistola ad Reginam citatus à Theodoretho Dialogo 3. inquiens: *Atq; etiam cùm sit corpus mortuum humano more, magnam vitæ in se habet facultatem. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ea ex ipso profluxerunt, sanguis, & aqua; vt sciamus quantum ad vitam valeat potestas, quæ in corpore habitauit, vt nec ipsum corpus mortuum alijs simile appareat; nobis autem ea, quæ sunt vitæ causa, possit profundere.* Proh diuinissimi IESV profusissimam beneficentiam, validissimam potestatem! mortuus erat, & non sicut cæteri mortui exaruit; sed quod nullus mortuorum potuit, ipse mortuis vitam, & salutem halabat, sub qua securi, & prosperi viuerent. Hinc Ioann. 20. audientes discipuli non esse diuinum corpus in sepulchro, illuc conuolàrunt, & videntes sepulchrum inane: *Abierunt iterum ad semetipsos: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Quid causæ? Apostoli viso sepulchro vacuo abierunt ad sua; Maria sola remansit iuxta sepulchrum. Cur Apostolis abeuntibus, & ipsa non abijt? cur videns Iesum ablatum, à sepulchro non magis ipsa recessit? cauebat sanè prudens femina, ne vt Iesum putabat amissum, ita si abiret, & sepulchrum eius sepulti signum simul perderet: ac ideò maluit in amissione Iesu, eiusdem mortis signis adhærere, sub quibus sperabat omnia sibi integra reseruari. Audite Origenem homil. vltima de diuersis pulchrè id enarrantem, introducendo ipsam: *Melius est* inquit *mihi sepulchrum Domini mei custodire, quàm ab illo longiùs ire. Si enim ab illo longiùs abiero, fortè cum rediero, ipsum sublatum inueniam, & sepulchrum destructum. Stabo igitur, & hic moriar, quàm beatum corpus meum, si fuerit sepultum propè magistrum meum. Corpus meum semper fuit animæ meæ labor, & dolor, sepulchrum Domini mei, erit mihi requies, & honor. Hoc ergo sepulchrum non deseram, quia ita mori erit consolatio*

Ioann. 19.

S. Hyppol.

Ioan. 20.

Origenes.

conſolatio mea, & in morte mea, erit requies mea.

O felicem portam lateris Chriſti, ad quam confugiens D. Auguſt: clamabat. *Per hanc portam lauamenta mea effluxerunt, per hanc intrate omnes animæ.* Si ergo latus Chriſti porta fuit aperta conceſſi vniuerſalis Iubilei, dùm in cruce ſancta noſtram ſalutem operaretur: conſiderate, quia iam claudi debuit in glorioſa reſurrectione. Sed propter abſentiam Thomæ, vt & ipſe plenariam indulgentiam perciperet, manſit aperta. Atq; hinc facilè cognoſcite, quoniam Chriſtus propter ſalutem totius mundi latus ſuum tranſfigi permiſit, & Thomam poſt reſurrectionem illuc digitos inferre iuſſit, quòd Chriſtus vnum Thomam tanti fecerit, quanti vniuerſum mundum.

S. Auguſt.

Lateris vulnus fuit porta iubilei aperta.

Oſtendi itaq; duplici ex cauſa, culpam Thomæ Apoſtoli felicem fuiſſe: primò; quia fructum fidei toti mundo attulit, inſtruens incredulos. Præterea, quia per hoc maiorem gloriam ſuper alios Apoſtolos, imò toti vniuerſo fermè orbi parem ſibi comparauit, vt agnoſcamus plus nobis profuiſſe S. Thomæ incredulitatem; quàm aliorum Apoſtolorum fidem. Non ergo culpemus tantum Apoſtolum, ſed potiùs debito proſequamur honore; quia ſæculorum fidei militauit: humiliter poſtulantes Ieſum, vt qui ita ſuum dignificauit Apoſtolum, & nos illo intercedente per vulnera ſua, ad beatificam illam viſionem admittere dignetur Amen.



DOMINICA II. POST PASCHA.

CONCIO PRIMA.

Ego ſum Paſtor bonus. *Ioannis* 10.

Chriſtus in officio paſtorali ſupra omnes mundi Principes magnificatus eſt.



SOlenne eſt victoribus, vbi trophæis ac palmis onuſti è prælio feliciter redierint, nouos aſſumere titulos, ſplendore & magnificentiâ luxuriantes: quemadmodùm Alexander Macedo victo Dario, *terror orbis.* Hannibal *Mars indomitus.* Iulius Cæſar debellato fortiſſimo Pompeio, *Lux Cæſarum, & Patriæ parens,* dici voluerunt. Triumphantem pariter Chriſtum non ita pridem vidimus cui è cruento prælio redeunti, cum ingenti præda, Patriarcharum ſcilicet & Prophetarum captis animabus, ex inferorum carceribus eductis; cum opimis manubijs, partâ ſcilicet vniuerſo mortalium generi ſalute & redemptionis pace, meritò lætabunda acclamabat Eccleſia. *Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Pſalmo 47. Nouum etiam hodiè aſſumpſit titulum, paſtorem ſe appellans: *Ego ſum* inquit *Paſtor bonus* ſed quid obſecro cauſæ habet vilitas paſtoris, cum maieſtate Regis gloriæ? quid vigilantia & cuſtodia ouium, cum tanti Principis maieſtate & Regio ſplendore? quid abiectio cum gloria: & viliſſimum ſerui officium, cum victoris triumpho? vtique Regis proprium eſt, purpurâ indui, & ſericis atque aureis veſtibus ornari, non viliſſimo panno aut ouinis pellibus indutum, gregem paſcere; victoris eſt auratis vel in eburneis palatijs triumphalibus oblectari ſpectaculis, non in campis & virentibus pratis, ouibus inuigilando, ſolis æſtu vri, aut cælorum iniurijs premi. Quomodò igitur fieri poteſt, vt Chriſtus poſt glorioſum reſurrectionis triumphum paſtorem agere velit, cùm hoc eximiam redoleat vilitatem & abiectionem? ſed reuera munus paſtoris maieſtatem & potentiam mirum in modum commendat, quid eſt enim Deum magnificari, niſi in effectibus ab eo dimanantibus magnificentiam, ac mirabilem eius virtutem clariùs nobis innoteſcere. Paſtor proinde voluit eſſe Chriſtus, vt ſuam in nos maiorem declararet bonitatem, vt ait D. Bernardus ſerm. 1. de Epiphan. *Quantò minorem ſe fecit in humanitate, tantò ſe maiorem exhibuit in bonitate.* Paſtorem agere voluit, vt abiectiſſimis quibuſlibet & viliſſimis etiam hominibus; liberum ad ſe patere aditum demonſtraret, quod inſinuat D. Cypri. Martyr ſerm: de Natiuitate Domini; *Electa eſt perſonarum humiliũ ſimplicitas, vt poneretur regula & indiſſolubilis daretur forma, quod non niſi pauperibus ſpiritu Chriſti pateret humanitas, nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſit admittere veritas.* Ac proinde non mirum, quòd reges mundi tunc dignitatis ſuæ manifeſtant ſplendorem, cùm ſumptuoſiſſimas arces conſcendunt, cum ingenti ſtipantium catervâ eos concomitante opimas vrbes ingrediuntur, cùm veſtibus pretioſiſſimis induuntur: Quia his omnibus proculdubio opus habent, vt ab eis maieſtatem & ſplendorem ſuum emendicent, ſine quibus pompatica illorum maieſtas facilè corrueret. At verò Chriſtus Dominus, vt potè Deus pariter, cùm nullum excellentiæ & ſplendoris incrementum ſuſcipere poſſit, vt potè infinitæ; non opus erat illi maieſtatem & ſplendorem à corruptibilibus rebus mutuare: nam quidquid nitoris creaturæ omnes habent, quidquid decoris & ornamenti; ab illo participant, tanquàm à perenni bonorum omium fonte. Oſtendam igitur Deo adiuuante, Chriſtum in officio Paſtoris, ſupra omnes terræ Monarchas & Principes magnificatum eſſe.

Pſal. 47.

S. Bernar.

D. Cypr.

Regi cum Paſtore ſumma conuenientia eſt; vtriq; enim eadem talenta neceſſaria, & eadem munia obeunda, quæ ego potiſſimùm quatuor reperio. Fortitudinem, ſapientiam, vigilantiã, & bonitatem. Hæc maieſtatem Regis ornant, hæc paſtoris virtutem ſummè commendant. Fortitudo Regi ſummè neceſſaria, vt ſit velut Aiax ferro inuulnerabilis, ad retundenda omnia hoſtium tela, furtiuoſque eorum in curſus ſtrenuè ex viſceribus patriæ ſuæ propulſandos, vt ſic ſua inuicti animi magnitudine, & infractâ generoſitate, regnum ſibi ab alto concreditum in pace & integritate conſeruare poſſit. Quod præclarè docuit Philo. libro de pænitentia & præmijs. *Reges* (inquit ibi) *& regna tria firmant & perennant. Maieſtas nimirum, grauitas, & beneficentia.* idque ſtatim ea ratione probat. Quia maieſtas reuerentiam parit, grauitas timorem, beneficentia amorem, in quam pariter ſententiam propendet ſcriptura. Prou. 10. *Iuſtitia & veritas cuſtodiunt Regem, & clementia roboratur thronus eius.* Talis erat fortitudo in Codro Rege Athenienſium, qui cùm à Doribus ſuo imperio extremam moliri perniciem cognoſceret, nec aliter hoſtem vincendum Apollinis oraculo edoctus; quàm ſua morte, vt imperterritam, & rege dignam fortitudinem oſtenderet, ſolus ante omnes reſolutiſſimè in hoſtem irruens cecidit, victoriamq; regno peperit. parem fuiſſe fortitudinem Curtij Romani teſtatur Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. cùm enim Romæ terra olim profundiſſimo patuloque ore aperiretur, & vaticinium Sibyllæ prohiberet, terræ illius os nunquam obturandum, donec fortiſſimus Romanorum illuc deijceretur. Quo comperto Curtius, vt patria ſua illæſa conſeruaretur, pellucidis onuſtus arenis, in illud ſeſe præcipitem dedit. Sed nec paſtoribus minus neceſſaria fortitudo, qui ſæpenumerò cum indomitis belluarum Leonibus, & vrſis certamen inire debent, vt gregem ſuum in tuto & integrò conſeruare valeant, vt dicit ſcriptura Iſaiæ 31. *Quomodò ſi rugiat Leo, & catulus*

Philo.

Prou. 10.

Codrus.

Valerius Max.

Iſaiæ 31.

tulus Leonis super prædam suam, & cùm occurrit ei multitudo Pastorum, á voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit? Talis erat Christi Domini fortitudo, quæ omnem mundi potentiam transgressa est; cùm enim patulo ore hiaret terra, ad absorbendum, vniuersum genus humanum, diuinaque lege sancitum esset, non aliter inde eripiendos mortales, quàm si fortissimus omnium virorum Christus Iesus illuc sponte seipsum deijceret, subitò vt se fortem & bonum pastorem ostenderet, in illam terræ voraginem scilicetmortis sepulchrum descendit, & ecce illicò occlusus est terræ sinus, nec ampliùs vlli patuit limbus, sed cælum illius loco apertum. Bonus certè Pastor, quia non temporaneam tantùm vitam, sed cælestem etiam & spiritualem suo gregi conferre studet. Fortis velut alter Iacob, quia supplantauit dæmonem, & scalam in terra collocauit, quâ homines in cælum conscendere valeant, & Angeli hominibus ministraturi cælitùs descendant. Resolutus Pastor velut alter Moyses, qui populum suum non à Pharaonis dura seruitute, sed à tyrannica satanæ potestate eripuit, & omnes infensissimos hostes, in dies nobis magis ac magis insidiantes, in rubro sui sanguinis mari submersit. Potens Pastor, qui virium nostrarum imbecillitatem adeo roborauit, vt facilè de infensissimis nostris inimicis gloriosam victoriam infirmitas nostra reportare valeat. Reges suam fortitudinem victorijs & triumphis mensurant, sed subditos simul magnis pensionibus depauperant. Christo, quæ par victoria aut triumphus censeri potest? qui nullam cum hoste pugnando populo suo intulit molestiam, & omnem propulsauit iniuriam, admiratus certè Iob tantam Christi fortitudinem, meritò dicit cap. 41. *Non est potestas in terra, quæ valeat ei comparari.*

Iob. 4.

Namsi magna est fortitudo Aquilæ, quæ pugnat & vincit serpentem; maior certè Christi, qui inferorum basiliscum superauit. Si indomita vis Leonis, vt propter illam rex animalium quadrupedum habeatur; maior certè Christi, propter quod dignus inuentus est, vt esset primogenitus omnis creaturæ, fieretq; hominum pariter & Angelorum supremum caput. si terribilis inter aquatilia maris habetur, Cete, propter quem & naues onustæ non raró naufragium pati, & nautæ summè periclitari debent; Magis certè terribilis est Christus, ad cuius præsentiam contremuit infernus, ad cuius imperium fulgurantes fulminantesq; cæli, quasi iam dissipari videntur; ad cuius furorem & comminationem, tremefacta tellus quasi subterraneis meatibus absorberi vult; si magnanimus est homo, qui & Leonem discerpit vt Samson, & vrsum suffocat vt Elisæus, Magis profectò magnanimus est Christus, qui rugientem inferorum Leonem, quasi dilaceratum & enecatum, infernalibus angustijs æternùm adstrinxit, & sæuientem mundanæ idololatriæ vrsum, in præcipitio gentilitatis suffocauit, prædam illi è faucibus eripiens, gloriam scilicet & honorem, suæ solius maiestati debitam. Si fortis est Angelus, qui sua vi (nisi diuinitatis omnipotentiâ arceretur, vt fatentur Doctores) in momento totum hoc vniuersum, in nihilum posset redigere. si deniquè potentes in cœlo beati, iuxta Prophetæ edictum Isaiæ 2. *Scribo vobis quoniam fortes facti estis, & verbum Dei manet in vobis.* inter hæc tamen omnia, fortissimus stat Rex omnium & triumphator, homo Christus Iesus 1. Paralip. 29. *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atq; victoria, & tibi laus.* Maius proinde est pastorale Christi officium, quàm regum dignitas, quia omnis terræ Principum splendor, exiguo putrescens interuallo, in vilissimum puluerem commutatur: Christi autem pastoralis dignitas, æterna est & incircumscripta, vt proinde de illo meritò Ecclesia canere possit illud 3. Reg. 10. *Magnificatus es Domine super omnes Reges terræ, cuncta enim quæ in cælo & in terra sunt, tua sunt.* Et certè, meritò scriptura dicit, (*cuncta tua*

Isaiæ 2. — 1. Par. 19. — 3. Reg. 10.

tua sunt) quia dominium Christi non tantùm in quantum Deus, sed etiam in quantum homo, ad vniuersas creaturas protenditur: vt non obscurè indicat Euangelista illis verbis Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* si enim æternùm regnaturus est, æterna verò circumscribi nequeunt, quomodò finem habere potest: cùm rei æternæ proprium est, fine omninò carere. sed sapienter admodùm Angelus ad æternum dominium, finis carentiam adiecit, vt non tantùm regni durationem; sed etiam illimitationem ostenderet: cùm regnum illius non instar aliorum regum, certis finibus circumscribi, sed toto quaquâ latè patet, cæli & ipsius vniuersi ambitu contineri debuit. Bonus igitur Pastor Christus, quia omnibus terrenis regibus excelsior, & cui soli *data est omnis potestas in cælo & in terra.* Matthæi 10.

Lucæ 1. — Matth. 10.

Altera regis proprietas est, sapientia: vbi enim Rex sapiens, ibi & regnum securum ac beatum: vbi stultus Monarcha, ibi misera & afflicta Respublica, quod fatetur Tullius in Prologo Rheth. 1. *Ad rem publicam* inquit *plurima commoda veniunt, si moderatori omnium rerum præsto est sapientia*: sed immensa oboriuntur damna, si in gubernantibus dominetur stultitia. Regi ante omnia necessaria est sapientia, vt subditorum animos optimè regere sciat, quod est summè difficillimum, dicente Nanzianz. Apol. *Reuera mihi videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere qui certè est inter omnes animantes maximè & moribus varius, & voluntate diuersus.* Sed & Pastori, spirituali in Christi Ecclesia, non minus necessaria est sapientia; quàm regibus, vt Ecclesiastica munia rectè diuidere sciant, ne in prudentissimo Christi regno, vlla officiorum confusio; sed prudens & recta distributio appareat. cùm non sanguini, aut respectui, sed meritis, & scientiæ munus hoc debeatur. Cùm tres illæ Deæ, Venus, Iuno, & Pallas, de aureo pomo clam in palatium immisso altercarentur, quæ nam earum illud acceptura esset, dirimendæ liti grauissimus Iudex Paris ab Ioue surrogatus erat, cui cum Pallas sapientiam, Iuno regnorum possessionem, venus diuites nuptias pollicerentur; ne æquissimus ille Iudex his abriperetur respectibus, quasi ligatis oculis, definitiuam sententiam aureo pomo inscripsit. *Pulchriori detur.* Pastroribus Ecclesiæ pariter Deus pomum suum aureum distribuendum commisit, scilicet Ecclesiasticas dignitates: sed cum hoc pomum multi ambiant, alij sanguinem obijciendo, alij munera offerendo: ne his respectibus abripiamini Pastores, ipsius Dei iussu, sententiam huic aureo pomo definitiuam, ab æquissimo Iudice surrogato, Concilio Tridentino inscriptam, *meliori & digniori semper detur*, præ oculis habete. Hæc fuit sapientia boni Pastoris Iesu Christi, non respexit ille sanguinis vinculum, cum Mater filiorum Zebedæi pro filijs suis supplicaret, vt vnus à sinistris, alter á dextris eius sederet. Sed dignitatem tantùm meriti, & virtutem in conferendo Ecclesiæ primatu in suis Apostolis, diligenter spectabat. quod admiratus S. Augustinus, meritò dixit: *ô altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius*, & inuestigabiles viæ eius. Summa certè sapientia Pastoris Christi, qui cùm gregem suum extremè periclitari videret, diuino furore percussũ, à deò salubre remedium inuenit, vt & ira Dei quiesceret, & noxius ab animab⁹ mortaliũ peccati morbus repelleretur. Vnum duntaxat sacra historia ex hominibus reperit iustum Nòé Geneseos 8. qui vt primum erexit altare Domino, & in eo victimam mactauit, statim vocem Dei audiuit. *Nequaquám vltra maledicam terræ, nec vltra percutiam omnẽ animam viuentem sicut feci.* Solum quoq; damnatus hominum grex Dei filium adinuenit, qui postquàm cruentum corporis sui sacrificium in ara crucis obtulit, subitò omnis furor Dei quieuit, dicente Anselmo. *Quâ horâ* (inquit) *sanguis redemptionis exiuit de latere domini in cruce pendentis, dimissum*

Cicero. — Nazianz. — S. August. — Genes. 8. — S. Ansel.

sum est peccatum Adæ humano generi, & pacificata sunt cœlestia & terrestria, quia tunc patuit introitus hominibus, ad regnum cœlorum. Sed quomodò obsecro per Christi optimi Pastoris sanguinē, cœlestia & terrestria pacificata sunt? certè non alia ratione, nisi quia sanguis Christi non tantùm hominibus; sed etiam Angelis profuit, illis quidem à peccati miseriâ eos subleuando: his verò ab eâ culpâ, in quam prolabi potuissent (cum omnis creatura sit peccatiua vt pote defectibilis) eosdem præseruando. quod clarè insinuat B D. Hieronymus supra caput 2. ad Ephesios.
S.Hieron. *Crux* inquit *Domini non solùm terræ, sed & cælo profuit: non solùm hominibus, sed Angelis; & omnis creatura Domini sui cruore purgata est.* Omnis creatura, quasi diceret: & humana & Angelica Christi sanguine purgata est; non quod in Angelis præsupponat fuisse peccatum, à quo purgari deberent; sed potiùs præseruationem à peccato, in quod dubio procul corruissent, quando fuerunt in via, nisi per sanguinem & merita Christi præ- C uisa munirentur. Quod pulchrè elucidat D. Bernardus in Cantica, locum
S.Bernar. illum Apocal. 12. *Vicerunt propter sanguinem agni,* clarissimè referens ad Angelos, qui gratiâ ex præuisis Christi meritis subleuati, arrogantem Luciferum debellarunt, & seipsos diuinæ magis eminentiæ obedientes, Christi seruituti mancipârunt. Bonus certè Pastor Christus, cuius merita ab orbe condito, necessariò ab æterno præuisa ante eius natiuitatem, tàm miræ erant D efficaciæ, vt & lapsos erigerent, & conditione naturali peccatiuos, ab omni lapsu fortiter sustinere, & præseruare possent. Sapiens Pastor, qui adeò salubre alimentum, infirmantium morbo animarum prouidit, vt depulsâ omni nociuâ infectione, sanitati & gratiæ restituerentur, in qua certè sapientia meritò illum terrenis regibus an-
Psal. 4.7. teponit Propheta Psal. 4. 7. *Magnus Dominus, & Laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Tertium boni & industrij Regis talentum est, vigilantia: Quid enim A magis Principem decet, quàm assiduò vigilare, ne quid detrimenti Respublica capiat. Nam sicut dormienti Leoni etiam muscæ insultant; sic planè ignauo Principi, & plebeia fex facilè aduersatur, & sicut vigilantem Leonem, etiam feroces pardi & vrsi à longè prospicientes timent; sic industrium Principem & rebelles verentur, & superbi hostes summè trepidant. Pulchrè hoc Ægyptij figurauerunt, qui vt ostenderent quantæ vigilantiæ Rex esse debet, pingebant sceptrum, & in eius vertice oculum vigilantem (teste Cyrillo contra Iulianum lib. 9.) insinuare volentes, quòd bonus Rex, quandocunque sceptrum suum tenet, & vbicunq; regale munus sustinet, semper ad seriò vigilandum, seipsum excitare debet, quomodo omnia incommoda & pericula in regno suo imminentia præuidere & propulsare possit. Sed & in hoc talento Pastores regibus pares, immò præstantiores: quia in custodiendis suis gregibus multò maiorem curam, & laborem subire debent; quâ industriâ non se collaudare erubuit Iacob auunculum suum Laban in hunc modum alloquens. Genes. 31. *Viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi; nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam. Quidquid furto peribat, à me exigebas. Die & nocteq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Magna certè laus pastoris huius boni & laboriosi, sed multò maior Christi Domini, qui iure meritò, æterno Patri (cuius oues abundè pauit ab exordio mundi, & nunc pascit copiosè, & ad vsque consummationem sæculi pascet fertiliter) dicere potuit: triginta tribus annis in summis oneribus & angustijs, in summa paupertate & humilitate seruiui tibi: vbi nec oues tuæ steriles essent, cœlesti doctrinâ eas diligenter paui. *Docens in Synagogis & in templo, quo omnes conueniebant.* Ioan. 18. vtq; fructum bonorum operum facerent, admirandis operibus & exemplis, pietate & virtutibus, easdem instruxi. Genes 31. Ioann. 18.

Insuper

Insuper omne damnum quod infernalis ille lupus eisdem intulerat, in
Isaiæ 53. corpore meo persolui; *portans iniquitates eorum, vt liuore meo sanarentur.* Isaiæ 53. ac demum tantam in illis custodiendis adhibui diligentiam vi-
Ioan. 16. gilantiæ; *Vt neque perierit quisquam ex illis quos dedisti mihi, nisi filius perditionis.* Ioann. 16. id est, qui seipsum vltrò perdidit. æstu & gelu vrebar, *non*
Matth. 8. *habens vbi reclinarem caput meum.* Matthæi 8. & somnus fugiebat ab oculis meis, dùm in montibus pernoctarem in oratione Dei, supplicans, pro salu- B te perditorum. Vnum tantum adeò
Poppo Abbas Stabulensis vir magnæ Sanctitatis. vigilantem Pastorem, vt etiam in summo discrimine custodiam ouium minimè deseruerit, refert nobis Euerhelmus Abbas Allimontensis, apud Surium 25. Ianuarij in vita sancti Popponis Abbatis Stabulensis? cùm enim vir iste sanctus iter ageret, ecce casu fortuito vidit lupum irruisse in oues, quem cùm vigil Pastor fortiter repelleret, nec quicquam ouibus nocumenti inferri pateretur, rapacissima illa bellua, neglectis ouibus, pastorem C toto conatu aggressa, in terram prostratum, & per colli nuda arreptum, ad syluam celeriter traxit. Viso hoc vir ille sanctus, obuiam lupo iuit, prædamq; è faucibus eius eripuit, & mortuum prorsùs opilionem meritis suis vitæ restituit. Christum puto Pastor hic omnium pastorum optimum figurauit. Aggressus erat ferocissimus inferorum lupus oues Dei pretiosas nimiùm, quia ipsius Excelsi dexterâ procreatas, eius quotmomentaneâ prouidentiâ sustentatas, sed reperit D Pastorem resolutum Christum Iesum, qui ne quid detrimenti in grege diuino fieret, seipsum sæuienti illi belluæ opposuit, tractusq; in densissimæ syluæ medium, scilicet in Crucis sanctæ ramos euectus est. Sed placuit resolutum hoc certamen optimi Pastoris spectanti eius diuinitati, quæ festinauit in occursum frementis bestiæ, eiq; prædam è medijs faucibus ereptam, scilicet sanctissimam Christi humanitatem, crudeli morte peremptam, pristinæ vitæ restituit, in perpetuam ho-

A stis confusionem, & æternum strenuè pugnantis pastoris triumphum, & ouium securitatem. Magnificatum est proinde Pastorale Christi officium, supra Reges vniuersæ terræ, quia non obdormiuit cum vltima alea humanæ salutis verteretur; sed cum tanta industria vigilauit, vt vitam suam etiam prodigaliter effunderet, pro rationabilibus hominum animis; vt meritò illi soli hodiernum Euangelium illud Ioannis 10. attribuat. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Ioan. 10. Nam licet alij quoque Martyres pro Christo & eius grege sibi concredito vitam exposuerint; quia tamen reuera morituri erant, quamuis ex amore Christi seipsos voluntarie morti Tyrannorum non deuouissent, potiùs dicendi sunt vitam suam diminuisse, aut mortem suam accelerasse, quàm animam posuisse: nec enim in potestate illorum erat, ingrauescente, aut lethali inflicto vulnere, animam in corpore detinere, solus Christus cùm talis esset, vt ex vi vnionis ad verbum, morti non subiaceret, & omnem lethalem ictum facilè impedire potuerit, nequidquam sibi noceret, verè animam suam pro nobis posuit; quod ipsemet comprobat Ioann. 10. *Nemo tollit eam* (id est animam) *à me, sed ego pono eam à me ipso.* quasi diceret, non vt cæteri homines morior, quia non necessitate naturæ, sed liberè & ex commiseratione potiùs humanæ fragilitatis mori succumbere volo. Ac proinde Christum esse Pastorem, æquè honorificum est, atq; Regem. Ibidem.

Qaartò deniq; in Regibus requiritur bonitas. *Nullum enim* (inquit Seneca lib. 1. de Clementia) *Clementia ex omnibus magis; quàm Regem aut Principem decet.* nec tàm hostilia arma detracta victis, aut currus barbarorum sanguine cruenti; aut parta bello spolia Principis solium ornant, quam amor illius viuendi, cum subditis; sed maior profectò in Pastoribus reperitur bonitas; Reges enim benefaciendo, ciuium animos tantummodò sibi deuincunt; pastores non tantùm indulgendo oues alliciunt, sed etiam hu- Seneca.

meris

Isaiæ 40.

meris impositas clementer gestant. Isaiæ 40. *Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.*

An non fuit hæc bonitas in nostro Pastore Christo Iesu? cùm clementiâ potiùs; quàm seueritate hominem regere vellet. Pastorum oues amantium ea est industria, quia vt ab ouibus suis magis diligantur, vestes proprias nonnunquàm exuunt, & vellere ouium amicti, per agros incedunt. Fuit hæc dilectio in Christo IESV erga

Philip. 2.

genus humanum; *cum enim in forma Dei esset, seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo cum hominibus conuersatus est* Philippen. 2. Et quid obsecro ad tantam bonitatem generi humano præstandam Dei filium traxit: solus mihi credite immensus eius amor, qui nullos benefaciendi limites habere potest: & hîc certè primum agnosco illud Iurisconsultorum effatum, amorem, magis declarari in descensu, quàm in ascensu. Nam quis non videt ardentiorem Patris in filios; quàm filiorum in Parentes amorem & charitem esse: quod vulgare illud prouerbium toties proclamat: *Patrem vnum filiis centum, non verò vni Patri centum filios præsto esse solitos*: Eluxit hæc Iurisperitorum sententia in Pastore Iesu, quem amor adeò ad ima descendere fecit, à cælo in terrâ illum deferens, & hominē faciens, vt meritò Christus di-

S. August.

cere potuerit. *Amor magis in descensu declaratur; quàm in ascēsu.* Meritò & illud Augustini vsurpare potuit. *Amor meus pondus meum, illo feror quocunq; feror.* Pastoris bonitas maximè elucet, dùm errantem ouem non deserit, sed tamdiù solicitè quærit, donec perditam inueniat: & cui magis hæc anxia cura competere potest; quàm Christo! qui neminem despicit, sed illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod pulchre vaticinatus est Propheta Ezechielis. 34. in persona illius loquens. *Ecce ego ipse*

Ezech. 34.

requiram oues meas, & visitabo eas sicut pastor, & quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam. Scio fabu-

A losè Pöëtas commentiri Orpheum tanto vxoris suæ, quæ apud inferos morabatur, amore captum fuisse, vt neglecto Cerberi canis metu, & horribilium satellitum loca illa custodientium formidine spretâ, cytharam suauissimè pulsans illac intrepidus descenderit, & vxorem à miserabili & infelici pœnarum cruciatu eripuerit. Certè non aberraret, qui hoc Pöëtarum commento Christi amorem adumbrare vellet: quod enim in Orpheo fabula censetur, hoc certè in

B Christo maxima veritas esset. Naturam enim humanam in terra degentem, & vix iam non extremis inferorum miserijs pressam, Dei filius tanquàm sponsam suam vehementer diligens, è cœlo in terram intrepidus descendit, vt eam ab vmbra mortis, & miserabili lapsu eriperet. Et licet ad id præstandum magnæ difficultates obesse videbantur, cuiusmodi erat omnis doloris participem fieri, subijci infinitis cruciatibus, immortalem mortis imperio subesse, æternum tempo-

C ri subiacere, creatorem omnium infantem fieri, matris vbera sugentem; nihil tamen horum amantem Pastorem ab incepto cursu deterrere potuit. Quia amor perfectus & verus nihil intentatum relinquit, & propriæ etiam salutis oblitus, nullum timet periculum, nullum vitæ discrimen formidat, vt dicitur 1. Ioann. 4. *Charitas foras mittit timorem.* Non latebat hoc

1. Ioan. 4.

fidei lumine destitutos gentiles: fertur enim in theatro vitæ humanæ, Athenienses bello hostem aggressuros,

D antequàm signa mouerent, & bellicum canerent, sacrificium solenne, non Marti, quàmuis eum id magis tanquàm bellorum Deum concernebat; sed amoris Deo fecisse: volentes per hoc significare, amorem ad pericula subeunda præbere imperterritum animum, ideoq; ante conferendas cum hoste manus, eius beneuolentiam sibi conciliandam esse per sacrificia. Potentiorem illi agnouerunt amorem, quàm martem, in cuius signum pingebant, etiam amorem manu fulmen tenentem, vt ostenderent, quòd sicut vehe-

A vehementior est fulminis vis, vbi maius reperit obstaculum; sic amor quæuis ardua peruadit, & quidquid obuium est, subigit, & propulsat. Sic planè in Deo magis præualet amor, quàm iusta in peccatorem indignatio, dùm hominis animum, quo durior & obstinatior fuerit, efficaciùs frangit, & ad se pertrahit. Meritò bonus Pastor Christus, quia benignus. Meritò bonus, quia ex natura & essentia sua solus bonitatis plenus. Quid mirum in-

S. Greg.

quit D. Gregorius in hodiernum Euangelium. *Quod ille qui non ex acci-*

B *denti dono, sed essentialiter bonus est, dicat: Ego sum Pastor bonus.* Bonitas Pastoris elucet maximè, dùm gregem suum in fertilissimos educit campos. Campus Pastoris nostri Christi Iesu, in quem nos omnes eduxit, fæcundissimus est; scilicet, Ecclesia sancta: de qua D. Basilius hom. 33. in caput 10.

S. Basilius.

Matth. illud audacter asseuerat. *Hic magnæ nobis sunt possessiones: hic omnis spes nostra sita est: omnia quæ hic sunt, sublimia certè sunt.* In his vberrimis pra-

C tis, scilicet sacris ædibus, habet inprimis homo mortuorum sepulchra, quæ sunt veluti specula, in quibus humanæ cōditionis fragilitate & corruptibilitatem prospiciat. quod homini summè

Eccles. 7.

proficuum esse docet Sapiens Eccl: 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum nō peccabis.* habet fontem sacri baptismatis, in quo peccati originalis maculam abluat: habet lauacrum aquæ lustralis, quâ abstergat venialium criminum noxas: habet mysticum mare rubrum amaræ pænitentiæ, in quo o-

D mnia vitia suffocare possit, velut Iudæi olim Ægyptios in mari rubro. Habet opulentam mensam, tum verbi diuini, tum sacratissimi corporis Christi, quibus cibari si famelicus est, & spiritualiter nutriri queat. Habet denique sacrificium incruentum immaculati agni, quod pro peccatis omnium quotidiè per manus sacerdotum Deo Patri offertur. Et quid amplius homini facere potuit Dei filius, quam cùm se nobis per omnia communicauerit.

Recoligite hic paulisper mentem vestram Pastores animarum, quibus Ecclesiæ cura, quibus salus populi commissa est, si veri imitatores estis ductoris vestri, Christi Iesu, Pastorem vobis ostendi Christum, bonum in fortitudine: bonum in sapientia, bonum in vigilantia, bonum in clementia; & vos ne à capite vestro aberretis, quibus Pastorale officium commissum est, debetis esse fortes in tuenda animarum salute, sapientes in propugnanda religione, & exstirpandis perfidiæ & hæreseos erroribus: vigilantes in excitanda populi deuotione, & pietate animabus instillanda. Misericordes deniq; in arguendis errantium moribus, & subleuanda egentium paupertate. Hoc certè vobis inculcat scriptura Zachariæ 11. *Si*

Zach. 11.

bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, & si non, quiescite. quasi diceret: si vos qui hominum animas doctrinâ & probitate pascere debetis, me imitati fueritis, mercedem meam recipietis, id est; æternæ participes efficiemini gloriæ. si neglexeritis, in tenebras seruitutis remouebimini à me. Habetis & vos omnes Pastorem bonum, qui vobis omnem pollicitus est defensionem Zachariæ 2. *Ego in-*

Ibidem 2.

quit ero ei murus igneus in circuitu, & in gloria ero in medio eius. Existit semper in medio vestrum hic bonus Pastor, sicut rex in medio apum, vt omnes dirigat, sicut sol in medio cæli, vt omnes quasi stellæ lumen ab eo recipere possint; sicut centrum in circumferentia, vt omnes quotmomentis ab eius prouidentiâ dependeant. ne ergo hic bonus Pastor vos deserat, illud vobis quod Iudæis quondam exprobrans Zachariæ 11. *Non pascam vos, quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur*: confluite sub tutelam tanti Pastoris, & cum suæ quisq; Pastor sit animæ, ita sapienter & vigilanter animas vestras custodite, quomodò ex his corruptibilibus mortalitatis campis, ad immarcescibilia æternitatis prata, cum pastore Christo pertingere valeatis Am.

EADEM DOMINICA, CONCIO SECVNDA.

Et dixit, qui fedebat in throno: ecce noua facio omnia. *Apoc.* 21.

Christus in throno cœlesti considens noua omnia operatus est, fidem veram in mundum introducendo.

DEus optimus Maximus, immensæ maiestatis suæ, & potentiæ incōprehensæ magnitudinem, atq; supremum in omnes creaturas dominium terreno orbi manifestare volens; consultò plurima operari studuit, supra ordinem naturæ & communem legem gratiæ, vt non obscurè inde omnibus innotesceret, eum tanquàm supremum legislatorem, & naturæ pariter atq; gratiæ conditorem, suas leges ac iura, prout sibi libuisset, soluere aut impunè irrogare posse. Vnde licet Soli & Lunæ, à principio creationis mundi, illa lex noscitur imposita, & promulgata fuisse, vt incessanter circulari tramite mouerentur, in quo multum discriminabantur ab alijs planetis stationarijs & retrogradis, (vt more Astrologorum loquar) nihilominùs tamen Dei mandato, Sol & Luna steterunt Iosue 10. *Et sol* inquit *sacra pagina decem lineis retrocessit.* Per quod miraculum, non solùm suam Deus potentiam ostendebat, sed longiorem simul portendebat vitam quam Deus pænitenti Ezechiæ concessurus erat 4. Reg. 20. Contra naturæ ordinem videtur esse, bruta animantia articulatam vocem emittere, quia vt prudenter Philosophi ratiocinantur, vox est sonus ab ore animalis prolatus, certis quibusdam naturæ instrumentis efformatus, cum imaginatione aliquid significandi, quod soli homini competit: & tamen Deo magnificentiam suam ostendere cupiente, Asina Baalam locuta est Numer. 22. *Quid ait feci tibi cur percutis me.* Quo prodigio portendebat Deus innocentissimam Christi faciem, apud impium Caipham immaniter cædendam. Quis vnquàm audiuit aquas Marath amaras, immisso ligno amaro, dulces reddi potuisse? quod tamen euenit Exodi 15. ad figurandum, quòd per amaram ligni crucis passionem mortifera hominum peccata in dulcem gratiæ gustum transformanda forent. Quis vnquàm vidit ex lapide durissimo ingentem aquarum copiam erupisse; & tamen dùm Moyses virgâ suâ percussit bis silicem, ex eo largissimæ fluxerunt aquæ Num. 20. quod signum erat torrentis sanguine & aquâ misti, ex mortuo Christi latere dimanantis in ablutionem nascentium in peccato hominum. Inauditum quoq; est, feminam in salem conuerti, cùm natura hominis nequaquàm eâ dispositione polleat, vt tàm facilè in salis substantiam conuerti possit? & tamen sacra Scriptura refert, vxorem Loth repentè in salem fuisse conuersam, eo quòd contra Dei mandatum Sodomam igne sulfureo flagrantem respexisset. Genesis 19. Quid plura? Lex à Deo condita fuit, vt dùm homo vitam hanc mortalem ageret, ipsum videre non posset, iuxta illud Apoc. 11. & Matthæi 17. *Non videbit me homo, & viuet.* Et illud Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquàm.* Et tamen ad declarandam Dei potentiam, ab hac regula generali excepti fuère Moyses, & Diuus Paulus, quos ad tempus mortalitate indutos, diuinam vidisse essentiam grauissimi Doctores sentiunt probabiliter cum D. Thoma 1. parte. Magna igitur sunt hæc portenta, quæ Deus antea in cœlesti throno inuisibilis sedens operabatur, verùm post gloriosam suam resurrectionem, in nouo hodiè consedit throno, vt noua pariter potentiæ & magnificentiæ suæ argumenta mundo declaret. De cuius throni eminentiâ, & quænam sunt ista noua, quæ in isto throno operatur rediuiuus Saluator, ponderabimus, ante maiestatis eius præsentiam auxilium singulare supplices postulando.

Iosue 10. — 4. Reg. 20. — Asinæ Balaam locutio Christi collaphisatione significabat. — Exodi 15. — Aquæ de Petra eductio figurabat Christi lateris apertionem. — Genes. 19. — Apocal. 11. Mat. 17. Ioan. 1.

Eminentiā regalis palatij ex loci sublimitate, & munitione, facilè coniectari solent homines, thronum quem

hodiè victor & triumphator Christus conscendit, adeò in sublimi loco constitutum esse, vt cælum ipsum attingat, fatetur scriptura Genes. 28. *Egressus* inquit *Iacob, vidit scalam, cuius cacumen cælos tangebat, & Angelos descendentes & ascendentes, & dominum innixum scalæ.* Quid significet autem Iacob egressus, profectò ex mente Doctorum, quemlibet fidelem saluari desiderantē, qui vt thronum Christi gloriosum spectare valeat, egredi debet de terra iniquitatis, iuxta illud consilium regij vatis Psal. 68. *Non me demergat tempestas aquæ, nec absorbeat me profundum, neq; vrgeat super me puteus os suum.* Alta enim & sublimis visio, altum & sublimem virum postulat; & sancta conuersatio, sanctum hominem desiderat. Sanctus esse debet quisquis scalam Christi thronum sustinentem spectare contendit, & in diuina spe atq; fiducia bene firmatus: huic enim duntaxat promittitur robur ad supplantandum animæ hostem Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Ecce quanta victoria promittitur fideli, sanctè & religiosè viuenti Christiano, & strenuè pugnanti cum hoste animæ suæ. Sed eheu! deplorat S. Augustinus in soliloquio fatum nostrum, inquiens: *pessima infamia nostra, qui cum continuè videamus contra nos draconem, ore aperto biantem, ad deuorandum nos; nihilominùs tamen dormimus & lasciuimus in pigritijs nostris, tanquàm securi ante eum, qui nihil aliud desiderat, quàm vt nos æternùm perdat. semper vigilat absq; somno inuidus iste hostis, nos tamen noluimus euigilare, à somno ad custodiendum animas nostras.* Sed profectò adeò piger homo non videbit hanc scalam, verùm potiùs infernum: non videbit Angelos per illam descendentes; sed horrendos dæmones. Non videbit Dominum innixum scalæ; sed Luciperum in profundo inferni cruciatum, ad perpetuam confusionem suam. Quod malum ignauorum ad pugnam cum hoste aduertendo, nobilis ille Romanorum & vniuersarum gentium Doctor Paulus, sic oscitantes Christianos admonet 1. ad Corinth. 16. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini, omnia vestra in charitate fiant.* Scala hæc Catholici mei, Petra sancta est, in qua thronus victoris & triumphatoris Christi, scilicet Ecclesia Catholica fundata est, iuxta æternæ veritatis promissum. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* cui illud propugnaculum promissum est. *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Quodsi sacra historia 2. Paralip. 8. & 3. Reg. 8. narrat Regem Salomonem postquàm ædificauerat templum Dei, festum instituisse dedicationis illius, quantò æquiori iure festum dedicationis Ecclesiæ sanctæ nos hodiè agimus, quæ est religionis receptaculum, & diuinæ præsentiæ tentorium. Ad ostium tabernaculi quondam ex præcepto diuino, summus fieri solebat populi concursus, Leuitici 8. numero. 3. *Congregabis* inquit *omnem cætum ad ostium tabernaculi.* ibi enim sacerdotes consecrandi sistebantur Exodi 29. numero 4. *Aaron,* inquit sacer textus, *ac filios eius applicabis ad ostiùm tabernaculi.* ibi Nazaræi suas ceremonias explebant. Num. 16. numero 18. *Radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi,* ibi suas quilibet victimas Deo sacrificandas offerebat sacerdoti, Leuitici 17. numero. 5. *Sacerdoti* inquit *offerre debent filij Israël hostias suas ante ostium tabernaculi.* Ibi septuaginta seniores, populi Iudices inaugurari iussi sunt. Num. 11. n. 16. *Duces eos ad ostium tabernaculi fæderis, faciesq; ibi stare tecum.* Ibi dominus constitit, vt cum Moyse loqueretur; iubens enim sacrificium vespertinum fieri ad ostium tabernaculi subdidit. Exodi 29. num. 42. *vbi constituam, vt loquar ad te.* Ibi manifestè cum Moyse per columnam loquebatur. Exodi 33. n. 9. *Descendebat columna nubis, & stabat ad ostium tabernaculi, loquebaturq; dominus cum Moysen* Ibi deniq; non sedentibus, sed stantibus gloria domini apparebat Num. 16. num. 19. *Stantibus* inquit *Moyse*

Genes. 28. — Psal. 68. — Isaiæ 40. — S. August. — 1. Cor. 16. — 2. Paral. 8. — 2. Reg. 8. — Leuit. 8. num. 3. — Exodi 29. — Num. 16. — Leuit. 17. — Num. 11. — Exodi 29. — Exodi 33. — Num. 16.

Moyse & Aaron ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.

Verum quid obsecro mysterij est, quod Hebræi cùm tam frequenter ad ostium tabernaculi pedem sistere iuberentur, semper tamen prohibiti sunt intro inferre ? scilicet iam inde videtur mihi Deus, hoc symbolo significare voluisse, infelicem illum populum, ab æternæ beatitudinis aditu excludendum, & in æternum exilium relegandum. Felicior profectò est nostra Ecclesia sancta, quæ cùm sit sponsa cœlestis illius gloriæ, non ad ostium iam suos fideles admittit, sed ad intimum conclaue, ceu filios cum fiducia intrare iubet. Ita ferè D. Hieronymus Epistola 142. ad Damasum docet. *Legimus* inquit *in veteri testamento, quòd semper Dominus Moysi & Aaron ad ostium tabernaculi sit loquutus, quasi ante Euangelium, nec dum eos in sancta Sanctorum introduxerit, sicut Dei Ecclesia postea introducta est.* Iudæus itaq; ante Euangelium ad ostium quidem tabernaculi accedebat, sed ad sancta sanctorum non intrabat ; post Euangelium verò nisi Iudæus esse desinat, etiam ab ostio eternæ patriæ, ad quod non nisi per fidem charitatemq; acceditur, exulabit. Felicior iam vestra sors Catholici, quando Christus rediuiuus in throno Ecclesiæ sanctæ residet, vt totum mundum gaudio afficiat, iuxta vaticinium Prophetæ Abacuc 3. *Dominus* inquit *in templo sancto suo, lætetur à facie eius omnis terra.* Si enim Elisabeth & Ioannes infans, necdum natus, lætati sunt, quia Dominum in templo vteri virginalis cognouerunt, vt docet D. Bernardus. *Valdè quidem domine humiliaris, nimis absconderis, sed Ioannem lætari non patiaris* quantò magis pia Christianitas lætari debet, dùm præsentem Deum in throno Augustissimi sacramenti cognoscit, ad quem & iuuenes, & senes, & paruuli & lactentes, liberè accedere possunt. quemadmodùm fecit pijssima illa mulier Anna Samuelis mater, quæ postquàm eum ablactauerat, inquit scriptura 1. Reg. 1. num. 24. *Adduxit eum ad domum domini in Silo.*

Iudæis prohibitus in tabernaculum ingressus, figurabat eorundem repudiationem.

S. Hieron.

S. Bernar.

1. Reg. 1.

ex quo loco D. Chrysosthomus hom. 2. de Anna, optimum eruit ad omnes matres documentum, vt pueros recens natos, aut certè ablactatos, non ad ludos, non ad turpes cantilenas. non ad illiberales artes, optimæ disciplinæ corruptrices, assuefaciant ; sed statim ad templum domini eos ducant, sistant ad aras, diuino eloquio consecrent, pietati addicant. Nam si profani homines ijs artibus, quas colunt, filios suos inaugurant, si miles ad militiam, pugil ad pugilatum, Pancratiastes ad pancratium filios suos inducunt ; religiosa mater, Christiana Parens, quo alio ducere debet filios suos ; quàm ad templum domini, vbi sacra religio colitur, & obseruatur. Immo non solùm curare debet, vt templum adeant, sed potiùs vt templum fiant, iuxta Apostolum, qui 1. Corint. 6. num. 19. membra nostra templum Spiritus sancti vocat. Arguit enim vehementer sanctus Chrysosthomus eos, qui templorum solemnitates postponunt. *An non* inquit *absurdum est, nos domum veterem, ruinam minitantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accersentes, domum autem Dei ne vulgari quidem dignari cura ?* Quod statim optimo exemplo illustrat. Nam qui de captiuitate Babylonica regressi, proprijs domibus reædificandis incumbebant, & DEI templum dirutum atq; euersum non curabant, grauissimo verbere famis & siccitatis à Deo percussi sunt. Vt fatetur Propheta Num. 9. & 10. *Dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ; ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum.* ex quo Prophetæ loco argumentatur ingeniosè D. Chrysosthomus : *Si illius* inquit *templi neglectus tantam excitauit iram numinis, multò magis huius templi neglectus, ad iracundiam prouocabit Dominum ? si quidem hoc templum tantò est illo honoratius, quantò plura habet sanctimoniæ symbola.* Nam apud Christianos templorum erectio & dedicatio, triplici de causa fit. Inprimis

S. Chrys.

1. Cor. 6.

S. Chrys.

Num. 9.

Neglectus Ecclesiæ, sterilitatis causa est.

Ibidē qui supra.

Dedicationis triplex causa.

mis vt in illis sacrificemus Deo Altissimo; *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Psal. 49. quasi diceret Regius vates, vt exponit Augustinus in Psal. 49. securus esto ô homo, non est opus vt eas in Arabiam thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutias ; nihil enim tibi indicit Deus, quod sit extra te ; sed tantummodò ad te redeas, & ibi inuenies, quod immoles. Ara tua, conscientia tua est, ibi laudis immolationem reperies. Immola ergo sacrificium laudis Deo, hoc est gratias illi age, à quo habes, quidquid boni habes ; & cuius misericordia tibi dimittitur, quidquid tuum mali habes.

Psal. 49.

S. August.

Secundò, templorum dedicationes fiunt, vt in illis ardentiùs oretur. Licet enim Deus sit vbique ; in templo tamen sancto peculiari modo votis hominum annuere voluit. Iuxta præscriptum scripturæ Deut. 12. *Non facietis* inquit *ita Domino Deo vestro, sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, venietis, & offeretis in loco illo victimas & holocausta.* Sed non omnibus in hoc throno sedens Rex gloriæ patulas aures præbet : auertit enim auditum suum à maximis peccatoribus, & ad punctionem cordis redire nolentibus, Apocal. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* In quibus verbis puritatem omnimodam in animo hominis requirit S. Ioannes, vt in Ecclesia Christi quod petit, accipiat. Et quidem meritò : etenim in Ecclesia sancta, non modò repræsentantur Christi & sanctorum splendidæ imagines, sed ipsemet etiam præsens Christus, sub velaminibus specierum panis & vini. sacer Exodi textus capite vltimo ait, Moysen non potuisse intrare tectum fœderis : *Nec poterat,* inquit sacra pagina, *Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante.* Quare autem ad sancta sanctorum non potuerit ingredi, rationem reddunt Doctores sancti. Quia incredulus erat voci domini dicentis : quod ex

Deut. 12.

Apocal 27.

Exodi vltimo.

Moyses propter incredulitatē sancta sanctorum ingredi non potuit.

dura petra aqua suauissima educenda esset, propter quàm infidelitatem impeditus fuit, à nebula, sanctum illud fœderis tectum ingredi. Compleuit templum hoc gloria Dei, sed si in corde alicuius regnat incredulitas reclamans Deo vocanti ad conuersionem, iracundiæ diuinæ nebula dubio procul impediet, ne petitiones eius ad aures diuinas perueniant.

Terriò, templorum dedicationes fiunt, vt in eis verbum Dei maiori cum religione audiatur, Psal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* quasi diceret, vt exponit Augustinus in Psal. 84. obdurabo autem meam contra tumultuantem huius mundi inquietudinem, & contra animam, corpore, quod corrumpitur aggrauatam, & sensum terrena inhabitatione deprimentem, audiam verò Dominum mihi intus ad cor loquentem, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Noua ergo omnia facit hodiè saluator noster, quia vnum ouile ; vt vbique gentium vna sit Ecclesia sancta Catholica & Apostolica, vna fides, eadem sacramenta, generantia, nutrientia, & confirmantia animas fideles in beatitudinem æternam.

Psal. 84.

S. August.

Quærunt Doctores sancti, vbinam hoc vnum ouile fiet ; num in hac vita ? num certè in futura ? Et Respondent plerique, quia in futura Nam ibi omnes erunt pleni Deo, & Deus omnium in omnibus. Vbi omnes commune spectaculum habebimus, Deum ipsum : communem possessionem habebimus, Deum ipsum, communem pacem, Deum ipsum. Proinde vnum erit ouile, quia vna omnium mens, vna delectatio, vna felicitas & beatitudo. Respondent communiùs alij, etiam in hac vita fore vnum Christi ouile, quia ad finem mundi omnes Christi hostes, etiam ipsi Iudæi ad veram Christi fidem redibunt. Quod non obscurè indicat sacra pagina 1. Reg. 2. num. 36. *Futurum est autem* inquit sacer textus, *vt quicunq; remanserit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tor-*

Vnū Christi ouile fiet ad finē mundi.

In finemūdi Iudæi cōuertentur ad fidem.

1. Reg. 2.

tam panis, dicatq́; admitte me obſecro ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam buccellam panis. quaſi diceret Scriptura ſacra, ad vnum ouile Eccleſiæ Chriſti veniet, quicunquè relictus fuerit ex familia Aarònis, & ex ſtirpe Iudæorum, qui ſi adhuc in ſua infidelitate obſtinatus fuerit, veniet ideò, vt nouum ſacerdotium intuendo, & vetus recòrdando, quod amiſit, multò acerbiùs torqueatur. Si verò ad gratiam Ieſu Chriſti fuerit erectus per pœnitentiam, iuxta vaticinium Prophetæ

Iſaiæ 10.

Iſaiæ 10. num. 22. *tandem* inquit *reliquiæ Iſraël conuertentur, & ſaluæ fient.* Rom. 9, num. 27. *Tunc veniet ad adorandum ſacerdotem, qui eſt Deus, ſcilicet Chriſtum Dominum credendo in illum,* vt decent 70. & D. Auguſtinus.

S. Auguſt.

& offeret ei nummum argenteum : ſcilicet verbum abbreuiatum fidei, per veram confeſſionem : *& tortam panis* ; ſcilicet corpus & ſanguinem ipſius Chriſti, qui eſt panis viuus Ioannis 6. num. 51. per veram oblationem carnibus victamarum legalium abiectis. *Orabitq́; vt admittatur ad vnam partem ſacerdotalem.* hoc eſt, vt interpretatur D. Auguſtinus, poſtulabit vt adſcribatur ſaltem fidelium plebi, quæ vocatur *regale ſacerdotium, gens ſancta*, 1. Petri 2. numero. 9. præferens Chriſtianorum plebem ſacerdotibus Iudæorum, & dicens cum Propheta Pſalmo. 83. numero. 11. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Noua ergo omnia facit Chriſtus in ſuo ouili, in throno Eccleſiæ ſanctæ ſedens, quia omnes nationes ad vnitatem religionis conuocat. Noua facit omnia, quia poſt triumphalem victoriam paſtoris munus in Eccleſia ſancta obire vult, fortaſsè vt adimpleat illud Præceptum Marci Varronis, qui lib. 2. de agricultura cap. 9. Paſtoribus præcipit, vt aliquando canibus gregem cuſtodientibus panem cum lacte præbeant ; ſic enim lactis guſtu illecti, libentiùs paſtorem, & pecora ſequentur. hac video induſtriâ vſus eſt Chriſtus, dùm in ſuo munere paſtorali, dat nobis ſuæ

1. Petri 2.

Pſal. 83.

Marcus Varro.

A carnis buccellam, vt magna illius ſuauitate adducti, ab eius veſtigijs nunquàm recedamus.

Diſcant ex hac Chriſti Domini ſolicita in paſcendo Chriſtiano grege cura, Eccleſiæ ſanctæ Paſtores, quantum eos laboris impendere oporteat, ne oues Chriſti illorum paſtorali curæ commiſſæ periclitentur : indignum enim eſt Apoſtolicum Prælatum, domi quietum vacare, & cum per ſeipſum poſſit, alios ad viſitandas oues ſibi creditas delegare, atque totum labo-

Paſtor ipſe per ſe debet paſcere Chriſti oues.

B rem, & pondus ſui muneris in aliorum humeros transfundere, vt ipſi ſolo quidem præſulatus honore fulgeant : alij verò toto portandi genere prægrauentur. Quos redarguit Lyranus in expoſitione morali ſuper illud 2. Reg. 6. num. 7. de Oza ſacerdote, qui arcam Dei proprijs humeris portandam, boum tergis portandam impoſuerat, vbi ſic loquitur præfatus author. *Per hoc* inquit *ſignificatur, quòd Prælati proprios humeros debeant ſubmittere, ad portandum onus ſui officij, ne*

Lyranus.

C *percutiantur à Domino ſicut Oza, qui ad deportationem Arcæ boum humeros applicauit,* cui ſimiles ſunt, qui regendas Eccleſias ſuas, alijs tradunt, etiam ignorantibus, & ipſi in alijs occupantur. Hinc iuſtiſſimè conqueritur Diuus Bernardus de modernis Paſtoribus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium ſcribens : *Satis* inquit *ſuperq́; Epiſcopi ad manus habent, quibus animas credant, & cui ſuas committant facultates, non inueniunt : optimi videlicet æſtimatores, qui magnam de minimis,*

S. Bernar.

D *paruam aut nullam de maximis curam gerant. Patientiùs ferimus Chriſti iacturam, quam noſtram? Quotidianas expenſas, quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & continua Domini gregis detrimenta neſcimus. De portione eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt, raró autem cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum, cadit Aſina, & eſt qui ſubleuet eam : perit anima, & nemo eſt qui reputet.* Sed moueat eos Saluatoris noſtri vigilantia, qui conſcendit hodiè thronum ouilis ſui, vt ſemper præſens gregi inuigilet,

let, & pericli tanti auxiliatricem dexteram porrigat, vt hoc facto incitentur Paſtores Eccleſiæ, per ſe ipſos non per alios, dominicum gregem, quantum fieri poteſt paſcere. Vt ex illorum præſentiâ & vigilantiâ, cultus diuinus crebrior vigeat ; clerus obſeruantior viuat ? pauperes indulgentiùs foueantur ; boni ad pietatem ſtudioſiùs inflammentur ? mali à ſuis vitijs celeriùs arceantur. totaq́; Eccleſia moribus proficiat, virtutibus effloreſcat, legibus confirmetur. Didicerat hanc vigilantiam ab ipſo Saluatore regni noſtri Patronus B. Adalbertus, mira velocitate barbarorum regiones perluſtrans, vt vbi plus laboris apparebat, eò libentiùs conuolaret. meritoque poſſet vſurpare illud Apoſtoli dictum Rom. 15. n. 20. & Iſaiæ 52. num. 15. *Prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ſed ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annuntiatum de eo.* hoc eſt ; Prædicaui Euangelium gentilibus, barbaris, & incultis, nullâ prorsùs veræ fidei religioniſq́; notitia imbutis, & informatis, & proindè multò difficiliùs, & laborioſiùs imbuendis, & informandis.

Rom. 16.

Ex quatuor potiſſimum qualitatibus Chriſtus Dominus in hodierno Euangelio ſe bonum Paſtorem prædicat. Primùm, ex gratiæ collatione : ſicut enim optimus habetur Princeps ille, qui magnam ſuis ſubditis gratiam præbet. profectò Chriſtus iure meritò optimus Paſtorum vocari debet, qui omnem gratiam in ſuum ouile, ſcilicet in Eccleſiam ſanctam effudit, & eius membra, dùm non tantùm hominem morte ſuâ redemit, patri æterno ſanguine ſuo, illum reconciliauit, pepercit culpam, condonauit offenſam ; ſed inſuper & toties cadentem, erigit clementer, atq́; caligantem fumo peccati animam ſpiritu viuificante repleuit, & omnibus abunde cumulauit cœleſtibus theſauris. Quis enim apud hunc Paſtorem ſaluberrimum morbo ſuo antidotum non inuenit? in cuius ouili adeſt malleus humilitatis ad conterendum Leonem ſuperbiæ ; adeſt aculeus charitatis, ad fe-

A riendum ſerpentem inuidiæ, adeſt ſtimulus paupertatis, ad percutiendum lupum auaritiæ, ; adeſt iaculum virginitatis, ad occidendum porcum immunditiæ ; & vt verbo multa comprehendam ; præſto ſunt omnia parata ad ſingula peccata fugienda. vnde meritò de ſe ipſo dicit Saluator Eccleſiaſt. 24. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* Bonus ergo Paſtor, quia ſuo gregi, ſcilicet iuſtis, & peccatoribus omnimodam præbet gratiam; ſcio optimè antiquitatem heroici animi

Eccleſ. 24.

B viros, qui poſt fortes victorias, laude & triumphis abundabant, hoc elogio atq́; ſymbolo decoraſſe. Pingebant virum bellatorem, & pium, qui draconem terribilem, pullos cum matre numeroſos deuorantem, haſtâ ſuâ feriebat, & occidebat, ſubſcribendo: **Ardua per præceps gloria vadit iter.** Sed heroicum & pium Chriſti animum, ſi ego hodiè decorare vellem, nullo ſymbolo, nullo lemate debito delineare poſſem. Exceſſe-

C runt enim illius curæ, vigiliæ, in Paſtorali officio, diligentia in propagando Dei cultu, virtutes demùm mentis & corporis, omnem blandientis facundiæ ornatum, omnem mortalis linguæ iuſtam commendationem. Ardua ſemper illius erat via, quia ſemetipſum depoſuerat, vt eſſet pater degenerantibus filijs, magiſter diſcolis diſcipulis, fidei annuntiator barbaris, patronus homicidis.

Prædicat Chriſtus ex altero capite ſe bonum eſſe Paſtorem, ſcilicet ex ſumma miſericordia. Si enim ruſticus

D ille à Ripis Danubijs in ſenatu Romano proſtratus perorans, in hoc inſignem Senatorum miſericordiam collaudauit, quòd coincolas eius & totam poſteritatem, à tyrannica Præfectorum oppreſſione eripuerint. Nonne orbis Chriſtianus ſummam Chriſti miſericordiam agnoſcit, quando ex crudeliſſima inferorum tyrannide, æternæ damnationis miſera oppreſſione, ſanguine illius ereptus, & ex latebris errorum, in vnum fidei & Eccleſiæ ſanctæ ouile congregatus eſt, te-

ſte

Iſaiæ 53. ſte Prophetâ Iſaiæ 53. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus* Hæc ſumma miſericordiâ optimi Paſtoris Chriſti in cruce pendentis, latronem in paradiſum fecit introire. quod conſiderans ſanctus Leo ſermonem de Reſurrectione Domini, conuertendo ad Saluatorem crucifixum, & latronem crucifixũ exclamat:
S. Leo Papa. *ô miſerà* inquit *rerum conuerſio, latro credidit, latro de cruce impetum fecit, & intrauit Paradiſum.* Sed quid cauſæ obſecro, quòd vni tantum & non alteri Latroni hic miſericordiarum thronus B ſubuenit? vtiq; qui inter ignem verſatur vndiq; calefit, Chriſtus autem miſericordiarum Pater, in medio Latronum pendens, vni calorem, alteri ſtridorem impertitus eſt; cur non vtriuſq; cor pariter radio ſuperni luminis, & igne charitatis ſuccendit? verùm quis culpabit ſolem, quòd apertum campum ſuis fulgoribus potentiùs verberet, occultum autem deſerti antrum non attingat; licet æqualiter ſol ſplendeat vbique; Chriſtus quoq; dominus æqualem miſericordiam paratus fuit vtriſq; donare, ſed non erat vterque diſpoſitus ad illam recipiendam. Sic Reſpondet ſanctus Leo in ſerm: de Reſurrectione. *Pendebat* inquit *Chriſtus in medio tanquàm ſol fulgens, confitebatur vnus, & honorificabat, alter incredulus blaſphemabat, Iudex ergo mox dictauit vni ſententiam, alteri verò porrexit indulgentiam.* Quid iuſtius, quid decentius facere potuit, quàm iuxta voluntatem propriam cuiq; tribuere. Vtriſq; Chriſtus præbere voluit bonum, ſed quia vnus obduratus impietate, recuſauit illud, potiùs eligens malum; idcircò ſibi ipſi cauſa mali factus eſt. Non reijcit ergo animarum noſtrarum Paſtor etiam obſtinatiſſimum à ſua miſericordia, dùm modò illam homo quærere velit. quod inſigni exemplo comprobat Antonius ſanctus, Refert ille fuiſſe Bononiæ virum quendam, qui vitæ lubricæ deditus, viſione tali commonefactus fuit. Videbatur ſibi dùm quietam in ſomno duceret vitam, quòd dum per quendam agrum nimis ſpatioſum deambularet, derepente inopinata oriretur vehemens tempeſtas, ſummeq; periculoſa, quam cùm ille euadere vellet, accurrit celertimè ad quoddam diuerſorium, repulſam verò paſſus, præ nimia iniuria àeris, & inclementia cæli, pulſauit intromitti poſtulans, vt illo hoſpitio exceptus tempeſtatis periculum & malum effugeret. cui importunè pulſanti reſponſum datum eſt. Iuſtitia hic habitat, quam quia tu in tuis actionibus minimè obſeruaſti; ideò hic minimè recipi potes. Mæſtus inde abijt, & ad aliam proximam domum ſupplicans cucurrit. Verùm & ibi non diſſimile reſponſum accepit: veritatis palatium hic ſitum eſt, ſed tibi interdictum, eò quòd veritate contemptâ ſemper ſecutus fueras mendacia. Premente illum fortiùs melancholiâ, ad tertium hoſpitium diuertit prope, in quod vocibus pariter & lachrymis admitti petijt. Fruſtratus tamen deſiderio audiuit reſponſum, quod ibi ſancta pax inhabitaret, quæ C quoniam impijs ſemper negatur, & ille miſer tanquàm impietati magis, quàm virtuti deditus, ab illius aditu redire coactus eſt, non ſine tamen ſaluberrimo conſilio: ſuaſum enim illi eſt, vt ad vicinam domum progrederetur, quam pacis ſoror miſericordia inhabitabat. quia hæc omnibus miſeris ſubuenire ſolet. Proceſſit igitur tempeſtatis vim & itineris difficultatem ſuperante auiditate, quâ tenebatur ad effugiendas moleſtas iniurias. Pulſauit miſericordiæ fores, enume- D rans ſuſceptas iam miſerias. Et ecce miſericordia ſuſcepit illum, refecit libenter laſſum, & in omni quiete pernoctauit. Doctrina ſalutaris Catholici mei, in hoc exemplo vobis adumbrata eſt, reijcit vos ipſa iuſtitia diuina, reſpuit veritas æterna, repellit pax cœleſtis. Vnum tantum vobis remedium reſtat, vt ad ouile Chriſti ad Eccleſiam ſanctam accurratis: hic enim miſericordia veſtri Paſtoris, locauit ſuum tentorium, quæ neminem repellit, ſed omnes admittit. bonus proinde Paſtor, quia in domo ſua miſericordiam fouet.

Cur Chriſtus in cruce vnũ latronẽ ſaluauit, alterũ repudiauit.

Quę iuſtitia & pax atq; veritas Dei reijcit ad miſericordiã confugere debet.

Sed

A Sed & ex tertio capite, meritò ſe bonum Paſtorem eſſe oſtendit. ſcilicet ex ſumma iuſtitia. quam in vltimo ſuo tribunali oſtendet, quando ſe manifeſtabit omnibus, ſuſcitabit corpora, humiles extollet, deprimet arrogantes; ô quàm rara virtus hiſce temporibus inter mortales eſt iuſtitia! dùm eos qui ſupplicia merentur, præmiant; bonos verò emeritis præmijs ſpoliant: cùm tamen vera iuſtitia cuiq; ſecundùm opera eius tribuendum eſſe iubeat. Sed ne dùm à vera B iuſtitia, aut deficmus, aut illam excludimus, à Paſtore iuſto Chriſto iudicante æternis pænis adiudicamur, vnicum nobis remedium proponit Di-
S. Cypr. uus Cyprianus tractatu de lapſis, ex
Pſal. 31. Pſal. 31. deſumptum. *Dixi confitebor aduersùm me iniuſtitiam meam Domino,* vt ſcilicet confiteamur ſinguli delicta noſtra, vt iuſti in conſpectu Dei appareamus. Henricus Imperator cùm Vngaros acerrimos hoſtes debellaſſet, non ſine detrimento, tandem inclamante ante pugnam vniuerſo exer- C citu. *Kyrie eleiſon,* hoſtes deuicit, & conſueta hoſtibus pendi vectigalia, vertit in pauperes, quo faciliùs palam orbi fieret, cuiuſnam dextera victoria illa ſtetiſſet. Saluator noſter hoc vnum à nobis exigit, vt quod ille ex ſumma miſericordia nobis elargitus eſt, nos iuſté in pauperes & egenos ſecundùm diuina mandata diſtribuamus.

Deniq; oſtendit Chriſtus ſe bonum eſſe Paſtorem ex quarto adiuncto, ſcilicet; ex gloria, quam ille ſuo gregi D in ſancto Eccleſiæ ſuæ ouili iuſtè viuenti conferet, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ, cum corpore claritatis ſuæ. hic enim pollicitus
Iſaiæ 32. eſt dominus per Prophetam Iſaiæ 32. *Sedebit* inquit *populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Sed ecce terret me E-
Eſdræ 3. ſdras 3. capite qui dicit: *Hoc ſæculum fecit Altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos.* Nec defectus ex domino, ſed ex creatura, quæ magis dilexit tenebras; quàm lucem. Quod comprobat D. Cyrillus, qui lib. 12. in Ioannem. aſſerit, quòd olim diaconus in Eccleſia clamare ſoleret ad populum. *Sancta ſanctis.* Quaſi dice- S. Cypr.
ret: ſi vitam æternam conſequi deſideratis, ſi deſiderium immortalitatis, in vobis habere vultis, ad ſanctitatem omnimodam concurrite; puritas enim mentis & Dei iuſtitia requiritur in eo, qui ad thronum gloriæ Chriſti anhelat. Ecce igitur Paſtorem bonum habemus Chriſtum Ieſum, qui noua facit omnia, ex infidelibus fideles: ex idololatris veræ religionis zelantiſſimos: ex varijs ſectis, vnam Eccleſiam Catholicam: ex errantibus vnum ouile: idcircò recurramus ad illum, vt ille ſua gratiâ conſcientias noſtras renouet, animas purificet, & gratiâ ſuâ repleat; ſi verò iuſtitia eius nos repellere, tanquàm in iniquitatibus conceptos, & conuerſantes volet, ad miſericordiam eius accurramus, quæ ſola afflictos nouit ſolari, vt hæc nos recipiat, & in hoc ouili militantis Eccleſiæ paſcat, & in illo triumphantis æternùm reficiat.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Ego ſum Paſtor bonus. *Ioan.* 10.

Chriſtus nos triplici pane paſcit, nimirum gratiâ, doctrinâ, & Euchariſtia.

MVnus paſcendi cum regnandi poteſtate æqua lance apud Deum ponderatur, vt proinde ſorores quædam videantur eſſe, paſtura, & regni administratio. Quod probat Regius
Pſal. 22. Vates Pſal. 22. *Dominus* inquit, *regit me,* ſeu vt ſeptuaginta vertunt; *Dominus paſcit me.* Hinc & in veteri teſtamento, tanti æſtimabatur munus paſtorale, & ex illo ad regni gubernacula humiles opiliones Deus per ſuos prophetas aſſumeret: ſiquidem ſolus ille poteſt eſſe perfectus rex, qui optimè nouit artem paſtoritiam: curando enim minora animalia; facilè addiſcit, quomodò præſtantioribus debeat præeſſe. Vnde Moyſes non aliter meruit dux populi Dei fieri, poteſtatem

Manus paſcendi eſt præludiũ ad regnũ.

teſtatem

teſtatem educendi illum de captiuita-
Exodi 3. te Pharaonis accipiens. Exodi 3. *Ve-
ni mittam te ad Pharaonem, vt educas
populum meum filios Iſraël de Ægypto.*
Et quid aliud tantam illi gratiam apud
Deũ conciliauit, niſi humilis paſtura.
Moyſes. (inquit Clemens Alexandr. 1.
Clemens Alexandr. ſtromatum) *paſcebat oues Ietro Aui ſui,
vt ad principatũ populi magis erudiretur.
Ei enim, qui hominum gregi eſt præfutu-
rus, eſt præexercitatio ouium paſcendarum
ſcientia.* Quod conſiderans Magnus
Baſilius hom. 26. de Martyre Maman-
S. Baſilius. te dicit : *ne contemnas virum, vbi pa-
ſtorem audis, qui Deo primus placuit.* Per
paſturam quippè Moyſes tantam aſſe-
cutus eſt dignitatem, & perfectionem,
vt ad colloquium Dei admitteretur :
Moyſes (inquit ibidem Baſilius) *pecudes
paſcit in monte, & per paſturam ad collo-*
Exodi 3. *quium Dei peruenit.* Nam Exodi 3. *Ap-
paruit ei Dominus in flamma ignis, & vo-
cauit eum de medio rubi.* Propter fide-
lem paſturam reſpexit Deus ad mu-
nera Abel, quæ ei abſtulerat. Gen: 4.
Genes. 4. *Erat autem Abel paſtor ouium, & reſpe-
xit Dominus ad munera eius, ad Cain
verò non reſpexit.* Per paſturam Da-
uid regale ſolium conſcendit, cùm
Deus abijciens propter eius impie-
tatem Saul accerſito Samuele Pro-
I. Reg. 16. pheta, diceret : *Mittam te ad Iſai Be-
thlehemitem : prouidi enim mihi in filijs
eius regem, & vnges quemcunq; monſtra-
uero tibi.* primi Regum 16. cumq; Sa-
muel immolaret Domino, iuſtus ille
vir Iſai adduxit ad eum ſeptem filios
ſuos, quibus viſis, ex diuina inſpira-
tione reſpondit Samuel : *Non elegit Do-
minus ex iſtis.* Cùm verò adduceretur
Dauid, qui paſcebat gregem patris ſui,
ſtatim Dominus per ſpiritum locutus
eſt Samueli : *Surge, vnge eum, ipſe eſt
enim.* Immò & ipſemet Chriſtus Do-
minus, conſtituens Petrum vicarium
ſui principatus, & conferens illi ſu-
premam inter omnes Apoſtolos præ-
eminentiam, in ſola humilitate pa-
S. Petro duplex poteſtas a Chriſto collata. ſturæ eam collocauit : *Paſce,* inquit,
oues meas. Quibus verbis duplicem Pe-
tro contulit poteſtatem : vnam com-
munem cum cæteris Apoſtolis : vi-
delicet ; docendi & inſtituendi po-

A pulum : alteram verò ſpecialem, re-
gendi vniuerſam Eccleſiam, ita vt ad
eius paſtoralem curam, & Clerus, &
plebs, & cæteri Apoſtoli, tanquàm
delegati ſpectarent, vt docent D. Au-
guſtinus ; Ambroſius, Chryſoſtho-
mus. Quod rectè deducit D. Bernar.
lib. 2. de conſideratione, cap. 8. ex
illis verbis : *paſce oues meas.* non ad-
dendo, illius ne, an alterius populi,
ciuitatis, regionis, aut certè regni. *Cui,* S. Bernar.
inquit, *non planum, non deſignaſſe ali-
quas, ſed aſſignaſſe omnes : ſicut enim te-*
B *ſtator teſtamenti, commendans ſuos fili-
os, eo ipſo commendat omnes ; ita Chri-
ſtus cõmendans Petro oues ſuas, commen-
dat omnes.* Quoniam itaque eiuſdem
eminentiæ eſt eſſe paſtorem creatu-
rarum ratione vtentium, & eſſe regẽ,
atteſtante id Philone Iudæo lib. 1.
de vita Moyſis, tom. 2. parte 11. *Pa-* Philo.
ſtoralis, inquit, *cura eſt ad regnum præ-
ludiens.* hoc eſt, ad regimen hominum,
gregis manſuetiſſimi, iure meritò
Chriſtus gloriatur titulo paſtoris, ſed
cur appelletur Paſtor bonus, & quo-
C modò, in hac paſtura ſit imitandus,
ſeriò trutinemus.

Doctores, & ſacrarum literarum
interpretes, conſiderando ſublimem
Chriſti conceptum, quare in tanta
amplitudine Dominus conſiſtens, nõ
ſe appellat creatorem cæli, & terræ ;
non iudicem viuorum, & mortuo-
rum : non regem regum, non domi-
num dominantium ; ſed paſtorem.
Cauſam afferunt : quia inquiunt,
vox iſta *paſtor,* bonitatis, & beneficij Paſtor quid ſignificet.
nomen eſt. An non luculenter hanc
D bonitatem, & clementiam ſuam mi-
ſerrimo populo declarauit, cùm ho-
mo in ſuis tribulationibus ei ſuppli-
caret : *Nos autem populus eius, & oues
paſcuæ eius.* Pſal. 78. Vbi permotus Pſal. 78.
gemebundis illis vocibus incarnatus
Dei filius, & nimium amans gregis
ſui, illicò triplici cibo, eoq; delicatiſſi-
mo hominem paſcere cæpit. Paſcit
enim oues ſuas gratiâ, paſcit doctri-
nâ, paſcit euchariſtiâ. Primum cibum
gratiæ ſuæ propoſuit Exodi 3. cum
enim Moyſes gregem minaſſet ad in-
teriora deſerti, apparuit ei Dominus
in rubo

in rubo ardenti, vt ſcilicet ; quæren-
tem cum grege ſuo cibum, pauiſſet.
Sed eheu, quomodò cibus ille maxi-
mi diuini amoris, in venenum popu-
lo Iſraëlitico ceſſit ? vt qui in dies
magis ac magis in diuina gratia cre-
ſcere debuerat, dolendam æternis
temporibus exhereditationem de
Oſeæ 1. Chriſti patrimonio mereretur. *Quia
vos non populus meus, & ego non ero ve-
ſter.* Oſeæ 1. Deo ipſo interprete,
ſignificabatur populus Iſraëliticus, qui
erat populus Dei electus, tandem fo-
ras exigendus, & à diuino obſequio
relegandus, neq; ampliùs habendus
inter eos, qui Deum colunt & vene-
rantur. Quia eius Deum in ingratitudo,
Dei populum vocari non permitte-
bat. Rubus enim ille Moſaicus effe-
ctus eſt, ſentibus horridus, fructibus
orbatus, flammis obſeſſus, non ac-
cenſus, qui diuina beneficia, bonorum
operum ſemina plurima accepit, nul-
lum tamen fructum reddidit. Qui di-
uini amoris incendium in ſe exper-
tus, nullam charitatis flammam, quæ
gratum eius animum teſtaretur, exci-
tauit. Vt eleganter de rubo Moſaico
S. Chryſ. exponit Petrus Chryſologus ſermo-
ne 164. *Deus* inquit, *daturus legem,
ignem præmiſit in rubo, ſed diuinum ru-
bus portauit, non concepit incendium :
iam tunc aculeis malitiæ plenum, & in-
gratum culturæ legis populum præfigu-
rans.* Quid aliud Catholici mei, in-
teriora deſerti notant ? niſi receden-
tem hominem ab exteriori conſola-
tione mundana, & ad interiorem pœ-
nitentiam fugientem, ibi Deus appa-
ret illi in rubo ardenti, per gratiam
ſcilicet efficacem hominem adiuuan-
Matth. 8. do : *Miſereor* inquit, *ſuper turbam.* Mat-
thæi 8. Et quæ alia eſt tua miſericor-
dia Chriſte Ieſu ? niſi efficax vocatio
ad ſalutem, ſine qua homo, nec con-
uerti, nec ſaluari poteſt : *Si dimiſero
eos ieiunos, deficient in via.*

Oſtendit & alteram clementiam in
hac ſua paſtura Chriſtus, omnem
lapidem mouendo, vt eo procurante,
nuſquàm homo diuinam prouidenti-
am ſibi deeſſe agnoſcat, quod præſtat
per doctrinam illuminando intelle-

A ctum creatum ne erret circa credenda,
& agenda fidei. Hanc ſollicitudinem
ſuam declarat. Ezech. 34. *In paſcuis* Ezech. 34.
inquit, *vberrimis paſcam eas, in monti-
bus excelſis Iſraël erunt paſcua illarum.*
Montes excelſi Catholici mei ſunt,
altitudo ſacrarum literarum, vbi eſt
opulentiſſimus theſaurus, terrenis o-
mnibus longè præſtantior. Tempo-
rales quippè diuitias ſiniſtra manu præ-
fert. Prouerb. 3. *In ſiniſtra illius diui-* Prou. 3.
tiæ, & gloria. Cœleſtes verò dextrâ.
Deutor. 33. *In dextera eius ignea lex.* Deut. 33.
B Vbi doctiſſimus Rupertus libro 4. in
Apocal. *Quantò,* inquit, *melior eſt dex-* Rupertus.
*tra ; quàm ſiniſtra, tantò felicius bonum
eſt ignea lex,* (cuius ratione ſacram
Scripturam intelligit) *quàm diuitiæ, &
gloria.* Vnde S. Chryſoſthomus ho- S. Chryſ.
milia 3. in Geneſim *Meritò,* inquit, *the-
ſauro confertur diuinarum literarum
lectio, nam in ſacra Scriptura indicibiles
diuitias inuenire licet.. Et non ſolùm the-
ſauro ſimilia ſunt diuina eloquia ; ſed fon-
ti quoq; largis perennibuſq; ſcaturienti flu-
entis. Magna eſt huius theſauri abundan-*
C *tia, & larga fontis huius ſpiritualis v-
bertas, ex qua humana locupletatur ino-
pia.* In his montibus, ſcilicet in pro-
funda Scripturæ ſacræ doctrina, eſt
medicinale myrothecium, ſeu myro-
polium, ex quo ſpiritualis animi rela-
uatur ægritudo. Vnde Sapiens locu-
tus de Hebræis, qui inter Ægyptios
multis plagis ſauciatos, incolumes
conſiſtebant, dicit Sap. 16. *Neq; herba,* Sap. 16.
*neque malagna ſanauit eos, ſed tuus Do-
mine ſermo, qui ſanat omnia.* Et com-
probat Dauid Pſal. 106. *Miſit verbum* Pſal. 106.
D *ſuum, & ſanauit eos.* Quaſi hoc vnum
ſit panchreſtum, omnium ægritudi-
num medicamentũ. Quaſi nullius ita
ſit deſperata ægritudo, vt ſi ad ſcri-
pturam confugiat, medicamentum
non inueniat, quo facilè conualeſcat.
A ſcriptura (inquit Baſilius Epiſtola 1. S. Baſil.
ad Gregorium) *vnuſquiſq; tanquàm ab
officina medicinæ, appoſitum ſuæ infirmi-* Sacra Scriptura contra omnes morbos medicamentum.
tati medicamentum inuenire poterit. Nã
ſiquis morbo incontinentiæ laborat,
Ioſephi caſtitatem recognoſcat ; ſi la-
borum pondere frangitur, infractum
Iobi animum contempletur : ſi iniu-
Kkk 2 rijs

rijs laceſſitus ſtomachatur, Dauidis clementiam intuitus, detumeſcat : ſi prouocatus ſuorum rebellionibus in vindictam exardeſcit, Moyſis ſingulari manſuetudine admonitus iras ponat, ac toto animo tranquilletur. In his montibus ſacrarum literarum eſt bellicum armamentarium, ex quo noſtra roboratur infirmitas. Nam vt obſeruat D. Gregorius hom. 15. in Ezechielem. (S. Gregor.) *Vniuerſa noſtra munitio in ſacro eloquio continetur : ibi quippè ſunt præcepta De,i ibi exempla iuſtorum.* Equidem vberrima ſatis paſcua, in quibus omnia bona, omnes voluptates, & odorum fragrantias incluſit Deus. Hoc pane ad hæc vſq; tempora paſcit Chriſtus vniuerſum terrarum orbem, Ierem. 3. (Hierem. 3.) *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ,* ita, vt quiſquis ab his paſcuis aberrat, dicere poſſit cum pſalmiſta : *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.*

Oſtendit & tertiam non minorem ſuæ immenſæ bonitatis erogationem, bonus iſte Paſtor, quia paſcit nos pane Euchariſtiæ. (Ioann. 6.) Ioann. 6. *Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in æternum.* O quam bonus paſtor Chriſtus, qui hominem paſcit gratiâ cœleſti, paſcit doctrinâ ſalutari, paſcit ipſomet corpore ſuo ſacratiſſimo. Si conſiderauerimus, quomodò ſit vigilans in defendendo ſuo grege, reſpondet in perſona eius Euangeliſta (Ioann. 10.) Ioann. 10. *Ego* inquit, *do illis vitam æternam, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſq; de manu mea.* En quanta dilectio ? quam S. Chryſoſthomus homia 60. ad populum Antiochenum miratur : (S. Chryſ.) *Quis*, ait, *paſtor oues paſcit proprio cruore ? & quid dico paſtor, mulieres multæ ſunt, quæ poſt partûs dolores, filios tradunt alijs nutricibus. Hoc Chriſtus non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Quod confirmat ipſemet Chriſtus apud Chryſoſthomum homil. 45. in Ioannem. *Parentes*, inquit *ſæpenumerò liberos ſuos alijs alendos dederunt, ego autem mea carne cibum me vobis exhibeo, omnibus fauco, omnibus optimam de futuris ſpem præbeo.* Præclaram iſtius boni paſtoris figuram adumbratam fuiſſe in Dauide reperio 1. Reg. 17. (1. Reg. 7.) *Paſcebat*, inquit *ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, tollebatq; arietem, & ſequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum.* Quid aliud deſignabat leo, aut vrſus, niſi diabolum humano generi inſidiantem ? Quid fortiſſimus Dauid, niſi Chriſtum inuictum ? qui cum haberet oues nonaginta nouem, hoc eſt nouem choros Angelorum decies multiplicatum, Lucæ 15. illis tamen relictis, venit ad vnam quæ perierat, videlicet genus humanum : quam cùm inueniſſet, poſuit in humeris ſuis gaudens. Matth. 15. Et vnde tibi Chriſte Ieſu tanta fortitudo, quia proſtraſti terribilem mundo dæmonem ? (Mat. 15.) *Pater*, inquit, *quod dedit mihi, maius eſt omnibus.* Quaſi diceret : per eam naturam, ſecundùm quàm mihi Deus par eſt, maior ſum omnibus, fortior omnibus, prior omnibus. Sic exponunt, Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 22. (Tertull. Ambroſi. Hilarius. Hieron. Auguſt. Maldon. Beda. Rupertus.) Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 18. Hilarius lib. 7. de Trinitate poſt medium, Hieronymus in capur 18. Ezech. Auguſtinus, D. Thomas, Beda, Rupertus, Maldonatus &c. &c. per Ly, *quod dedit mihi*, diuinitatem Chriſti ſignificari volentes. Si ergo Chriſtus maior eſt omnibus, igitur & diabolo raptore ? ô quàm bonus paſtor ! de cuius manu inuentas oues nemo iam rapere poteſt. Quis intellectus humanus capere poterit tantam paſtoris huius dilectionem, qui dedit animam ſuam pro ouibus in pretium redemptionis, in exemplum imitationis, in ſignum dilectionis, in monimentum recordationis.

Exhibuit adhuc paſtor iſte ſuam bonitatem in vocando : *proprias* (inquit ſacrum Euangelium) *oues vocat nominatim.* Quid enim illi magis proprium, quàm oues illæ, quas ſanguine ſuo & morte redemit. Has *nominatim* vocat : id eſt blandè ac familiariter, videlicet ; ad ſalutem trahens. vocat nominatim : id eſt ; obliteratis

priſcis nominibus, nouum illis nomen in regeneratione ſpirituali imponens. *Vocabo*, inquit, *ſeruos meos nomine alio, in quo qui benedictus eſt, benedicetur ſuper terram.* (Iſaiæ 15.) Iſaiæ 15. Probauit demum ſe bonum eſſe paſtorem in educendo : quotquot oues Chriſti ſumus, educti ſumus de tenebris errorum antiquorum : (Ad Col. 2.) *Eripuit enim nos Deus de præſenti ſæculo nequam, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* ad Coloſſ. 1. Quòdſi Iacob auunculum ſuum Laban, cuius oues multis annis paſcebat, ſic alloqui auſus eſt, (Gen. 31.) Genes : 31. *Viginti annis fui tecum, oues tuæ non fuerunt ſteriles, arietem gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omne reddebam : quicquid furto perierat : à me exigebas. die noctuq; æſtu vrebar, & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis.* Quantò confidentiùs Chriſtus æterno Patri talia loqui poteſt : Triginta tribus annis in ſumma paupertate, & humilitate ſeruiui tibi : ne oues tuæ ſteriles eſſent, cœleſti doctrina diligenter eas paui, (Ioan. 18.) *docens in Synagogis, & in templo, quo omnes conueniebant.* Ioan. 18. Eaſdemq; vt fructus bonos afferrent, admirandis operibus, âtq; exemplis inſtruxi, omne damnum quod infernalis leo illis attulerat, ego perſolui, *portans iniquitates eorum, vt liuore meo ſanarentur.* (Iſaiæ 53.) Iſaiæ 53. *Neq; perijt ex ijs quiſquam quos dediſti mihi, niſi filius perditionis.* Ioann. 16. (Matth. 8.) æſtu, *& gelu vrebar, non habens vbi reclinarem caput meum.* Matthæi 8. ſomnus fugiebat ab oculis meis, dum pernoctarem in montibus, in oratione Dei Lucæ 6.

Docent Naturaliſtæ, obiectum voluntatis eſſe ſolum bonum : quia nemo intendens ad malum operatur. Voluntas quippè nihil poteſt amare, niſi quod ei proponitur ab intellectu, vt amabile ; intellectus verò quia per aſſenſum circa falſum verſari non poteſt, non poteſt malum proponere, vt amabile, niſi ſolum bonum. Dum ergo Chriſtus die hodierna proteſtatur ſe bonum eſſe paſtorem, in hoc accommodat ſe voluntati humanæ, vt homo inter mortales degens, hanc eius bonitatem ſequatur, potiſſimum verò ij, quibus cura Dominici gregis commiſſa eſt. Ad quod illos ipſamet æterna bonitas ſtimulat Actorum. 20. (Actor. 20.) *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* quaſi diceret : Quemadmodùm ego toto vitæ meæ curriculo circa ſalutem generis humani laboraui, & in perpetua vigilantia opus hoc peregi ; ita quiſquis munus paſtorale ſuſcipit, ſciat ſe non ad òtium, ſed ad grauem curam ; non ad tranquillitatem ; ſed ad omnes inquietudines ; non ad reſpirationem, ſed ad aſſiduos labores, gradum facere. Qùod conſiderans Diuus Auguſt : lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 19. dicit. *Paſtor*, inquit, *nomen eſt operis, non honoris.* (S. Augſt.) Et comprobat Diuus Chryſoſth : hom. 10. ad Timot : aſſerens. *Epiſcopatum, non principatu, aut dominationis faſtu, verùm curâ regiminis, & charitatis affectu deſiderandum eſſe.* (S. Chryſ.) Chriſtus peragendo hanc paſturam, docebat per Synagogas, & templa : Quiſquis in Eccleſia Chriſti ad curam animarum obeundam aſcendit, pariter Doctor eſſe debet 1. Timot. 3. (1. ad Timot. 3.) *Oportet Epiſcopum Doctorem eſſe.* Neforſan aſſumens tam arduum munus, & non habens ſufficienrem tanto oneri ferendo doctrinam, ſua inſcitia oues ſibi concreditas, quas ad ſalutem erudire debuerat, potiùs corrumpendo in æternam perditionem deducat. Hinc Apoſtolus vocat fures, & latrones, qui non intrant per oſtium in ouile ouium Chriſti, hoc eſt ; non intrant cum ſufficientia, cum doctrina, & chriſtianis moribus : qui non intrant per vocationem diuinam, ſed per fauores hominum. *Væ*, inquit, *Paſtoribus Iſraël, qui paſcebãt ſemetipſos : nonne greges à paſtoribus paſcuntur :* Ezechiel. 34. (Ezech. 34.) Pergit vlterius propheta : *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis, ſed ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat Paſtor gregem ſuum.*

Apoſtolus volens exprimere, quantæ doctrinæ debeant eſſe Eccleſiæ Chriſti paſtores,

Ephes. 4. pastores, dicit Ephes. 4. n. 11. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores.* Miratur S. Thomas, cur hæc duo copulatiuè sumantur, & respondet; quia proprium officium Pastorum Ecclesiæ est, docere ea quæ pertinent ad fidem, & bonos mores. Euanuit prô dolor! pietas ista hisce temporibus in Ecclesiæ sanctæ gubernatoribus. dum ad supremam dignitatem Ecclesiasticam euecti, munus docendi erubescunt, & quod antea maximi honoris erat, publicè Euangelium Christi prædicare nunc probro & ludibrio id habent. Fuit Christus amans ouium, prælati quoquè Ecclesiæ debent esse amantes sui gregis, tanquàm mater filiorum. Hinc
Num. 11. Deus ad Moysen Num. 11. dicit. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum,* Christus animam suam posuit pro ouibus, & pastores Ecclesiæ cum propriæ vitæ periculo, & sanguinis dispendio tenentur suas o-
Ioan. 10. ues tueri: Ioann: 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Ad quod hortatur Apostolus 1. Petri 3. *Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hinc Rupertus in caput 10. Ioann. laudat pastores, qui pro ouibus suis mortem subierunt: *respersa sunt* inquit, *ouilia sanguine pastorum; maduerunt campi; cruenta sunt pascua; ditatum est cælum animabus, quas pastores pro ouibus posuerunt.*

Admiratus S. Chrysosthomus, cur Noë in Scriptura sacra dicatur *vir*, seu vt vertunt septuaginta. *homo*, Gen. 6. *Noë vir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis.* Et optimè respondet. hom. 32. in Genes: *Hic enim,* inquit, *solus homo, cæteri autem non homines, sed humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati, malitiâ voluntatis generositatem naturæ amiserunt.* Equidem si hodiè inspexerimus, cur solus Christus dicatur bonus Pastor, reuera ille solus est, qui est essentialis bonitas; & quemadmodùm solus necessariò & immutabiliter existit, ita solus omninò bonus: nam bonitas perfectissima ens necessarium omninò comitatur. Homo autem; quia contingenter tantùm existit, verè bonus dici nequit, vt potè essentiali bonitate carens: frequenter enim ob suam mutabilitatem peior fit cunctis terræ animantibus. Quod euidenter confirmat S. Chrysostho-
mus hom. 12. in Genesim. *Homo,* inquit, *mansuetum animal, & rationale, mores suos inferiores vertit.* idcircò eos scriptura interdum canes ob impuden- S. Chrys.
tiam vocat Isaiæ 56. *Canes muti non valentes latrare, videntes malè, dormientes, & amantes somnia.* Interdum asinos ob stupiditatem, & ruditatem. Isaiæ 56.
Psal. 48. *Comparatus est iumentis insipientibus.* Interdum leones & Pardos ob rapacitatem, & habendi auiditatem. Psal. 48.
Oseæ 13. *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, & obliti sunt mei.* Et num. 8. ibidem. *Sicut Pardus in via Assyriorum, & ego ero eis leæna.* Interdum Aspides ob fraudulentiam. Oseæ 13.
Psal. 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* Interdum serpentes, & viperas, ob latens venenum, & malitiam Psalmo 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Immò non tantùm bestijs comparatur homo, sed ipsis etiam fit deterior, quia hæ saluti suæ consulere sciunt, homo obliuiscitur, & negligit, vt Psal. 13.
docet Tertull. lib. de pœniten. c. 12. *Ceruus sagittâ transfixus vt ferrum de vulnere expellatur, scit sibi dictamno medendum, hirundo si quis excæcauerit pullos eius, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia; peccator sciens sibi restituendam à Deo institutam exomologesim, præterit illam.* Tertull.



DOMI-

DOMINICA III. POST PASCHA.

CONCIO PRIMA.

Mundus gaudebit vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Ioann. 16.*

Discrimen inter mundi & Dei filios assignatur.

NAturâ ordinatum est, vt lætis succedant amara, & amaris læta. Et licet dolor & gaudium contrariari sibi videntur; indissolubilem tamen amicitiam seruant, & quasi arctæ societatis vinculo colligata, nusquàm interrupta manent. Et profectò quemadmodùm purum aëra vapores implent, serenumq; cælum aquosæ nubes circumdant; sic hilarem animum tristitia subitò grauat, quà depulsâ amænus redditur homo, veluti discussis aquis pulchrior orbi elucet dies. Nec facilè tristitiæ aut gaudij excessus in corde abscondi potest, cum affectionum animi ea sit innata vis, vt vnaquæq; earum, vt primum cor hominis aggreditur, sua signa exteriùs in facie prodat. Quod
Affectus interni mutant faciē hominis. eleganter admodùm sapientissimus edixit Philosophus, inquiens: *Affectus varij in animo pugnant, ex his autem qui victoriam adeptus est, vexillum in facie tanquàm in arce eleuat: tristitia namquè & inuidia pallidum, ira rubeum & luteo colore tinctum, verecundia purpureum, lætitia candore ac purpurâ dilectum ostentant hominem.* Licet verò omnes istæ affectiones, faciem hominis immutant, potissimùm tamen lætitia, & amaritudo, quia cùm in corde humano nimium dominentur, etiam in vultu eiusdem sua no-
70. tabilius efformant vestigia. Hinc 70. Interpretes dicunt, *lætitiam non solùm exhilarare faciem hominis, sed flore similem etiam reddere.* Nec immeritò Cas-
Cassiod. siodorus l. 1. Epist. lætitiam flori & virenti arbori comparat, quia sicut virens radix in terra defossa & contecta, verno tempore folijs & floribus arborem vestit, & condecorat; sic in animo hominis concepta lætitia, velut fæcunda quædam radix roseos flores in vultum hominis spargit, *Cordis læti os efflorescit.* inquit Sapiens. sed tristitia per oppositum exsiccat faciem, & in mærore animi deijcit spiritum. tristitia quasi tinea non tantùm ossa deuorat & cor, sed animum etiam hominis obscura febri inficit, & quasi morbum ac perpetuam noctem affert. Vnde D. Chrysosth. in Episto- S. Chrys.
la 3. ad Olympiadem, & D. Antiochus hom. 25. tristitiam os leonis appellant, quia quicquid ore suo attingit, fætore inficit, & ad nullam prorsùs rem vtile relinquit, planè quoniam nullum animal gustare potest cibi à leone admorsi reliquias. Vnde & ipse S. Nilus ort. 5. de tristitia, mæro- S. Nilus.
ris impedimenta in hunc modum exaggerat: *Oculorum* inquit *aciem hebetat fumus, & contemplatricem animi vim obtundit mæror. Aquæ profunditas non admittit solis splendorem, & cor triste pariter non exhilarat lucis contemplatio: vim gustandi adimit febris; animi quoq; sensum aufert tristitia.* Et cui obsecro hæc tristitiæ cum lætitia, & lætitiæ cum tristitia mutua consecutio palàm non elucescit in hodierno Euangelio? nuper ingenti gestabant gaudio ad resurgentis Christi conspectum purissima Apostolorum pectora, quos velut ex gelido & hiberno luctu renascentes, in amæni veris rosas, adeò Saluatoris triumphus recreabat, vt putarent se iam omni ex parte felices & beatos esse. & ecce in tanta gaudij sereni-

ſerenitate noua & plena mæroris oboritur nebula, amænas diſcipulorum facies quaſi retroacta hyems, renatâ lætitiæ pulchritudine & candore iterùm ſpolians. *Contriſtabimini* inquit *vos, mundus verò gaudebit.* Diſcrimen igitur inter mundum & Chriſti diſcipulos inquiremus: cur ille eo tempore gaudeat, cum hi in amarum reſoluantur luctum: & quæ in Apoſtolis tàm repentinæ cauſa triſtitiæ.

Mundus autem gaudebit, In lætitiam ſemper conſpirat mundus, omnemq; ſuæ felicitatis proram, in caducis voluptatibus natare cupit. Hæc eſt vita mundi inquit Apoſtolus Rom. 7. & 8. & 13. *deſideria carnis perficere, carnis curam facere in deſiderijs, & ambulare ſecundùm carnem.* quia cum mutationi perpetuæ obnoxius ſit, non niſi volubilibus, & apparentem duntaxat bonitatis ſpeciem præſeferentibus frui deſiderat. Hinc ſola mundum delectat iactantia diuitiarum, faſtus honorum, auaritia & opes. ſed quâm falſa ſunt hæc gaudia, quæ vna febricula in momento aufert, & luxuriantibus adhuc mortalibus omnem temerè præſumptam beatitudinem ſubtrahit. quemadmodùm habetur Sapientiæ 5. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis: tranſierunt illa omnia tanquàm vmbra; in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.* Verùm quid poſt hæc euaneſcentia mundi gaudia impudenter viuenti homini remanebit? ſola mihi credite peccatis grauata conſcientia, Deum ſenſura Iudicem, quem rectè viuendi ductorem habere noluit: & ſeuerum viſura caſtigatorem, quem benignum Patrem quærere atque amare repudiauit. Sed deſiſtat mundus vana tripudia, & inſoleſcentis ſenſualitatis habenas paulisper comprimat, ne vbi nimiùm impuris voluptatibus immerſus fuerit, grauiùs inde contabeſcat. Cognoſcite omnes in mundo mundè viuentes præthereuntis ſæculi vanitatem. Quid enim mundus iſte eſt? niſi crudelis tyrannus, fraudulentus innocentum ſupplantator, iuſtorum præcipitium, & malorum omnium congeries. Quid eſt mundus? niſi diuerſorium quoddam animæ, ſceleratiſſimorum dæmonum oblectatio, ſanctitatis corradens tinea, humilitatis peſtis mortifera, & omnis corruptio rectitudinis? Quid eſt mundus? niſi mare quoddam turbulentum inconſtantiæ procellis iactatum, in quo periculoſum omnes naufragium manet; portus verò nemini tutus patet. Et quis oro adeò inſanus reperietur, qui hæc fallacis mundi gaudia ſequi velit? quis tàm inſipiens, qui inſtabilem mundi felicitatem adamet? Fugax eſt mundus, & omnis eius proſperitas diurno ſolis curſu ad occaſum velocior. vnde pleno ore intonat Apoſtolus 1. Ioann. 2. *Nolite diligere mundum.* quia teſte Salomone tripliciter facilè hominem dementat; & peruerſa loquendo, & ad peruerſa trahendo, & de malefactis triumphando. Prou. 2. *Prudentia* inquit *ſeruabit te, vt eruaris à uia mala, & ab homine qui peruerſa loquitur, qui relinquunt iter rectum, & ambulant vias tenebroſas, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Fallax proinde mundi ſpes? quia ſæpè illudit hominibus. fallax lætitia: quia citò perit, fallax omnis eius ſplendor: quia quicquid intra cæli & terræ ambitum continetur, totum illud modicum & corruptibile eſt, nec dignum quod immortalis hominum animus ad æternitatis fruitionem conditus amplectatur.

Rom. 7.
Sapien. 5.
Mundi fallacis deſcriptio,
1. Ioan. 2.
Prou. 2.

Proſpicite Angelicam & humanam naturam, an non vtraq; modicum eſt quid? cùm & primus Angelus à Deo defecit per ſuperbiam; & primus pariter homo, ab eodem aberrauit per inobedientiam. Perpendite humanis infractam viribus Satanæ poteſtatem? & hæc modicum aliquid eſt: quia prudentiſſimâ Dei ordinatione, finem tentandi & hominibus inſidiandi habitura. *Sciens* inquit *quòd modicum tempus habet.* Apocal. 12. trutinate hominum potentiam, quid in illa non modicum? cùm omnis mortalium potentatus, ſuum facilè ſortiatur terminum. Ponderate motum cæli

Apoc. 12.

cæli? & hic certè modicum ſpectat: quia poſt tremendum Dei cum hominibus judicium quieſcet, nec ampliùs gradum ſuum mouebit. ſed quid pluribus documentis opus eſt? cum omnis natura ſit modicum: vt pote nec ſtabilitatem, nec perpetuitatem ex ſe habens; ſed puſillam nihili portionem, in quàm facilè diſſoluitur. Conuertite quæſo paulisper in res Politicas, regna, & prouincias aciem mentis veſtræ? quid in illis non modicum videbitis? cùm ibi perpetua viciſſitudo & tranſmutatio oboriatur. Antiquiſſimum erat Hebræorum genus, à quo cæteræ nationes ſuam traxerunt originem. teſte Ioſepho lib. 1. Hoc multis ante ſæculis, quàm aut Attici imperarent, aut Athenæ conditæ eſſent, feliciſſimè ſub populari poteſtate vigebat, teſte Ioſepho libro 20. ſed pertæſi diuturnæ illius felicitatis, Iudices optimates ſibi elegerunt: nec diu ſub nouo illo magiſtratu placuit illis commorari, ſiquidem à Samuele Propheta, Saulem ſibi vngi in Regem impetrârunt, quò cæteris gentibus pares fierent. Nec diu tamen & ſub regio ſceptro viguit regnum Iudæorum, nam breui poſt in duplicem tyrannidem diuiſa illorum Reſpub. ac tandem ab Aſſyrijs euerſa erat. Ecce vobis modicum antiquiſſimæ & potentiſſimæ gentis, quæ conſpirantibus finitimis omnibus ad eius euerſionem, penitùs interijt. Quid de Lacedæmoniorum optimo imperio loquar? Hoc primum à Regibus trecentis ab Euripposthene vſq; ad Lycurgum feliciſſimè gerebatur: ſed & hic breuis oborta mutatio. Nam Lycurgus poſtmodùm popularem in eo potentiam valdè moderatam inſtituit, ſed nec dùm vltima felicitatis meta: ſiquidem poſt hac 24. anno Theopompus ac Polydorus optimatum induxerunt (teſte Sabellio lib. 7. Æneadis 5tæ) ſed nec dùm ſtabilis regni illius fortuna: nam elapſis quingentis ſeptuaginta ſex annis, Achai victis Lacedæmonijs, ſublatâ Lycurgi diſciplinâ, Monarchiam in Ariſtocratiam ac Democratiam permutârunt. ecce & in optimo imperio modicum ſubrepſit. Quid in Athenienſium florentiſſima Rep. an & ibi modicum abſuit? in qua poſtquàm Rex Athenienſium Cecrops, Atticorum duodecimus, ciuitates omnes fortiſſimis mænibus muniuiſſet, ne in viſcera patriæ ſuæ hoſtium incurſioni pateret aditus, ab illo feliciſſimè durauit illa Reſpub. annos fermè octingentos, vſq; ad Æſchilum Monarcham, & ecce in diuturna ſtabilitate repentina mutatio oborta eſt. ſiquidem poſt Æſchili deceſſum, optimates magiſtratum quaſi dictatorem decennem creârunt: ſed cùm is magiſtratus nimiâ poteſtate abuteretur, annuum definierunt: nec longo poſt interuallo, in diuerſas politicæ ſpecies regnum Athenienſium abijt. Conſiderate potentiſſimum & toti antea orbi tremendum Romanorum dominium? quomodò in illo omnia modica? primum ibi teſte Floro, Romulus vrbis Romanæ conditor imperium tenuit: poſt quem teſte Liuio ab vrbe condita. Decade 1. ſex Reges continuo ſibi ſuccedentes, ducentis quadraginta quatuor annis Monarchiam exercuerunt. Poſtea verò pulso Tarquenio ſuperbo, qui Regum vltimus fuit, mutata eſt ciuitatis forma in optimatum Pricipatus: nam pro Regibus, duo conſules creati: penes quos ſumma imperij eſſet, tandemq; vnum illud totius orbis dominium, poſt tòt diuerſas mutationes in Græcorum, Gallorum, Hiſpanorum, & Germanorum poteſtatem diuiſum, modicum factum eſt. In Gallorum pariter Repub. modicum hoc eluxit: etenim quamuis Galli ſub Regibus primùm plurimos annos in ſumma pace florerent, colonijſq; in vniuerſam planè Europam miſſis, magnum ſibi nomen compararent teſte Liuio, & Iulio Cæſare: verſa tamen eſt illa pacata & diuturna regni fortuna, in exiguum modicum, cùm enim Reges negligentiùs clauum imperij tenerent, optimates regendi, curam ſuſcepère: moxq; in iram & libidinem totâ regni illius formâ verſâ, ſuum manifeſtè comprobauit modicum. Sed vt domeſticis

Genus Hebræorũ antiquiſſimũ.
Ioſephus.
Stat⁹ Reipub. Lacedæmoniorum.
Sabellius.
Reip. Athenienſium duratio,
Liuius.
Imperij Romani origo & diuiſio.

mesticis demus locum exemplis : & in nostra Polonia tot modica euenerunt, quot Interregna, Regibus & Reipub. perniciosissima, cæpit hoc modicum ab anno Quingentesimo Quinquagesimo à Lecho, qui à Vandalis desertas hasce sedes primus occupauerat. durauitq; ad Cracum, à Craco verò ad Vandam Craci filiam descendit, cui post fata patris sui Iure successionis Regni principatus delatus erat, moxque duodecim Palatinis regiminis onus impositum, quorum cupiditatem ægrè ferens populus, ad Reges iterùm deflexit, quorum modica dominandi interualla perpetuis funeribus & calamitatibus deplorat hucusq; patria. In omnibus proinde creaturis, & Regnis, in omnibus populis & nationibus, nihil est quod non sit modicum. & exiguo tempore durans. Nullum hucusq; ab orbe condito regnum in eodem statu, in quo cæpit, millesimum attigit annum. sed continuo quot diebus crebrior in omnibus fit vicissitudo. vt proinde rectè dixerit D. Augustinus lib. 4. Confessionum. cap. 10. *Crescunt* inquit *omnia, vt perficiantur, & perfecta senescant, & intereunt. ergo cùm oriuntur & tendũt ad esse, quò magis festinant, vt sint, eò magis festinant, vt non sint* Et reuera decebat totum quicquid est in mundo, modicum esse : tum ad ostentandam Dei magnificentiam, qui vastam hanc mundi machinam nouis semper creaturis, extinctis prioribus, vult exornare. tum ad auertendos hominum animos a mundi fallacijs & illecebris, vt breuitate saltem durandi perterriti, mundi inconstantiam agnoscant, & procul fugiant. Sed prô dolor ! excæcauit iam mundi vanitas humanæ mentis oculos, vt plurimi in hoc mundo reperiantur homines, qui hoc præsentis vitæ tempus non intelligunt; cùm tamen & longissima vita sit instar momenti : quemmodùm regius vates edixit. *Mille anni ante oculos Dei tanqnam dies hesterna quæ præterijt.* quasi diceret : sicut dies hesterna quæ præterit, nihil est : sic planè quantacunq; hominis vita, nimis modica & prorsùs nihilum in conspectu Dei reputatur. vnde meritò exclamat Dauid. *Et substantia mea tanquàm nihilum ante te.* Psalmo 38. quasi diceret : non tantùm vita hominis, sed & opes, & possessiones, & omnis honorum splendor, modico & exiguo durandi interuallo circumscriptus est. Miseri tamen homines mundo, & temporalibus rebus magis addicti, hoc vitæ & rerum omnium modicum non perpendentes, potiùs eligunt inter mundi molestias & miserias degere ; quàm in illud æternitatis tempus beatum festinare. At seruos Dei non hæc modici temporis ignorantia decet, ideoq; vt vitæ suæ exitum & mortalitatis atq; corruptionis imaginem præ oculis vbiq; habeant, non in caduca lætitia, sed in Deum seriò meditante tristitiâ angustum hoc mortalitatis curriculum eos transigere Deus voluit. *vos autem* inquit *contristabimini.* quasi diceret, vos omnes quos Dei videndi amor, quos securæ æternitatis desiderium tenet, non ad mundi formam vestros mores componere ; sed longè diuersam rectè viuendi rationem assumere debetis, ac proinde cùm homines mundani magnificè gaudent, vos in luctu & mœrore vestros recogitare dies debetis : cùm mundi asseclæ nimium triumphant in suis splendoribus, vos in humilitate ea, quæ salutem concernunt, trutinare debetis. Cùm sensualitatis serui voluptatibus supra modùm indulgent, vos vestras animi & corporis passiones, abstinentiâ & ieiunijs mortificare debetis, cùm deniq; mundi mancipia belluino more libidini vacant, vos tanquàm vera Christi membra, & in corpore castitatem, & in mente puritatem non absq; graui carnis aduersùs spiritum reluctatione, seruare conemini; vt non tanquàm pollutæ ollæ ; sed quasi purificata & deaurata templi Dei vasa digni reperiamini, in quibus suum Deus extendat tentorium, atque simul inhabitet præsens. Nam si inconstanti homini credere tutum non est ; quemadmodùm Philippus Macedo, cùm quendam

Regni Poloniæ principium.

S. August.

Psal. 38.

Ioan. 16.

dam de suo comitatu Iudicem populi constitueret, videretq; hunc, quòd barbam depictam gestaret : statim illum priuauit officio inquiens. *Qui in capillis fidus non est, in rebus gerendis dignus quoq; non est, cui fides habeatur.* quomodò & mundi vanitatem sequi quispiam audebit ? cùm ille indies aliam & aliam mutationis speciem induat, & facilè æq; iustum ac impium, in sui speciem transformare potest. Ferunt Astronomi diuersum cæli clima, diuersas quoq; facere mutationes. Hinc experientiâ magistrâ constat reperiri aliqua loca, in quibus lana ouium est delicatissima : sicut est in Hispaniarum regno in Castello ; quòd si ad aliud clima transferantur eædem oues, iam lana earum redditur grossa : si igitur clima temporale diuersum, & diuersus cæli aspectus, tàm varias facit mutationes & conuersiones : quomodò variabilis in momenta mundus, longè maiores in hominibus facere non poterit ? quorum caro infirma & ad mutationes prona. immutabit ille & agnos in feroces leones ; & humiles in rapaces lupos : & mansuetos in superbos chameleontas : & continentes in omne vitiorum genus effrenatos Plutonas. Quid est igitur aliud cum tripudiante mundo gaudere, & mundi voluptatibus affluere, nisi pecudum more vitam agere, hominem exuere, virtuti renuntiare, rationis rectitudinem abdicare, sensuum se & rerum sensibilium mancipium profiteri, ex Christiano Epicureum reddi, & prorsùs sine Deo viuere. At verò seruum Dei tristari quamdiu viuit oportet, teste Apostolo 1. Petri 2. *Hæc est gratia si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias.* Ecce igitur discrimen inter Dei & mundi filios habetis, quia qui mundo seruit, semper gaudere in hac vita : qui autem in castris viuentis Dei strenuè cum vitijs pugnare satagit, toto vitæ suæ curriculo tribulari permittitur. sed fregit etiam SS. hominibus hæc nodosa quæstio cerebrum, cur scilicet Deus permittat in hoc mundo malos prosperari iustos, verò nimiùm affligit? adeò, vt & ipse regius vates nodum huius quæstionis dissoluere non valens; in æterna solùm beatitudine eam perfectè intelligi posse asseruerit. Psalmo 72. *Existimabam* inquit *vt cognoscerem hoc, sed labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* Rectus quoque Iob admiratus absconditi huius diuini arcani profunditatem, exclamat : cap. 2. *Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq; sunt diuitijs : semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum : domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.* Sed & Ieremias discrimen cognoscere volens, cur mundi sectatores in prosperitate ; suos verò electos in afflictione Deus hebere velit ? in hanc quæstionis disputationem Deum ipsum euocauit Ieremiæ 12. inquiens : *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum, verum tamen iusta loquar ad te, Quare via impiorum prosperatur ; benè est omnibus qui præuaricantur & iniq; agunt.* sed sciendum est pro declaratione huius Quæstionis, quicquid in mundo euenit, totum id fieri aut Deo efficiente, aut permittente. Tribus igitur de causis permittit DEVS iustissimè mundum & eius asseclas gaudere, & prosperari. Primò scilicet, vt eos faciliùs ad se trahat, qui in omnia facilè dissoluuntur vitia : diuina enim voluntas & immensa bonitas, cùm omnes cupiat saluari, per temporalia plerumq; bona eos trahit, & ad se allicit. Nam licet Deus operibus nostris minimè egeat, vt pote in sua essentia gloriosissimus ; infinita tamen eius misericordia etiam summos peccatores deserere non vult, vt lapidea corda reproborum & ipsis bestijs deteriora, etiam in suis sceleribus Dei beneficium agnoscant, cùm enim grauissimis etiam vitijs immersi homines, bona aliqua saltem naturalia perpetrare soleant, ideò Deus prospera illis plerumq; concedit, vt illa bona, licet ad salutem minimè conducentia, illis retribuat. nullum siquidem hominis opus bonum apud Deum irremuneratum manet, quemadmodùm nullum

1. Petri 2.

Psal. 72.

Iob. 2.

Ierem. 12.

Cur impios Deus in prosperitate seruat.

 quoq;

quoq; malum inpunitum cedit. Hinc A etiam ſceleratiſſimis pro eleemoſynis erogatis crebrò facultates temporales elargitur : pro ieiunijs confert ſanitatem : pro abſtinentijs vitam longam : pro peregrinationibus ad loca ſancta, filios quoq; donat. Mundani tamen homines his rebus affluentes, nõ debent vſquequaq; beatos ſe reputare, quia iam receperunt iuſtam mercedem ſuam, pro temporalibus temporaneam. Sed vltra hoc per opera pietatis ad æternum præmium aſpira- Matth. 9. re debent. iuxta illud Matth. 6. *Tolle* B *quod tuum eſt, & vade.* quaſi diceret : ſi nihil ſalutiferum operatus es, ſola temporanea proſperitas tibi in præmium cedat, & vade ad æternam damnationem, & ad miſeram diaboli ſocietatem. Sed ſi multa Deo digna feciſti, poſt breues mundi tribulationes, vade in æternitatis gaudia.

Altera cauſa eſt, cur Deus mundum in rebus temporaneis nimium gaudere permittat. quia cùm Deus deſpiciat iſta temporalia, vt pote vana & caduca : ideò ſolis mundi filijs ea C confert, vt pote res vanas vanis quoque hominibus. Vana ſunt mundi huius bona, quia illa Scriptura Sacra vo- Iſaiæ 29. cat ſomnia dormientium. Iſaiæ 29. *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius : & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt ; ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Nam quemadmodùm ſomnia velut vmbra fugiunt ; ſic omnia mundi bona ad D momentum tranſeunt. Deſpicit Deus temporalia bona, & dat ea filijs mundi, quia ſunt velut oſſa reſpectu cæleſtium bonorum. ac proindè ſicut oſſa ante præparatas nuptias proijciuntur canibus, delicatiora autem fercula conuiuis coquuntur : ſic planè temporalia bona ante præparationem cœleſtium nuptiarum, proijciuntur mundi peccatoribus : delicatiſſima autem æternitatis fercula ſolis electis Deus aſſeruat. Permittit proinde Deus mundi amatores proſperari, vt il- A lorum exemplo Dei filij magis exerceantur in pietate & virtutibus, omnia namq; Deus facit propter hominem : quædam ad vtilitatem eius & vſum, vt elementa & cætera terræ gramina. quædam ad ſolatium, vt ſonos, cantus, & mellifluos auium garritus. quædam denique ad exercitium ; vt muſcas, & pullices. Et quænam ſunt iſtæ muſcæ ? niſi peruerſi mundi homines, qui ſuis peſſimis moribus, maius augmentum in nobis faciunt, quod eleganter exponit D. Auguſt. ſuper Pſal- B mum 49. *Ne putes* inquit *malos gratis eſſe in mundo, & nihil boni agere de illis Deum : omnis quippè malus vel ideò viuit, vt corrigatur : vel vt per illum bonus exerceatur.* S. Auguſt. Tertiò denique, mundum & eius filios gaudere & magnis abundare felicitatibus Deus permittit vt per hoc non agnoſcentes Dei bonitatem, neq; trutinantes immenſam eius clementiam, magis in retia diaboli incidant. Præſentia enim bona laquei quidam ſunt, facilè hominem capientes. Nam quicquid eſt in mun- C do, aut auaritiam, aut luxuriam, aut 1. Ioan. 2. ſuperbiam ſapit. teſte Apoſtolo 1. Ioann. 2. *Omne* inquit *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Hinc rectè D. Gregorius lib. 23. Moralium, S. Gregor. de mundana proſperitate infert, dicens : *Præſentis vitæ proſperitas, innocentiæ teſtis non eſt, quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt : & plèriq; ad infinita ſupplicia producendi, ſine flagello moriuntur.* Sola triſtitia de malefactis, ſolus dolor de peccatis, ſola D pænitentiæ amaritudo, hominem ad æterna gaudia deducit. iuxta illud ſapientis effatum. Prou. 11. *Qui confi-* Prou. 11. *dit in diuitijs ſuis, corruet : iuſti autem quaſi virens folium germinabunt.* Quia igitur ordine naturæ poſt gaudia ſequitur luctus, idcirco Deus mundi inſanientis filios, quos in æternis ærumnis malitia eorum demenſura eſt, hîc gaudere permittit, vt præclarè docet D. Gregorius lib. 15. Moralium, S. Greg. cap. 35. inquiens : *Sæpè diuina prouidentia tolerat, quos iam ad ſupplicia præſcita condemnat : permittit florere, quos adhuc*

adhuc cernit deteriora perpetrare. Quia A *enim videt ad quam damnationis foueam tendant, hoc eis pro nihilo eſſe exiſtimat, quòd hic peruerſi relinquendam multiplicant.* E contra verò iuſtos & electos ſuos, qui nihil magis quàm ſuam ſalutem curant, & altè diuinam ſapientiam perpendunt, permittit magnis tribulationibus agitari : vt ſcilicet poſt hanc temporalem preſſuram, æterna gaudia adipiſcantur. Inquit Sapien. 3. enim Spiritus ſanctus Sapien. 3. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In pau-* B *cis vexati, in multis bene diſponentur : quoniam Deus tentauit eos, & inuenit il-* Iob. 39. *los dignos ſe.* Teſtatur iuſtus Iob naturam Struthionis eam eſſe, vt oua ſua deſerat, inquiens : cap. 39. *Duratur ad filios ſuos, ac ſi non ſint ſui* : nihilominùs tamen graues Authores vt Strüthio ſolo viſu oua ofcet. Bercor. in reduct. Moral. l. 7. c. 71. & multi alij referunt, oculis huius auis, hanc innatam & ſingularem virtutem ineſſe, vt licet oua ſua deſerat ; eadem tamen à longè aſpiciendo fouet : ſic multoties agit Deus cum C electis, & ad gloriam ſuam deſtinatis : videtur quidem eos ad tempus relinquere, ac ſi non eſſent ſui filij, vt in- Apocal. 6. ſinuat D. Ioannes Apocal. 6. *Vſquequo* inquit *Domine non iudicas, & non vindicas ſanginem noſtrum, de ijs qui habitant in terra.* Oculis tamen ſuis à longè quaſi eoſdem proſpiciens, fouet, & omnia illis in præmium & maius meritum diſponit. Hanc ob cauſam iuſtus Iob in ſummis doloribus & ærumnis immobilis permanſit, quia triſtitiam ſuam quaſi vltimam diſpoſitionem ad D æternitatis gloriam ſibi fuiſſe optimè ſciebat ; & vt paucis multa comprehendam ; omnes cœleſtis illius regni incolæ, triſtitiæ nomen in coronis ſuis præferre videntur. nam quot obſecro corruptibilis carnis infeſtationes, vt caſtitate perpetua fulgerent, virgines pertulere ? quot agones, vt populum erudirent doctores, exantlârunt ? quot vulnera vt teſtimonium de Chriſto perhiberent Martyres, acceperunt ? quàm ſpecioſa ibi ſanctorum corpora cicatricibus notata ? A quàm pulchra Dei Athletarum membra verberibus perſciſſa ? quam nitidi fidem Chriſti diſſeminantium vultus, magnis in hac vita laboribus deformati. Et profectò ampla Dei caſtra ſola triſtitiæ ex amore Dei inſtauratæ virtus exornauit, & præmij cœleſtis magnitudinem auxit. Agnouerunt hoc optimè Chriſti diſcipuli, qui vt primum loquentem Ieſum inaudirent : *Mundus gaudebit, vos verò contri-* Ioan. 16. *ſtabimini,* protinus tantus mæror corda eorum occupauit, vt ne loqui am- B plius poſſent. At, mundi ne obſecro vſum ſibi præcluſum dolebant ? voluptateſne caducas à ſe procul alienatas mæſto vultu deplorabant ? minimè ſanè : ſed iucundam Chriſti præſentiam, quæ tàm inæſtimabilis habetur, vt quæcunq; mundi amariſſima, ſolâ dulcedinis ſuæ vmbrâ in dulcorem inexplicabilem conuertat in momemto. Reperiuntur quidem in vaſtiſſimo mundi ambitu confectiones quædam ex ſaccaro tanti ſaporis, quæ adhibitæ etiam in minima quan- C titate, amara reddunt dulcia : ſed incomparabiliter tamen reſpectu diuinæ præſentiæ, cuius vel minima pars maximas etiam mundi amaritudines in æternam dulcedinem & lætitiam cõuertere poteſt. Quid enim oro Principi Apoſtolorum D. Petro & S. Andreæ crudeliſſimum in cruce cruciatum, pro fide Chriſti dulcem effecit ? quid Beato Laurentio ardentes carbones in florentes roſas conuertit ? Quid D. Stephano lapides in gemmas, & ſaxa in adamantas commu- D tauit ? niſi cupido Chriſti videndi, quem in maieſtatis ſuæ gloriâ videre quamprimum deſiderabant. Agnoſcunt hoc ipſum & damnati miſeri, quanta ſit diuinæ viſionis dulcedo, quam ob cauſam diues ille epulo in inferno petijt vnam guttam aquæ de ſinu Abraham ſibi dimitti, agnoſcens quòd vmbra etiam Dei præſentiæ totam inferni flammam extinguere, & inenerranda illa tormenta in ſummũ gaudium in momento conuertere poſſet. ſi tanta eſt præſentiæ diuinæ gloria, ad cuius fruitionem conditus eſt

est homo, quid pro illa non sufferendum? dignum profectò est, vt ad hodierna Christi verba: *vos autem contristabimini*, constanti animo respondeamus: clementissimè Deus si tentationibus exerceamur, pectus firmum opponemus. si tartarus desæuiat, constanter ictus omnes excipiemus: si morbi subeant; omnia tædia, dolores, anxietates fortiter exhauriemus: si totius corporis contritio, membrorum diuisio, & quæuis alia tormenta nobis inferantur, inuictè tolerabimus: si hominum mores aduersi, & fastidia molestissima contingant, pacata mente consistemus: denique omnem pænam libenter amplectemur: & austeritates ac labores quoscunq; patienter feremus, propter te, dum modò desiderata tui præsentiâ æternùm frui mereamur. Ardua quidem est homini tristitia, sed si pro nomine Dei & cœlesti gaudio eam subeat homo, dulcis admodum esse debet. vt testatur regius vates Psal. 89. *Lætati sumus* inquit *pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.* (Psal. 89.)

Discrimen igitur habetis Catholici mei inter mundum, & Dei filios: gaudet mundus, gaudet & mundi filius quamdiu viuit: sed vt æternùm crucietur, gaudium enim tristitia subsequi debet. gaudent vani homines, quia non perpendunt quæ solida bona, sed in caducis tantùm omnem suam fiduciam & felicitatem collocant, tristari verò debent Dei filij, vt post mærorem emeritis afficiantur præmijs: tristari debent, vt vana & corruptibilia mundi bona detestantes, melioribus & æternis potiantur. Quare non præcluditur quidem vobis via ad mundi prosperitates: & his enim iustus Abraham, & rectus Iob affluebant; sed ne in illis nimiùm vos beatos esse præsumatis, suadetur, non prohibentur timorata gaudia: nam his quoque multi cum Dauide tripudiantes, vtebantur: sed immoderatus tantùm vsus cauendus proponitur, vt sæpiùs ad deflenda peccata; quàm ad inanem lætitiam: magis ad placandum, quàm irritandum Deum animum conuertatis. Refert Plinius Natural. hist. lib. 3. cap. 12. quòd in Lybia plurima animalia venenata reperiantur, quæ aquas bibendo inficiunt, contulit tamen natura talem instinctum cæteris animalibus, non venenatis, vt non gustent aquas infectas, quousq; accedat ad bibendum Rhinoceros, qui priusquàm bibat, cornu suum aquis immergit, atq; ita venenum tollit, labores & tribulationes venenatæ pariter videntur homini, quia noxiæ sanitati. (Cornu Rhinecerotis venena absumit.) Sed quia cœlestis ille Rhinoceros in his amaritudinibus cornu suum immersit, cùm in cruce moreretur, & acetum felle mixtum gustaret, iam venenum omne in dulce pharmacum, & salutare abijt. instinctu proinde eius diuino stimulati, accedite & vos alacriter ad has mundi amaritudines, & quemadmodùm illi mors in gloriam, & vobis omnis amaritudo in gaudium, & tristitia in æternam vertatur lætitiam.

DOMI-

DOMINICA IV. POST PASCHA.

CONCIO PRIMA.

Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de Iudicio *Ioannis 6.*

Spiritui sancto mundus arguendus committitur, vt cùm sit amor, clementer arguat.

TErram in centro vniuersi positam esse, nulloq; sustineri fulcro, arguta philosophantium opinio pridem conclusit. Sacra nihilominùs Scriptura fundamentum cui moles orbis inhæreat, adinuenit. *Qui tribus* inquit *digitis appendit molem terræ.* Isaiæ 4. (Isaiæ 4.) Manus ergo diuina mundùm sustentat tribus digitis, vt & vnitas naturæ per manum ostendatur, & Trinitas personarum per digitos monstretur. Et certè congruè admodùm metaphora hæc, à manu & digitis, ad deitatem & personalitatem ostendendam desumpta est, tres enim in manu digiti ad vsum summè necessarij: pollex, index, & medius reperiuntur, per quos tria in Deo supposita notantur, & quidem per pollicem, eò quòd fortitudine polleat, innuitur Pater, cui potentia & fortitudo conuenit, per indicem repræsentatur filius, ad quem sapientia pertinet, quæ viam errantibus aperit, per medium declaratur Spiritus sanctus, qui personaliter est medius Patris & Filij amor, & quasi vinculum vtriusq; ac nexus, per quem Pater & Filius mutua charitate iunguntur. Insuper quemadmodùm tres digiti adhærent manui, & ab ea tanquàm à radice rami virtutem hauriunt; ita planè diuinæ personæ, vnà eademque naturæ vnitate copulantur: & quicquid virtutis in singulis est, à communi natura deitatis accipiunt. Totum ergo vniuersi regimen, tres personæ diuinæ inter se partitæ sunt. Pater æternus mundi gubernationem suscepit per potentiam, filius eiusdem Iudicium & punitionem per sapientiam, iuxta illud Ioann. 15. (Ioan. 15.) *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Spiritus verò sanctus directionem hominum in fide per supernam illuminationem, & admonitionem per amorem. Hoc certè Christus in hodierno Euangelio declarare voluit, inquiens: *Si abiero, mittam eum ad vos.* quasi diceret: sicut ego qui à Patre per æternam generationem, missus in mundum, operatus sum salutem; ita Spiritus sanctus à Patre & à me tanquam ab vno principio spirandi per processionem missus, eandem quoque salutem in omnibus perficiet & ad effectum deducet, veniet proinde Spiritus sanctus, quasi aurea sagitta diuini amoris, à Patre & filio, quâ transfixa peccantium corda in gratiæ pulchritudinem resplendeant. Et certè si Godefrido Duci Bullionio Lotharingo (vt refert Claudius Paradinus in Symbolis) magnum erat felicitatis omen, cum vrbem Hierosolymorum obsidens, & in turrim Dauidicam sagittam eiaculatus, tres simul alites ea confixisset. Sed felicius omen concipite hodiè mortales, cùm diuinissimus ille spiritus in vestram obsidionem mittendus vobis ab Incarnato Dei filio pollicetur, quem ego hodiè vobis ostendam esse auream sagittam, quæ vno iaculo tria simul in pectoribus hominum grauissima vitia transuerberat. peccatum scilicet, iustitiam malam, & peruersum iudicium. Quod vt facilius percipiatur, adsis diuinissime Spiritus à Patre luminum.

Arguet mundum de peccato. Cur obsecro

ſecro non Pater, non Filius, ſed Spiritus ſanctus mundum de peccato arguere vult ? crediderim ego cauſam eſſe, quia homines obſtinati, non tàm facilè potentiam pertimeſcunt, non tàm promptè ſapientiâ ad aliquid alliciuntur, quàm potiùs amore, iuxta illud Auguſtini : *trahit ſua quemq; voluptas*. puniebat Deus ab initio mundi pro minimo peccato hominem, & diluuio, & ſulphure de cælo cadente. & tot alijs horrendis ſupplicijs ; & tamen peruerſus orbis magis in ſcelera ruebat. Dederat infideli populo tot ſapientiſſimos Prophetas, tot legum diuinarum peritos Doctores ; & tamen humana malitia tantò celeriùs Idololatriæ, & vanis gentilium erroribus ſeſe immiſcebat : quia cùm Dei ſeueritatem ferre non poſſent, in deſperationem agebantur : & cùm cœleſtium arcanorum ſapientiam comprehendere non valerent, in perfidiæ tenebras cadebant. At verò poſtquàm Deus clementer cum ſuo populo agere cæpit, mox diuinus amor totum fermè orbem in Dei cultum conuertit, in veramq; Chriſti imaginem transformauit : ideoq; opus erat vt diuiniſſimus Spiritus, qui eſt fons omnis bonitatis, mundum argueret, cuius clementiâ mortalium corda citiùs flecterentur. Et vnde oro tanta in peccato malitia reſultat, vt neque diuina potentia, neque æterni verbi ſapientia tàm efficax remedium illius eſſe poſſit, quàm Spiritus ſancti benigna increpatio ? variant hic Doctorum ſententiæ. Primùm enim D. Thomas, peccatum eſſe vult corruptionem boni ſupernaturalis : id eſt ; gratiæ. ſed hoc nõ adeò conſonum rationi videtur : cùm enim vnicum mortale peccatum totius gratiæ perditionis ſit cauſa, tunc qui diutiùs in ſtatu peccati hæret, grauioraq; indies & plura accumulat, iam illa ſequentia peccata nihil de facto perderent, cùm tota gratia per primum peccatum ablata eſſet. Alij inquiunt peccatum eſſe corruptionem habituum acquiſitorum : ſed neq; hoc vſquequaq; probatur, etenim habens quiſpiam habitum

S. Thom.

temperantiæ, poteſt adhuc peccare mortaliter, poſt vnam cibi ſumptionem, non corrupto habitu illo. Deniq; ſubtilis Doctor in ſecundùm diſtinctione 35. aſſerit peccatum eſſe priuationem boni, id eſt ; rectitudinis moralis. Cùm enim voluntas noſtra libera, vt diuinis præceptis ſatis faciat, ſemper debeat actus ſuos primæ conformes regulæ efficere ; quodſi difformiter ſe gerat, ſtatim à ſuperiori regula diſcordat, carenſq; conformitate & rectitudine, quæ ſibi debeat ineſſe, malitiam peccati incurrit. Nam quemadmodùm deficiente lumine, homo facilè à recta ſemita aberrat, & in paludes atq; foueas prolabitur ; ſic planè ablata per peccatum rectitudine voluntatis, homo à Deo deuiat. inquit Auguſt. *relicto ſuperiori ad inferiora conuertitur* : quam certè auerſionem à Deo, grauiſſima manet pœna teſte D. Auguſt. 11. de ciuitate cap. 8. *Scio* inquit *in quo ſit mala voluntas, in eo, quod ſit : quod ſi nollet, non fieret : & ideò voluntarios defectus, iuſta pæna conſequitur. deficit enim non ad mala, ſed malè, quia contra ordinem naturarum, ab eo quod ſummum eſt, ad illud quod minus eſt*. quaſi diceret ; non ideo homo meretur infernum, quia mundi vanitatem ſequitur : non ideò pæna eum manet, quia terrenis oblectatur ludicris : ſed potiùs, quia hæc nimium appretiat, Deum verò quaſi viliùs æſtimando, deſerit & contemnit. hinc iſta voluntatis inordinatio, grauiſſimis funibus animam ligat. Prouerb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Principibus, & nobilibus, cæteriſq; elatioris animi viris, à quibus vix trito puluere meliùs diuinus honor æſtimatur, compedes ex incude infernalis vulcani paratas imponit, quod vehementer dolet rerum decus, & ſanctitatis imago, Propheta Dauid Pſal. 149. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum*. Hæc miſera inordinatio, peruerſæ voluntatis, in ſua libertate, (quâ in Dei cultum vti debet) nimiùm

Scotus.

S. Auguſt.

Prou. 5.

Pſal. 149.

nimiùm inſoleſcentis, denſiſſimam nubem ponit, quæ Deum ab hominibus ſeparat, vt vocem afflictorum cælum penetrare non patiatur. vt innuit Propheta Thren. 3. *Nos iniq; egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es, occidiſti, nec perperciſti, oppoſuiſti nubem, ne tranſiret oratio*. Ecce quanta inordinatæ voluntatis culpa, quanta peccati grauitas : vt homo per quodlibet mortale peccatum, à Deo auerſus, periculum ſibi æternæ damnationis accerſat. Quod perpendens antiquus ille legiſlator Draco, (vt refert Plutarchus in vita ipſius) quodlibet peccatum, etiam minimum, pænâ mortis puniendum ſtatuerat : cumque interrogaretur, quid eſſet cauſæ, cur peccata inæqualia, æquali pæna vir prudentiſſimus punienda ſanciuerit ? Reſpondit : leuiora delicta & grauiora, licet in ratione peccati ſint inæqualia, in ratione tamen culpæ omnia conueniunt : ac proinde eandem pænam merentur. ſi enim inquit grauiora delicta maiori pæna mutilare vellem, maiorem pænam illis aſſignandam nõ inuenirem : quia pænâ mortis nulla datur maior, idcirco cùm & noſtra delicta mortem quoq; propter culpam ſuam ſubire debeant, omnia peccata quamuis inæqualia, eidem pænæ adiudicaui. Et certè vir iſte optimus, licet ſolo naturali lumine illuſtratus, Catholiciſſimè de puniendis criminibus tulit ſententiam. Quærite enim Catholici mei ex ipſo Deo, cur ille pleroſque propter vnum peccatum mortale, æternùm condemnat ; alios propter maiora & plura eidem pænæ adiudicat : nonnullos infinitis planè merſos ſceleribus, ijſdem cruciatibus torqueri deſtinat ? certè non aliud vobis reſponderet, niſi quia etiam pro vnico mortali peccato, minorem pænam non inuenit. quod cùm ſit offenſa infiniti, infinitè quoq; puniri debet, & pro pluribus atq; grauioribus delictis, maiorem etiam pænam habere nequit ipsâ æternâ damnatione. hinc Theologorum creuit effatum. *Deus citra condignum punit*. nam licet intolerabiles & innumerabiles ſint pænæ inferni, nondum tamen condigna peccatis pæna eſſe poteſt. Hinc grauis diſceptatio inter Doctores orta eſt, vtrum omne peccatum mortale, tantæ ſit grauitatis, vt diuinæ viſioni omninò ſit incompoſſibile, hominemque à regno cælorum excludat, & æternis reum faciat tormentis ? reſpondentque communiter, mortale peccatum duplex eſſe, originale, & Actuale. & Originale quidem ex iuſtiſſima Dei ordinatione beatitudini æternæ incompoſſibile eſſe ; nullam tamen promereri pænam ſenſus ; ſed tantùm pænam damni. ſicut manifeſtè liquet in infantibus ſine baptiſmo decedentibus : qui Deum quidem non vident, nec fortè in æternum viſuri ſunt ; nihil tamen patiuntur, ſed cum ſummo tædio detinentur in limbo, in quo animæ iuſtorum ante Chriſti ad inferos è cruce deſcenſum clauſæ erant. quòd certè æquiſſimum eſt, quia cùm omnes ex Adamo tanquàm primo omnium capite per generationem deſcendamus, ſimul cum illo obedientiam frangente præuaricati ſimus, pænamq; mortis æternæ ſuccubuimus, niſi efficax Chriſti gratia in remedium occurrat. Rursùs peccatum actuale mortale duplex eſſe volunt, Philoſophicum, quod vitium nominant : quando videlicet homo inuincibiliter Deum eſſe ignorans, noſtriſq; malefactis Deum offendi neſciens, aliquid contra ſolam conſcientiam delinquit. hocq; Hugo Cardinalis inferno puniendum negat, ſed tantùm vexandum vſq; ad iuſtam expiationem iudicio Dei taxandam : vel certè prouiſurum Deum iuxta leges ſuæ prouidentiæ, ne adultus homo in omnimoda ſui ignorantia intereat. Aliud verò vocant actuale peccatum, Theologicum : quod tunc fit, quando ſcilicet homo voluntariè ſe à DEO auertens, tanquàm fine vltimo, ad mundi caduca deſcendit, grauemq; ei iniuriam formalem infert, quòd & voluntate, eiuſq; potentijs ſibi ad bonum conceſſis, abutatur in malè intentam actionem. atq; hoc peccatum propriiſſimè

Thren. 3.

Plutarch.

Peccatum mortale duplex.

Peccatum originale nullã pænam ſenſ. meretur.

Hugo Cardinalis.

1. Cor. 6. mè hominem à regno Dei exulare facit, iuxta illud 1. Corint. 6. *Nolite errare, nam neq; fornicarij, neq; Idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures regnum Dei possidebunt.* Cùm proinde tanta sit peccati grauitas, vt & diuinam gratiam è corde hominis expellat, & diuina eum societate priuet, æternæque miseriæ captiuum reddat, nec est fortasse quispiam mortalium, qui ei obnoxius non sit: quis quæso ab hac serpente per totum orbem febri, ægra hominum pectora eripiet? quis æternæ pressurã flammæ ab illo auferet? si Pater æternus sua omnipotentia succurrere voluerit quis eius seueritatem feret? *terribilis enim es tu Domine* inquit Propheta *& quis resistet tibi.* Si Christi resurgentis sapientia: & hanc homo percipere non potest, nisi per punctionem Spiritus sancti. sola certè tanto obuiare poterit malo diuiniSpiritus bonitas. Hic enim est aurea sagitta, quæ vt primum peccantium corda transuerberat, illicò eadem salutiferâ gratiâ viuificat, & è morte grauissimi delicti subleuat. hæc est sagitta aurea, quæ vt primum ex illo diuino arcu æterni Patris, scilicet voluntate, & filij amore mittitur in mundum, subitò vehementi suo impetu, benignè arguit, & perterrefaciens leuiter hominem, cœlestibus eum implet radijs, omnemq; ab illo propulsat peccati vmbram, & maculam. Et certè quid est aliud Spiritum sanctum arguere mundum de peccato? nisi gratiæ cœlestis fauonijs afflare mentem errantium, eosque ad rectitudinis semitam deducere. Experientia comprobauit potentiorem esse sagittæ iaculum, quàm globi ferrei ictum: globus enim si hominem feriat, ossa comminuit; sagitta verò eundem cum armis simul subtiliter transfigit. Quis vehementiam non agnoscit in aurea sagitta, diuinissimo Spiritu feriebat olim diuina potentia mundum quasi globus, sed præ pondere eius fractus homo illicò cadebat. emisit tandem sagittam auro splendidiorem, Spiritus sancti virtutem, & ecce adeò subtili-

A ter transuerberauit cor hominis, vt pro vulnere sanitatem ei afferret, Deumq; à male moratis incolis expulsum, gratissimum hospitem iterum induceret. Non poterat certè Deus alio modo in peccatoris tentorium redire, nisi à Spiritu sancto deauratum, atq; per gratiam depuratum esset à peccato. Deus enim tribus modis homini sicut & alijs rebus creatis immanere solet, videlicet per Essentiam, Præsentiam, & Potentiam. Et quidem per Essentiam adest omnibus rebus creatis, quoniam B substantia ipsius vbique intimè assistit: & hoc modo est in àère, quo spiramus: in cibo, quem comedimus: in habitu, quo amicti incedimus: in igne quo incalescimus: in terra, quàm calcamus: & in omnibus ac singulis rebus, quæ sub sole existunt. Per Præsentiam verò Deus est in creaturis cognitione, quâ illas cognoscit penitùs & comprehendit. Per potentiam deniq; Deum adesse creaturis intelligimus, dùm virtutem suam exercens, illas conseruat, & esse quod imperti- C uit, continuat. Proinde cùm Deus tribus istis modis insit omnibus creaturis: nam & est vbique, & comprehensiuè omnia cognoscit, & vniuersa quot momentaneâ conseruat prouidentiâ, ingens difficultas est, quomodò in animam hominis veniat, cùm beneficium iustificationis impertitur, siquidem ibi quoad substantiam & naturam Dei, iam ante iustificationem præhabitabat: inquiunt tamen Theologi, Deum in anima hominis iustificati nouiter existere, non D tantùm donum cognitionis & amoris; sed seipsum quoq; in propria substantia eidem largiendo. Quod D. Augusti. lib. 5. de Trinitate cap. 16. S. August. latissimè declarat. Hanc autem nouam in homine mansionem Deo acceptam Spiritus sanctus præparat, dùm infusione gratiæ suæ depulsis tenebris, & detersa peccati fæditate, quo diuinis oculis anima peccatoris erat infesta, illam nouo splendore lustrat, vt iam Deus animam illam tanquàm templum sibi acceptum incolere incipiat, cùm priùs in ea tanquàm in Satanæ

Satanæ cauerna esset. Nouiter igitur Deus in animam iustificati illabitur, non quidem Dei, sed ipsius creaturæ facta mutatione. vt explicat D. August. ibidem cap. 57. Quod certè opus est principaliter ipsius Spiritus sancti, qui non tantùm dona sua; sed etiam seipsum in animam hominis trasfundere solet, cùm voluntas illius expedita sit ad omnia resipiscentium vota, piaq; & sancta desideria complenda. quod licet Patri quoq; & Filio accomodari possit; magis tamen Spiritui sancto: quoniam iustificatio, proprium est opus amoris: amor verò Spiritui sancto attribuitur. quemadmodùm Filio sapientia, & Patri potentia. ecce iam habetis sagittam auream, diuinissimum Spiritum, quæ nõ tantùm peccatorem non lædit; sed clementer peccatum arguendo, & fugam eius suadendo, in vulnere iniquitatis, antidoto salutaris gratiæ efficaciter sanat, & cor hominis tranfigens, tanquàm medius Patri & Filio alligat.

Sed quomodò mundum de Iustitia arguet, iam perpendamus? Iustitiam dicunt Ethici virtutem esse inter excessum & defectum fundatam. & quia Iustitiæ officium est, æquari Iuri alieno, seu reddere vnicuiq; quod suum est: ideò quamdiu homo in hoc medio consistit, vt & Deo debitum honorem reddat, eiusq; Iura inuiolata seruet, tamdiu rectâ semitâ ad æternitatis felicitatem incedit, annuente Prou. 12. Salomone Prou. 12. *In semita iustitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem.* nec reprehensione, sed laude digna est, quia omnis virtus vt pote in perfectione consistens, laudari debet. Quod si à medio ad alterutrum extremorum deflexerit, aut & excessum, aut ad defectum, arguenda est iniquitatis: excessus enim omnis & defectus Iustitiæ reprehensione dignus est. Et quid est quæso Iustitiã à medio virtutis & æquitatis deflectere ad excessum? nisi cùm dispensatores beneficiorum, proportionem Geometricam non seruant, postpositoq; digniori & plus meritò, minus digno præmia conferunt. hoc

A certè seuerè arguet Spiritus sanctus, dicente Salomone Prou. 25. *Aufert impietatem de vultu Regis, & firmabitur Iustitiâ thronus eius.* Ibide 25. Ad hunc excessum declinant Iudices, cùm reis æquo maiores & culpâ grauiores pænas assignant. ad eundem deuiant & superbi, de suis operibus vanam mundi laudem quærentes, vt dicitur Matthæi 6. Matth. 6. *Attendite ne Iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Mundus igitur de iustitia arguendus est, sed de iustitia neglecta, seu operibus Iustitiæ Deo B non præstitis. Arguit igitur Spiritus sanctus mundum de Iustitia; sed arguit misericorditer, errantem illuminando, vt ad medium, & rectitudinem iustitiæ redeat, iuxta illud Apostoli Ephes. 5. *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* Ephes. 5. In quo autem hæc rectitudo iustitiæ consistat, per quam nos Spiritus sanctus ad beatitudinem ducere vult. varijs hieroglificis illustrârunt antiqui: depingebant illi iustitiam in forma vnius personæ, tenentis pondus plumbeum, seu funiculum C mensurarium: quo fortassè exprimere volebant, cuiq; tribuendum esse, quod illi debetur, vt innuit Propheta Isaiæ 8. Isaiæ 8. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam, in mensura.* Alij pingebant eandem sub speciè apis, vt ostenderent iustitiam consistere in clementia & seueritate. Nam quemadmodùm apes conficiunt quidem mel suaue, simul tamen aculeos habent, quibus fortiter pungunt, ita planè iustitia benignitatem & clementiam erga bonos, & legum obseruatores ostende- D re debet, simul tamen seueritatem contra malos, & iurium violatores adhibeat, necesse est. Rursus alii iustitiam pingebant cum auribus asininis, compedibus vinctam, vt ostenderent, quòd iustitiam deceat grauiter in rebus procedere, & cum patientia querelas afflictorum audire. Alij verò iustitiam quasi solem efformabant, vt ostenderent, quòd sicut Sol omnes mundi incolas, pauperes, & diuites, plebeios & Magnates, Iumenta & homines, ex æquo illuminat & calefacit; sic vbi vera iustitia seruatur, nullum

nullum diſcrimen & acceptio perſonarum eſſe debet. Deniq; Thebani vt (Plutarchꝰ Pierius. Alciatus.) ferunt Plutarchus, Pierius, & Alciatus, ſimulacrum Iuſtitiæ ponebant in hunc modum : in ſacris ædibus erigebant Principem ſedentem in throno, oculis velo tectis, tenentem ſceptrum in manu, & coronam in capite, cui ad dextrum & ſiniſtrum latus aſſidebant conſiliarij, manibus truncatis : vbi per oculos velo tectos inſinuabant Principem debere eſſe oculis captum, hoc eſt; non acceptatorem perſonarum : per ſceptrum in B manu ſupra alios erectum, figurabant ſummam poteſtatem & Iuriſdictionem, ſimulq; clementiam & pietatem, ſine qua iuſtitia eſſe nequit. Per coronam in capite, prudentiam ſignificabant; nam ad ſeruandam veram iuſtitiam, ſummâ prudentiâ opus eſt, quæ ſcilicet benignitate & miſericordia nimium rigorem temperet, ne contingat, tranſgredi iuxta illud ſapientis. (Eccleſ. 7.) Eccleſ. 7. *Noli eſſe iniuſtus multum.* vbi non permittit Salomon legum laxationem, ſed perſuadet tan- C tùm, vt obſeruentur non in ſolo rigore iuſtitiæ; ſed ſimul attendendo ad circumſtantias loci, temporis, perſonarum & occaſionum. Per conſiliarios demùm ad dextram & ſeniſtrã Principi aſſidentes, innuebant, quòd Princeps exequens iuſtitiam, debeat eſſe ſicut Argus multos conſiliariorum oculos habens, quatenùs prudenter decernat id, quod ipſi conſuluerint, vel puniendo, in iuſtitia correctiua? vel præmiando, in iuſtitia diſtributiua. Sed deflexit iam fortaſsè D hæc temperata iuſtitia à Regum ſolijs, vbi graues plerumq; Innocentum oppreſſiones fiunt : quod deplorat Sa- (Eccleſ. 4.) piens Eccl. 4. *Vidi* inquit *calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas Innocentum, & neminem conſolatorem, neq; poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos, & laudaui magis mortuos, quàm viuentes : & feliciorem vtroq; iudicaui, qui nec dum natus eſt.* Aberrauit forſan Iuſtitiæ virtus à magnatum aulis, à quibus populus iumentis ipſis viliùs æſtimatur, de qui-

A bus percontatus Deus, inquit : *Quid habet populus, quòd plorat.* Diſceſſit à diuitum domibus : & hi enim ſuis opibus nimiùm fidentes, pauperes ad Iudicia trahunt, & nimiùm affligunt, quorum clamor & fletus cælos ipſos penetrat. Sed quid Principes, Magnates, & diuites incuſo? fortaſsè iam è toto orbe aufugit iuſtitia? Nigidius enim Philoſophus Pythagoricus in Aſtronomiæ ſcientia vnus omnium Romanorum petitiſſimus, cum Pöëtarum commenta in cælo conſideraret, fate- B tur aſpectum Bootæ inter Leonem, & libram virginem eſſe, quæ iuſtitia ſiue æquitas appellatur. Vbi refert, hanc à mortalibus quondam receſſiſſe, & ad ſuperos remeaſſe : vt quæ ſolita eſſet in hominum cætu verſari, eiſq; præcipere, ne à recto & honeſto diſcederent, quibus monitis quouſque homines paruerunt, ſecuri ſine anxietate atq; ſollicitudine victitabant; ſed poſtquàm mandata eius ſpernerent; luxuria, auaritia, cupiditaſq; inualuit, & inuidiâ atque odijs exardeſcentes, (Iuſtitia è mundo aufugit.) C vulnera cædeſq; ſibi mutuò cæperunt inferre. Quo viſo præſtantiſſima Dearum virtutum Princeps iuſtitia, cùm nullum ſibi in terra locum cerneret relictum, in cælum ſe extulit, ſempiternumq; pietatis ſuæ præmium accepit, inter ſydera recenſita. ſed fauſtum omen mortales : mittitur iam ex auguſtali diuino hoſpes deſideratus, Spiritus ſanctus, qui arguet iuſtitiam etiamq; è cælorum ſedibus, vt iterum inter homines commoretur, reuocabit. Recipite proinde Catholici pro- D fugam iuſtitiæ virtutem cum ſummo honore, & eam in maieſtate rectæ mentis atque puritate cordis veſtri collocate. Graue enim mundus patitur damnum abſq; iuſtitia, etenim regnum funditùs corruet, vbi iuſtitia & æquitas exulat. Neceſſaria eſt homini iuſtitia generalis, quæ eſt ipſa ſanctitas in bonis operibus, ſanctiſq; deſiderijs ac virtutibus conſiſtens : hac impletus Simeon iuſtus in Euangelio vocatus eſt, id eſt : Sanctus & timoratus. Neceſſaria quoq; iuſtitia particularis, per quam habituatur homo ad firmiter

firmiter volendum ſeruare rectitudi- A nem debitam in operationibus, quaſi ad alterum ſcilicet ad Deum, & proximum. Neceſſaria eſt homini iuſtitia commutatiua, per quam agnoſcendo diuinæ perſonæ dignitatem, tantò magis eum noſtris operibus honorare ſtudeamus, quantò eius excellentia à nobis plura exigere videtur. Neceſſaria deniq; & iuſtitia diſtributiua, per quam bona temporalia à Deo nobis copiosè data inter egentes diſtribuamus. Quod ſi non fecerimus, Spiritus ſanctus iuſtitiam in nobis ar- B guet, non ſeruatam; ſed neglectam. Arguet autem tum aliorum iuſtè viuentium exempla nobis præ oculis ponens, quæ ſi imitari neglexerimus, ipſa nos in tremendo Dei iudicio con- (S. Auguſt.) demnabunt, iuxta illud S. Auguſtini Meditat. c. 4. *Tot iudicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in operibus bonis, tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè viuendi exempla. Tot conuincar teſtibus, quot me mouerunt proficuis ſermonibus, ſeq; imitandos dederunt iuſtis actionibus.* C

Denique Spiritus ſanctus arguet mundum de Iudicio Quidam Doctores locum hunc conſiderantes, dicunt quòd Spiritus ſanctus ea ratione mundum arguet de iudicio, quia futurum iudicium manifeſtabit hominibus, cuius terrore faciliùs arceantur à peccatis, conſiderando quòd ſi Deus Angelo ſemel lapſo non pepercit, quantò magis hominem toties grauiter delinquentem puniet, vt dicit Apoſto- (2. Petri 2.) lus 2. Petri 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus in- D ferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari; ita nouit Deus iniquos, in diem iudicij reſeruare cruciandos.* Alij dicunt, Spiritus ſanctus arguet mundum ea ratione de iudicio, id eſt; Iudicium diaboli iam factum eſſe manifeſtabit hominibus, adiuuans eorum imbecillitatem, per nouas gratiæ vires ſubminiſtratas, per dona fidei, charitatis, & ſpei, aliarumque virtutum, quibus armati credentes, omnia ſatanæ tela repellant, & feliciter vincant. Quod pulchrè expo-

A ſuit D. Auguſt. lib. 4. de Trinitate capite 13. inquiens : (S. Auguſt.) *Chriſtus diabolum à Spiritibus in ſe credentium foras miſit, vt non regnaret intrinſecus, ſed forinſecus pugnaret; nec tamen expugnaret. Vnde enim accepit exteriùs poteſtatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interiùs eius poteſtas, quâ nos tenebat, occiſa eſt.* Crediderim ego tamen, quia Spiritus Sanctus principaliter de iudicio temerario mundum arguturus veniet. Nam quid pernicioſius homini eſſe poteſt, quàm temerè de aliquo ſuſpi- B cari, & peruersè iudicare. Hinc inquit D. Bernardus ſuper Cantica : (S. Bernar.) *Caue alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius Iudex, etiamſi perperam actum quid deprehendas : immò excuſa proximi intentionem, ſi opus non potes : puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum : quod ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominùs ipſe tibi, & dicito apud te, vehemens fuit tentatio; quid de me illa feciſſet? ſi accepiſſet in me ſimilem poteſtatem.* Sanctus verò Ioan- C nes Climacus grad. 10 ſuæ ſcalæ, addit (Climacus.) vlterius : *Etiamſi* inquit *in ipſo animæ à corpore digreſſu quempiam peccare videris, nec tunc quidem eum damnare audeas : incertum eſt enim hominibus iudicium Dei.* Vnde B. Laurentius Iuſtin. (S. Laurentius Iuſtin.) libro de Spirituali animæ interitu 1. de temerè iudicantibus concludit, inquiens : *Hinc quorundam præſumptuoſorum eſt redarguenda temeritas, qui nedum proximorum opera diſcutiunt; verùm etiam alieni cordis ſe faciunt iudices, volunt quippè iudicare quales ſint ho- D minum cogitationes, quibus ducantur effectibus, qua intenſione operentur, quoue ſpiritu moueantur, quod omninò non licet : cum nemo ſcire valeat, quid in homine agatur, niſi ſpiritus hominis, qui in illo eſt;* non reſpicientes doctrinam Apoſtoli (Rom. 2.) Rom. 2. *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? in quo enim alium iudicas, teipſum condemnas.* Quod ſi quæras, in quo homo temerè alios iudicans ſeipſum condemnat : planè in hoc, quòd læſæ maieſtatis diuinæ reum ſe exhibet, auctoritatem arcana cordis iudicandi (quod proprium eſt ſolius Dei) ſibi

S. Ioannes Climacus. sibi peculanter vsurpans: hanc responsionem suggerit D. Ioannes Climacus in sua scala 10. grad. *Iudicare* inquit, *est impudens direptio diuinæ dignitatis.* Et certè in hanc peruersam suspicationem assidua consuetudine mala, iam consparauit mundus. sed felix augurium? mittitur iam aurea sagitta in orbem ex arcu diuino, quæ sine læsione inueteratum hoc in cordibus hominum venenum occidet: id est; Spiritus diuinissimus, qui clementer hominem arguens, à temerario iudicio auocabit. Refert Plutarchus de Alexandro, quòd cùm quidam subditorum audaciùs famam Alexandri carperet, Alexander hominem illum perperam de se loquentem magnis cumulauit muneribus: quo facto ita eius gratiam sibi conciliauit, vt qui antea fuerat eius obtrectator, postea laudum eius summus orator Plutarch. extiterit. quod cognoscens Alexander lætus inquit: *Hæc est gloria Alexandri inimicos reddere amicos.* similiter teste eodem Plutarcho in Apophtegmatis Laconum, cùm insolens quidam iuuenis oculum Lycurgo eruerat, Senatus Lycurgo illum tradidit, vt ex propria sententia & ad libitum illatæ iniuriæ iustam de eo vindictam sumeret: at Lycurgus in domum suam iuuenem recipiens, benignè aluit, optimis moribus instruxit, & postea in virum meliorem mutatum ad se natum remisit, palam faciens, non maiorem; quàm hanc ab illo desiderare vindictam. Maior certè est Spiritus sancti erga homines clementia, videt ille toties diuini honoris detractores sceleratos: tantùm tamen abest, vt illos puniat, vt potiùs suis charismatibus & cœlestibus donis corda eorum cumulans, illos in sui gratiam fortiùs trahat. vt meritò triumphare possit Alexandri dicto: *Hæc est gloria Spiritus Sancti, ex inimicis Dei reddere eiusdem amicos.* Tradit æternus Pater, tradit filius diuinissimo huic Paracleto insolescentem mundum. grauissimas sibi toties inferentem iniurias, vt ad libitum de illo vindictam sumat: ille tamen clementer sustentat hominem,

A pietate & virtutibus imbuit, nec aliam exigit pœnam, nisi vt homo conuertatur, & in meliorem mutatus ad Deum suum redeat.

Ecce igitur faustum habetis oraculum, mittetur vobis Spiritus sanctus, qui per suam gratiam de cordibus vestris auferat omne peccatum, qui iustitiæ excessum & defectum perimat, vos ad omnem in benè operando rectitudinem suo lumine dirigens: qui denique omnem malè suspicandi & peruersè iudicandi consuetudinem B vos edoceat, per virtutes & dona cœlestia. Quare in eius aduentum præparate corda vestra, in omni humilitate & pietate: hoc maximè curantes, vt hæc aurea sagitta, cum sit æterni & increati amoris iaculum, vos Patri & Filio æternùm alliget. iustitiam Dei seueram, clementiâ mitigans, & tremendum iudicium misericordiâ temperans.

EADEM DOMINICA,

C CONCIO SECVNDA.

Ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de Iudicio, *Ioannis* 16.

Christus ad singularem fidelium consolationem, Spiritum Sanctum ad arguendum mundum deputat.

TOta vitæ humanæ periodus diuina reprehensione non immeritò perstringenda est: quia licet angustis illam Deus circumclusit limitibus, vi- D delicet centum vt plurimum annis. Eccles. 18. num. 8. *Numerus* (inquit Sapiens) *vt multum centum anni.* Eccles. 18. Rex verò Dauid breuiori illam adhuc ambitu definit Psal. 89. n. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus, octuaginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Psal. 89. quasi diceret; vltimus humanæ vitæ limes, etiam in Potentatibus, hoc est; in hominibus strenuis, vegetis ac robustis optimæque valetudinis & complexionis, est annus octuagesimus. Dùm verò addit: *Et amplius eorum labor*

S. Hier. *bor & dolor.* vel significat iuxta D. Hieronym. vltra hos terminos humanam vitam nonnisi miserijs plenam propagari, vel potiùs vult ostendere maiorem ipsius octogenariæ vitæ partem miseram esse, & ærumnosam, quæ tunc multis interpressa amaritudinibus, multis interpuncta calamitatibus decurrit. Licet tamen ita angustis cancellis interclusa est vita humana, meritò tamen semper arguenda: quia vniuersa eius circumferentia impietatis plena est. Nam considera vitæ humanæ principium? nonne illud ex iniquitate ortum trahit. Psal. 50. Rege Dauid vaticinante Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* quid est, quod de se dicit Propheta? *in iniquitatibus conceptus sum.* Nunquid de adulterio natus erat? minimè? vtiq; de Iesse viro iusto, & coniuge eius timorata & casta: sed in persona generis humani, loquens dicit vnum quemq; in iniquitate concipi: hoc est, trahere originem iniquitatis ex Adam, quid est, quod dicit: *Et in peccatis concepit me mater mea.* Num certè coniugibus misceri peccatum est? minimè: sed vt ostendat id, quod in vtero materno fit, fieri ex carne pœnali: quia licet casti coniuges non habeant culpam, dùm ad prolis generationem concurrunt, habent tamen pœnam, scilicet mortem, cùm sint mortales, & non aliunde; quàm ex peccato: quæ pœna nimirum mors, per participationem corporis mortalis etiam in prolem descendit. Si spectas prima vitæ humanæ incrementa: scilicet iuuenilem vigorem, & ibi iniquitas pabu- Psal. 24. lum præbet. Ps. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Si medium contemplaris in hac vitæ humanæ periodo? & ibi iniquitas radices suas solidiùs firmat. *Peccantem me quotidie, & non pœnitentem timor mortis conturbat.* Si denique exitum consideras? & ibi iniquitas limitem Psal. 50. terminat. Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* quasi diceret; non tantùm quando concipior, non tantùm cùm viuo, sed & cùm decedo,

A peccatum mihi struit insidias. Cum ergo tota mortalitatis periodus in iniquitatibus sit posita, meritò arguenda. sed quare non ipse Christus mundum iniquum; scilicet hominem arguere vult, verùm Spiritui sancto hoc munus delegat, cõsiderabimus hodiè.

Ad singularem hominum consolationem Christum Dominum surrexisse à mortuis, vel ex hoc ipso facilè quispiam coniectari potest, quia non vult iam amplius ipse præuaricantem arguere hominem, sed omnẽ B iniquitatis reprehensionem Spiritui sancto committit, vt is seueritatem cum suauitate, increpationem cum benignitate simul coniungat. Vt sic neq; difficilis appareat venia, neq; tamen remissa fit indulgẽtia, ne aliquem vel austera percellat inuectio, vel cõniuentia inuitet ad culpam. Sciebat enim optimè Christ' Dominus, nimis perniciosam esse acrem increpationẽ, quæ nullo clementiæ succo temperatur, cùm non tàm ad emendationem, quàm potiùs ad desperationem; non C ad pœnitentiam quàm ad impudentiã impellat. Si enim nullum supplicio adhibeatur solatium, si nulla obiurgationi misceatur consolatio, necesse foret miserum hominem aut desperationis barathro absorberi, aut per maiora scelerum abrupta licentiùs volutari. Hinc ipsemet Deus reprehensurus olim Episcopum Ephesinum, acrem suam obiurgationem dulci misericordiæ condimento temperauit, quando ab eius laudibus reprehensionem exorsus esset: *Scio* inquit *opera* Apocal. 2. D *tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes sustinere malos.* ex Apoc. 2. num. 3. *sed habeo aduersùm te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* ibidem num. 4. tandem ad eius laudes recurrit. *Sed & hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* ibidem num. 6. & cur obsecro vnam obiurgationem duplici laudatione circumscribit Deus? certè ea de causa, vt in arguendo benignus esse videatur. vt subtiliter Rupertus in hunc Rupertus. locum discurrit. *Notanda* inquit *dispositio sermonis, quàm artificiosa sit, & priusquàm*

priusquàm emitteret austeritatem obiurgationis, quæ laudanda erant, collaudauit. Et post vbi corripuit, atq; minas intentauit, rursùs quod laudandum erat, laudauit. Ita reprehensionis amaritudinem ne nimis offenderet atq; exterreret, collaudationis dulcedine circumliniuit.

Duplici proinde benignitatis muro suam Deus seueritatem circumcluſit, vt de illo canit Regius vates. Psalmo 114. n. 5. *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.* vbi teste D. Ambrosio de obitu Theodosij: bis misericordiam Dei Propheta posuit, semel verò iustitiam: scilicet; ne iustitia foras in vindictam, nisi per misericordiam erumpat, in cuius muro eius mucro habetur: & nequis impius in diuinam iustitiam incidat, nisi per misericordiam delatus: à qua priùs armetur, vt leuius feriatur. Itaq; Deus tàm parcè vulnerat, vt geminum præmittat vnico vulneri fomentum, ne quis plagæ magnitudine exanimatus, de sua salute actum esse arbitretur. Et meritò certè Deus in increpando homine suam ostendit misericordiam, quia si sola eius seueritas in hominem fulminaret, dubio procul homo à diuinis laudibus facilè deterreretur. Testis est huius facti scriptura, quæ refert, quòd populo Israëlitico aquæ penuriâ in deserto laboranti, bis aquam Deus & liberaliter & misericorditer subministrauerit: semel *in Cades* Num. 20. n. 11. & semel *in Amon* Num. 21 n. 16. Et tamen in priori miraculo nullum dicitur populus in gratiarum actionem canticum edidisse, in posteriori autem magnas grates personabat ibidem num. 17. *Tunc cecinit Israël*, inquit textus, *carmen istud, ascendat puteus.* Quid est? quòd se populus gratiorem Deo in posteriori miraculo exhibuerit, quàm in priori? vt qui prius beneficium sine vlla grati animi significatione tacitus recepit, posterius in carmina & cantica & voces gratulatorias effusus, laudauit: cùm certè prius illud miraculum & maius, & populo siti iam arescenti vtilius videbatur. Respondet Abulensis in cap. 21. n. 9. 23. ad finem: *Quia Moyses* inquit *& Aaron scilicet in priori miraculo increpuerunt populum, vehementer vocantes eos incredulos & rebelles, ideo populus non potuit esse attentus, vt laudaret Dominum pro suscepto beneficio.* Memor itaq; Christus petitionis Dauidicæ, qui in persona totius generis humani postulauit enixè à Domino, vt diuina in eis obiurgatio non ab ira tantùm flueret, sed cum misericordia simul coniungeretur. Psal. 6. n. 2. *Domine* inquit *ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Vbi Authore Theodoreto, non petit, ne reprehendatur; sed ne cum furore reprehendatur: neq; petit, ne castigetur, sed tantùm, ne in ira diuina castigationem hanc patiatur. quasi diceret: paternè inquit, non iudicis ritu; medici more, non tortoris: nec metiaris vindictam peccato, sed benignitate iustitiam tempera. Memor Christus Dominus & illius facti in populo Iudaico, qui & tempore maximorum Dei beneficiorum propter seuerā nimiùm Moysis & Aaronis obiurgationem, à diuinis laudibus abstinuit, ne pariter populus Christianus summum redemptionis beneficium à Christo Domino præstitum, aut penitùs obliuiscatur, aut à laudibus & gratijs persoluendis abstineat, peccata illius non ipse per se, ne seuerus videatur, qui clementissimus est; sed per Spiritum sanctum, tanquàm dulcem animæ hospitem arguenda in posterum decreuit. vt ille simul sit aduocatus reorum, & redargutor: vindex, & consolator. Arguet igitur diuinissimus iste Spiritus mundum de peccato, hoc est; hominem qui est præcipua mundi sublunaris pars, de peccato infidelitatis. Sed arguet clementer, obcæcatos mentis humanæ oculos ad diuinam notitiam trahendo: peccatum enim infidelitatis maximum esse proclamat Propheta. Ieremiæ 2. *Scito inquit quàm malum & amarum est, te dereliquisse Dominum Deum tuum.* Ideoq; non erat, qui lethale hoc vulnus sanaret in hominibus, præter Spiritum sanctum, qui corripiendo simul medetur.

Psal. 114. S. Ambr. Num. 20. Ibidem n. 17. Abulensis quæst. 23. in Num. Psal. 6. Theodor. Hier. 2.

Refert Valerius Maximus, libro 6. cap. 6. quòd cùm post cladem Pœnorum circa Siciliam, nullus auderet ire petendæ pacis gratiâ ad consules, vnus inter omnes Hanno repertus est, qui cum magna fiducia belli finem rogaturus iuit. Cuius magnam in suam ciuitatem fidem perpendendo, omni metu liberârunt, & votis annuêre. Mundo pariter in summa infidelitatis clade depresso, non erat qui panem animæ apud Deum postularet, nisi diuinissimus Spiritus, dùm ad arguendum mundum, & simul illuminandum venit. non enim habebat homo modum, quo periculum damnationis euaderet, quia peccatum tale fit in ipsum Deum, pro quo nemo est, qui exorare valeat. vt docet scriptura 1. Reg. 2. n. 25. *Si peccauerit inquit vir in virum, placari potest ei Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Grauissima est hæc Sacræ Scripturæ peroratio, aptissimaq; ad peccatores refrænandos, nisi illi iam effrænes in omnia vitiorum abrupta deuoluantur. Sed quia locus hic ad intelligendum est difficillimus, sudant Doctores in illo exponendo, nimirum quo pacto peccatum in virum, & in Deum distinguatur. Aliqui igitur censent, peccatum in virum non pro actu proprio malitioso, sed potiùs studioso accipiendum esse: proinde quòd peccare in virum, nihil sit aliud; quàm iniquis eius legibus non obtemperare, & prauis eius consilijs non acquiescere, ne auertatur à Deo, pro quali peccato facilè Deus homini placatur. Nam qui hominem offendit, ne Deum lædat, Deum sibi efficit propitium: siquidem tunc Deum homo non offendit, sed potiùs de illo meretur offendendo virum contraria præcipientem, aut suadentem diuinis legibus. Ita mihi interpretari videtur D. Bernardus. tract. de præcepto & dispensatione, ante medium subdens: *Ego igitur si me hoc angi articulo sentiam, vt aut Deum, aut hominem offendere necesse sit, Deum potiùs libenter eligo non offendere*: & quidem tutius iustiusque, siquidem sacra pagina de hominis læsione, facilem DEI propitiationem pollicetur. Consentit huic interpretationi Chldaicus Paraphrastes, hunc scripturæ locum ita vertens: *Si peccauerit vir viro, aut non ibunt ante iudicem, & audiet loquelas eorum, & exquiret inter eos, &* (vt addit Rabbi Dauid) *eum qui innocens est, eripiet.* quasi diceret; si vir offenderit virum renuendo malè suadenti, ne peccatum in Deum committatur, Deus illum tanquàm innocentem, & sacrarum legum obseruatorem eripiet, & magnis donis præmiabit. Peccatum verò in Deum censent esse ipsum actum peccaminosum, quo lex aliqua diuina violatur, quod peccatum difficile est ad remittendum, quia qui Deum offendit, vehementer sibi ipsum reddit offensum. Cæterum hæc opinio non videtur genuinum habere sensum, quia Scriptura sacra facit comparationem inter vera peccata, peccatum autem in virum, scilicet non consentiendo illi ad peccandum, æquiuocè tantùm & impropiè nomine peccati venit. tum quia Scriptura sacra dicit, pro peccato in virum, Deum facilè placari posse. igitur supponit Deum pro tali peccato esse iratum, proinde quòd propriam culpæ grauitatem in se contineat. Nonnulli ergo peccatum in virum accipiunt pro peccato à persona profana & sæculari commisso, peccatum verò in Deum, pro peccato commisso à persona spirituali: ex eo fundamento, quia dùm peccat homo mundanus, habet sacerdotes, qui pro illo orent, & hostiam placationis Deo offerant; quando verò persona consecrata Deo peccat, non habet, qui pro illa supplicationes DEO offerat. Ita disertè interpretatur D. August. in Psal. 36. conci. 2. transferens: *Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos: si autem sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* vbi peccata sanctus Doctor per personas peccantes distinguit, in eoq; peccatum sacerdotis deterius facit peccato Laici, quia pro hoc intercedit sacerdos, cuius munus est Deum in peccatores iratum, precibus & sacrificijs placare; pro illo autem nullus

Max. Val. 1. Reg. 2. Quid sit peccare in virum. S. Bernar. Rab. Dau. S. August.

lus orabit, quia inter Deum & ſacerdotem nullus ſequeſter exiſtit. Quare rectè monet ſanctus Auguſt. ſacerdotem, ne peccare audeat. tum ideò. ne ipſe peccans deſtituatur interceſſore, cuius precibus in gratiam cum Deo reducitur : tum quoque ne intercessore deſtituat populum peccantem, dùm enim peccando indignum ſe facit, qui intercedat ; peccantem populum relinquit ſuo patrocinio immunitum, ac proinde æterno ſupplicio facilè exponendum. Talem ergo inquit S. Auguſt. eſſe oportet Domini ſacerdotem, vt quod populus pro ſe apud Deum non valuerit, ipſe pro populo mereatur, quod popoſcerit, impetrare. Eodem modo interpretatur D. Ambroſ. in Pſal. 37. ſimiliter

S. Auguſt. transferens : *Si populus errauerit, Sacerdos orabit pro eo. ſi ſacerdos errauerit, quis rogabit pro eo ?* vbi maiorem grauitatem peccati colligit, ex maiore dignitate peccantis : ita, vt quantò melior eſſe ſacerdos debeat, quàm laicus ; tantò peccatum illius deterius ſit, quàm huius. vnde D. Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliodorum ; iuuenem ad ſacerdotium aſpirantem, ipſa ſacerdotij ſublimitate deterret, quia in hoc ſtatu multò grauius peccatum committitur, ex circumſtantijs perſonæ. quod facilè deducitur ex illis Chri-

Matth. 5. ſti Domini verbis Matth. 5. n. 13. *Si Sal euanuerit, in quo ſalietur ?* ſuper quæ

S. Hieron. verba, ſic ſcribit S. Hieron. *Vt Sal* inquit *omnem cibum condit, nec eſt aliquid per ſe tàm ſuaue, quod abſq; eo guſtum demulceat, ita mundi totius & propriæ Eccleſiæ condimentum, Epiſcopus eſt ; qui ſi infatuatus fuerit, ſiuè per negotiationem, ſiuè hæreſim, ſiuè per libidinem, & vt ſemel dicam, per vniuerſa peccata, à quo alio poterit condiri, cùm ipſe fuerit omnium condimentum ?*

Verùm necdum medulam abſconditi arcani tetigit hæc ingenioſa Doctorum expoſitio : quia Scriptura ſacra peccatum in virum, & peccatum in Deum, non per perſonas offendentes, ſcilicet Laicum & Sacerdotem, ſed per perſonas offenſas videtur diſtinguere. vt docet Author quæſt. He-

Auctor. quæſt. Hebraic. braicar. qui dicit : *Non eodem* inquit *modo in virũ, quo in Deum peccatur : quia in virum peccare, peccatum qualecunq; eſt, in Deum verò peccare, eſt ab eius cultu recedere, quod impietatis eſt peccatum, difficiliorq; eius remiſſio : quoniam cum in virum quis peccat, placato ſibi viro, facit Deum ſibi placabilem, in Deum cùm quis peccat, quis orabit pro eo.* Demùm iuxta

Peccatum in Deum quid ſit. veram Scripturæ ſacræ interpretationem, peccatum in Deum accipitur pro peccato primæ tabulæ, quæ ſunt priora tria Decalogi præcepta : peccatum verò contra hominem, accipitur pro peccato contra præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ſunt ſeptem poſteriora. Nam licet peccatum in hominem, ſit etiam in Deum, iuxta illud

Lucæ 10. Lucæ 10. n. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* & illud 1. Corint. 8. num. 12.

1. Cor. 8. *Si autem peccantes in fratres, in Chriſtum peccatis.* & illud Matth. 15. num. 45.

Matth. 25. *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis ;* tamen diuerſo modo Deum attingit. Nam peccatum in hominem mediatè, vt pote in alio Deum offendit : peccatum verò in Deum, proximè & in ſe, ſeu vt Abulen-

Abulenſis. ſis quæſt. 14. latiùs expendit : peccatum in hominem ſemel tantùm Deum lædit ; peccatum autem in Deum bis, quod illuſtrat tali exemplo : ſi quis v. g. legiſlator furtum prohibeat. Tunc is qui alteri furaretur, ſemel tantùm legiſlatorem offenderet, illius leges violando : ſi autem furaretur ipſi legiſlatori, iam bis illum læderet : ſcilicet ; & violando legem, & damnum inferendo. Cùm ergo Deus pro peccato quidem in hominem commiſſo, faciliùs reconcilietur, cùm habeat Presbyteros in Eccleſia ſancta, qui pro ipſo Dominum orent, immò & illum ipſum quem offendit, qui ex diuino præcepto tenetur offenſam ſibi illatam remittere, & pro ſuo inimico Deum orare, vt non vlciſcatur ſcelus commiſſum, ſed condonet · quo id faciente, Deus ſtatim ad propitiationem & placationem mouetur. At verò peccatum in Deum ipſum commiſſum, expiatione ſit difficillimum, quia rarus eſt, qui pro hoc peccato Deum

Deum oret : nam vt docet D. Ambroſius lib. de Pænit. cap. 8. ad orandum pro tali peccato vir eximiæ ſan-

S. Ambr. ctitatis requiritur. *Quo maior* inquit *ille culpa, eò maiora quærenda ſunt ſuffragia.* Et comprobat cap. 9. *Populo* inquit *ſatis eſt, ſi pro leuioribus delictis Deum precetur ; grauiorum verò veniam, iuſtorum orationibus reſeruandam putet : virum autem eximiæ ſanctitatis inuenire rarum atq; difficilè eſt.* immò vt docent

Caietanus. Bellarm. Caietanus & Bellarminus. nemo ferè eſt, ſiue iuſtus ſit, ſiue iniuſtus : qui intercessor, accedere audeat pro illis peccatis, quæ in ipſum Deum committuntur : quemadmodùm etiam in rebus humanis rarus adeſt, qui in cauſa perduellionis, aut læſæ maieſtatis, apud Principem intercedat. Ad quod

Hier. 15. videtur alluſiſſe Propheta Ierem. 15. num. 5. inquiens : *Quis miſerebitur tui Ieruſalem, aut quis contriſtabitur pro te, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua.*

Origenes. quaſi diceret (vt exponit Origenes hom. I. 10.) *perduellionis rea es o Ieroſolyma, non ſolùm homicidio : ſed etiam deicio manus tuas profanaſti, ipſi iam pro te Angeli precatores accedere non audent, & quis hominum pro te rogare non reformidet ? ne tui tecum criminis particeps cenſeatur.*

Paueant hi, qui Simoniaco modo diuinas functiones, & Eccleſiarum adminiſtrationes quærunt, quis pro tanto eorum peccato exorabit Dominum ? cùm in ipſum Deum immediatè fiat, vt docet S. Iſidorus Peluſiota, lib. 1. Epiſt. 26. vbi Epiſcopum quendam (vt fama erat) ſimoniacum ſeuerè admonet, oſtendens in quantò

S. Iſidor. Peluſiota. ſalutis periculo verſetur, cùm pro illo nemo audeat deprecari. *Noſce* inquit *quem ad finem tendat hoc malum, quod contumeliam in Deum exiguo lucro commutaſti. Et quis pro te orabit ? quandoquidem nec pro Ophni & Phinees, qui aduersùs Deum ipſiuſq; ſacerdotium peccauerant, inuentus eſt quiſquam, qui deprecatoris partes ſuſciperet. Verùm in extremum exilium, vt ſacerdotij dignitatem prodentes coniecti ſunt.* Nunc autem execrandum hoc vitium pro virtute iam habetur, dum & munera Eccleſiaſtica, ex pacto omnia ad libitum collatorum faciendi ſuſcipere, immò quod magis dolendùm, etiam vt illa obtineant, non exigua munera offerre minimè erubeſcunt. Verum ſpectauit forſan redemptor noſter, hoc inſanabile vulnus altiùs quotidie in cordibus hominum radices agere, idcirco ne in hoc turpiſſimo vitio pereat mundus, Spiritum ſanctum ad arguendum incautos mortales mittit, qui clementer increpando ſanet deprauatam conſuetudinem, & ad turpiſſimos quæſtus atque ſacrilega auaritiæ lucra conuerſos animos, non tantum profanorum hominum, ſed etiam Eccleſiaſticorum ad pietatis amplexum & Dei amorem reducat. Nullum in ſacra littera peccatum grauius exaggeratur, quàm ex conſilio factum, quod manifeſtis argumentis ex regibus Iſraël in Idololatriam lapſis conſtat. Neſcio enim an aliquis in diuina Hiſtoria peius audiat, & execrabilior reputetur, aut grauius a Deo puniatur, quàm Ieroboam : Hic enim & ſeipſum, & totum regnum Ephraim Deo reddidit odioſum, quod proinde innumeris cladibus expoſuerat, ac tandem in extremum exilium, vnde nunquam amplius reuixit, illud præcipitauit. Cauſa autem, quare vnus iſte Rex, & ſibi & ſuis tantum odium apud DEVM comparauerat hæc fuit, quia peccatum Idololatriæ non ex ignorantia, non ex infirmitate, ſed ex conſilio commiſit. vt innuit ſcriptura 3. Re-

3. Reg. 12. gum 12. n. 28. *Et excogitato* inquit *conſilio, fecit duos vitulos aureos.* nempe vt Iſraëlitæ hos vitulos adorationis cauſa frequentantes, Hieroſolymam redderent diuino cultu orbatam. vt hoc modo vera religio caderet, & falſa ſuperſtitio firmaretur. De Dauide ſimiliter ſcriptura dicit

3. Reg. 15. 3. Reg. 15. n. 5. *illum feciſſe rectum in oculis Domini, & nón declinaſſe ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethei :* hoc eſt ; homicidio, quod virum hunc interficiendum curauerit. An certè Dauid plura alia peccata non commiſit, quando alienum thorum violauit

violauit 2. Reg. 11. n. 4. [2. Reg. 11.] quando populum indebitè recensuit 2. Reg. 24. [2. Reg. 24.] n. 2. quando aduersùs Miphilosceph iniquam sententiam tulit ? 2. Reg. [2. Reg. 16.] 16. num. 4. quando deniq; multa alia id genus patrauit, obquæ dicere coa- [Psal. 39.] ctus est, Psal. 39. n. 13. *Iniquitates meæ multiplicatæ sũt super capillos capitis mei.* Quare ergo vnum duntaxat Vriæ homicidium vitio illi tribuitur,, ac si à reliquis criminibus immunis esset ? Ratio est, quia hoc vnum Dauidis peccatum fuit ex consilio factum. Nam dicit Theodoretus, eum in alijs peccatis non ex mali animi instituto, sed fortuitò & quodam casu vulnus ac- [Theodor.] cepisse : *Negligentiæ* inquit *peccata erant, non malignitatis, vt homicidium.* Cùm ergo peccatum ex consilio factum, tàm sit graue, vt illud supra omnia Scriptura sacra exaggeret, ne tamen etiam sic peccantem desperatio inuadat, aut incredulitas ; Spiritus sanctus ad arguendum delinquentes, munus suscipit, vt suauiter homini & culpæ grauitatem ostendat, & eum simul ad deplorationem commissæ iniquitatis impellat, atq; palam faciat, quòd sicut olim Petro neganti ignouit Dominus, Saulo in Ecclesiam sæuienti pepercit, Dauidi Vriæ homicidium dissimulauit ; & nunc Spiritu sancto misericorditer arguente, cunctis pœnitentibus conniuere paratus sit.

Verùm illud est multò admirabilius, quòd Spiritus sanctus non tantùm de peccato, verùm etiam de iustitia mundum arguere debeat ? Quid hoc est ? nunquid iustitia non est bona ? nunquid ex consortio virtutum exulat ? Minime : Nam & in cælo inter libram & Leonem principatum tenet, & in mundo à Philosophis in eminentiori virtutum throno collocatur. sed scopum istius veritatis tetigit vt video Princeps Philosophorum Aristoteles, qui in suis Politicis docet, etiam virtutem si non sit in operatione, degenerare in vitium, dignamq; reprehensione : sic planè, virtus est iustitia, & quidem principalis, cæterùm nisi sit in exercitio, vitium parit : cùm hominem non faciat iustum, nisi qui illam exercet, scilicet ; qui & iusta, & iustè operatur. De iustitia ergo non exercita mundum arguet Deus ; præceptum enim Iuris diuini & naturalis est, reddere vnicuiq; quod suum est. Verùm si iustitiã hanc negligis, & ea quæ reddere teneris, apud te detines, diuinam indignationem aduersùm te prouocas. Quod si in excusationem allegabis, quia non exigebat, cuius debitis grauatus eras, vt restitueres : necdum diuinam iram effugies, quia conscientia tua propria semper instigat, ne quod alienum est, tanquàm tuum possideas. Et reuera non agnoscit virtutem, qui expectat, donec ab illo debita repetantur : nam virtus in voluntaria, non in coacta sui executione consistit. dùm ergo propterea alienum reddis, quia exigitur, ius quidem adimples, sed virtutem in te non auges dùm verò vltrò offers, quod scis alienum esse, & legum præcepta adæquas, & de tàm bona virtutis actione, nouum tibi præmium accumulas apud Deum. Iustitia præscribit, vt nulla inuehas grauamina, neq; prouentus alijs debitos imminuas : verùm si iustitiam hanc aut negligis, aut præuertis, non tantùm diuina correptione, sed æterna etiam damnatione dignus es : *quia væ primis inuentoribus, grauamen aliquod suis subditis inducentibus.* Iustitia præscribit, ne de ijs rebus, quæ diuinum honorem atq; cultum concernunt, quidquam imminuas : verùm si ab hac iustitia recedis, in templo Dei ea quæ cum maiori apparatu fieri debent, pariùs præstando, diuinam correptionem non effugies. nam Commentatores Sacræ Scripturæ referunt, Deum filios illos Heli sacerdotis, non tàm ideo atrociter puniuisse, quòd de olla coctas carnes, & Deo immolatas subripuerint, quàm potiùs, quòd ea, quæ ad augendum templi ornatum & diuinum honorem populus conferebat, ex quadam parcitate asseruarent : quasi tempori longiori magis profutura. Immò etiam propter parcitatem, in templo Dei exercitam, & thesauros

Ecclesiæ Deus auferre solet, & populi còr à conferendis eleemosynis auertere. Quod manifestò exemplo [Carthag.] comprobat Carthagena tomo 2. l. 11. homil. 6. vbi dicit, quòd cùm presbyter quidam imprudentia magis, quàm impietate & dolo, per astrolabium obseruaret constellationem, eo tamen animo, vt deprehenderet authorem furti, à quo thesaurus Ecclesiasticus noctu surreptus fuerat, graui pœna & morte subitanea illum Deus punierat. cuius facti hanc allegat rationem, non quòd tali intentione cælum inspiceret, in quo euentus multi in communi, licet non in particulari, tanquàm in signo continentur. sed quia propter eius parcitatem, quæ contra diuinam iustitiam cultum Dei minuebat, illud furtum permisisset Deus. Denique arguet Spiritus sanctus mundum etiam de iudicio, scilicet peruerso. quod sæpiùs exercere solemus, aliena peccata taxando, nostra verò minimè respiciendo. Exigit enim vera charitas, non tantùm peruersè de proximo non opinari, verùm etiam si ceciderit, multitudinem peccatorum eius operire. quod Deus seuerè suis [Leuit. 18.] Israëlitis præceperat, Leuit. 18. n. 7. *Turpitudinem* inquit *Patris tui, & turpitudinem matris tuæ, non discooperies.* [Hesychi.] in quem locum Hesychius, lib. 5 c. 18. per parentes intelligit quoslibet seniores, & superiores, & amicos, atq; rem ita mysticè declarat. *Probibet* inquit *Deus non reuelare qualibet peccata, à cognatis, vel amicis nobis credita, ne maledictionem Cham patiamur : qui patris nuditatem fratribus patefecit.* Si enim tàm acerba maledictio Dei cecidit in cham, quòd Patris nuditatem duobus solùm domesticis, ijsq; fratribus detexerit ; quantò acrior maledictio eos manet, qui aut superiorum, aut personarum spiritualium, aut quorumuis amicorum defectus, non tantùm coram domesticis ; sed etiam extraneis, immò aduersarijs pleno ore buccinantur. Inter Ægyptias plagas [Exodi 10.] dicit scriptura Exodi 10. n. 22. *Factæ sunt* inquit *tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus, nemo vidit fratrem suum.* Cuius facti rationem nonnulli Rabbinorum tradunt hanc : Quia inquiunt voluit Deus occidere aliquos Hebræos incredulos, [Causa tenebrarũ in Ægypto.] Ægypto adhærentes, indeq; Moysen sequi recusantes, ne tamen culpa illa in Ægyptum euulgaretur, pœnam hanc sub densis tenebris Deus exequi voluit. Si ergo Deus iustissimè puniens, priùs tenebras præmisit, vt pudori Hebræorum consuleret, quid miser homo, qui nullum habet ius adtaxandas aliorum conscientias, tenebris diuini timoris non obuoluet linguam suam ? ne aliorum defectus prodat ? cùm seueram inde rationem Deo sit redditurus.

Consolationem igitur à Christo nobis porrectam habemus : quia deputabit Spiritum sanctum adarguendum nòs. proinde vt filij ad paternam castigationem proni, præparemus nos sedulò ad aduentum Spiritus sancti, vt dùm ille venerit, mentem hominis obstinatam illuminet, pro peccatis & in hominem, & in Deum commissis veniam tribuat : de iustitia non exercita, atq; iudicio temerario nos ad pietatis perfectionem, & melius de proximo iudicandum atq; Deo seruiendum nos reuocans.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Vado ad eum qui misit me.

Ioannis 16.

Christus ad Patrem abijt, vt nos per Spiritum sanctum suauiùs ad sua obsequia traheret.

REm humano intellectu imperceptibilem cœlestis ille Magister Christus nobis hodiè considerandam proponit, Auditores : dùm se ad Patrem abire nuntiat. Quomodò enim ad eum abire potest, cum quo semper ac indiuisibiliter idem est ? si ergo in gloriosa Christi humanitate fuit & Persona Patris, & persona Spiritus sancti, vt pote propter summam incircuminsessionem inseparabiles à na-

tura diuina, proinde licet ſola Filij perſona verè incarnata fuerit, nihilominùs propter connexionem indiuiſibilem, & concomitantiam exiſtebant in Chriſti humanitate : quemadmodùm licet ſola anima immediatè vnitur corpori, ſimul tamen in eodem corpore intellectus animam comitatur. Royardus. Reſpondet Royardus Filium ad Patrem à quo nec loco, nec naturâ diſtabat, duobus modis rediјſſet. Primò, ſecundùm humanitatem : ſecundò, ſecundùm naturam Deitatis. ratione humanitatis rediјt : quia ante paſſionem vtebatur vita vegetabili & ſenſitiuà, quod patet, : quia aſſumpſerat naturam humanam cum omnibus facultatibus, proinde & cum appetitu ſenſitiuo, licet ille appetitus ſenſitiuus nunquàm rationem eius præuenire potuerit ac perturbare, nunquàm peruertere voluntatem, nunquàm in obiecta illicita inclinaſſe ; quia Chriſtus habuit dominium in omnes corporis paſſiones ; quemadmodùm Adamus in ſtatu Innocentiæ. Redijt ſecundò ratione naturæ diuinæ, non quod aliquandò ſeparatus fuerit, ſed vt magis inclareſceret creaturæ : qui enim antea tantùm homo credebatur, poſtquàm ad Patrem abijt, Filius Dei à toto mundo cognitus eſt. Deum agnouit infernus ; ſummam eius omnipotentiam admiratus, cùm vi propriâ ſpoliatis inferis genus humanum ad amiſſum libertatis diuinæ ſtatum reduceret agnouerunt diſcipuli diuinitatem, in glorioſâ reſurrectione humanitatem venerantes : crediderunt denique omnes gentes, vbi ad Patrem abeuntem inaudirent. Cauſas igitur explanabo, cur ad Patrem abierit.

Rationem cur ad Patrē abeat, ſtatim ſubiungit : *ſi non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* S. Chryſ. S. Chryſoſt: conſiderans hæc verba, ſerm. 3. de Aſcenſione : *Itane inuiſa Paraclito præſentia Chriſti, aut contuberniū Dominicæ carnis Spiritus ſanctus horrebat ?* & reſpondet : *Niſi præſentia carnis, veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupatam mens non admittit, non capit animus, non capit affectus.*. Idcircò, quia Apoſtoli omnem ſuum collocaſſe videbantur amorem, totumq; fixiſſe in Chriſti corpore affectum, Chriſtus ſe oculis eorum ſubtrahere voluit, ne ſolùm corpus nimio proſequentes affectu, ſpiritum inuiſibilem, qui intus cor hominis illuſtrat, negligerent. fortiter enim in vna re fixa intentio, ad aliam inepta eſt, cùm pluribus intentus, minor fiat ad ſingula ſenſus. Quod confirmat S. Gregorius lib. 8. Moral cap. 12. Chriſti verba referens : *niſi me deſieritis corporaliter cernere, nunquàm diſcetis ſpiritualiter amare ; ſi ab intentionis veſtræ oculis corpus non ſubtraho.* S. Greg. Miraberis certè affectum humanum etiam honeſtiſſimum, qui in Apoſtolis erat erga Chriſtum, obſtitiſſe ; quo minùs Spiritus ſancti capaces eſſent. & ita ſanè eſt. etiam ipſa Chriſti humanitas præſens, impedimento eſſe uidetur, ad recipiendum Spiritum ſanctum. Nam vt Euangeliſtæ ferunt, poſtquàm Chriſtus tres diſcipulos in montem excelſum Thabor ad duxit, transfiguratuſq; coram illis, ſe illis ſpectandum exhibuit, ſtatim ipſa corporis Dominici pulchritudine contenti, æterna ſpernere cæperunt, inquientes : *Domine bonum nos hic eſſe.* Theoph. Conſiderans hoc ipſum Theophylactus, ſubtiliter diſcurrit ; *quomodò* inquit *præſente Chriſto Apoſtoli Spiritum ſanctum recipere non poterant, ſiquidem Chriſtus omnem habuit poteſtatem in homines, proinde etiam præſens eoſdem permouere potuit ad interiorem Spiritus ſancti amorem.* quod de ſeipſo teſtatur. Matth. 28. Mat. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*: habuit enim poteſtatē imprimis creatoris, quàm homines effugere etſi vellēt nullatenùs poſsūt. relatio quippè facit, vt ſe illi, nolint velint, ſubmittere debeant. alteram Redemptoris, quam ſibi magno ſanguinis pro noſtro remedio fuſi pretio comparauit, hanc quicunq; ſponte ſua agnoſcunt, fit, vt illum ſoſpitatorem ſuum religioſè colant, reuerenter obſeruent, humiliter ac demiſsè adorent. Quomodò ergo in tanta poteſtàtis plenitudine dicit, *niſi ego abiero, ſpiritus non veniet ad vos.* Oleaſter. Reſpondet Oleaſter ſupra Exodi 25. *Potuit quidem, ſed ſe oculis noſtris ſubtrahere maluit, ne nos cogeret ad virtutem, & inuiti faceremus, quæ nos voluit noſtra ſponte peragere.* Quod illuſtrat Oleaſter diſcurſu hoc, inquirens ; quare cùm Dominus in ſplendida maieſtate Apoſtolis in monte Thabor apparuit, ſi eos voluit illo ſuo ſplendore ad amorem æternæ felicitatis permouere, quare in alio monte non oſtendit illis ſuperbum illum Angelum, Principem omnium dæmoniorum, denſa & caliginoſa nube intectum, ſeptum horribilibus flammis, oculis flammatum, & ore ſacrilegas blaſphemias vomentem, vt vociferaſſet : *hæc eſt pæna ijs debita, qui ſe paſſionum ſuarum inſanæ libidini & ſtultæ concupiſcentiæ totos commiſerunt.* Voluit inquit Chriſtus non terrore hominem ad ſua obſequia adigere, ne cum dolore & mæſtitia illi ſeruiret, ſed oſtenſione claritatis allicere cupit, vt cum voluptate & prona voluntate noſtra ei officia perſoluamus. ſic oberat præſentia Chriſti, quia cogere debuiſſet hominem ad amorem cœleſtis gloriæ, idcirco ad Patrem abire voluit. Planè ſimilem ſe Chriſtus exhibuit matri infantem nutrienti. Hæc quamdiu ad vbeta pendentem ſuo lacte nutrit paruulum, licet ipſum ſummopere amet ; quia tamen imbecillum videt, depellit illum à ſuo vbere, vt ſolidiorem guſtans cibum, fortitudinem diſcat acquirere. Chriſtus Dominus quamdiu Apoſtolis præſentiam ſui corporis exhibuit, fuit quaſi nutritia mater ; ſed cùm carnalis iſte cibus debiles & ignauos circa ſpiritualium curam redderet, depulit illos à ſua carne, vt ſolidiorem cibum guſtantes, ſcilicet Spiritum ſanctum, maiorem fortitudinem ad laborandum, & Deo ſeruiendum acquirerent. Genes. 27. Hiſtoria ſacra Geneſis 27. refert. Abrahamum feciſſe conuiuium magnum in die ablactationis filij ſui Iſaac: at cur non in die natiuitatis, aut circumciſionis ? quia ſcilicet naſcimur carnales, ablactamur ſpirituales. Niſi naturæ ductum & amorem abdicemus, Spiritus ſancti ductum ſequi, eiuſq; amore inflammari non poſſumus. Tantum igitur miſera caro nocet homini, vt ſpiritualibus negotijs propter illam nullatenùs incumbere valeat, de quo grauiter S. Bernardus : S. Bernar. *Audiat, qui huic ſterquilino ſemper inhæret, qui carnem fouet, carnem ſapit : illam conſolationem ſupernæ viſitationis, torrentem voluptatis, illam ſperare gratiam ſpiritus vehementis, quam vt veritas ipſa teſtatur, ne cum ipſa quidem verbi carne percipere vllatenus Apoſtoli potuerunt. Errat omninò, ſi quis illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa ſpiritus miſceri poſſe huiuſmodi illecebris arbitratur. Vna enim anima Deum & mundum, carnem & ſpiritum, terram & cælum capere ſimul non poteſt.* Apoſtolus conſiderans. quantum caro noceat homini ad diuina, dicit ad Rom. 8. Rom. 8. *Qui in carne ſunt Deo, placere non poſſunt.* Ad quod Cregorius magnus lib. 14. in Iob cap. 29. reſpondet : *In carne* inquit *ſecundùm naturam homo Deo placet : in carne autem corrupta diſplicet : placet ſecundùm naturam, quia Dei opus eſt in innocentia conditum.* Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 3. Tertull. *Caro & ſpiritus Dei res, alia manu eius expreſſa, alia afflatu eius conſummata : placet hæc caro quia illam aſſumpſit.* Tertull. de carne Chriſti cap. 9. Hæc omnia terrenæ originis ſigna & in Chriſto fuerunt : Hæc ſunt quæ ipſum Dei filium celauerunt. Placet hæc caro, quia Deum viſura eſt. Iob 19. Iob 19. *in carne mea videbo Deum.* Lucæ 3. Lucæ 3. *videbit omnis caro ſalutare Dei.* Actor. 2. Actor. 2. *Effundam ſuper omnem carnem de ſpiritu meo.* Sed caro corrupta diſplicēt Deo, & ad ſuſcipiendum Spiritum ſanctum impedimento eſt. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, vt non quæcunque vult, faciat. Idcirco exemplum dedit nobis Chriſtus recedens à nobis in ſua carne, vt nos quoq; ab hac miſera carne omnis corruptionis plena fugiamus, cœleſtibus intenti deſiderijs. 1. Corint. 15. 1. Cor. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Rom. 8, Rom. 8. *Nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto* IESV,

sv, *qui non secundùm carnem ambulant.* Ad Rom. 8. *Qui in carne sunt placere Deo non possunt.* id est, in corruptione carnis, in eius luxu, Ambr. S. ad Rom. 8. *Sapientes mundi in carne sunt, quia legi mundi sæpè suadent, per quam legi Dei repugnent, quicquid enim contra legem Dei est, carnale est: quia ex mundo est, totus autem mundus caro est.* Glossa ordinaria ad illa Euangelistæ verba Lucæ 2. 7. *Non erat ei locus in diuersorio:* respondet. *Quia diuersorium est domus, duas ianuas habens.* ô æterne rerum Saluator! si in illa natali domo Bethlehem nasci nolebas, quia duas habuit ianuas, quantò magis exosa tibi est hominis anima, cui duplex ostium, quorum altero carnis voluptatem admittat; altero verò ad captandas spiritus delicias aspiret. Lunæ enim similis est homo, hæc dùm versùs terram tota lucescit, & à sole, à quo lumen suum accepit, longissimè distat, & à superiori sui parte versus cælum tota tenebrosa est. Quid aliud mortalis homo facit, dùm superbo vestium luxu, ac terrenis voluptatibus mundo placere studet, nisi varietatem Lunæ induit, & à superiori sua parte, scilicet in anima, quâ cælum respicere debet, & à cœlesti illo Sole, qui omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, internum diuinissimi Spiritus lumen petere, totus redditur tenebrosus, peccatorum maculis deturpatus, atq; denigratus. Discite iam mortales lunæ inconstantiam fugere, & mundi huius inquinamenta deuitare. Luna quò plus luminis habet versùs terram, eo minùs versùs cælum. Anima hominis quantò magis terrenis afficitur, tantò minus capit cœlestia, tanto est à sole iustitiæ longinquior.

S. Ambr.
Gloss. ord.
Lucæ 2.

Ferunt Mathematici, lunam cùm directè solem subintrat, eiq; proxima est, superiori parte versùs cælum plenam illuminari, sed terræ obscuram reddi. Anima hominis cuius origo è cælis est, vt cælo plena faciè splendeat, diuinum solem Spiritum sanctum in corde suo continere debet, & vt Deo suo plenè fruatur, à terrenis voluptatibus, & solatijs, & honoribus remotissima esse debet: *Omnia mundana homo contemnere debet, vt Deo placeat.* Apostolus ad Philipp. 3. *Omnia pro stercore & detrimento habere volo, vt Christum lucri faciam.* Quod confirmat D. Bernardus in declamatione de bonis deserendis: *Lux interior exterioris impatiens est, ignis est, inania sola non admittit, aut exuri folia vanitatis, aut certè si illa præualuerint, extingui ignem necesse est.* Docent Naturalistæ interiorem calorem tantò vehementiorem esse, quantò magis homo exteriùs friget: è contra, tantò debilior, quantò circumfusus aër calidior. Similis est certè antiperistasis in amore Dei: quantò enim ad ea, quæ foris sunt, mundi huius & carnis oblectamenta animus se per amorem plus diffundit, tantò minus intus feruet, eaque quæ ad interiorem hominem spectant, minus appetit, totum hominem, totum cor, totum animum Deus inhabitare & possidere vult, idcirco totus homo mundanis rebus carere debet, vt diuinæ gratiæ infundendæ relinquat locum. 3. Reg. 3. vox meretricis erat: *nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Meretrix est mundus iste, qui veræ matri, scilicet Christo, hominem ad delicias suas furari vult, diuidi eundem cupiens, vt nec Deo, nec sibi relinquatur, sed in diuisum diaboli regnum pereat; Christus autem tanquam vera mater diuidi hominem non vult, in terrena & cœlestia, sed cælo eum seruare cupit. Christus igitur abijt ad Patrem, vt nos exemplo suo doceret, quòd spretis temporalibus bonis, æterna maximè debeamus curare. abijt ad Patrem, vt & homo illum imitetur, & ex hoc fallaci mundo prosperè ad Deum, à quo conditus, conseruatus, & redemptus est, cum meritis cœlesti præmio dignis abire studeat. abijt cum sua carne à nobis, vt ostenderet hominem non ea, quæ carnis sunt, sed quæ Dei sunt, sequi debere. abijt denique, vt nos per Spiritum sanctum illuminatos, ad cælestes illas sedes euocet.

Philip. 3.
S. Bernar.
3. Reg. 3.

Quare quoniam solus Deus animam hominis sibi desponsauit, vt in ea inhabitet 1. Corint. 3. *vos estis templum Dei.* & 2. Corint. 6. *Inhabitabo in eis & inambulabo,* deserite iam momentaneas mundi delicias. 1. Corint. 1. *qui vxores habent, tanquàm non habentes.* ecce negantur vobis omnia illicita & carnalia, fugite mundanas voluptates: *Præterijt enim figura huius mundi.* ibidem hoc vnicum cogitantes, quomodò cùm Christo ad Patrem æternum, æternis illis vsuri delicijs, feliciter possitis abire.

1. Cor. 3.

EADEM DOMINICA, CONCIO QVARTA.

Ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. *Ioannis 6.*

Veræ reprehensionis inducuntur tres assessores, iustitia, peccatum, iudicium.

Scelera punire, & iustam de illis summere vindictam, rationi summè consentaneum videtur: quoniam iustitia custodit regna, ac florentissima reddit; clementia verò stabilit thronum Principis. Pulchrè hoc expressit Maximilianus II. Imperator, qui aquilam depingi iusserat, vno pede laureum sertum tenentem, & altero ignita fulmina ostentantem, apposita inscriptione: **In opportunitate vtrumq;.** Palam faciens, nihil magis decere optimum Principem, quàm clementiam, vt cum bonis subditis, non tanquàm Dominus cum seruis; sed velut pater cum filiis viuat: pariter quoq; seueritatem Regibus necessariam esse, vt in malos iusto rigore animaduertant. Deo pariter Optimo Maximo hæc duo, clementiã, & iustitiam cum seueritate connexam attribuit cœlestis sponsa Cant. 1. illis verbis: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Quia sicut Botrus non semper eadem formâ in vite cernitur, sed in diem crescit, & maior efficitur; ita Christus Dominus talis apparet, qualis is, qui eum capit, idoneus apparet. sic elucidat D. Gregorius Nyssenus hom. in Cantica, inquiens: *Qui natus est puer Iesus, qui in ijs, qui ipsum susceperunt, diuersà proficit sapientia, & ætate, & gratià, non est idem in omnibus sed pro modo eius, in quo est, quatenus is, qui ipsum capit, est idoneus, talis apparet, aut infans, aut proficiens, aut perfectus conuenienter botri naturæ, qui non semper cernitur in vite eadem formâ, sed formam mutat cum tempore florens, perfectus, maturus, & vinum factus.* Hoc totum eleganter satis explicat Paschasius in Matthæum, affirmans ex veteri traditione, in sanctissima Christi faciè pro rerum opportunitate, & diuersis eorum, qui illum aspiciebant meritis, duas formas, vnam suauissimam, alteram seueriorem reluxisse. Sic enim libro. 12. apertè loquitur in Matthæum: *vera videtur illa traditio, de qua supra iam memini me dixisse, quia erat in facie Iesu nonnunquàm quædam diuinitatis eius consperfio, ita vt duæ formæ in eo vicissim apparerent, vna secundùm quàm omnes eum videbant; altera secundùm quam in monte transfiguratus legitur. Quam sanè formam sic vicissim temperabat, vt vnicuiq; appareret, secundùm quod fuerat dignus.* Quod magis adhuc clarum facit locus ipse, & positio vinearum Engaddi: nam Engadditanæ vineæ inde maximè commendantur, quòd arboribus simul aromaticis, signatè verò oliuis consitæ essent. De aromaticis plantis D. Ambrosius verba citata exponens in Psalmo 118. serm. 3. ita dicit: *Engaddi si locum quærimus, regionis cuiusdam, quæ in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opo balsamum gignitur.* De oliuis verò peculiare testimonium habetur Ecclesiastici 24. in illis verbis: *Quasi oliua speciosa in campis,* Græcus textus habet: *In Engaddi.* Profectò vineæ oliuis consitæ, alijs vineis in eo maximè præstant, quòd vites in ea pingui terra radices agentes, pinguem etiam oliuarum succum sugant, atq; in sepsis imbibentes, adeò dulciter, & molliter pinguescant, vt suauis ille, pinguisq; succus per vuas ipsas exteriùs transfundi videatur. Quid frequentiùs in

Clementia & seueritas Principe decet.
Cant. 1.
S. Greg. Nyssenus.
Facies Christi diuersis diuersa apparebat.
Paschasi.
S. Ambr.
Eccl. 24.

ùs in ſacris literis inuenimus, quàm vt vinum, iuſtitiæ ſymbolum, ita oleum miſericordiæ typum eſſe. De primo enim ſic dicit Regius vates Pſal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus miſto & inclinauit ex hoc in hoc: verum tamen fæx eius non eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Et Pſalmo 77. *Et excitatus eſt tanquàm dormiens Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora: opprobrium ſempiternum dedit illis.* Et Apocal. 16. *Bibet de uino iræ Dei,* Et ibidem 14. *Calicem vini indignationis.* Et iterum 19. *Torcular vini furoris iræ.* Ergo dùm Chriſtus Dominus non ſimpliciter *botrus Cypri,* ſed ſignatè *in vineis Engaddi* eſſe dicitur, idem videtur eſſe, atque ſi dicatur, nunquàm ipſum iræ vinum effundere, quin illud miſericordiæ oleo attemperet. Paucis multa? vultis Dei miſericordiam cum iuſtitia, clementiam cum ſeueritate connexam agnoſcere, ponite ante oculos veſtros Caimum fratricidam, Iudam Chriſti proditorem, Saulum Eccleſiam ſanctam perſequentem, quos clementiſſimus Deus benignè tolerauit. Vertite pariter oculos ad iudicia exercita in mundo antiquitùs, & videte Sodomam ſulphureis ardentem flammis, & ſuæ luxuriæ eaſdem decretas pœnas audite; videte voratos Abyronis factionarios, & cauete ambitionem tanquàm rem iudicatam, ac ſimiliter damnatam. Quidquid pœnarum in alios peccatores venerit, eaſdem veſtris flagitijs timete, niſi caueatis. Quæ enim ſemel in aliquo damnata crimina ſunt, ſimilem damnationem oſtendunt in ſequentibus. Sic de Iuda refert Petrus Actor. 1. *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Sub qua pœna poſtea Arrium, eiuſdem criminis reum notat D. Amb. lib. 1 de Fide cap. 9. inquiens: *Crepuit Arrius, ſicut de Iuda Petrus Apoſtolus dixit, quia in faciem proſtratus crepuit medius, & effuſſa ſunt omnia viſcera eius. Non eſt fortuita mors, vbi in ſacrilegio pari pœna parile præceſſit exemplum, vt idem ſubirent ſupplicium, qui eundem Dominum negarûnt, & qui eundem Dominum prodiderunt.* Proinde quæ vni impio pœna decernitur, eadem manet ſimiles ſequentes. Diuiniſſimus itaq; ſpiritus; qui eſt conſolator optimus, venit hodiè in mundum, vt nos arguat de peccato, cuius arguitionem dulci attemperatam eſſe clementiâ oſtendam.

Pſal. 74. — Pſal. 77. — Apocl. 14. — Actor. 1.

Vt reprehenſio clementiam redoleat, tria ad illam concurrere debent, iuſtitia, peccatum, & iudicium. Iuſtitia inprimis, vt is, qui arguit, poſtpoſito omni reſpectu, ſolam æquitatem præ oculis habeat, quod vel ex hoc vno cognoſcite exemplo. Quando mulier illa peccatrix, elogio nobilis, importuna conuiuio, veniæ opportuna, ad pedes Ieſu prouoluta cœpit in lachrymarum balneo, in Chriſti pedibus priſtinæ abluere impudentiæ veſtigia: videns Phariſæus qui vocauerat eum, aiebat intra ſe: *Hic ſi eſſet propheta ſciret vtiquè, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Quæ verba exponens ſanctus Auguſt. ſerm. 11. ad Fratres de cautela à libidine, ita diſcurrit: *Quia ergo eam Phariſæus repulſurus eſſet, cùm hoc Dominus non fecit, exiſtimauit eum neſcire, quæ illa eſſet, & dixit apud ſemetipſum: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret, quæ mulier illi acceſſit ad pedes. Non dixit repuliſſet eam: ſed ſciret, quæ eſſet: tanquàm eſſet conſequens, vt ſi ſciret, repelleret. Ex illo ergo quòd non eam repulit, etiam neſcire eum pro certo ſuſpicatus eſt.* Videns igitur Chriſtus, quòd à Phariſæo non comiter, & pro dignitate tractaretur, dùm vrbanitatis officia conuiuis exhiberi ſolita, ipſe Domino ſuperbè denegauerit: non enim pedes, antequàm ad menſam accumberet, lauari ei præcepit, cùm eſſet id apud Iudæos valdè frequens; nec ſalutationis causâ, quod æui illius conſuetudo ferebat, oſculum dedit: ſimiliter nec ſacrum ipſius caput inungi curauit, cùm orientales in ſuis conuiuijs pretioſis vti vnguentis in more haberent. Hos tamen omnes vrbanitatis defectus tamdiu diſſimulandos, ſilentioq; premendos Chriſtus

Clemens reprehenſio tria habere debet. — Lucæ 7. — S. Auguſt. — Orientales in conuiuijs pretioſis vnguentis vti ſoliti.

ſtus Dominus duxit, quamdiu Magdalena domum conuiuij ingreſſa, à ſuperbiſſimo Phariſæo impudicitiæ, ac priſtinarum ſordium notata fuit. Tunc primùm enim, vt piam fœminam à tàm importunis calumnijs vindicaret, ſuas etiam iniurias, quas antea reticuerat, in medium proferre, atq; ſingillatim in hunc modum perſequi voluit: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, & oſculum mihi non dediſti, oleo caput meum non vnxiſti.*

Et cur non antea Chriſtus increpauit Phariſæum, niſi cùm talia intra ſe cogitaret? an certè hæc antea non fuerunt à Domino animaduerſa? Abſit: cognouit quidem Chriſtus, ſed pro ingenij ſui lenitate diſſimulauit, omiſit, oblitus fuit: at verò cùm in Magdalenam peccatum eſſet, ab eius iniurijs manuductus, ad ſuas etiam vindicandas acceſſit. *Conuerſus ad mulierem dixit Simoni: vides hanc mulierem, intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti.* Similiter cùm eadem pia mulier in ſacrum Chriſti caput, pretioſum vnguentum effunderet, præclarumq; id facinus Iuda criminaretur, ſacer Euangeliſta non ſolùm malignum proditoris animum detexit, ſed ipſam ſimul eius rapacitatem, & furta ad illud vſq; tempus contecta, & quæ, niſi iſta ſe obtuliſſet occaſio, ſempiterno forſan inuoluta fuiſſent ſilentio, omnibus patefecit, & in lucem protulit. Ioan. 12. *Hoc autem dixit, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat: & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Ecce reprehenſionem iuſtam ſine reſpectu: apparauerat Phariſæus ſumptuoſum conuiuium, apponebat exquiſita fercula, tractabat Chriſtum lautè; Chriſtus tamen minimè hæc reſpiciens, vbi cor eius iniquitate occupatum vidit, liberè reprehendit, vt oſtenderet crimina ſine reſpectu arguenda eſſe. O vtinam præſentis ſæculi Iudices hoc præclarum Chriſti factum imitentur, vt dùm cauſa decernenda eſt, non conuiuia, non munera reſpiciant, ſed ſolam iuſtitiam præ oculis habeant.

Lucæ 7. — Ioan. 12.

Duo Pharaonis ſerui vincti in cuſtodia detinebantur, ambo cum Ioſepho erant condemnati, ambo in compedibus, ambo in tenebricoſo carcere, ambo vt ſic loquar in tormento, ambo ſomniarunt. Vidit vnus frondoſam vitem, pampinis dilatis ornatam, vuarum feracem, & inſuper quòd poculum Pharaonis ſua manu teneret. *Videbam* inquit *coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas.* Vidit alter tria caniſtra farinæ delicatiſſimis palato obſonijs referta: *Et egò vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum.* Genes. 40. Audiens Ioſephus vtrumque ſomnium ſibi relatum, tanquàm optimus futurorum coniector, priori quidem non ſolùm enuntiauit vinculis fore abſoluendum, ſed etiam in antiquæ dignitatis apice collocandum: *Tres* inquit *dies ſunt, poſt quos Pharao recordabitur miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* At verò alteri ominoſiſſimum aperuit ſomnium, cruces, & auium morſus prædicens: *Tres adhuc dies ſunt, poſt quos Pharao auferet caput tuum, & ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Quàm differens vtriuſq; ſententia, dùm ambo peccantes in carcerem intruſi eſſent: qualis vnius dolor, qualis alterius lætitia: inquiramus pauliſper, cur vnus periculo exemptus, alter ſupplicio infami punitus.

Genes. 4.

Cauſam huius rei ſolam Pharaonis voluntatem aſſignat Rupertus, vt ex inde nemo cauſari poſſit ſe condemnatum, alterum ſolutum, cùm ambo fuiſſent peccatores; & quòd vnum voluerit Pharao dimittere, alterum condemnare, tribuens, quod ſuum, nemini eum feciſſe iniuriam affirmat. Licet ſi vellet, vtriq; condonare potuiſſet: *Communem ergò iram* ait ille, *vel communem vtriq; poterat exhibere clementiam, verùm hoc, vel illud pro poteſtate facere voluit? ſed medium tenens in alterum quidem iram, in alterum clementiam oſtendit; an hoc in illo quiſquam reprehendit? non vtiq; cum firmamento rationis: nam ſicut clementia honor*

Rupertus.

nor eſt Principi, ſic & honor regis iudicium diligit : etenim vbi totum punitur, regia ſeueritas crudelitate polluitur ; vbi verò totum remittitur, facies maieſtatis ſine metu diſciplinæ contemnitur. Hoc autem ex eo deducit Rupertus, quia per duos iſtos reos, intelligit myſticè ſignificari reproborum ac Prædeſtinatorum populum, ex quo licet omnes peccaſſent, totamq; Adamus corrupiſſet maſſam, tamen aliqui electi, aliqui reprobati ſunt, ait Rupertus lib. 8. in Geneſim, cap. 37. *Quis porrò neſciat, mundum vniuerſum totam humani generis maſſam, ſic eſſe, vel fuiſſe in manu Dei, tanquàm duos reos, vel duos vinctos in manu regis? etenim ex quo pater omnium protoplaſtus Adam peccauit, vniuerſi ſecundùm illum rei omnes propter illum fuimus vincti : ergo duo ſunt rei, ſed vnus aſſumitur, alter relinquitur.*

Egregiè ſanè, ex quibus omninò ora illorum ſciolorum contunduntur, qui ineptè, ac inſenſatiſſimè, aut Deum acceptorem perſonarum faciunt ex electione, aut crudelem ex non omnium ſaluatione ; non conſiderantes miſeri ſe Deo illud denegare, quod ne homini quidem viliſſimo, quatenus nemo reprehendit Pharaonem vni peccatum dimittentem, alterum condemnantem, cùm in ipſum peccaſſent, vt dicit ſcriptura Geneſis 40. (Genes 40.) *His geſtis, accidit, vt peccarēt duo Eunuchi, pincerna regis Ægypti, & piſtor Domino ſuo* ; Deum verò ſummum reprehendere audent, *vt homo, qui per vitium ſuum factus eſt lutum, non habeat poteſtatem, ſicut figulus de eodem luto, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam facere*, dicit citatus Rupertus. cùm omnes homines eſſent ex maſſa lutea, non aurea, vt idem Auctor addit : *Figulus namq; luti nihil luto adimit, faciendo de illo vas in contumeliam, cùm ipſum lutum contumelioſum ſit ; multum autem illi confert, dùm ex eo vas in honorem facit.* Egregiè profectò, ſi maſſa eſſet argentea, ſi aurea, ſi ex ſe honore digna, ad vas illam deputare contumeliæ, neſcio quid iniuriæ, neſcio quid oppreſſionis, ac violentiæ illi inferri cenſeretur. At verò dùm lutea, fœtoſa, putrulenta culpâ ſuâ, non Dei, illam ſic relinquere, nulla violentia, nulla iniuria eſt : quemadmodùm è contra, ex illa eligere vas in honorem, multum luto collatum, multum ex eo Dei miſericordia illuſtris ac ſublimis dici meretur.

Fateor veriſſima hæc, & ſummè ſolida eſſe ; quia tamen nullam prorsùs in Pharaone extitiſſe cauſam, cur vnum ex illis duobus abſolueret, alterum condemnaret, eſt contra mentem omnium Scripturæ ſacræ expoſitorum, ideo placet aliquam iſtius facti rationem indagare. Hanc duplicem potiſſimùm inuenio. Primam infidelitatem, aut in regis vitam, aut in bonis, vel luxurioſè ea prodigendo, vel auarè in ſuum emolumentum deriuando, vt ſic infideles muneris & miniſterij, quo fungebantur, extiterint, vt Abulenſis cùm Lyrano cenſent. Comprobatq; Philo libro de Ioſeph, vbi quærens, cur ab auibus laceretur, qui Principi edulijs artificioſiſſimis adulabatur? Reſpondet, imò quia edulijs omnibus adulabatur, meritò auium roſtris diſcerpitur. Ille quippè ambitionis flammà ſuccenſus, omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria offerebat, vt gratiam Principis inueniret : vtque ſolùm vnius exambiret gratiam, multis inferebat iniuriam. Hi ergo iniuriam paſſi carnium morſibus recuperàrunt, quod illum iniquiſſimis artibus abſtuliſſe nouerunt : tot aduersùs illum iudices interpellârunt querulæ, vt opus fuerit morte illum damnare ad ſatisfaciendum iuſtitiæ. *Quod alijs intulit*, ait Philo, *ipſe patitur : quippè qui eſurientes, & ab ipſo pendentes diuturna fame cruciauit.* (Philo.) Omnia illius erant vota inſeruire Principi, adulationibus, obſequijſq; non ſine multorum iniuriâ ſibi promereri gratiam, ideo dignam mortis promeruit ſententiam. O quoties quod illius ſomnio depictum, præſenti noſtro ſæculo ſpectamus expreſſum! nonnulli per fas nefaſq; acquirunt, quod Magnatibus ac Principibus offerant, illorum gratiæ & amicitiæ ambitores ſtultiſſimi, poſtea verò quia multis debitis

debitis prægrauati, & multorum querelis ad tribunalia accerſiti, irremediabiles coguntur ſuſtinere moleſtias, indiſſolubileſq; vinculorū ignominias.

Alteram rationem tradit Rabbi Salomon, (Rabbi Salomon.) quia pincernæ peccatum fuit leuius, & ideo veniam meruit; piſtoris verò grauius, propterea mortis ſententiam non euaſit : *Quia* inquit, *Piſtor negligenter dimiſit lapillum in pane, in quo rex dentes offendit, Pincerna quia in vino regis cecidit muſca ; condonaſſe autem Pincernæ, quia defectum caſu accidiſſe poſſibile : minimè piſtori, quia non niſi negligentiâ, ac ſupina inaduertentiâ.* En, quam ob exigua reges ſuos miniſtros occidere ſoleant? Darius ob quid Eludemum occidit? nonne ob veritatem humiliter dictam? teſte Curtio lib. 3. Cambyſes ob quid Filium Prexaſes? nonne quia interrogatus ab illo veritatem modeſtiſſimè prompſit? Auctore Seneca lib. 1. de ira cap. 14. Liſimachus cur miſerè Pantaleonem interfecit? nonne ob vnam leuem irreuerentiam? vt ſcribit Eraſmus in lib. Apophtegmat. Alexander cur Clitum? Herodes cur Ioannem? nonne ob veritatem. Et quidem hæc vitia anteactis ſæculis rara admodùm erant; at verò noſtris temporibus ita increbuerunt, vt rarum Principem videas, qui ſubditum vera ſibi dicentem, ad ipſam vſque mortem non perſequatur.

Decreuerat Aſſuerus Rex peſſimis informatus conſilijs, vt Iudæorum populus in cunctis eius prouincijs diſperiret. Quo audito Eſther regina ad orationis aſylum confugit, numiniſq; auxilium implorare cœpit. Poſtea puellis comitata, & ornatu religioſè pompatico exculta regis tribunal adijt : ſedebat ille eo habitu, quo ſuam maieſtatem diuinæ ſimilem alijs oſtentaret, auro fulgidus, & pretioſis lapillis regiæ veſti intextis ad miraculum decorus; aſpectu tamen terribilis, & ipſis etiam viris formidandus. cùmq; illa ardentes eius oculos, interni furoris indices, toruos videlicet, atq; minaces ſpectaret, terrore exanguis corruit, & præ timore pallida nutabundum ſupra puellarum humeros caput recliuauit. Rex nouitate rei obſtupefactus de throno deſiliens, blandis mœrentem ſolatus eſt verbis, & timoris exemit perturbationem ; cauſam tanti metus ſciſcitans : at illa tantiſper ſibi reddita reſpondit : *Vidi te Dominè quaſi Angelum Dei.* Eſther 15. (Eſther 15.) Quis non plena adulationis verba putaret? Quippè Regem veluti Angelum ſpectaſſe, maiorem oblectamenti debebat afferre cauſam, quàm perturbationis anguſtiam, proinde regina de Angelica ſimilitudine lætari potiùs debuit, non expaueſcere. Nihilominùs ſi rem ipſam profundiùs ſcrutari voluerimus, & ſpeciem Regis cum reginæ voto contulerimus, cauſam metus rationabilem facilè comperiemus. Tulerat ille ſententiam errore ductus, & conſilijs improbiſſimis incitatus in Iudæorum extirpationem ; regina verò nitebatur ſententiam illam vt potè errore innixam fore retractandam, ſed quia exteriùs velut Angeli ſpeciem intuebatur; hinc gelidus timor eam conturbauit. Sciebat enim optimè illud Angelis ineſſe ingenium, vt quod ſemel decreuerint, fixo immutabiliq; voluntatis propoſito proſequantur : quia ergo regem ſpectauit quaſi Angelum, timuit nullatenùs retractandum fore decretum, imo aduersùs veritatem præmuniendum firmius propoſitum. Hoc colligo ex D. Thoma 1. p. q. 64. art. 2. vbi ſic habet : (S. Thom.) *Differt apprehenſio Angeli ab apprehenſione hominis in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus. Vnde voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quaſi potens etiam ab eo diſcedere, & contrario adhærere ; voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter.* Ecce cauſam timoris! in tribunali vidit Angelum, ideo timuit ſic immobiliter errori adhæſurum, vt nullatenùs vellet retractare decretum. Equidem Principes, ac Iudices in ſuis tribunalibus debent eſſe quaſi Angeli, vt veritati & iuſtitiæ immobiliter adhæreant. (Principes in quo Angelis ſimiles.) Angelus caret auribus,

auribus, oculis, manibus, eſt immortalis; talis eſſe debet Princeps, & Iudex quilibet, vt careat manibus ad accipienda munera; careat auribus ad audiendas promiſſiones; careat oculis, ne ſit acceptor perſonarum, & ne plus ſanguini, quàm æquitati deferat. Angelus pingitur cum bilance, & gladio: hanc Angeli ſpeciem Principes & Iudices repræſentare debent, vt bilance vtriuſque partis merita ponderent, & gladio ſcelera comprimant, ne impunita graſſentur: quia ſecus facientes Spiritus ſanctus arguet de iuſtitia.

Præterea ad veram reprehenſionem, & iudicium faciendum peccato aſſeſſore opus eſt: hoc eſt, vt qui iudicat, & arguit, non niſi delicta, non niſi ſcelera iudicet, atq; arguat. Ridiculum hæc quiſpiam putaret, cùm vtiq; bona opera laudem mereantur & ſola vitia reprehendi debeant. Subſcribo huic veritati, cæterum in noſtra contrarium frequenter republica practicari videmus, vbi crimina impunita manere; perſonas verò innocentes opprimi ſpectamus. Sit homo ſceleratiſſimus, dum modò locuples, aut parentelatus, fauorabilem ſententiam audiet, liber pronuntiabitur. Sit alius virtutibus clarus, ſi tamen omni copià rerum deſtitutus, & ad corrumpendos iudices impotens, cauſâ ſuà etiam iuſtiſſimà cadet, quod vel ex hoc ipſo cognoſcite. Dei Filius ſic hominum amore flagrabat, vt nullas in operando permiſerit ſibi inducias, ſabbathis etiam humanam miris modis procurando ſalutem. Quid verò Phariſæi? cùm negare non poſſent ſtupenda Chriſti miracula, vt tamen calumnijs apud populum infamarent, ingratis vocibus exertiſq; clamoribus ſabbathi violatorem obmurmurabant: *Non eſt inquiunt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit.* (Ioan. 9.) De operum ergo diſſimilitudine opus improbabant peruerſi, & denegabant virtutem maligni, adeoq; apud populum hæc criminatio valebat, vt ipſe Dominus cùm alijs criminationibns nõ reſponderit, huic de ſabbathorum violatione prudentiſſimus ſatisfecerit. Deus inquiens, niſi omni parte abſoluto, perfectoq; homine non quieuit ſabbatho: ideo ego vt ſabbathis quieſcam, medelam afflictis morbo hominibus adhibeo, eorumq; vtilitatem exopto.

Necdum ſatis: ſanauit Chriſtus cæcum à natiuitate, Phariſæi vt tàm inauditum opus calumnijs obfuſcarent, hominem illum cui iam viſus reſtitutus erat, aduocantes in concilium, ſeriò examinare cæperunt, quomodò ei viſus reſtitutus eſſet. Reſpondit ille virtute diuina id factum, agnoſcens, & palam proclamans Chriſtum eſſe verum Deum, his verbis: *A ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam.* (Ibidem.) Videntes autem ita conſtantem in Chriſti diuinitate profitenda perſiſtere, ad probra & contumelias deſcenderunt: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos.* Et vnde obſecro ſciebant illum in peccatis eſſe? ſi ob peccatum originale, ſatis temerarium dictum: quia omnes in illo concipiuntur, & naſcuntur. Si ob peccata actualia, quomodò hæc committere debuit, cùm in cæcitate natus neminem noſſet, & in vno ſemper loco hæreret: ſane ex eo: quia pauperem eſſe ſciebant; pauper autem licet cæcus, licet alias peccare impotens, tamen in peccatis eſſe præſumitur. Hoc eſt peruerſum mundi iudicium, vt pauperem licet optimum ſemper in peccatis eſſe iudicet.

Duo portentoſa myſteria vidit ſanctus Ioannes in ſua Apocalypſi: inprimis mulierem decoro lumine veſtitam, & breuî parituram, quam draco virulentus pertinaciter inſequebatur, gehennalibus emiſſus latebris explicabat ceruleas ſpiras, & oculis eiaculabatur flammas: *Draco ſtetit ante mulierem, quæ paritura erat, vt cùm peperiſſet filium, deuoraret eum.* (Apoc. 12.) Quid verò mulier, fragilis ſexus conſcia, & primæuæ matris ſtragibus erudita, fugit in ſolitudinem. Prudens enim vitauit ſemper ſcopulum, vbi alteram incurriſſe nouerat naufragium: prudentiſſimeq; timuit cùm verſutia ſer-

penti-

pentina congreſſum, quia nouerat Euæ caſum. *Et mulier fugit in ſolitudinem.* Serpens virulentus euomit venena pectoribus, ſolitudine inſecutus eſt commorantem, & anhelabat diuexare latentem. Quid tunc? *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum.* Inquiramus ſi placet, cur iſta mulier in ſolitudine alas non habuerit, cum eas in deſerto haberet, & quare iſtæ alæ fuerint aquilæ, quod ex differentia inter ſolitudinem & deſertum facilè comperiemus. Nam ſolitudo mundi tumultum excludit; delicias tamen non reſpuit; at verò deſertum non ſolùm eſt mundialis tumultus proſcriptio; ſed & rerum mundialium obliuio. Mulier itaq; non habebat in ſolitudine alas; in deſerto autem ſortita eſt aquilinas pennas, vt iam cœleſtibus vicinior appropinquaret: quemadmodùm aquila dùm perniciori volatu terrena deſerit, luce liberiori fruitur, & quaſi cœleſtibus conuerſatur. Vicit igitur mulier draconem, quia in deſerto commorata, omnibus mundi vanitatibus abdicatis, tota cœleſti otiò paſcebatur.

Alterum ſignum vidit idem S. Ioannes, mulierem, quam draco portabat Apocal. 17. (Apoc. 17.) *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Quid cauſæ? priori mulieri ita erat draco infenſus, vt eam perſequi non deſiſteret, donec & illam ipſam, & omne eius ſemen perderet: dicit enim Scriptura ſacra: *Et iratus eſt in mulierem, & iurauit facere prælia cum ſemine eius.* Huic autem alteri mulieri ita ſe manſuetum exhibuit, vt etiam pedibus eius calcari non recuſaret. Verùm id ex ſacro textu facilè innoteſcit: Prima enim mulier fuit pauperrima, ita vt pro veſtimentis cæli luminibus vteretur. Apocal. 12. (Apoc. 12.) *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Draco autem infernalis ſuperbia tumidus, pauperes deteſtatur, & ideo eam perſecutus eſt. At verò hæc ſecunda mulier omnibus diuitijs atq; delicijs abundabat: audite quid de illa ſubiungat Apocalypticus vates: (Apoc. 18.) *mulier* inquit *erat circumdata purpura, & coccino & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Fulgebat igitur auro, ſed obſcurabatur deſpectu: habebat veſtem gemmis, & pretioſis lapidibus intextam, ac mira varietate depictam; ſed non caruit abiectiſſimâ turpitudinis ignominiâ. Ideoque meretricem illam byſſus non ornabat, ſed prodebat: & purpura plus rubebat de probro, quàm de conchylio. Cùm ergo talem vidiſſet draco, adamauit, obſequia præſtitit, manſuetum ſe exhibuit, quia ſuam fore in æterna damnatione non dubitauit.

Audiamus adhuc, quid de iſta muliere referat Angelus in citato Scripturæ ſacræ loco: *Ego* inquit, *dicàm tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, & beſtia quam vidiſti, fuit, & non eſt;* Palam oſtendens per iſtam mulierem deſignari tyrannos, reges, & iudices iniquos. Sic enim ſtatim ibi Angelus reſoluit his verbis: *Septem cornua, ſeptem reges ſunt.* Ecce vobis ſacramentum in muliere depictum omnium tyrannorum ſeruos Dei perſequentium, qui aduersùs ſanctos ſæuiunt, ſed breui *non erunt.* Licet enim pauliſper videantur triumphare, & in delicijs eſſe, tandem tamen miſerrimè finientur. Sic cùm Dei populus in captiuitate Babylonica eſſet, & Rex Babyloniorum magis ſæuiret in ſeruos Dei, eos beſtialiter tractans, tunc Daniel raptus in ſpiritu dixit: *Vidi, quoniam interfecta eſſet beſtia, & periſſet corpus eius.* Licet ergo tunc beſtialis feritas Babyloniorum in ſumma eſſet felicitate premens, & conculcans populum Dei; dicit tamen Daniel ſe vidiſſe beſtiſtiam interfectã, vt oſtenderet finem tyrannorũ miſerrimum, per quod in captiuitate dura ſupra modum grauati ſerui Dei leuamen haberent. Pulchrè ad rem præſentem alludit Rupertus lib. 10. in Apocal. (Rupertus.)

pocal. *Sacramentum* inquit *hoc malum illius est, quod nunc ab oculis eius absconditum est, dùm in purpura nitet. Sacramentum ergo, id est, secretum est, quod illi futurum est damnationis iudicium, & hoc idcircò sanctis reuelatur, vt consolentur in Deo, nec moueantur pedes eorum, pacem peccatorum videndo.* Ecce sacramentum regum superbè dominantium, & Iudicum inique iudicantium: mulier illa adeo gloriosa, & purpureis vestibus ornata, tradita fuit bestiæ, quæ in interitum ruit. Et quid purpura cum muliere in tanto periculo constituta? imò nullo magis potuit miseræ mulieris periculum exprimi, quam purpurâ, quando sæculi dignitates nunquam non sunt naturæ humanæ mortiferæ. Sic exponit D. Ambrosius in citatum Apocal. locum: *Purpura* inquit, *& coccus stant vestimenta regalia, per quæ potestas sæcularis designatur, purpura igitur & coccus sanguinis speciē habent, quia potentia sæcularis mortifera est, & periculum sempiternum affert.*

[S. Ambr.]

[Regum & iudicū iniquorū miserrimus finis.]

An non videmus plerumq; potentes viros de sæculi theatro exituros, quibus anteactæ dignitates nihil repræsentabant, nisi ingentis perditionis pericula. Audite hæc reges, qui frequenter in tyrannos degeneratis, plus pro arbitrio, quàm pro lege facientes: audite iudices, apud quos sententia venalis est, & fas transijt in nefas, quia vestrarum dignitatum finis non alius, nisi deputari ad pœnam, quando ipsum peccatum assidebit in tribunali contra vos sententiando.

[Simulachra mutila cur Iudicibus cōsecrata.]

Tertiò tandem, ad proficuam reprehensionem requiritur iudicium, vt scilicet iudex non passione abreptus, nec affectu præoccupatus, nec furore correpus, sed solum Deum, & iustitiam, præ oculis habens, facta sufficienti deliberatione iudicet. Hinc teste Plutarcho de Iside, & Osiride, simulachra Thebis consecrata fuerunt iudicum manibus mutila, ad ostendendum, quòd abstinens, & immota debeat esse iustitia. Æquus enim iudex, quia manibus mutilus, muneribus non corrumpitur; & quia immotus, nec potentioris exambit gratiam, nec inferiori molitur inferre iniuriam; sed sub æquitatis legibus omnia disponit, nec agit arbitrum, sed ministrum. Vbi enim fauor, & potentiæ nitor attenditur, ibi æquitas sæpè corrumpitur, & luget pauper indignus sub bona causa, cùm vincat iniquus opibus sub iniqua. Apud veteres manus generationem signabat, vnde præcisa manus sterilitatem innuebat: iudicis ergo optimi simulachrum manibus excudebatur penitus orbum, ne Stratoclem, & Dromoclidem imitaretur. De quibus scribit Pierius lib. 35. cap. 27. *Quorum sermo omnis, cùm de Reipublicæ negotio aliquo capessendo, deq; tribunalibus colloquerentur, erat vt se inuicem ad auream messem inuitarent.* Nam dùm tribunal conscenditur lucri studio, æquitas mulctatur iudicio.

[Pierivs]

[Iudex cur cæcus & libris circūdatus pingatur.]

Pingebat adhuc Antiquitas iudicem cæcum vndiquè libris circumdatum, per quod duo volebat exprimere. *Primum*: non tunc primùm Iudici in libris quærendum esse, quomodò in causa procedere debeat, dùm pro tribunali sedet, sed gnarum omnium legum & constitutionum venire oportere. *Alterum*: ne sanguinem respiceret, cuius gratia adulteraret violenter iudicium, aut traheret moras nociuas. Qui enim parentelæ causas gratiùs aspexerit, aut fauore potentiæ inescatus audierit causas, lugebit æquitas, & gaudebit infelici triumpho malignitas. Nam vt scribit Seneca, cap. 1. de tranquillitate vitæ: *Familiariter domestica aspicimus, & semper iudicio fauor officit.* Hinc Iosue æternis laudibus celebratur, quòd egenorum causas nusquàm distulerit in futurum, illorumq; æquitatem non oscitanter & incuriosè transierit, nec potentium vota, si æquitate destituta libentiùs & studiosiùs attenderit. Venerant ad eius iudicium filiæ Salphaad Patre orbatæ, sortem, quæ illis iure debebatur, deposcentes: *Venerunt in conspectum Eleazari sacerdotis, & Iosue filiæ Nun, & Principum dicentes, Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum.* Quid tunc? Distulitne illarum petitionem

[Seneca.]

[Iosue magna æquitas in iudicando.]

tionem æquissimus Iudex? traxitne de industria moras, vt inualidis intulisset molestias? compulitne frequentare subsellia quousq; iustitiam redemerint munera? minimè equidem: imò petitionem è proximo causæ est secuta expeditio, dicente sacro textu: *Dedit eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.*

Produxi igitur vobis reprehensionis faciendæ tres assessores, nimirum iustitiam, tanquàm primariam ex virtutibus cardinalibus; peccatum, quod dùm homo contra seipsum statuit, facilè veniam meretur, ac demum iudicium, quod pro æquitate, non pro vllo respectu fieri debet. Igitur si vultis ne vos Spiritus sanctus arguat de iustitia, peccato, & iudicio, diligite iustitiam, fugite peccatum, & discite vnicuiq; pro meritis causæ iustum iudicium administrare.

EADEM DOMINICA, CONCIO QVINTA.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. *Ioannis 16.*

Apostoli tum propter Iudæ indignitatem, tum propter suam infirmitatem mysteria fidei non poterant intelligere.

STupendum est, quomodò Apostoli dicuntur non posse portare Christi doctrinam, qui poterant fugare dæmonia, vt fatentur ipsimet Lucæ 10. *Dæmonia subijciuntur nobis.* Qui ergo sic valebant aduersus dæmones, quomodò facti sunt impotentes ad portandam Christi doctrinam. Videtur quidem huius imbecillitatis radicem innuere sanctus Lucas in citatis verbis, quod videlicet Apostoli dæmonum è corporibus humanis, eiectionem, non diuinæ Christi potentiæ, sed sibi arrogarent. Nam postquàm dæmones fugarant à multorum corporibus, non dicebant, tu nobis subijcis dæmonia, eaq; fugas coram nobis; *sed dæmonia subijciuntur nobis*: quia nimirum nondùm eò perfectionis venerant, vt Deo referrent omnia, quò imbecilles & infirmi censebantur à Domino. Hæc est mens D. Basilij Seleucien. orat. 25. *Vnde verò* inquit *o Domine, discipulorum condemnas imbecillitatem? Quid enim? An non sitientibus auribus tua dicta excepère? An non primùm nudos contra dæmones militare iussisti, ijq; partâ victoriâ tali redibant oratione: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis? Quid ergo? Qui dæmonum phalangas subiugant, ad discendum virium non satis habent? Profectò, inquit: illud enim gratiæ meæ opus est, non virtus eorum intelligentiæ.* Proinde Apostoli etiam dùm fugant dæmonum exercitus, infirmi censentur; dùm non referunt totum illud opus diuinæ gratiæ; sed hoc prædicant, quòd dæmonia subiecissent, non quòd hoc per Deum fieret. O quantus dolor Christi erat, dùm spectaret, neminem ex Apostolis sua verba percipere posse! si enim interrogatus quondam Isocrates, an in sua schola aliquos haberet egregios Auditores, disciplinæ capaces, & pulcherrima scientiarum incrementa sumentes, respondit, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis vti solere. Ephorus quippè ita tardi erat ingenij, vt penitùs sine vllo fructu frequenter domum rediret; Theopompus vero ita segnis, vt ne ad tympanorum pulsum, aut tubarum clangorem euigilare posset. non minori certè Christus afficitur dolore, quando tàm diuturno tempore instruens Apostolos suos, minus tamen dociles, & ad concipiendam suam doctrinam idoneos cognoscit: *non potestis portare modò.* Quorum insufficientiæ genuinas causas hodiè inuestigabimus.

[S. Basilius.]

[Ephorus & Theopompus ingenio tardi.]

Admiratus Haymo Halberstadiensis Episcopus, quare Apostoli non poterant ferre verba Christi, licet illum ipsum præsentem, ac docentem longo tempore spectarent, & audirent, ita scribit: *Duo sunt, propter quæ mysteria diuina non panduntur: aut quia auditor est indignus ad capiendum, aut infirmus ad intelligendum.* Scrutemini obsecro Scripturas sacras, & facilè deprehen-

[Haymo.]

prehendetis, Deum non alia de causa seipsum hominib⁹ occultare, nisi quòd sint indigni. Quod palam manifestauit Christus alloquēs Apostolos Matthæi 7. [Matth. 7.] *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi disrumpant eas.* Fatigantur capita Doctorum, mysterium in his verbis latens assequi volentium, quidnam canum, & porcorum nomine intelligatur? Et inprimis Haymo per canes & porcos intelligit Paganos, Iudæos, & Hæreticos quoscunq;. *Nolite* inquit, *sanctum dare canibus, id est, Hæreticis, infidelibus, paganis, & Iudæis.* Quidnam verò per istam vocem [Glossa. Interlin.] *sanctum*, intelligi debeat; Glossa Interlinearis vult intelligi doctrinam euangelicam: *Monet* inquit *hoc loco Christus dispensatores Ecclesiæ, ne dent sanctum canibus, id est verbum salutis, quod* [Lyranus.] *facilè potest corrumpi.* Lyranus verò per *sanctum*, intelligit administrationem sacramentorum obstinatis, rationem hanc assignans: quia hoc esset in contemptum sacramentorum, & derisionem fidelium. [S. Chrys.] Tandem S. Chrysosthomus hom. 17. per vocem *sanctum*, intelligit sacram Eucharistiam, sic loquens: *Sanctum est, sicut baptismus, gratia corporis Christi.* Qui autem sint canes, quibus Eucharisticum *sanctum* non est dandum, resoluit ibidem [Rabanus.] Rabanus: *Canes* inquit *sunt ad vomitum reuersi, porci nondum conuersi, sed in luto vitiorum versati.* Itaq; hoc Eucharisticum *sanctum* dari canibus, hoc est inidoneis ac indispositis seriò prohibetur. De his canibus ad sacram mensam accedentibus, ita scribit Ana- [Anastasi-] stasius Sinaita in orat. de sacra synaxi, alludens ad citata Christi verba: *Nolite sanctum dare canibus*, sic loquens: *Alij venientes* ad Ecclesiam, *non dignantur donec res sacra compleatur; sed per alios interrogant, num tempus communionis adsit: tuncq; præproperè canum instar insiliunt, ac rapto mystico pane exeunt.* O canes Eucharistiæ rapaces! ô sacrilega mystici panis furta! o communionem Christi corporis ac sanguinis furacem! qui enim ita properanter ad sacram synaxim accedit, margaritas conculcat, & sacram Eucharistiam non tàm accipit, quam sacrilego furto rapit.

Iram inuidentiæ declinans Redemptor noster, transibat per terminos Tyri, & Sidonis. Vbi mulier Chananæa vnicæ filiæ ærumnis vrgentissimè diuexata, in lachrymas gemitusq; prorumpens, tanto malo medicamen deposcebat à Domino. [Matth. 15.] *Ecce mulier à finibus illis egressa clamauit dicens ei: miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Grauis erat ista dæmonis vexatio, ita vt canum latratus puellam edere cogeret, ferarumquè insaniam imitari. Sic censet Basilius Seleucien. orat. 20. [S. Basilius.] *Domo* inquit *exiliens vrbem peruagatur, in altum manus extendit, oculos distorquet, comam nudat; dæmoni receptaculum filiam peperi, verecundiam omnem calamitas excutit, & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuam ducit: ciet vlulatus canum latratibus haud absimiles.* En monstrum horrendum, en puellam miserrimum dæmonis habitaculum. Et quid causæ? quia Chananææ filia Tyrum & Sidonem inhabitantis, dicit Glossa Interlinearis: [Glossa interlin.] *Sic filia mulieris chananææ à dæmonio vexatur.* Colebat mater idola, & filia dæmonibus dicabatur: nec vtcunq; studebat filia prauitati; sed monstra, & antiqua figmenta actionibus referebat. Ciebat latratus canum adeo propriè, vt canem putasses puellam. Profectò nihil aliud à matre idololatra discere potuit, nisi referre canes, & prauos nutrire mores.

Res stupenda, tantis clamoribus afflictæ mulieris minimè permotus est Dominus? imò arcano silentio ad speciem, dedignatus est preces, & luctuosam limis intuitus oculis: *Non respondit ei verbum.* Quando in horto subornati inuidia, & ardentes maleuolentia satellites Hierosolymitani violentas manus iniecerant in Dominum, & Petrus educens gladium vulnerauerat seruum summi sacerdotis, Dominus licet non solùm non exoratus, sed iniurijs appetitus, & Petrum increpuit, & vulneratum sanauit, abscissam ei restituens auriculam Lucæ 22. [Lucæ 22.] *Cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Mira res, vulneratum Christus promptè sanauit hostem, quò inimicorum ferocia in illo apprehendendo magis exarsit: afflictæ verò mulieris chananææ preces distulit. Nodum soluit [Tertull.] Tertullianus lib. de Patientia cap 3. ita scribens: *Sanitatis restitutione ei, quem ipse non vexauerat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem.* Quasi diceret: quia Christus in horto ab aduersario petulantissimo iniurijs impetebatur, ideo, vt præceptum de dilectione inimicorum impleret, persecutori beneficium præstitit; at verò dùm chananæa clamaret, similis Dominū angustia non vrgebat, & ideo postulatione eius inuitatus misericordiam distulit. Vbiq; ergo misericordiæ fontes aperuit Dominus, vt tamen doceret, quantoperè moueantur viscera eius pietate, quando similes sustinentur labores, idcirco in horto vexatus citissimè sanauit percussum, & in Sidonis finibus, quia tunc angustijs non premebatur, tantisper importunis precationibus obsurduit. Patiebatur in horto Dominus, & patientia felicissimo ab ortu enixa est misericordiam, misericordiaq; sanitati restituit auriculam: *satisfecit sanitatis restitutione per patientiam misericordiæ matrem.* Quippè consimilis dolor peperit compassionem, & compassio celerrimè operata est salutem.

Duplici autem vt video de causa Christus Dominus beneficium huic mulieri præstandum distulit, inprimis, quia illi grata erat mulieris postulatio, cùm eum filium Dauid nominaret: *Miserere mei Domine fili Dauid.* Sciebat profectò ista mulier Dauidem olim contra impurum spiritum gratiâ valuisse: tangebat ille citharam, & cantus vice medicaminis erat, tergaque vertere compellebatur aduersarius cantu vti telo percussus: prudens itaque mulier filium nominauit Dauidis, quia gloriosum erat Domino, parentem partis ex superato dæmone triumphis coronatum habere, gloriosissimumq; Dauidi à potentiori filio superari, quoniam Christus non citharæ pulsu, sed iussione dæmones abigebat, nec vnum tantùm quemadmodùm Dauid, sed omnes dæmones imperij sui catenis diutissimis alligabat, vt testatur S. Petrus Actorum 10. [Actor. 10.] *Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo.* Præterea, vt per hanc dilationem mulieris fides magis commendaretur: nisi enim constantem in Christum habuisset fidem, Deum minimè credidisset, Etenim videbat illum diu retinere beneficium, differre commendatum lachrymis desiderium, adducere supercilium: quæ omnia diuinitatis ingenio ad speciem quodam modò repugnabant, Christumq; Dominum purum tantummodò hominem asserebant. His tamen indicijs nullatenus præbuit assensum, in fide firma permanens. Beneficentiam itaque retardantem Christum aspicere, & Deum credere non erat doloris consilium, sed eximiæ fidei elogium. Audite Basilium Seleuciensem orat. 20. loquentem: [S. Basilius] *Curationis dilatio fidei specimen, sanationis prorogatio fuit voluntatis in muliere probatio; potiùs verò Domini silentium chananææ commendatio.* Moxq; subdit: *Nisi enim talis fuisset mulier, fortè inhumanitatis, aut impotentiæ Saluatorem condemnans auolasset.* Ita vt etiam à Christo Domino commendari meruerit: *O mulier magna est fides tua.* Matth. 15. [Matth. 15.] Distulerat ergo Christus benēficium filiæ chananitidis exhibendum, vt illam ad deferendam idololatriam alliceret, propter quam adhuc non erat digna tanta gratia, & in sua fide magis roboraret: quia indignitas humana maximè Deum retrahit à benefaciendo. Cuius rei si euidentius documentum requiritis transite mecum ad alia Scripturæ Sacræ loca.

Venerant ad Iesum discipuli Ioannis sciscitantes: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant.* Superba equidem interrogatio, ambitione plena, plenaq; supercilio Pharisaico, quam falsus zelus arctioris disciplinæ penicillo colorat.

certè

certè licet nihil aliud ſuppeteret, reprehendenda tamen eſſet ieiunij iactãtia, dùm inedia corporis arrogantiam nutrit · reprehendenda conuerſatio cum Phariſæis, quos iſti diſcipuli nouerant à Ioanne condemnatos. Quod eleganter perſtringit Chryſologus ſermone 31. *Cùm diſcipulis Ioannis* inquit, *quæ ſocietas Phariſæis; niſi quia iunxerat inuidia, quos ſeiunxerat diſciplina? Hic iam ſua iura perdit zelus: iunxit diſiungere conſuetus. Iudæi poſtponi Moyſen Domino non ferebant: Diſcipuli Ioannis Chriſtum nolebant vllatenus Ioanni anteferri. Sic in Chriſtum fremebant vtriq; iure communi.* Palam faciens, non boni zeli ſequelam eſſe, ordinariàm communitatem factionibus ſcindere, & tumultibus inquietare. Sed audiamus, quid ad tàm ſuperbam interrogationem diſcipulis Ioannis reſpondeat Chriſtus, Matth. 9. *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* Et quis alius eſt iſte ſponſus, niſi Chriſtus, qui humanam naturam, & per eam Eccleſiam ſibi in Incarnatione deſpondit, & coniugij vinculo copulauit. Quamdiu ergo ſponſæ adeſt, omnia ſunt felicia, iucunda, amæna, & delicias hilariter perſpirantia. Sed vbi venerit dies, vt *Sponſus auferatur*, tunc luctus aderit funeſtus, & anxia mæſtitudo, ac triſtitia miſerabiliter tragica. Sic antequam Deus homo fieret, tota Eccleſia, & vniuerſa hominum natura, quia illi deerat Chriſtus ſponſus, ſanguineis planè lugebat lachrymis, ceu vidua deſolata, inde lugubris mæror, anxia animi conſternatio, potioris ſui partis ſpoliatio, ſolitudo ineluctabilis; orbitas, ſterilitas, egeſtas, mæſtitudo, & reliquæ viduitatis appendices euenêre.

Chryſol.

Matth. 9.

Quod magis adhuc Chriſtus Dominus expreſſit loquens de gratia danda pænitentibus, Matthæ 9. Neq; *mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effundunt, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.* Edocere nos volens, quòd ſicut nouum debet eſſe vas, vt vinum nouum recipiat; ita innouari debet homo, qui ſe aptat recipiendæ diuinæ amicitiæ. Et quomodò innouatur homo? equidem non luxu, ſed luctu; non delicijs, ſed maceratione, ſed mortificatione, ſed amarâ peccatorum pœnitentiâ, ſed ſponſi cœleſtis præſentiâ. Ita exponit Diuus Baſilius in Pſal. 32. *Igitur in vtres nouos vinum nouum eſt mittendum. Nouum inſuper & ſpirituale vinum, vt quod Spiritu ſancto efferueſcit, nimirum veritatis intelligentiam nondum exoleſcentem vetuſtate, errore, mittere conuenit in hominem nouum; qui quod perpetuó Domini noſtri Ieſu Chriſti mortificationem fert in corpore ſuo, iure nouus dici poſſit vter.* Non de alio itaq; vino in hoc loco Chriſtus locutus eſt, niſi de ſuo ſanguine, & corporis ſui præſentiâ, vt cenſet Aloyſius Nouarinus: *Vinum* inquit *nouum eſt ſanguis Chriſti, & corpus, quod ſumimus vetus vter, quando homo non exutus veterem hominem habet vitia vetera.* Videte ad quid alludat citatus Author in citato ſcripturæ loco, dum dicit, vinum nouũ non mitti in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt, nimirum ad ſacratiſſimam Euchariſtiàm, quam dùm caſto ore ſumimus, anima noſtra tanquàm delicatiſſimo ferculo nutritur; ſed dum hæc à nobis abeſt, aut impura ſumitur conſcientia, anima duro ieiunio maceratur.

Matth. 9.

S. Baſili.

Aloyſius Nouarin.

Sub tempus acerbiſſimæ Chriſti paſſionis, duo ex Apoſtolorum choro non mediocriter contriſtârunt Dominum: Petrus negando, & ad vnius puellæ vocem horrendè peierando, qui pauló ante mortem, ac ſæua tormentorum inſtrumenta deſpexerat. Præterea Iudas magiſtrum ſuum viliſſimo lucro cauponando, & fraudem homine indignam moliendo. Mat. 26. *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes ſacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Indagate ſi placet rationem, cur benigniſſimus Dominus negationis tempore blando aſpectu in Petro mentis tenebras deterſit

Matth 26.

terſit, & oculorum ſuorum lumine Petri oculorum cæcitatem abraſit: *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Lucæ 22. Iudam verò non reſpexit, ita vt ne argenteis quidem potitus, laqueo diſperiret ſuſpenſus: *Proiectis argenteis in templo receſſit.* Matth. 27. O arcana numinis iudicia multi ex crucifigentibus Dominum forſitan per ipſas ſanguinis vndas portum appulêre ſalutis; diſcipulus verò & commenſalis Iudas deſperatus pretium tulit, & amiſit iniquitatis. cur eius non fuerit miſertus magiſter, cùm ſit miſertus Petri? An certè ideo, quia vti dominus diuitiarum gratiæ ſuæ, cui vult, miſeretur, & quem vult, indurat. An quia Petrus vel in ipſo errore ad commiſerationem prouocabat, Iudas verò ſententiæ ſeueritatem vrgebat? nam Petrus Principis domum adijt, non vt negaret Chriſtum; ſed vt finem videret: *Ingreſſus intrò ſedebat cum miniſtris. vt videret finem.* Matth. 26. Non erat illi animus negandi, ſed deuotè aſſiſtendi: ſed quia incidit in mulierem procacem, in fæminam garrulam, in feros miniſtros, ideo timore obturbatus hæſit, & negatione inquirentium malignitatem fruſtrauit. At verò Iudas non incidit in nundinationis occaſionem, verùm ipſemet ad Principes iuit, ſceleſtum ſanxit pactum, & æternè luendum accepit lucrum, ideo ſe indignum exhibuit, cui Chriſtus gratiam præſtaret. Sic cenſet D. Ambroſius de negatione Petri: *Petrus* inquit, *non de induſtria ſic reſpondiſſe inducitur: quia poſtea recordatus eſt, & amarè fleuit: maluit enim ipſe ſuum accuſare peccatum, vt iuſtificaretur atendo, quàm grauaretur negando: iuſtus enim in principio accuſator eſt ſui; & ideo fleuit: quare fleuit? quia culpa irrepſit ei.* Quia ergo Petrus errauit vt homo; Iudas autem vt peruerſus: ille non de induſtria; iſte vſus eſt ad delinquendum ſolertia, ideo Dominus reſpexit Petrum, vt lugeret proficuè ad promerendam veniam; puniuit autem Iudam meritiſſimo præcipitationis lapſu, tanquàm indignum, qui rediret ad gratiam.

Lucæ 22.

Matt. 27.

Ibidẽ 26.

S. Ambr.

Iudas damnatus, quia de induſtria peccauit.

Imò altiùs rem ſcrutemini, quid ſit, quòd Iudas poſtquàm ſe ſuſpendit, diſcerptus ſit? *crepuit medius, & diffuſa ſunt viſcera eius.* Reſpondent quidem plurimi ex ſanctis Patribus, id decretum fuiſſe à Deo, ne maledicta illa anima, per os illud ſacrilegum egrederetur, quo Iudas doloſe Chriſtum oſculatus fuerat. Aliam tamen noſtro propoſito magis accommodam rationem aſſignat Aloyſius Nouarinus: quia nimirum *vter vetus erat Iudas*: idcircò quoniam vinum nouum in veterem vtrem miſit, quando in vltima cœna accumbens menſæ cum alijs diſcipulis, de manibus Chriſti ſacratiſſimum eius corpus ſub ſpeciebus panis euchariſtici accepit, *crepuit medius*, Nam indubitatum Scripturæ ſacræ oraculum proclamat, quoties nouum viuum mittitur in vtres veteres, rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Ecce quàm verè protulit Haymo: *Duo ſunt propter quæ myſteria diuina non panduntur; aut quia auditor eſt indignus ad capiendum, aut infirmus ad intelligendum.* Dicebat itaq; Chriſtus Apoſtolis, quòd non poſſent verba eius ſupportare, non quòd omnes indigni eſſent; non enim mittebant vinum in vtres veteres: quia iam exuerant veterem hominem, & induti erant nouum, ſcilicet Dominum Ieſum Chriſtum. Sed quia inter illos vnus Iudas indignus erat.

Haymo.

Hinc dicebat Ieſus diſcipulis ſuis: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes: ſciebat enim quis eſſet, qui traderet eum: propterea dixit: non eſtis mundi omnes*, Ioann. 13. Hæc dicebat Ieſus habens in manu peluim aquâ plenam, quâ pedes Apoſtolorum lauabat. Et quomodò Chriſtus cùm illi præ manibus eſſet lauacrum, non omnes faciebat mundos: cur patiebatur aliquem ex ſuis manere immundum? Reſpondet Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioann. cap. 7. *Cæteris quidem diſcipulis vel quoniam non parua charitate Chriſto afficiebantur, munditiesinerat. Proditori verò tam auaritiæ crimen? quàm affectionis erga Chriſtum infirmitas, inabſtergi-*

Ioan. 13.

Cyrillus Alexandr.

abſtergibiles peccatorũ ingeſſit ſordes. Ecce munditiES noſtra in eo conſiſtit, quòd amemus Chriſtum; cuius amoris defectus ſordes gignit inabſtergibiles. Cæterùm, licet alij Apoſtoli non erant indigni, quibus diuina myſteria panderentur, cùm eſſent mundi; erant tamen adhuc infirmi ad portandas ſolidas doctrinæ veritates: quia nondum erant perfecti, adhuc enim erant mundialibus curis immerſi, & non niſi per aduentum diuini Spiritus contempto mundo, & morte, ſuperiores imis his efficiendi. S. Leo. Sic cenſet S. Leo ſerm. 2. de Pentecoſtes: *Vtiq; Apoſtoli poſteaquàm Spiritus ſancti nouâ abundantiâ ſunt repleti, ardentiùs velle, & efficaciùs poſſe cœperunt, proficientes à præceptorum ſcientiâ ad tolerantiam paſſionum, vt ſub nulla iam tempeſtate trepidantes fluctus ſæculi, & elationes mundi fide ſupergrediente calcarent, & morte contempta omnibus gentibus Euangelium veritatis inferrent.* Ad ſolidas itaq; veritates portandas, debebant Apoſtoli expectare Spiritus ſancti aduentum, vt limpidiſſimam ac ſolidiſſimam Euangelij veritatẽ mundo inferrent.

Res ſtupenda quondam contigit Ezechieli Prophetæ, egreſſus ille in campum, & oculis in cælo fixis, vidit manum deſcendentem, quæ apprehendit comam capitis eius; *Et cecidit ibi ſuper me manus Domini.* Ezech. 8. Ezechielis 8. Perterrefactus Prophetes illa viſione portentoſa caput occultare voluit, ſed fruſtra, quia manus fortiter eius capillos tenens, ſuſtulit illum vſq; ad cælum. *Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinnis capitis mei, & leuauit me ſpiritus inter cælum & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei: & ecce ibi gloria Dei Iſraël.* Videtur mihi manus hæc non diſſimili modo cum Ezechiele proceſſiſſe, quàm prudens præceptor cum diſcipulo procedere ſoleat, genio ipſius ſe accommodans, nec obruens nimiùm, ſed lento paſſu ſecundùm capacitatem ingenij, ſcientiarum incrementa inſtillans. Itaplanè manus hæc accommodabat ſe genio Prophetæ: nam S. Hieronymus in caput 8. Ezechielis, conſiderans verba illa ſcripturæ: S.Hieron. *Leuauit eum ſpiritus inter cælum & terram:* Dicit Prophetam non violenter, ſed lentè in cælum fuiſſe ſublatum, quo faciliùs à terra eleuatus, & morula interpoſita cælum aſpiciens, gloriam Dei Iſráël, hoc eſt, beatificam illam viſionem conciperet. En vobis ad viuum expreſſam Chriſti docentis imaginem, qui vt diſcipulos ad altiſſima myſteria concipienda habilitaret, minora eis primùm tanquàm infirmis adhuc proponebat.

Imitabatur Doctor gentium hunc docendi modum à Chriſto præſcriptum 1. ad Corint. 3. 1. ad Corinth. 3. non tanquàm nutritiùs; quàm potius nutrix, eos alloquens: *Tanquàm paruulis* inquit *in Chriſto lac vobis dedi potum, non eſcam: nondum enim poteratis.* Lac inquam, qui eſt infantium potabilis cibus, & electiſſimum eorum nutrimentum, ſine quo nec nutriri, nec adoleſcere poſſunt, cùm nondum ſolidas eſcas mandere, ac digerere valeant. Quid eſt? viri adulti & maturi erant Corinthij, plurimi barbas promiſſas geſtantes, & ſenio confecti; & tamen ſanctus Paulus dicit: *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Reſpondet Gloſſa Interlinearis, quia adhuc erant infirmi, non valentes altiora myſteria capere, ideo S. Paulus procedebat cum illis, tanquàm magiſter cum nouitijs diſcipulis. Gloſſa interlinear. *Non altiora* inquit *ſecreta vobis do potum, ſed faciliorem doctrinam, vt eo faciliùs ad altiora progrediamini.* Lyranus. Lyranus verò exponit: *Minora vobis ſecreta reuelo.* Haymo. Haymo interpretatur: *Lac vobis potum dedi,* id eſt, *dedi vobis ſcientiam de humanitate Chriſti, ſed poſtea vobis dabo ſcientiam de myſterio, & diuinitate ſanctiſſimæ Trinitatis.* Equidem meritò S. Paulus lacte incepit potare ſuos Corinthios: *Tanquàm paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi.* id eſt, *cor* per humilitatem *potabile.* Qui enim inſcrutabilia Dei arcana vult intelligere, humilem eſſe oportet. Hinc ad rem præſentem optimè Pſalmographus alludit: *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum.* Pſal. 118. Pſal. 18. id eſt, homines humilitatis inopes, & ſuperbiâ

biâ arrogantiùs turgentes, non qui doctrinam veritatis ediſcerent, ſed qui ſequerentur errores. Vnde & ipſe Redemptor noſter, omnes homines erudiendos, ac de cæli ſchola nouiter inſtituendos alloquitur. Matth. 11. Matt. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Quare à te Domine diſcendum eſt; an quia ades è paterno Dei ſinu ſapientiſſimus Magiſter? an quia increata Dei ſapientia es? an quia cæli gymnaſium ad terram tranſtuliſti? minimè: ſed quia mitis, & humilis corde: id eſt, cordis affectu, & voluntate. Lac ergò, cor per humilitatem potabile deſignat, ad inſinuandum, quòd ſine humilitate nemo cæleſtia arcana capere poſſit.

Quando Abraham procurans honeſtam ſponſam Filio ſuo Iſaac, ſeruum obſtrictum ſacramento in Meſopotamiam miſerat, vbi ſeruus peruenit ad vrbem Nachor, adeò Deus eius fortunauit votum, vt illi Rebecca occurrerit iuxta puteum, audienſq; ſitibundum virum, qui aquam petebat, ſtatim illi porrexit hydriam, & eius camelis dedit bibere. *Poſtquàm autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclos decem.* Dedit illa aquam, ſed agnouit gratitudinem pro obſequio, quia accepit inaures, & armillas aureas pro auribus, manibuſq; ditandis. Ait Theodoretus ſerm. 8. Theodor. de prouidentia: *Aures quidem vt potè quæ hoſpitum petitiones facilè excipiebant, auro exornat; ſimiliter & manus, vt potè animæ magnanimitati pulchrè ſubſeruientes eodem veſtit.* Sic quæ aquam obtulit, aureis impleta eſt muneribus, vt cognoſcamus creſcere bona, quæ liberaliter exhibentur. Conſiderate quid vlteriùs ſeruus Abrahami cum Rebecca egerit: adeo gnauiter legationis munus implere curauit, vt nec rogatus acceperit cibum, donec itineris declaraſſet ſcopum. Vbi verò Laban rem à domino ſpeciali prouidentia teſtaretur diſpoſitam, iterum Eliezer donis Labani deuincere animum, allicere affectum properauit, *Prolatis vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus, quoq; eius, & matri dona obtulit.* Gen. 24. Genes. 24. D. Gregor. conſiderans, quomodò ſeruus iſte animum Rebeccæ deuincere voluerit, offerendo ei inaures aureas & armillas, dicit ſuper caput 24. Genes: S.Gregor. *Quæ priùs acceperat inaures aureas, & armillas, nunc vaſa argentea, & aurea, & veſtes accipit.* inaures, & armillæ aureæ in ſenſu morali, fides, & bona opera ſignificantur; per vaſa autem argentea & aurea intelligitur gloria æterna. Proinde ſicut Eliezer ſeruus Abrahæ, prudenter in offerendis muneribus proceſſit, quia volens flectere affectum Rebeccæ, priùs illi inaures, & armillas aureas obtulit; poſtquàm autem celebrato conuiuio ſequenti die puellam nutrice aſſociatam Iſaaco Abrahæ filio in vxorem reciperet, vaſa aurea & argentea ac veſtes protulit. Ita Deus immenſus, dùm in hoc ſæculo quempiam gratiâ ſuâ abundanter replet, quaſi inaures, & armillas aureas illi confert, vt illum per hoc ad beatificam illam viſionem diſponat.

Sed eſt adhuc & alia cauſa, quare Apoſtoli non poterant verba Chriſti portare, nimirum vt vnicuiq; conſtet, Deum non plus oneris homini imponere; quàm vires eius ferant. Erubeſcant hic deſperati illi homines, qui putant diuina præcepta eſſe impoſſibilia ad ſeruandum, quod illis ob demerita & negligentiam contingere aſſeuerat D. Auguſtinus lib. de natura & gratia contra Pelagianos cap. 9. ita ſcribens: *Omnia ſunt facilia charitati, cui vni Chriſti ſarcina leuis eſt,* iuxta illud 1. Ioan. 5. 1. Ioan. 5. *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt, quare cui grauia ſunt, cogitet non potuiſſe diuinitus dici grauia non ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt. Petet igitur, quo deſtituitur, vt impleat, quod iubetur.* Et certè nonne cognoſcit Deus figmentum noſtrum, quia puluis ſumus, quomodò ergò viliſſimis ſuis figmentis impoſſibilia præcipere deberet, cùm hoc ſoli dæmoni proprium ſit

ſit imenſis ſua mancipia grauare oneribus. Præcepit Chriſtus pauperes nudos operire. Luc. 3. (Lucæ 3.) *Qui habet duas tunicas, det nō habenti.* en quanta diſcretio Chriſti, non dixit, qui habet veſtem, ſed qui habet duas tunicas, quia non vult nos ita grauare, vt propter nudos pauperes, nos totaliter omnibus denudemus, ſed vt prudenter id faciamus, ne propter indiſcretam eleemoſynæ erogationem, in parem aut certè maiorem neceſſitatem ipſi deueniamus. Non ſic procedit diabolus in ſuis præceptis dandis; ſi enim viderit impudicum aliquem amaſium, ſtimulat illum ad frequentes amaſiæ viſitationes, crebra eaque ſumptuoſa conuiuia facienda, numeroſam aulicorum turbam fouendam, munuſcula pretioſa laſciuæ mulieri quot diebus ſubmittenda, ad continuos luxus, & commeſſationes, donec tandem & animum omnibus vitijs inquinet, & totum patrimonium inſtar prodigi filij, turpiter cum meretricibus prodigat.

Nedùm ſatis: vlteriùs adhuc ſeueritas diaboli procedit: Chriſtus enim pauca ab homine requirit: (Matth.30.) *Qui dederit mihi calicem aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem.* Matth. 10. Proinde Chriſtus contentus eſt vno calice aquæ frigidæ, quando ſitienti mendico, & in nomine eius petenti offertur, iuxta illud: *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Quid illuſtrius dici potuit, quàm peuperes ſummi Regis fratres nominari, quos ipſe Chriſtus vocat minimos. Verum ſi ſummi Regis fratres ſunt, cur vocantur minimi? ſanè ideo tenent magnitudinem illam, quia minimi ſunt in oculis ſuis. Ait D. Chryſoſthomus hom. 80. (S. Chryſ.) *Quid ais? ſi fratres tui ſunt, quomodò minimos appellas? imò verò ideo fratres, quia humiles, quia pauperes, & abiecti: hos enim maximè ad fraternitatem conuocat ſuam.* Hinc Theodatus Rex monebat affinem ſuum apud Caſſiod. 10. var. 11. *Conſidera* inquit, *quod merueris, & dignum te noſtra affinitate tractabis. Nam qui familiæ regnantis adiungitur, in laudum gremio collocatur. Nunc maior opera manſuetudini detur: nunc omnibus communio benigna præbeatur: vt talem probemur elegiſſe, quem nulla poſſit proſperitas immutare. Humilis age rem gloriæ: quia de modeſtia laus ſumitur, de electione odium concitatur.* Chriſtus ergo pauperes, & humiles, fratres ſuos vocat, & calicem aquæ frigidæ illis porrectum, tanquàm ſibi oblatum appretiat. Non ſic diabolus, qui etiam mille compotationibus non ſaciatur: ſic enim de illo dicit Iob cap. 40. (Iob 40.) *Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* Videte, vnicus aquæ frigidæ calix Chriſto ſufficit; diabolo verò ne integrum mare: vnde meritò dicit S. Chryſoſt. ſuper Acta Apoſtolorum: (S. Chryſ.) *Per præcepta Deus diabolusq; monſtratur.* Quia Deus vt pote Dominus clementiſſimus leue iugum ſuis ſeruis imponit; diabolus autem tanquàm crudelis tyrannus graue tormentum ſuis mancipijs imponit: quoniam cùm ſit inſatiabilis heluo, quantumcunq; illi offeras, non ſufficit; ſed ſemper clamat, **Affer, affer.** Ad extremum, ſoli Deo cultum latriæ exhibendum eſſe docuit Chriſtus Matth. 4. (Matth. 4.) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Quo nihil melius, cùm omnis creatura in ſuo eſſe, & operari dependens à Deo, & ſupremum eius dominium agnoſcens, omnem illi adorationem perſoluere teneatur: At verò diabolus non ſolùm ab homine coli vult, verùm etiam ab ipſo Deo adorari axpetijt: *Si cadens adoraueris me, hæc omnia tibi dabo.* Videte, Chriſtus ſolum Deum adorandum eſſe præcipit; diabolus è contra etiam diuinum honorem ſibi appropriat, rem arduam, & omninò impoſſibilem. Sed quomodò tàm intolerabilia præcipienti diabolo reſiſtere debeamus, egregiè nos ſuo exemplo docuit Chriſtus. Cui vix omnia regna mundi, omniſq; illius ſplendor, & gloria à nequiſſimo oſtenſa ſunt, vt illa pro Dei amore eligeret, ſtatim nullâ omnino interpoſitâ morâ, exploſit omnia, & cum ipſo offerente repudiauit, ac contempſit. *Tunc dicit illi Ieſus, vade ſatana.*

Animæ

Animæ fideli, exemplum præbens, quæ eximiæ ſapientiæ, & ſanctitatis eſſe debet, vt cùm malus dæmon (qui (Ioan. 12.) & *princeps huius mundi*, Ioann. 12. & *inimicus homo* appellatur, Matth. 13.) quotquot habet theſauros, & domus ornamenta, ea lege ipſi obtulerit, vt à Dei obſequio deflectat, totum hoc ſine vlla cunctatione, aut hæſitatione deſpiciat, atq; contemnat, rem omninò indignam æſtimans, quæ iuſtitiæ & pietati in Deum aliquomodò valeat comparari. Offerat dæmon omne aurum, & quidquid vbique gemmarum, ac theſaurorum eſt homini, in ſuas partes eum trahere volens: hæc omnia homo verum Deum præ oculis habens deſpicere debet. Aurum dicat arenam vilem eſſe, & argentum quaſi lutum in conſpectu ſuo: diaboloq; tentanti reſpondeat, habeto quiſquilias tuas, margaritum vitro non vendo. Non dicant ergo peruerſi homines, præcepta diuina eſſe impoſſibilia ad ſeruandum: diabolica enim hæc ſunt figmenta, ab illoq; excogitatæ chimæræ. Scit Deus noſtrum figmentum, quia puluis ſumus, ideo neminem vult plus onerare; quàm vires eius ferant: ſic noluit onerare Apoſtolos ante aduentum Spiritus ſancti myſterijs reuelatis, benignè eos alloquens: *non poteſtis ſuſtinere modò.*

Grauiter quondam Chriſtus Dominus incuſabat Phariſæos, Matth. 23. (Matth. 23.) inquiens: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Quia nimirum Phariſæi conſtituerant multa ex ſuis traditionibus, quæ erant ſubditis grauia & importabilia. Digito autem ſuo nolebant ea mouere: id eſt modicum conatum ad agendum talia nolebant apponere. Cùm tamen ille, qui conſtituit legem aliquam, licet non ſit ſubditus legi quantum ad hoc, quod puniatur per hominem, ſi contrarium faciat; obligatus tamen eſt ad legem implendam, grauiuſque meretur puniri à Deo, ſi faciat contrarium: quia tranſgreſſio eius grauior eſt propter ſcandalum. Quod Chriſtus de Phariſæis, hoc D. Hieronymus generaliter pronuntiat aduerſus omnes magiſtros, qui grandia iubent, & minora non faciunt. Hoc S. Chryſoſthomus dicit de indiſcretis confeſſarijs, qui grauè pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, & ſic dùm præſens pœna fugitur, contemnitur futura. Si enim faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt portare, poſueris: neceſſe eſt, vt aut faſcem reijciat, aut ſub pondere confringatur. Ita planè & homo, cui graue pondus pœnitentiæ imponitur, neceſſe habet, vt aut pœnitentiam reijciat, aut ſuſcipiens dùm ferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. Neque moueat quempiam, quòd ſatisfactio pro culpa imponi debeat proportionata: quia licet erremus modicam pœnitentiam imponendo; melius tamen eſt propter miſericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem. Nam vbi paterfamilias largus eſt, & diſpenſator non debet eſſe tenax. Hoc ipſum ego meritò dicere poſſum de ſpeudopolitia moderna in noſtra patria, quæ ingentia onera excogitat, ita vt iam homines præ intolerabilibus tributis tædeat viuere. Circumſpiciat qui vult oppida exhauſta, pagos direptos, & habitantium vacuos, villas exuſtas, ciuitates ſolàm vaſtitatem præſeferentes, agros incultos, horridos, ſpinis & tribulis plenos, turicolas vix edentes halitum, nonne horum omnium cauſa eſt, nimia populi aggrauatio. Idque tolerabilius eſſet, ſi hæc intolerabilia tributa, quæ ſæpiùs etiam in annum repetitis conuentibus publicis imponuntur, cederent in defenſionem, & bonum patriæ. Sed pro dolor, quod etiam lingua horret referre, collecta pecunia pro ſtipendijs militibus numeranda, cedit in maledictas factiones, in auertendos à bono publico ciuium animos, in diſrumpendum fraternæ charitatis vinculum, in concitanda mutua ſubditorum odia.

Nec certè eſt, qui iam veritatem dicere audeat, ne tantæ tyrannides in patria noſtra fiant, ſed omnes angi-

nam

nam patiuntur in suum, & regni totius exitium. Quod pulchrè perstringit Basilius hom. 7. in Hexaem. *Maior* inquit *pars piscium liguriunt alter alterum, atq; deuorant? & minor apud illos esca maioris, & si vnquam euenerit, vt is qui minorem superauerat, alterius præda fiat, ambo tunc simul deglutiuntur, & vna vltimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vim inferioribus inferimus.* Hinc vt certum interitum, diramque & sine remedio calamitatem Deus suis Israëlitis denuntiaret, mutuam discordiam, & boni publici neglectum illis ob oculos proposuit, vnde communis omnium interitus euenturus erat, Amos 2. *Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.* Statimque subiungit: *Et robustus corde inter fortes nudus effugiet.* Quasi diceret: audacissimus quisq; putabit, præclarè secum agi, si vel omnibus quæ possidebat relictis, ac perditis, vitam suam nudus effugiens seruare possit S. autem Cyrillus Alexandrinus LXX. lectioni insistens ita legit: *Inueniet cor suum manifestè in potentatibus.* hoc est, salutem, vitam, & facultates suas in Dynastarum manibus posita videbit: nulla illi euadendi spes erit, omnisq; salutis & leuaminis intercipietur occasio, peribit indubitatò.

S.Basilius.

Discordia ciuium regna perdit.

Amos 2.

S.Cyrillus Alexandr.

Et quid est, quòd cùm in Republica benè ordinata, ad potentes, & magnates spectet, nociuas bono publico factiones in radice statim opprimere, authoresq; earum minime tolerare, ciui innocenter periclitanti vnitis viribus succurrere, subditos pauperes à graui oppressione, & nimijs exactionibus eripere, cùm ex magitudine sua opem ferre, & subuenire teneantur, tantis malis non occurrant? causa in promptu, quia ab auita maiorum prudentia, & amore patriæ degenerârunt, atq; ex rectis consiliarijs malorum suasores, ex amicis persecutores, ex patronis ac defensoribus, oppressores & raptores facti sunt. Quod pulchrè innuit Eccles. cap. 13. loquens: *Venatio leonis onager in eremo, sic pascua sunt diuitum pauperes.* ex leonis imagine præ potentia, & fortitudine sua onagrum viribus inferiorem depopulantis præclarè monens, talem, tantamq; mutationem nobilium, ac potentium mores suscepisse, vt qui ad minores tutandos, & alendos prompti accurrere deberent, ad eos potiùs deuastandos, atq; spoliandos auidissimè inuolent, illorum exiguitatem, & ad præualendum imbecillitatem, occasionem suam putantes. Verùm cum frater supplantare fratrem non veretur, patriæ ciuis suum conciuem insequi, & potentiores pauperum sanguinem bibere non pertimescunt, communem omnium cladem subsequi necesse est.

Eccl. 13.

Vidimus igitur, quare Apostoli licet præsentem Christum haberent, verba eius sustinere non poterant, hoc est intelligere: quia nimirum Iudas inter eos indignus erat, propter cuius indignitatem Christus altissima sua mysteria illis communicare noluit. Vt ostenderet non rarò etiam ob vnius impij hominis scelera, totam communitatem licet alias optimam à Deo deseri, & extremè periclitari. Tum, quia adhuc erant infirmi, vt potè nondum à Spiritu sancto roborati, sine cuius lumine, nihil est in homine. Idcirco & nos, auferamus à nobis omnem indignitatem, vt possimus cognoscere, in quo læsimus Deum, expectantes aduentum Spiritus sancti, qui nos in melius reformabit.





DOMI-

DOMINICA V. POST PASCHA.

CONCIO PRIMA.

Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum, *Ioan. 16.*

Gratiam sanctificantem è cælo quærendam esse per bona opera, ex puro corde procedentia ostenditur.

Qvatuor modos Philosophus adinuenit, quibus homines cito ditari possit, immensasq; opes & possessiones congregare. Primum, vt optimè sint versati in re œconomica, polleantq; benè agriculturam, artem serendi, arbores & segetes atq; curam animalium alendorum, & aspectus cælorum noscant, fertilitatemne eis, an sterilitatem prænuntient futuram? Hæc enim singula obseruando, facilè prouentum rei familiaris augebunt. Comprobat hoc Philosophus exemplo Thaletis Milesij, vnius è numero septem Græciæ sapientum, cui cùm à quodam obijceretur studium Philosophiæ sibi inutile esse & infructuosum, meliusq; fore si negotium aliquod ciuile aggrederetur, tunc ille vt ostenderet quantæ sibi sua scientia vtilitatis esset, præcognoscens per Astrologiam futuro anno vbertatem oliuarum, exiguum pecuniæ quod habebat, pro conductis hyeme adhuc existente in æstatem futuram oliuis, Mileto & Chio rem nescientibus obtulit, & ecce adueniente fructuum maturitate, multis simul quærentibus oleum emere, vendidit tanto pretio, quanto ipse voluit, sicq; pauper Astrologus breui immensam pecuniam collegit, ostenditq; quàm facilè sit sapientem ditari, dummodò ipse velit. Alterum suggerit modum, industriam, & pretij rerum diuersarum, experientiam venalium, vt sciant quid & vbi minoris emi potest, & vbi cariùs vendi: sic enim rei domesticæ augmentum non difficulter facient. Tertium, vt opimas nationes adeant, eò potissimum tempore quo maxima est rerum omnium fertilitas, sicque leui pretio res emptas, ad sterilia regna deferant & sumptum augeant; nam sicut abundantia, facit viliùs, sic penuria & raritas carius res vendere. Quartum demùm, vt lucrum quærentes soli singularem obtineant à magistratu licentiam, distrahendam mercium; reliquis ab illo omninò negotio exclusis: tunc enim alijs non vendentibus augere poterunt, pretia rerum ad libitum, & innumeram colligent pecuniam. Quemadmodùm fecerat quidam mercator in Sicilia, qui solus emerat totum effossum ex mineris, deinde accurrentibus mercatoribus, vendidit ipse solus non magnum pretij excessum faciens; sed tantùm, vt pro quinquaginta talentis centum faceret. Quo intellecto Dionysius Siciliæ Tyrannus, pecunias illi quidem non abstulit; sed Syracusis ampliùs morari prohibuit, quoniam tale lucrum credebat in suum suorumq; detrimentum vergere. siquidem dùm ciues nimiùm ditantur, non placet regibus: facilè enim verentur, ne nimis potentes facti, contra se insurgant rebelles, ac proinde duplex est facilis via ad diuitias, esse sapientem, aut prouidum mercatorem quid est aliud quotidiana omnium mortalium vita, nisi perpetua quædam mercatura? vbi assiduæ & bonorum, & prædiorum, & vestium, & tot diuersarum rerum permutationes fiunt; sed cum summo periculo: quia potentes tenuioris fortunæ hominibus id inuident, & crebrò

Homines quatuor modis ditescunt.

Tales Milesius scientiâ Astrologicâ diues factus est.

Duplex via ad sapientiam.

brò

brò in summum discrimen eosdem adducunt. Nouum proinde hodiè vobis ostendam theatrum, nouasq; in eo & opimas merces, quas securè potestis emere. idque sine magno pretio per solam postulationem dicente
Prou. 12.
Salomone Prouerb. 12. *De fructu oris sui vnusquisq; replebitur bonis & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.*

Theatrum, in quo merces humanæ indigentiæ exponuntur summè necessariæ, est cælum: teste Apostolo.
Iacobi 1.
Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* nec enim sine causa cælum nunc videmus solidum, nudum, ac sine nubibus serenitate suâ, & puritate nos recreans; cùm antea profundis coopertum nubibus, & procellosos nos redderet, & lumine priuaret. nisi vt in hoc publico totius mundi theatro, dùm fames atq; àëris intemperies, nos maximè debilitant; dùm venti uanæ gloriæ, superbiæ aliorumq; vitiorum furiosè impetunt; dûm terra quot annis manet sterilis & infæcunda; dùm iam morbi, febres, pestilentiæ grassantur; & omnia prorsùs nos destituunt, atque in magnam viuendi difficultatem cogunt; vt inquam in hoc theatro subsidium quæramus: ne malorum exemplum in famis calamitate posteris nostris existamus. Quid enim obsecro anni temporumq; naturas hisce ætatibus immutauit, & statutas semel rerum formas, in aliena temperamenta. nouasq; mixturas deduxit? Iam hyems solitum humorem, cum sicco non retinet, sed in glaciem tota abit, niuisq; & imbribus penitus expers manet. Et vernum tempus desideratæ humiditati debitum calorem non coniungit. Insuper æstus immensus, & frigora, naturæ leges prætereuntia; quasi in nos damnumq; nostrum coniurata, cunctos mortales ad victus vitæq; trahant discrimina. Quæ tantæ confusionis contrarietatisque causa? vnde hæc rerum temporumq; nouatio? An ex orbe mortalium abijt qui cuncta gubernat? An optimus opifex Deus dispensationis suæ oblitus est? an virtutem & potentiam suam amisit? Num certè clementiam suam in austeritatem mutauit, & excellentem erga nos bonitatem, & prouidentiam in odium humani generis conuertit? Absit hæc à cordibus Christianorum opinio? Nostra potius desidia & peccatorum pondus tanti causa sunt mali: Quia enim contempsimus cœlestia & ad terrena defleximus, idcircò ob hanc auersionem nostram ac negligentiam has auget nobis calamitates Deus: non extinguere nos quærens, sed emendare potiùs castigareq; cupiens; more piorum Patrum erga desides filios: qui irascuntur quidem & excitantur contra natos suos, non mali aliquid eis facturi, sed officiosa castigatione; ex ignauis diligentes reddituri. Hac certè de causa Deus manum non aperit, quia charitas in nobis erga cæli dominum exstincta est. Ob hoc & campi steriles: quia maiorum pietatem deseruimus, legem & mandata Dei neglexim us, & ad scelera impudentissimè deflexim us; ob hoc supplicantium vox frustra clamat, & in àëra euanescit ac dissipatur, quia & nos rogantes minimè audimus.

Sed ecce theatrum omnibus refertum diuitijs! omnibus ditatum mercimonijs habemus cælum; ibi spes nostra figatur: ibi vota aspirent: & omnia feliciter assequemur, dicente Propheta Psal. 35, *Domine in cælo misericordia tua.* quasi diceret: non vult Deus suam clementiam præbere, nisi ijs, qui eius auxilium è cælorum sedibus inuocant, non vult inopiam egentium subleuare, nisi eorum qui eum timent, & debitè venerantur. vt dicit Propheta Psal. 102. *Secundùm altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* quasi diceret: illud nobis diuina misericordia præstat, quod cælum terræ; *Attende,* inquit Augustinus, in Psal. 102. *Quomodò cælum vbiq; & vndiq; protegit terram, & nulla pars terræ est, quæ non cælo protegatur; cælum terræ vmbraculum est, nec regio vlla existit etsi remotissima, quàm cœlestes influxus non foueant, è cælo quoq; diuina misericordia in peccatorum protectionem descendit, nec vllum reperies etiam miserrimum, qui maternam eius beneficentiam non experiatur.*

Psal. 35. — Psal. 102. — S. August.

Quod cognoscens Dauid, ingeniosè canit
Psalm. 32.
Psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra.* hæc vniuersos orbis sinus implet, cælumq; pariter ac terram pertransit. In cælo enim Deus Angelis misericordiam præstitit, gratiam ijs, quâ perseuerarent liberaliter impertiens, & inferorum quoq; incolas suæ misericordiæ participes effecit: quia omnes reprobos citra condignum punit, ac proinde quantum illis adimit pænæ, tantundem veniæ mesericorditer impendit; sed & mundi habitatores, quantumuis peruersè & impiè viuentes, hac sua misericordia Deus perpetuò replet & reficit, vt inquit Diuus
S. August.
Augustinus. *Peccant homines sub cælo, & tamen proteguntur à cælo: inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus,* ac si diceret: adeo se nobis beneficum exhibet cælum, vt inde lux ad videndum, inde àër ad respirandum, inde aura quâ reficimur, nobis concedatur. Et vnde tanta vis benefaciendi cælo inest? certè à solo Deo, qui cælum voluit esse commune totius mundi theatrum, ex quo digni pariter ac impij merces sibi necessarias acquirerent. Ibi enim diuina misericordia quærentibus omnia bona præstat. Nam & excæcatis lucem præbet, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-*
Ioann. 1.
dum. Ioann. 1. & peccanti animæ respirium præbet. *Os meum aperui, & at-*
Psal. 19.
traxi spiritum. Psal. 19. & concupiscentiæ ignem extinguit, ne nos consumat. Hinc D. Augustinus, inquit:
S. August.
tolle auxilium cæli à terra, & statim deficiet. Etenim quemadmodùm si cælum varios suos cohiberet influxus, & à consueto motu desisteret, vniuersa quoq; mundi machina dissolueretur, & totius machinæ istius ordo grauiter
Aristotel.
confunderetur, dicente Aristotele libro de cælo: *Cessante motu cæli, cessabunt omnia inferiora.* Quod comprobat Meteor: 1. *Quia oportet mundum hunc inferiorem, contiguum esse lationibus superioribus, vt inde tota mundi machina gubernetur.* Sic planè, si vel in momentum etiam temporis diuina misericordia, vtiles suos ac pernecessarios è cælo nobis negaret influxus, & iusti deficerent, & obstinati peccatores adhuc obstinatiores redderentur. Non alibi proinde homo quicquam mercari potest, nisi in cælo, quod adeò munificentissimum est erga terram, vt licet ab ea non credat par pari sibi fore rependendum, absque vlla tamen retributionis spe innumera in nos confert beneficia.

Et quid in hoc publico theatro (scilicet in cælo) nobis emendum proponitur? certè summa, inenarranda, & inæstimabilia mercimonia, quæ nobis per Christum Deus exposuit 2. Petri 2. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Hoc certè ante omnia homo apud Deum quærere debet, per quod diuinæ associetur conuersationi, & quod est obsecro eiusmodi? Magna hic Doctorum scholasticorum controuersia. Alij putant Eucharistiam, hæc enim è cœlesti theatro missa est in mundum, dùm immensus Dei filius humanam assumeret carnem. Alij censent ipsam verbi diuini incarnationem: Nam per humanam naturam vnitam diuinitati Christi, eleuamur ad felicem æternitatis lauream, & per dignam sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem, in viuas Dei transformamur imagines. Sed quia hæc duo inæstimabilia bona, Deus ex inaccesso illo suo augustali in terras demisit, aliud nobis quærendum & petendum est, quod adhuc in cœlesti sublimitate continetur. certè non aliud; quàm gratia Dei, quæ est principium consortij & participationis diuinæ? ideoq; homo solam gratiam apud Deum quærere & impetrare debet: nam si accipias gratiam communissimè, sic omne donum nobis collatum significat, etiam naturale. Vbi est ingenium & mentis perspicacitas; & vno verbo, quidquid boni habemus, gratia est: iuxta illud Pauli Corint. 4. *Quid habes quod non accepisti.* quasi diceret: omnia bona, etiam hoc

2. Petri 2. — Corint. 4.

am hoc

am hoc ipsum quia natus es, & viuis, & sentis, à Deo accepisti homo: & in hoc summam eius clementiam recognoscere debes. Siue inspicias donum, quodlibet naturæ superadditum: prophetiam, auxilia ad aliquod opus supernaturale exercendum: & hæc omnia sunt gratiæ gratis datæ; seu deniq; consideres habitum supernaturalem infusum, qui hominem iustificat, ex impio sanctum reddit, ex rebelli Deo obsequentem, vt D. Paulum, ex ingrato, Deo acceptum? hæc est proprijssima & vera gratia, quam Magister sententiarum, in hunc modum describit. *Gratia est forma à Deo nobis gratis data; sine meritis gratum faciens hominem, Deo habentem se, & eius opus bonum reddens.* Hanc certè gratiam non nisi homo in cœlesti theatro inuenire potest; quia licet plerumq; inter homines commoretur, iustorum corda inhabitans: cùm tamen sit Dea quædam potentissima, indignum vitâ æternâ dignum faciens, idcircò quoties homo aliquid impudenter agit, subitò illum deserens, ad cælum aufugit, & cùm iterum homo sua scelera deflet, & salutari pænitentiâ eluit, iterùm è cælo in eius subleuationem mittitur, vt hominem non tantùm ad Deum erigat, sed in firmo confirmet proposito, & Deo reconciliatum associet.

Magister sententiarum.

Miscentur hîc subtiles speculantium opiniones: vnde prô Deum immortalem tanta efficaci gratiæ inest energia, vt hominè etiam in momento obstinatissimum à peccato retrahat, & ad Deum conuertat? & respondent celebres Doctores, quia inquiunt opportunè datur à Deo, qui suâ infinitâ sapientiâ, obscurissima quæq; cordis humani arcana penetrans, eo potissimùm tempore, quo lapsus homo eius præpotenti auxilio summè indiget, & quo mens peruersa peccatoris, facilè flexibilis est, præbet homini hoc efficacissimum gratiæ antidotum, per quod omnis in cordibus pænitentium consumitur iniquitas. Quid aliud in hodierno Euangelio Christus Dominus vobis Catholici mei suadet, cùm vos ad petitionem incitat, *Petite* inquit *& accipietis*, quasi diceret: nunc certè opportunum tempus habetis omnes, cùm Deus adeò se benignum mundo præbet, vt ipsemet ad sua talenta & dona accipienda inuitet mundi incolas. Ne ergo tantæ Dei humanitate abutamini, postulate Dei gratiam, quæ vobis tantæ necessitatis est, vt absq; illa nec à peccato surgere; nec Deum sibi gratum reddere valeat homo; quia impietas peccantis omnia eius bona aufert è conspectu Dei. Testatur sacra historia Danielis 14. quod Babylonis Rex, falsò sibi persuaserit, idolum suum vitæ Spiritum habere, idq; ideò, quòd dapes epulæq; omnes in altari ante illud idolum noctu oblatæ, manè non comparerent: vnde Rex putabat, quòd illa omnia absumeret idolum; cùm tamen reuera sacerdotes templū clam introeuntes, omnes illas oblationes furtò abstulerint. occurrens huic grauissimo errori Daniel Propheta, admonuit Regem, vt illa nocte, eodem quo solebat ciborum apparatu altaris mensa sterneretur, & claues templi penes Regem asseruarentur: præcepit quoque Daniel cinerem afferri, quo vniuersum pauimentum templi aspersit. & ecce sequente nocte sacerdotes templum secretò ingressi, omnia ciborum genera vt solebant, surripuerunt. Tunc Rex summo manè templum ingressus vna cum Deniele, & intuitus mensam appositis cibis carere; tripudians exclamauit: *Ecce Daniel Deus meus vt prædixi tibi, quæ illi offero, omnia absumit & ebibit.* Cui Daniel subridens respondit. Conuerte quæso Rex oculos tuos in pauimentum cineremq; aspersum, & mox tibi sacerdotum fraus innotescet. Tunc primum Rex prospiciens vestigia cineri impressa, dolumque eorum qui templum ingressi fuerant, & epula deglutiuerant comperiens; idoli illius execrandum cultum detestatus est. Hoc profectò cum suis Catholicis continuò fieri videt Deus, quibus magis lubet terram spectare; quàm cælum intueri: & peccatis ac impuræ libidini

Gratia efficax vnde tam potés, vt hominē in momēto ad Deū cōuertat.

Ioann. 16.

Dan. 14.

libidini vacare; quam Dei gratiam sedulò inquirere; quia miseri non aduertunt, quanta illos sequantur damna, quidquid enim in peccato operantur boni, quidquid in conspectu Dei peragunt honesti, totum illud peccati malitia, ex oculis & conspectu Dei surripit & deglutit. Sed vtinam aliquis zelotes aut Propheta Amos, aut Daniel è cælo nunc descendat, qui hanc mortales dedoceat amentiam: vtinam vnusquisq; cinere pænitentiæ conspergat pauimentum cordis sui, & execrandum peccati virus detestando, ad petendam Dei gratiam sese inclinet; quæ fraudem omnis iniquitatis mundanæ eidem aperiat, diuinæque naturæ participem reddat.

Admiranda certè est virtus gratiæ Dei, multisq; cognitu summè difficilis? quid enim in illa tantæ excellentiæ, reperitur? vt hominem alioqui exiguum & abiectum terræ puluerem, in eminentissimmam Dei pulchritudinem transformet. Num certè ideò, quia gratia diuina confert homini esse sempiternum, vt inquit Diuus Paulus de seipso; *Gratia Dei sum, id quod sum.* Num ideò, quia hæc gratia est plenitudo essendi, abyssus & Pelagus omnium perfectionum; per hanc enim homo in omnium possessionem virtutum deuenit, per hanc in regios euehitur honores, iuxta illud Esther 11. *Ne tradas domine sceptrum tuum his, qui non sunt.* id est; qui non sunt in gratia & amore tuo. Per hanc eleuatur humana infirmitas, ad statum supernaturalem, vt sic homò iam Deo acceptus, operari valeat in meritum vitæ æternæ. Per hanc deniq; in æternam feliciter transferimur beatitudinem, vt dicit Apostolus: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* ad Colosse. 1. Sed cùm tantæ sit excellentiæ diuina gratia, quo illam pretio comparabit homo: quo emet thesauro? quo auro & argento obtinebit? cùm eius valori nullum mundi diuitiarum pondus æquari valeat. Sed non est opus ad emendum hoc inappretiabile talentum pecuniâ, non est opus metallis splendentibus & thesauris; quia in theatro cœlesti absq; nummis salutiferæ venduntur merces *Emite* inquit *Diuus Petrus absq; auro & argento.*. Et reuera lumen antiquorum sapientum grauissimus Seneca, modum emendi diuinam gratiam nobis saggessit, cùm diceret: *Nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est.* si igitur ex mente magni istius Philosophi, ea quæ carissima sunt, solis precibus emuntur; pariter sanè apud Deum, gratia cœlestis precibus emi debet, ipsomet attestante Christo in hodierno Euangelio, *Petite & accipietis.* Admiratur certè D. Chrysosthomus, tantam Dei in homines beneficentiam, vt pro exigua oratione, cuncta ipsis impertiatur. *Considera* inquit *ò homo, quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa? orationibus fabulari Deo, cùm Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.* Sed vt oratio nostra efficax sit, tria habeat necesse; nimirum vt procedat ex corde, ex ore, ex opere. Ex corde oratio procedere debet. Thren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos* Cor est vitæ fons, spiritualium actionum scaturigo, vena fæcundissima, ex qua in omnes corporis partes vigor deriuatur? ideò quoque oratio ex corde procedere debet, vt diuina gratia in illud è cælo descendens, velut ros auroræ dulcissimus, totum hominis corpus sanctificet, & Deo acceptum reddat. Cor est sedes amoris, vnde tanquàm ex officina prodeunt amantium affectus; ideò ex corde orandum est, vt diuina gratia, in hoc domicilium amoris, ex infinita Dei dilectione nobis largiri solita descendat. Nam si verum est politicorum prouerbium, *Præstantissimum beneficium non dari nisi amanti.* quomodò absecro diuina gratia, quâ nihil homini melius, aut vtilius aduenire potest, concedi debet hominibus, nisi ex toto corde Deum diligentibus? D. Isidorus lib. 1. Etymol. vult. *cor dici à cura*: Christus Dominus non aliam video ob causam, orationem vult ex corde hominum ad se dirigi; vt scili-

Esther 11.

Colossi. 1.

Seneca.

S. August.

Thren. 3.

S. Isidor.

vt ſcilicet homo in Chriſti ſocietate A ſibi concilianda, ſolicitam curam gerat, in virtutibus ſeſe ſtudioſè exerceat, & verò Deo mille obſequijs inſeruiat. Si enim cordi neceſſarius eſt pulmo vt illud refrigeret, ne exceſſiuo calore nimium accendatur. Animæ humanæ, quæ cor vitæ ſecundùm Deum eſt ; quid magis neceſſarium ; quàm vt per gratiam impetratam & in cœleſti theatro emptam, in ſuum habitaculum Deum præſentem inducat : qui ventilatu ſuæ potentiæ, omnem libidinis ardorem in nobis pe- B Iob 34. nitùs extinguat, vt dicitur Iob 34. *Si direxerit ad Deum cor ſuum, & ſtatum ad ſe trahet.* Cor eſt in continuò motu : aut enim conſtringitur, aut dilatatur, homini Deum oranti, & gratiam eius poſtulanti, hæc duo ſummè neceſſaria ; vt ſcilicet cor ſuum per amorem Chriſti dilatet, vt dicit D. Paulus : *Os noſtrum patet ad vos Corintij, cor noſtrum dilatatum eſt.* neceſſe eſt, vt homo cor ſuum conſtringat, per timorem Dei & humilitatem : ad quod hortatur v- Ecclel. 2. numquemq; ſapiens Eccleſiaſt. 2. *de* C *prime* inquit *cor tuum & ſuſtine.* Inſuper Ariſtoteles lib. 2. de anima affirmat, quòd licet cætera animalia cor habeant in medio corporis, humanum tamen cor declinat ad ſiniſtram, vt Quare in homine cor declinat ad ſiniſtram. pars illa quæ naturâ eſt frigidior, à cordis natiuo calore foueatur. Certè Deus non aliam ob cauſam orationem noſtram prodire vult à corde ; niſi vt procedat ex parte ſiniſtrâ : hoc eſt : vt homo ſiniſtras aduerſitates patienter ferens, calamitates & oppreſ- D ſiones humiliter ſuſtinens, iniurias inimicorum æquo animo tolerans, Dei gratiam quærat & precetur, Deus enim ad humanum modum plerumq; ſe accommodat, ac proinde ſi homo ſuis inimicis conniuere ſcit ; etiã Deus peccata talis hominis diſſimulans, gratiam ſuam copioſè ipſi elargitur. In corde Anatomici aſſerũt, duas reperiri concauitates : perſimiles his, quas in aurib⁹ videmus, ideoq; illas cordis auriculas uocant. Qui gratiam Dei pijs precibus emere vult gratuitò, neceſſe ; vt oratio ex tali corde procedat,

in quo ſint duæ auriculæ, ad omnem Dei vocem. tàm vigilando ; quàm dormiendo, promptè audiendam, & cum ſumma velocitate exequendum Dei voluntatem, ſi enim Galenus Medico- Galenus. rum Princeps, teſtatur virtutem boni cordis, cognoſci per velocem actionem ; & orationes noſtras, pariter Deus tunc bonas eſſe iudicat, & acceptat, cùm celeriter homo quod Dei eſt operatur. Plinius quoq; miranda Plinius. quædam portenta refert de corde in Paphlagonia, vbi aſſerit multis perdicibus bina corda ineſſe : è contra verò Cæſari accidiſſe, quòd illo bis ſacrificante, cor nullum in eius victima repertum fuerit. quid hæc prodigia nobis ob oculos aliud ponunt ? niſi periculoſum eſſe admodum homini Chriſtiano, aut duplici corde abundare: Eccles. 2. vt dicitur Eccleſiaſtici 2. *væ duplici corde.* hoc eſt ; væ illis, qui vnum cor ad Deum conuertunt, & aliud ad mundum. Vnam cogitationem ad impetrandam Dei gratiam dirigunt, alteram ad peccatum. Vnam ad virtutes alteram ad vitia. Sed non minus quoq; periculoſum eſt, cùm homo corde caret, vt dicitur Oſeæ 7. Oſeæ 7. *Ephraim columba ſeducta non habens cor.* hoc eſt ; ſceleſti homines, qui humilitatis ſe pallio veſtiunt, quaſi neſciant iraſci inſtar columbarum corde carentium : intus verò pleni ſunt ſuſpicionibus, pleni detractione ; pleni odio. At verò homo iuſtus qui vult, vt eius oratio ſit Deo accepta, inter hæc duo grauiſſima extrema, medium virtutis tenere debet ; vt neq; duplex cor admittat, cùm eum, ſimplicem & rectum eſſe deceat : neq; etiam vno careat ; ſed enixè illud ſibi à Deo dari poſtulet, cum Dauide Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Deniq; Plutarchus & Paracellis, teſtantur Her- Cor hirſutum fortitudinis ſignum. mogenem & Leonidam, hirſuto corde repertos fuiſſe ; quòd etiam Plinius lib. 11. Naturalis hiſtoriæ cap. 32. de Ariſtomene Menetio affirmat. docetque id ſingulare fortitudinis & magnanimitatis eorum præſagium fuiſſe ; tale cor debet eſſe gratiam Dei poſtulantium, vt ſint animo hirſuto

prædtiti ; tum ad immaniſſimum Ze- A lotypiæ amoris hoſtem viriliter ſuperandũ ; tum ad omnes in ſe inſurgentes vindictæ motus imperioſè coërcendos, vtinam & in vobis omnibus ſit eiuſmodi cor, diuina ſciens, & humana ignorans. quod Propheta hominibus à Deo olim poſtulabat. Ie- Hier. 14. remiæ 14. *Da eis cor vt ſciant te.*

Sed adhuc oratio vt ſit Deo accepta, non tantùm ex corde ſimplici, & recto, Deum timente & fideli ; verùm etiam ex ore procedere debet ? os hominis eſſe cordis oſtium nemini du- B bium eſt : quod enim in corde occultum fouetur, hoc per os manifeſtari ſolet. Non ſatis igitur eſt ; vt homo ſolo mentis affectu in Deum feratur, ſed inſuper neceſſarium, vt per os laudem Dei annunciet, & laudando, Dei faciliùs impetret dona. hac de cauſa dedit Deus homini os ſublimè, vt crebrò cælum inſpiciens, à Deo, quæ ſibi neceſſaria ſunt, per vocis ſubmiſſionem poſtulet. ſed vt ex ore hominis procedens oratio ad Deum ipſum dirigatur, & perueniat, neceſſe C eſt, linguam hominis in ſumma moderatione poſitam eſſe, vt eam prudentia dirigat in laudem virtutis, & à proximi detractione coërceat. Nec Iacobi 3. enim fruſtra Apoſtolus Iacobi 3. vocat os hominis ignem, inquiens : *lingua ignis eſt.* quaſi diceret : quemadmodùm vehementiſſimi ignis virtutem ; non facilè modica aqua extinguit ; ſic effrænatam hominis linguam, difficilè cohibere eſt. comprobante Ibiem. idipſum ibidem Apoſtolo : *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpenti-* D *um domatur, linguam autem nullus hominum domare poteſt.* Non exauditur proinde hominis oratio, dùm aut ex ſilente, aut ex loquaci ore hominis procedit : quia quemadmodùm ſapientis eſt, in tempore tacere, & in tempore loqui : ſic planè gratiam Dei poſtulantis officium eſſe debet, vt nec ſit in Deo laudando nimium ignarus, nec etiam maioris, quàm decet loquacitatis. Hoc certè ex- Pſal. 77. preſſit Propheta Pſal. 77. *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dùm cla-*

A *marem tota die.* Sed quomodò obſecro Propheta clamare potuit, ſi tacebat ? vel quomodò tacere potuit, ſi clamabat ? non alia ratione, niſi vt hæc duo contraria, in linguis hominum non benè temperatis oſtenderet ; qui plerumq; tacent quæ dicenda ſunt, & quæ tacenda, loquuntur. Silent proximi laudes atquè virtutes, & leuiſſimos etiam defectus vociferantes diuulgant. Cuius rei pulchrum habemus exemplum in Scriptura ſacra 3. Reg. 22. vbi ſacra pagina nar- 3. Reg. 22. B rat, Achab regem armis, vndequaquè munitum ad præliũ proceſſiſſe, cumquè miniſtri negligentiâ, parua quædam lateris pars inermis manſiſſet, percuſſus eſt ab hoſtibus ſagittâ, quæ non in alia, ſed in ea tantùm, quæ patebat corporis vulnus parte inflixit. quid cauſæ ? toties armis circumdatus Achab, nullibi tamen læſus eſt, præterquàm in exigua corporis parte inermi. figura hæc illud certè nobis exprimere voluit, vt per regem, proximum ; per ſagittam, linguam intel- C ligamus. Proximus enim tuus multis & claris virtutibus ornatus incedit, ſiue mores illius, ſiue genus reſpicias. Nihilominùs tamen licet tàm varijs ſepitur præſidijs, lingua noſtra non tangit virtutes, nec laudat animi aut corporis dotes ; ſed protinus in aliquod, etſi leue naturæ vel morum vitium, inuehitur imitans lapidem illum, qui non aurum, non argentum, non æs ſtatuæ Nabuchodonoſor, ſed luteos ejus pedes tetigit & contriuit. Sic planè ſuſurrones, non D argentum aut aurum virtutum, quibus proximus honeſtatur, ſed vitiorum lutum mouent, atque continuò verſant : vt ſic proximus cæno illius detractionis turpior ac fædior reddatur. Non talis debet eſſe lingua poſtulantium Dei gratiam, ſed lingua ſimplex, æquitatis, & dilectionis proximi plena ; quæ ab ipſo Deo regatur in omni timore & honeſtate, quam petijt ſibi dari Propheta Pſal. 104. *Pone Domine* Pſal. 104. *cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

Deniq; oratio per quam Dei gra-

tiam impetrare debemus, debet procedere ex opere. hoc eſt, vt homo, qui in ſuis neceſſitatibus, ad Deum orandum confugit, etiam virtutibus & pietatis operibus abundet. ſi enim Sapiens inclamat. *In maleuolam animam non intrabit Spiritus ſanctus* quantò magis gratia Dei in animam peccatoris deſcendere nequit, quæ ex natura ſua non magis peccato repugnat; quàm lumen tenebris. Etenim cùm theatrum hoc, ſcilicet cælum, in quo æternus ille mercator Deus, ſuas opes nobis ſine pretio emendas propoſuit, nimiùm à nobis diſtet, neceſſe eſt; vt noſtra oratio quibuſdam bonis operibus veluti alis fulciatur, vt ijs adiuta, faciliùs in ſublimè conſcendat, & cælos ipſos penetret, pennas autem bonæ orationis duas eſſe vult

S. Auguſt. D. Auguſtinus in ſerm. de pænitentia, *Mitte* inquit *orationem & habebit duas alas geminas*, ſcilicet? *ieiunium & eleemoſynas: ieiunium inquam non in abſtinentia ciborum, ſed potiùs in abſtinentia vitiorum conſiſtens.* Quod comprobauit Raphàël Angelus, Tobiæ dicens. *bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.*

S. Baſiliꝰ. Corroboratq; vlteriùs D. Baſilius, ſerm. in diuites auaros. *Cauſa* inquit eſt, *cur nobis munificentiſſima Dei manus etiam petentibus non aperitur, quòd cùm ex Deo omnia accipiamus, alijs tamen non demus: beneficentiam laudamus, nos tamen hac carentes, alijs deſumus ſerui exiſtentes liberamur, & conſeruis non miſeremur. Eſurientes nutrimur, & inopibus alimenta negamus.* Etenim Deus nobiſcum procedit, ſicut illæ tres ſorores nomine gratiæ nuncupatæ (de

Heſiodus. quibus Heſiodus) quarum vna cùm faceret opera mercede digna & retributione; altera beneficio gratitudinè declarabat, offerendo illi primæ pro ipſa laboranti gemmas · tandem tertia & deſeruiebat, & retribuebat; demonſtrando per hoc, quòd qui gratus eſt beneficijs, adhuc maiora meretur. Deus Catholici mei, homo, & proximus, habent ſe quaſi tres illæ ſorores: cùm enim homo laborat in honorem Dei, & pia atque ſancta opera facit, Deus gratitudinem ſuam beneficijs declarat, & gemmas gratiæ ſuæ eidem offert. Quodſi adhuc homo eadem beneficia proximo ſuo communicet, & gratus beneficij exiſtens, iterum Deo retribuat: gratias illi agendo, & virtutes augendo. Deus adhuc amplioribus beneficijs, eum locupletat, quin & æterna beatitudine dignum iudicat.

Oſtendi igitur vobis theatrum publicum in quo merces inæſtimabiles venduntur, ſcilicet; cælum. oſtendi & theſaurum inappretiabilẽ, ad quem emendum feſtinare debetis, gratiam nimirum ſanctificantem. oſtendi & modum, quo tantum talentum poſſitis comparare, ſcilicet orationem, ex puro corde & moderato ore, ex ſanctis operibus procedentem Chriſtiani

Quare tẽpla ad orientẽ Chriſtiani extruunt.

plerumq; conſueuerunt templa ædificare ad orientem, in quibus imago Chriſti de cruce pendentis occidentem proſpicit, vt qui eam adoraturi veniunt, orientem ſpectent. Et vos pariter, hodiè erigite animos veſtros in cælum, proſpicite hunc orientem Chriſtum Ieſum, humili, fideli, & ſancta oratione poſtulantes, vt vobis gratiam ſuam in omni copia conferat, per quam dignè & lauream æternitatis operari poſſitis: & ex his mortalium ſedibus, ad cœleſtes thronos feliciter eleuemini, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. *Ioann. 16.*

Chriſtus vt nos excitaret ad petendum, certitudinem nobis ſpopondit de petendorum bonorum acceptione.

VEtus prouerbium Polono idiomate iactatur paſſim, *ad dandum aures mortalium clauſæ, ſed ad accipiendum ſemper apertæ.* quaſi iam illud & in humana & in diuina palæſtra proclamatum axioma, Beatius eſt dare; quàm accipere; in contrariũ degenerauerit ſenſum? & reuera ita eſt: ſoli enim Deo, qui eſt inexhauſtis affluentiſſimus

tiſſimus theſauris, ſua elargiri munera beatum & laudabile eſt. Homini verò, qui eſt egentiſſimus, nam & in anima gratia, & in corpore valetúdo plerumqúe deficit, accipere innatum cenſetur. Ad quod fortaſsè ex alto ſiderum olympo reſpiciens Deus, ne obtuſas apud Chriſtianos reperiat aures, animos illorum tetigit hodiè, ad quærenda & poſtulanda ſua beneficia? oſtendens immenſam ſuam liberalitatem, quæ pro exiguo humanæ poſtulationis pretio, multum tribuere parata eſt. vt fatetur Anna illa ſte-

1. Reg. 1. rilis. 1. Reg. 1. n. 17. *Oraui* inquit *& dedit mihi dominus, petitionem meam, quam poſtulaui eum.* quaſi Solæ preces pretijs æquiualeant, quibus à Deo beneficia emuntur. iuxtà illud Euæ pro-

Genes. 4. nuntiatum Genes. 4 num. 1. *Poſſedi hominem per Deum.* ſeu vt legit Olea-

Oleaſter. ſter: *Emi virum à domino.* Ecquis vnquam oblatis pecunijs, tàm facilè ſuas merces vendit: quàm Deus oblatis precibus ſua beneficia? Annuit Deus votis poſtulantium, & petitiones eorum libenter exaudit. Quod etiam Prophetæ ſuo Samueli quondam præceperat, 1. Reg. 8. num. 7. inquiens:

1. Reg. 8. *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi.* Vbi mirantur, interpretes Scripturæ ſacræ, quid ſit, quòd Deus præceperit Samueli morigerari populo, & concedere quod efflagitabat; atq; quomodò ipſemet Deus conſenſerit in illam petitionem Iſraëlitarum, regem ſibi deligi inclamantium, quoniam peccaminoſa fuit, Deus autem in peccatum nequit conſentire. verum iuſtè Deus etiam malè petentibus acquieuit; quia non repugnat conceſſionem aliquam licitam eſſe, licet alias petitio ſit iniqua. Quemadmodùm ſi quis neceſſitate coàctus petat pecunias ſub vſuris ab vſurario, parato ad fænerandum: licitè petet, quia neceſſitas etiam legum & præceptorum limites aliquando tranſgredi debet. Fænerator verò illicitè concedet. Licet verò Hebræi illicitè poſtulauerint regem, vt pote contra diuinam ordinationem. Deus tamen illum licitè conceſſit, non quidem in petitionem quæ iniqua fuit, ſed in regis electionem conſentiens, quæ de ſe non erat mala. Quod Antonius Perez in ſua Laurea Salmantina quæ- Antonius Perez.
ſtione 5. cap. 2. Exemplo ordinantis Epiſcopi indignum, illuſtrat: Nam Epiſcopus ordinans indignum, peccatum ſacrilegij cõmittit, Deus tamen iuſtè imprimit chatacterem. Sic planè & populus ille Iſraëliticus peccauit volendo Regem, ſed Deus iuſtè operatus eſt, illum conſtituendo. Sed noua hinc oritur difficultas, quare tamen Deus conceſſerit Iſraëlitis Regem, quem iniquè petebant? cuius facti duplicem rationem aſſignãt Doctores. Vnam in ſenſu literali, quòd ſcilicet Deus hoc fecerit in pænam eorum, qui malè petebant. Alteram myſticam, ſcilicet; vt per Saulem perſecutorem iter ad regnum Dauidi panderetur. gradus enim ad honorem eſt labor, & via ad gloriam perſecutio. hanc tradit D. Auguſtinus in titulum S. Auguſt.
Pſalmi 51. vbi etiam docet in Dauide per Saulis perſecutiones ad regnum aſcendente, adumbrari Chriſtum Dominum, per multas tribulationes in regnum cælorum intrantem, & in vtroque propoſitum nobis exemplum, ne ante pugnam aſpiremus ad coronam conſiderabimus itaque cur Chriſtus nos petere iubet, & quando pollicetur nos petita accepturos.

Prouocat Deus Chriſtianum populum ad petendum. vt orationibus miſericordiam eius faciliùs excitemus: imploratus enim dominus à populo ſuo, feſtinus adeſſe, & auxilium præſtare ſolet. vnde Tertullianus lib. 2. Tertull.
aduersùs Marcionem, cap. 17. hanc diuinam miſericordiã commendans: *ipſum* inquit *Iſraël toties reſtituit, quoties iudicauit; toties refouit, quoties & increpuit.* Vrgent enim multæ rationes, ne Deus in ſua miſericordia populo exhibenda obdormiat. Primò, mouet illum ad hoc, vt ſatisfaciat pacto, quod cum antiquis Patriarchis pepigerat. Nam locutus de Hebræis in ſeruitutem abductis: *orabunt* inquit *pro impietatibus ſuis, & recordabor fæderis mei, quod pepigi cum Iacob & Iſaac, & Abraham.*

bam. Quamuis Deus pactum illud inierit, non tàm vt se obligaret ad liberandum Hebræos; quàm potiùs vt inuitaret eos ad petendum. Quod Diuus Bernar. serm. 4. super Missus est,

S. Bernar.

rectè expendit inquiens: *Multa* quæ *dare disposuit Deus, priùs pollicetur: vt ex promissione excitetur deuotio: sicq; gratis permittendo præuenit, vt postea non tribuat gratis, sed quasi videlicet obligatus.* Immò consultò aliquando Deus homini non vult tribuere ea, quibus indiget, nisi priùs petat, vt docet Rupertus lib. 4. de victoria verbi cap. 5. vbi ostendit Iudices in Israël non nisi populo ad Deum clamante fuisse

Rupertus.

creatos. *Quid amplius* ait *potentiam vel sapientam commendat verbi Dei ad victoriam tendentis? illudne quòd tradidit eos in manus hostium, vt clamarent? an quòd clamantibus Iudices suscitauit, qui eos liberarent. Nimirum in vtroq; omnipotens sermo tuus Domine, tanquàm durus bellator decertabat, vt non vacuum reuerteretur ad te, qui salutem generis humani in ipso constitueras, & hoc Abrahæ promiseras.* Mouet secundò Deum ad diuinam misericordiam in populum effundendam, vt orationem hominis, potissimùm verò post confessionem factam, magis honoret; siquidem nemo Deum gratior orat; quàm qui ante orationem humiliter confitetur. Vnde publicanus, priùs sua peccata confessus, descendit de tem-

Lucæ 18.

plo sanctificatus ab illo, qui suas virtutes coram Deo iactabat. Lucæ 18.

S. Cypr.

num. 14. de quo Cyprianus oratione dominica sic loquitur; *Sanctificari hic magis meruit, qui sua peccata confessus orauit: & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit.* Mouet & hoc Deum ad ostendendam misericordiam suam, vt multorum precib⁹ vnanimiter & concorditer clamantium respondeat; efficacior enim est illa oratio, quæ à pluribus charitate concordibus excitatur. Hinc crediderim esse causam, quòd licet sæpiùs multa petimus à Deo, non tamen illa assequimur, hanc esse: quia non omnes vnanimiter petimus: nam alius feruenter orat, alius Deum turpiter blasphemat, alius to-

A to animo in Deum conuersus est, alius verò effusus in omnia vitia: alius est sincerus, alius fraudis & doli plenus: alius in corpore videtur esse mundanus, & ad sæculi negotia compositus; sed corde purus, mente castus, opere sanctus, & Deo acceptabilis: alius verò externa quidem corporis compositione, pietatem præseferens, ore virtutem simulans, in aliorum consessu à loquela, ciborum & potuum vsu abstinens, quasi perfectissimus abstinentiæ & sanctitatis cul-

B tor. Sed in animo hypocrisis, malè de omnibus existimans, & vnicum se inter cæteros optimum reputans; in animo tacita arrogantia, quando cum omnibus affabiliter conuersatur, sed cum nemine sincerè. omnibus blanditur, sed nulli benefacit, quia appetit ab omnibus venerari & rogari de illis rebus, quæ non rogatæ vltrò offerendæ sunt.

Quia ergo tanta diuersitas reperitur in nobis Deum petentibus, idcircò plerumque non obtinemus, quæ

C petimus: quia cùm Deus omnibus velit esse misericors, & peruersi obstent; retardatur, ne etiam bonis misericordiam suam præbeat: quid enim causæ, quòd Deus illos tres pueros in fornace Babylonis exaudierit, & seruauerit immunes? nisi quia omnes vnanimiter orabant. vt habetur in litera: *quasi ex vno ore laudabant & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace.* Dan. 3.

Daniel. 3.

num. 51. Quod etiam D. Cyprianus citatus animaduertit. *Loquebantur* inquit *quasi ex vno ore, & nondùm illos*

S. Cypr.

D *Christus orare docuerat: & idcircò orantibus fuit impetrabilis, & efficax sermo, quia promerebatur Deum pacifica & simplex & spiritualis oratio.* Excitat igitur Christus populum Christianum ad petendum, vt palam sit omnibus, quanto cum affectu afflictorum & laborantium preces exaudiat. Nam sicut laborantes feruentius precantur, ita etiam à Deo beneuolentiùs audiuntur. Hoc declarare voluit, Deus dilecto suo Dauidi Psal. 49. num. 15. illum

Psal. 49.

alloquens: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* quasi

Deus

Deus ostendere vellet, se maximè honorari, quando à tribulatis exoratur. quâ de re certus Dauid, quoties illum tribulatio quæpiam impellebat, confugiebat statim ad petitionem, in hac vna omne remedium sperans se in-

Psal. 114.

uenturum. vt testatur ipsemet Ps. 114. num. 4. *Tribulationem* inquit *& dolorem inueni, & nomen domini inuocaui.* quasi omnibus insinuare vellet, Deum libentiùs audire illas preces, quæ ex afflicto corde egrediuntur. Immo propterea nonnunquàm tribulatio diuinitùs immittitur, vt oratio tribulato imperetur, quæ à Deo libentiùs audiatur. Hæc est doctrina D. Chrysosthomi in Psal. 114. Vbi sanctus iste Do-

S. Chrys.

ctor, sic loquitur: *Deus* inquit *ideo permisit vt caderes, vt tu eum inuocares: ideò permittit vt affligamur, vt ei perfectiùs coniungamur. Nam matres solent insolentes pueros cogere, vt ad suum gremium fugiant, diuersis personis illos perterrefaciendo? non eos quidem volentes molestiâ afficere: sed hoc excogitantes, vt ipsi eis assideant. Ita etiam Deus volens nos sibi coniungere, cum sit amator vehemens, vel potiùs amatore quouis vehementior, permittit vt ad talem redigaris necessitatem, vt perpetuò vaces orationi, & eum assiduè inuoces; & aliis relictis sis de eo solicitus.* Denique Christus Dominus excitat nos ad petendum, vt suam erga homines misericordiam manifestet: quæ tanta est, vt non solùm clamantes audiat; verùm etiam mussitantes. Nam vt Deus excitetur ad vindictam, multis clamoribus opus est, vt docet scriptura Gen. 18. n. 20.

Genes 18.

Clamor inquit *Sodomorũ & Gomorrhæorum multiplicatus est.* Vt autem ad misericordiam inflectatur, etiam voce audibili non indiget, sed sola intentio recta, & mentis ad Deum inclinatio sufficit. Tacitè enim orabat Anna illa, in templo Salomonis, & tamen in se diuinam misericordiam prouocauit; vt dicit sacer textus 1. Regum 1.

1. Reg. 1.

num. 13. *Cùm labia eius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur.* Quod considerans D. Ambrosius lib. de Abraham cap. 6. locutus de clamoribus Sodomorum, sic dicit: *Excitatur*

A inquit *Deus flagitiorum nostrorum clamoribus, vt aliquando vindicet, qui libenter ignoscit.* Quasi diceret; etiam

S. Ambr.

submissis precibus ad parcendum allicitur, qui non nisi altissimis clamoribus ad puniendum prouocatur. Immò sæpè nostra oratio auditione diuina præuenitur, vt docet Propheta Isaiæ 65. n. 24. vbi loquitur Deus:

Isaiæ 65.

antequàm clament ego exaudiam. Ad quod allusit D. Bernardus serm. 9.

S. Bern.

in Canticis. *Arbitror* inquit *quòd interdum nec verba expectat, sed solis co-*

B *gitationibus aduocatur.*

Non sine mysterio Deum sacræ literæ lucem & ignem passim appellant: teste D. Ambrosio serm. 8. in Psal. 118. *Lux* inquit *& ignis esse*

S. Ambr.

describitur: lux, vt in tenebris ambulanti luceat, quasi lumen, ne diutiùs possit errare, qui quærit luminis claritatem. Ignis vt operis nostri ferrum stipulamq; consumat, atq; vtili nos faciat saluos detrimento, sicut aurum quando excoquitur, plus probatur. Hinc Deus in fœdere quod inierat cum Abrahamo, in me-

C dio ignis fumantis eum allocutus est. Gen. 15. n. 17. *Apparuit* inquit scri-

Genes. 15.

ptura *Clibanus fumans, & lampas ignis.* scilicet? *vt portenderet,* Auctore Pro-

Procopi.

copio, *impiis conflagrationem; piis autem illuminationem præberet.* Quod etiam Deus in suis legibus voluit exprimere, quando duo illa præcepta præscripsit: vnum Deut. 6. n. 5. *Diliges*

Deut. 5.

inquit *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Alterum ibidem Numero 13. *Dominum Deum tuum timebis.*

D Vbi & benignitatem suam amandam, & seueritatem timendam proposuit. Vnde Tertull. lib. 1. contra Marcio-

Tertull.

nem cap. 13. dicit. *Plenitudo* inquit *diuinitatis ipsius exhibens Deum perfectũ, Patrem & Dominum: patrem clementiâ; dominum disciplinâ; patrem potestate blandâ, dominum seuerâ; patrem diligendum piè. Dominum timendum necessariè: Diligendum, quia mauult misericordiam, quàm sacrificium, & timendum, quia non vult peccatum: Diligendum quia mauult pænitentiam peccatoris, quàm mortem, & timendum, quia odit peccatores sui iam*

non

non pænitentes. Ideo lex diuina vtrumq; definit, & diliges Deum : & timebis Deum ; aliud obsequentiori proposuit, aliud exorbitatori.

Verùm nondum satis videbatur Christo Domino, excitare pietatem Christianam ad petendum, nisi et iam certitudinem quandam eis spoponderit, de petendorum bonorum acceptione. *Petite* inquit *& accipietis.* Cum enim Axioma iuris peritorum sit ; omne promissum cadit in debitum; idcircò Christus quò facilius hominem ad petendum alliceret, non tantùm promittit, verùm etiam debitorem se quodam modo ad dandum denuntiat. propterea, quòd cùm sit vniuersalis omnium dominus, sine cuius prouidentia, creatura rationalis & quæcunq; alia, nec esse nec viuere nec conseruari potest ; ex quo creaturam esse vult, tenetur ei suppeditare necessaria. Sed tamen, quia hanc obligationem voluntariè suscepit, gratuitum hoc debitum, tenetur quoq; homo à Deo petere. Et quemadmodùm ad accipienda apud homines promissa non litis tergiuersatione, sed potiùs amica expostulatione opus est; ita planè vt impetremus apud Deū ea, quæ nobis pollicitus est, nō importuna & arrogans inquisitio esse debet ; sed humilis, pacifica, & timorata petitio, Nam sicut promissa non nisi amicis fiunt & exhibentur : ita amicus esse debet, qui apud Deum assequi vult, quod petit : hanc autem amicitiam, sola pax & tranquillitas mentis, atq; cordis puritas causat. vt docet Apostolus Matth. 5. (Matth. 5.) *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* quasi diceret Apostolus ; meritum Christianæ virtutis, vilescit in cunctis, si vnitatem non habeat pacis. Nemo enim peruenit ad vocabulum filij Dei, nisi per nomen pacifici : Pax mentis est, quæ expoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam, ex famulo liberum, filium facit ex seruo. Deum Patrem reddit, & homo tunc primum filius Dei esse incipit, cùm in animo pacificatus est. sed ille non habet Deum Patrem, qui hæres pacis spiritualis, scilicet gratiæ Dei esse non vult. Sed seuerum sensurus est Deum, quem clementem blandumq; dedignatus est Patrem. Vnanimitas igitur necessaria est Christianitati, & pax cum Deo, vult assequi omnia quæ petit. Quod optimè expressit Sapiens Eccles. 25. (Eccles. 25.) in persona Dei loquens ; *Placuit* inquit *spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier consentiens sibi.* Vbi per concordiam fratrum, intelligit sinceram societatem cum omni proximo ; hæc enim voluntas Dei, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, iustitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atq; in rebus omnibus laudabilis disciplina. Quid per amorem proximorum designauit? nonne commiserationem egentium? quos tunc maximè amas, quando eos in summa necessitate non despicis ; consolationem afflictorum, quibus veram charitatem exhibes ; quando leuamen aliquod ferre non recusas, imperitorum eruditionem : quos tunc solùm sicut te ipsum diligis, quando erranti salutarem præbes instructionem. Hæc enim vnica perfectio Christianitatem Deo facit amabilem? quia est suffragium precum & supplicationum apud Deum : vt potè desideriorum omnium competens plenitudo. Quid demùm per mulierem & virum sibi consentientem intellexit ? nonne populum fidelem Ecclesiæ sanctæ ? in omnibus parentem, atq; diuinis præceptis minimè recalcitrantem. Nam diuidere vnitatem cum Ecclesia, aut per inobedientiam ; aut per infidelitatem ; non est hoc magistrum Christum Iesum sequi ; sed ius, diuinum mandatum calcare : sequi enim Christum est, in omnibus morigerum se Deo eiusque Ecclesiæ exhibere.

Verùm vt promissum à Deo petendo obtineamus, & alterum nobis adhuc necessarium est ; nimirum : vt stando oremus dominum ; hunc petendi modum tanquàm efficacem præscripsit nobis Samuel Propheta 1. Regum 12. (1. Reg. 12.)

n. 7. inquiens : *Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersùm vos coram Domino, de omnibus misericordijs domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.* Omnia enim diuina beneficia, quæcunque mundo aliquando contulit Deus, stantibus seruis porrexit. quod palam profitetur Scriptura sacra. Nam imprimis cùm diuina lex in monte Sinai promulgaretur. *Cunctus populus* inquit Textus *perterriti ac pauore concussi steterunt procul.* (Exodi 20.) Exodi 20. n. 18. sicut enim eos reuerentia cogebat, ne propiùs accederent ; ita vetabat, ne sederent. Similiter quando Moyses descendebat, ad instruendum populum, inquit sacra litera Exodi 33. (Ibidē 33.) n. 8. *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisq; in ostio papilionis sui.* Sed & Moyses ipse Deum auditurus, stabat : Exodi 33. numero 5. *Cùm descendisset dominus per nubem, stetit Moyses cum eo.* Deniq; & Esdras, cum librum in medium diuinæ legis afferret, de mane vsq; ad mediam diem explicandum, omnes arrectis auribus concurrerunt Esdræ 8. (Esdræ 8.) num. 5. *Et aperuit* inquit *textus Esdras librum coram omni populo, & cùm aperuisset eum, stetit omnis populus quasi vir vnus.* vbi (Auctore Beda ad hunc locum lib. 3. cap. 26.) (Beda.) per illa verba quasi vir vnus, *Summam populi deuotionem & concordiam indicare voluit.* Et meritò perfectò homo stans, à Deo aliquid petere debet ; quia Deus sicut loqui : ita & beneficia conferre nonnisi stantibus consueuit. Nam ad Ezechielem dixit, Ezech. 2. (Ezech. 2.) n. 1. *Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar ad te.* Verùm si stando orandus est Deus, melancholia fortasse non vnum afficiet, qui aut ægrâ valetudine lecto affixus est ; aut certè ad erigendas pedum bases impotens. Verum non tàm corporis statum, quàm potiùs mentis requirit à nobis Deus, vt exponit August: Tract. 14. in Ioannem : (S. August.) *Si* inquit *cadit, non audit eum :* sed quid est stare : respondet idem S. Doctor. *Est permanere in gratia eius, quàm accepit.* Fuit quidē hæc laudabilis consuetudo in principio Ecclesiæ Catholicæ, vt Christiani aut ad sacram concionem, aut ad diuinum sacrificium conuenientes, non sederent ; sed starent in templis reuerentiæ causa : neque tantùm simplices, sed & primates, & Imperatores, & Reges idem faciebant. Fatetur hoc Eusebius Cæsariensis l. 4. de vita Constantini c. 33. Vbi dicit tantum Imperatorem totius fere orbis dominum, suæ concioni affuisse non sedentem, sed stantem & erectum. Tanquam inquit priuatus aliquis assurrexerat ad audiendum, & quamuis precibus ab ipso efflagitauerit, vt sederet, recusauit tamen Imperator. *Diu verò multumq; ad sedendum à me inuitatus, & reluctari, & hisce de rebus audire dissolutè, esse nefas dicebat.* (Eusebius Cæsarius.) Si ergo tantus Imperator, non in throno regali consedit, non in scamno tapetibus adornato recubuit ; sed stans cum reuerentia Dei verbum auscultauit. ô quantum nostram arrogantiam condemnabit in Dei iudicio ! quia licet simus multo inferioris conditionis, erubescimus tamen assurgere audiendo verbo Dei ; imò quod magis arguendum : etiam sanctissimo Christi corpori in sacrificio eleuato, poplitem flectere, contra dignitatem suam multi reputant. Sed scamnis non secus ; quàm molliter stratis lectis ad diuina mysteria accumbunt ; quasi etiam cum tanto fastu & arrogantia, ad Dei iudicium se debeant sistere. Imperator Constantinus quando Episcopus stantem illum respiciens, concionem abbreuiare vellet, petijt ne id faceret. Nunc verò, si ad horam diuini verbi prædicatio protendatur, verbi Dei prædicatoribus & vitio imputant, & famam ex parte lædunt.

Sed magis iam est misericors Deus ad decursum mundi, quàm ad initium. Conniuet iam sedentibus, immò etiam recumbentibus : & hoc solùm exigit à nobis, vt mens cuiusq; sit erecta ad Deum, non extra templum vagabunda, vt anima sit in gratia, non in complacentia peccati. Hoc mihi præsignasse videtur, Iacob Patriarcha in veteri testamento, qui duos nepotes (Gen. 43.)

tes Manaſſem & Ephraim ſuprema benedictione exornaturus, iuniorem Ephraim ſeniori Manaſſe antepoſuit. Gen. 46. n. 14. cuius rationem hanc potiſſimam allegant Scripturæ ſacræ interpretes, quia duo illi fratres, duos populos ſignificabant. Senior Hebræum, & iunior Chriſtianum. Populus Hebræus erat Dei filius, quia immediatè ab ipſo Deo deſcendebat, per creationem primi parentis : populus verò Chriſtianus, ſunt nepotes Dei, quia ex eius filio Chriſto Domino, mediante aſſumpta humanitate regeniti. Præferri ergo debebant ad maiorem prærogatiuuam, populo Hebræo; vt quod populus ille aſſequi non potuit, niſi ſtando orans ; Chriſtiani etiam ſedendo recipiant, ſi mens eorum recta atq; timorata fuerit. Auguſtinus verò, & D. Ambroſius ſerm. 14. in Pſal. 118. exquirens rationem cur iunior Ephraim ſeniori Manaſſe prælatus fuerit, rationem hanc aſſignant ; quia Manaſſes ſignificabat populum Dei obliuioſum, proinde indignus erat, vt in primatum vocaretur. Ephraim autem repræſentabat populum Dei credentem, & illum ſemper recognoſcentem : proinde idoneum, cui ampliorem gratiam DEVS concederet, & ad maiorem illum præeminentiam vocaret. Vnde de Ephraim dicit Diuus Ambroſius loco citato :

S.Ambr.

Quia inquit *ſemen eius multitudo gentium ſit, quæ in hoc ſæculo laborem elegit, credens in Dominum Ieſum ; vt conſolationem habeat futurorum. Manaſſes autem ſemen eſt populus obliuionis, qui proprium oblitus auctorem, exaltatus ad tempus in hoc ſæculo eſt, daturus in reliquum pænas graues ; quia Deum ſuum & dominum denegauit.* Prætulit ergo Deus populum Chriſtianum iuniorem, populo Hebræo ſeniori : quia maxima beneficia Incarnationis & Paſſionis Chriſti, ſoli populo Chriſtiano contulit, iuxta Prophetiam Dauidis

Pſal. 101.

Pſal. 101. num. 19. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Vbi D. Hieronymus, cum alijs interpretibus oſtendit, maxima beneficia Deum non populo Hebræo ; ſed Chriſtiano contuliſſe ? quaſi certior eſſet Deus futurum fore, vt à populo Chriſtiano perpetua recordatione celebretur. Quod ſi hæc fuit principalis Dei intentio, indubitatum quoq; documentum eſt, in homine, vt id obſtineat, quod à Deo petit, maxime requiri Dei beneficiorum gratitudinem, & reminiſcentiam. Nam vbi ingratitudo irrepſerit in animum hominis, dubio procul nec eius petitiones, nec illum ipſum Deus reſpiciet. Sic diſertiſſimè docet Propheta Pſal. 3. n. 5. inquiens :

Pſalm. 3.

Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eam, in Hebræo autem legitur : *Quid eſt Enos quòd memor es eius.* Vbi Euſebius libro 11. de præparatione Euangelica cap. 4. interpretatur Enos idem eſſe, quòd obliuioſus ; quaſi diceret Propheta (teſte Euſebio)

Euſebius.

Quid eſt homo iſte obliuiſcens, quòd tu qui es Deus, memor es eius, quamuis obliuiſcens ſit. Nihil enim magis mirandum eſt, quàm Deum memorem eſſe hominis ſui obliuiſcentis, aut grata quadam recordatione ferre præ oculis illum hominem, qui Deum ingrata obliuione, poſt tergum reiecit. Siquidem Deus populum ſuum dilectum Iſráeliticum, non alia de cauſa, niſi propter ſolam ingratitudinem, & obliuionem ſuorũ beneficiorum reiecerat à ſe, tradens eos in poteſtatem Aſſyriorum, oppreſſionem Ammonitarum, & demùm in ſeruitutem Palæſtinorum. vt expreſsè habet ſupra textus 1. Regum 12.

1. Reg. 12.

num. 9. *Quia* inquit *obliti ſunt Domini Dei ſui, tradidit eos in manu Siſaræ Magiſtri militiæ Haſor, & in manu Philiſthinorum, & in manu Regis Moab, & pugnauerunt aduerſùm eos.*

Nonne eadem obliuio execranda irrepſit in orbem Chriſtianum his temporibus ; quotus enim nunc quiſque eſt, qui Deum præ oculis habeat, qui immenſa Dei beneficia aliquando gratificari velit, aut ſaltem illorum meminiſſe. Nemo ſanè : Præſtiterat Deus maioribus noſtris beneficia, ſuper omnes gentes. Nam regnum quod ſexaginta tantum miliaribus ; continebatur,

terminus ſiquidem A quo erat Cracouia ; ad Quem, & in Quo Gneſna, dilatauit tamen illud Deus, ad 500. fermè milliaria in longum, Rebellem Moſchiam ſubiugauit, ex Oſmani potentia eripuit ; & quid pro tanto beneficio rependimus Deo ? nihil omninò : locauimus quidem æneas columnas ad Boriſthenem, palatia magnifica, fontanas alijs nationibus inuiſas, arcus triumphales, coloſſos marmoreos ſumptuosè in dies erigimus ; appendimus inſcriptiones noſtræ ſtructuræ, deauramus, cubicularia. Et Xenodochium ſaltem vnum fundauimus ne ? non locauimus ne aliquid noſtrorum prouentuum, adcolendos & ſuſtentãdos pupillos ? fecimus ne auctionem in Eccleſia Dei ? nequaquam. Nec pauper micam panis de menſa dominorum participat : nec pupillus de menſa Præſulum leuamen habet ; nec Eccleſia apud fideles auctionem, ſed diminutionem aſſiduam patitur. Et quid hoc aliud eſt, niſi Dei obliuio, & eius beneficiorum ingratitudo. propter quam, licet aſſiduò petimus, nihil tamen apud Deum poſſimus impetrare ; immò contraria noſtris petitionibus eueniunt. Petimus pacem, & ecce bellum eſt : petimus fæcunditatem fructuum & frugum vbertatem, & ecce ſterilitas : petimus calorem ; & tamen frigus : petimus pluuiam, & ſiccitas venit ; petimus iterum ſerenitatem, & mox inundatio oritur. Quid cauſæ, quòd Deus nobis petentibus contraria faciat ? obliuio & ingratitudo in cauſa : quia enim Dei ſumus obliti, Deus quoque & noſtras petitiones, & nos reſpicere non vult. quo intuitum ſuum auertente, rerum omnium confunditur & peruertitur ordo. Verùm diſputandum iam nobis erit cum Deo, vt quid Deus obligauit ſe ad dandum nobis ea, quæ petimus ? ſiquidem promiſſis ſuis non ſtat. Sed cauſa eſt, quia & nos debitam petitionem non obſeruamus. Apud homines quando vnus alteri quidpiam promittit, accepturus promiſſa, ſuam indignitatem extenuat. Nos autem quando petimus aliquid à Deo, nequaquam nos peccatores recognoſcimus, & coram Deo nos iuſtificamus, ſed elato animo tãquàm perfecti iam, Deum non ſecùs ; quàm vnum ſeruum oramus. Cùm tamen hoc eſſentiale petentis apud Deum ſit, vt ſe peccatorem recognoſcat, ſicut fecerunt quondam Iſráelitæ, 1. Reg. 12. n. 10.

1. Reg 12.

Poſtea inquit textus *clamauerunt ad Deum; & dixerunt, peccauimus quia dereliquimus Deum, & ſeruiuimus Baalim, & Aſtaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum noſtrorũ, & ſeruiemus tibi.* Vbi ſtatim ad hanc petitionem affuit Deus. Nam dicit Samuel ibidem Num. 11. *& miſit Deus Ierobaan & Badan & Iephte & Samuel : & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum, & habitaſtis confidenter.* Verùm quid cauſæ, quòd Hebræi non priùs clamauerint ad Dominum, quàm ſub manibus inimicorum attriti eſſent ? certè illud ; quòd homo nonniſi in afflictionibus ad Deum recurrere ſoleat : neſciunt enim filij mortalium aras, niſi quando ad illas neceſſitatibus compelluntur, iuxta illud Statianum.

Ignotæ tantum felicibus aræ.

Ad quod egregiè Propheta alluſit Pſ. 15. n. 4.

Pſal. 15.

multiplicatæ ſunt inquit *infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Quaſi diceret : ſupplicia Domini calcaria ſunt, quibus homines ſcelerum veterno conſopiti, ad eum quærendum ſtimulantur. Nam ſicut remedium nemo curat, niſi morbo vexetur; ita peccator Deum non quærit, niſi priùs afflictione torqueatur. Sic Ephraim dùm in patria vberrimis frugibus abundaret, recedebat à Deo, iuxta illud Oſeæ 9. n. 11.

Oſeæ 9.

Ephraim quaſi auis auolauit ; ſcilicet à cultu diuino, quem cum cultu idolorum commutauerat. Sed vbi bonis omnibus deſtitutus, & in captiuitatem abductus fuit ; protinùs ad meliorem frugem remeabat. iuxta illud Hieremiæ 31. n. 18.

Hier. 31.

Audiens audiui Ephraim tranſmigrantem, caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Sic planè Hebræi, qui tanquàm ſtolidi greges, in ſuis voluptatibus à Deo aberrabant ; permentibus tamen poſtea vndique aduerſitatibus,

bus, ad Deum confugiebant implorandum, confitentes ingenuè culpam suam : *Peccauimus* inquit *quia dereliquimus Dominum* : quasi ostenderent, se non statim in idololatriam decidisse ; sed sensim per minima vitia, in cultum falsorum Deorum aberrando. sic planè & inter Catholicos fit, vbi sicut nemo fit de repentè summè bonus, nemo quoq; in instanti fit summè malus ; sed sensim à minimis vitijs, ad maxima assurgendo scelera, vt eleganter docet Theodorethus Abbas, apud Cassianum collatione 6. cap. 7. *Lapsus verò* inquit *quispiam nequaquàm subitaneâ ruinâ corruisse credendus est : sed aut prauæ institutionis exordio deceptus, aut per longam mentis incuriam, paulatim animi virtute decedente, & per hoc sensim vitijs increscentibus, casu miserabili concidisse.* In quam rem plurimum seruit exemplum miserabilis illius Catholici, qui muscarum tædio affectus, manichæo rogāti, quis fecisset muscas; negauit a Deo factas esse : & illationes ab eo deductas; hoc ipsum de ape, locusta, lacerta, cane, aue, pecude, Elephante, imo & de homine est inficiatus. *Ita ille miser* inquit Augustnus tractatu 1. in Ioannem ad finem, *Cùm tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret.* Non ergo tribulatio à Deo immissa molesta esse debet homini, sed potiùs grata, quæ illum ad Deum orandum faciliùs flectat.

Theodor. — S. August.

Incitamur proinde hodiè ad orandum a Christo, vt nostris petitionibus misericordiam eius in nos prouocemus, cùm velit omnem suam liberalitatem in nos diffundere. Incitamur antea præsuppositâ promissione, quòd scilicet simus accepturi petita, si videlicet mens nostra ab omni vitiorum labe depurata fuerit, si cor nostrum totum in Deum versum, & mens piè ac humiliter erecta : si denique confessi fuerimus nostra delicta. Idcirco in fide non dubia, in humilitate non ficta, agnoscamus hodiè nostra delicta, clamantes : *Peccauimus Domine, quia dereliquimus te.* Et certi simus nos in hac confessione omnia obtenturos, quæ petierimus, Amen.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. *Ioan. 16.*

Petere in nomine Christi, est gratiam à peccatis præseruantem, & promptam parendi Deo voluntatem postulare.

STetimus hodie in Academia Christi Auditores, vt ex ore cœlestis magistri discamus illud axioma, beatius est dare ; quàm accipere, cognoscamusq; id soli Deo competere, qui in summa naturæ suæ fæcunditate, nil magis curat ; quàm dare mundo beneficia. Idcircò, vt hominem ad suæ fæcunditatis participationem excitet, vt potè summè egentem &, nihil habentem ex se, petere iubet, quidquid homini necessarium est ; vt scilicet per innumera suæ bonitatis dona elargita homini, amicitiam quam cum illo, per carnis assumptionem contraxerat, magis firmare posset. Quemadmodùm Elias fecit cum Elisæo indiuiduo sibi comite. 4. Reg. 2. Dum enim Deus Eliam per turbinem in cælum tollere vellet ; Elias dixit ad Elisæum : *postula quoduis vt faciam tibi, antequàm tollar à te* : dixitque Elisæus, *obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Qui respondit. *Rem difficilem postulasti ; attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* Christo indiuiduus comes est homo, idque tribus modis, per creationem, per intellectum, per animæ immortalitatem. Quemadmodùm docet S. Augustinus, epist. 95. ad Innocentium contra Pelagium. *Etsi quadam non improbanda ratione dicitur Dei gratia ; quâ creati sumus, vt non nihil essemus ; nec ita essemus aliquid, vt cadauer, quod non viuit ; aut arbor, quæ non sentit ; aut pecus quæ non intelligit ? sed homines qui & essemus, & viueremus, & sentiremus, & intelligeremus. Meritò inquit & ista gratia dici potest : quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.* Sed nondùm contentus

4. Reg. 2. — S. August.

esse debes istâ gratiâ naturali, omni creaturæ comuni : plura adhuc à Deo audacter pete. *Est enim* inquit S. Augustinus, *alia gratia quâ prædestinati vocamur, iustificamur glorificamur.* Ad quam petendam nos hodiè Christus hortatur. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ostendam igitur diuino adiutus auxilio, petere in nomine Christi, nihil aliud esse; quàm duplicem eius spiritum, id est ; gratiam à peccatis præseruantem, & promptam parendi Deo voluntatem postulare.

Vt oratio sit valida & proficua apud Deum, debet quatuor istas conditiones habere. Primò, vt ea tantum petamus, quæ ad salutem nostram aut Dei gloriam pertinent : homo enim conditus est ad hoc tantùm, vt Deum glorificet, & vt salutem æternam curet. Ergo ne ab hac sui conditoris intentione aberret, ea tantùm petere debet, ad quæ ex mente DEI ordinatus est. Quisquis talia à Deo petit, obtinet ex promissione Christi. Matth. 7. *Pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se.* Idcircò homo plerumq; non assequitur, quotiescunq; temporalia petit ad mundi vsum, Iacobi 4. *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentias vestras infundatis.* Non assequitur homo, quoties temporale aliquid petit ; quia exiguum est, quod Deum dare non decet. Diuus Basilius constitutione Monastic. cap. 2. *Munificentissius & Augustissimus est Rex noster, & indignè fert, quandocunq; quispiam exiguum quid à se petit ; multò magis si ea petimus, quæ minimè conueniunt.* Perillus cùm ab Alexandro dotem suæ filiæ petijsset, & quinquaginta talenta accipere iuberetur, respondit : decem sibi satis esse, cui Alexander. *Tibi* inquit *accipere satis, sed mihi non satis est dare.* Sic Christus non ea tantùm quæ homo petit, sed plura ex sua munificentia eidem conferre solet. Ephes. 3. *Potens est Deus omnia facere superabundanter ; quàm petimus aut intelligimus.* Si enim prodigus ille filius, id tantùm Patrem rogans, vt faceret eum sicut vnum ex mercenarijs suis, factus est iterùm filius eius, & receptâ stolâ albâ, solenni conuiuio exceptus, Lucæ 15. Quantò magis homo in nomine Iesù petens, maiorem æterni patris gratiam experitur ? Salomon petijt sapientiam à Domino 3. Reg. 3. *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum.* & statim Deus non tantùm sapientiam ; sed etiam temporalia bona eidem concessit. *Quia postulasti sapientiam ad discernendum iudicium, ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantùm, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit ; sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam.* Genes. 17. Abraham petijt à Domino, vt Ismaël viueret ; *vtinam Ismaël viuat coram te* ; & ecce responsum accepit à Domino, *super Ismaël quoquè exaudiui te, ecce Sara tua vxor, pariet tibi filium, vocabisq; nomen eius Isaac, & benedicnm ei, & augebo, & multiplicabo eum valde, & faciam illum in gentem magnam.*

Matth. 7. — Iacobi 4. — S. Basilius. — Lucæ 15. — 3. Reg. 3. — Genes. 17.

Secunda conditio vt oratio sit proficua ; vt scilicet homo orans existat in gratia : in statu enim mortalis peccati, nullas exaudiri orationes testis est scriptura Isaiæ 1. Iudam & Ierusalem ob peccata Deus exaudire noluit, inquiens : *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* (id est peccatis) certè si in veteri lege Leuitic. 22. nemo immundus potuit ad tabernaculum accedere, aut vllum sacrificium offerre, nisi priùs sanctificatus. S. Thomas contra Gentes. lib. 3. 96. id considerans inquit : *cùm Deus oratione amicitiæ piorum vota exaudiat, quicunq; mortalium, qui peccando amicitiam cum Deo dissoluit, nec dignus, nec idoneus est, vt audiatur.* Hoc enim simile est ait S. Basilius, ac si quis postquàm filium alicuius vnicè dilectum occidisset, & statim manus sanguine filij cruentas, ad patrem porrigeret, veniam ab eo postulans. Quid aliud peccator facit, nisi peccato quolibet mortali filium Dei iterum crucifigit : is antequàm manus suas Deo Patri orando

Isaiæ 1. — S. Thom.

tri orando porrigat, easdem abluat necesse est. Nihilominùs licet sola iustorum oratio, hac promissione gaudeat, vt apud Deum ex merito & iustitia impetret: etiam peccatores ab hac oratione deterreri non debent: imò etiam hortandi, vt scilicet amoueatur amplior obex. Leuitic. 27. Animal immundum in veteri lege prohibebatur offerri; vendi tamen potuit, & pretium eius offerri: sic planè pænitentis oratio, non quidem meretur apud Deum, sicut nec actus pænitentis nondùm iustificati, pretium tamen horum actuum, quod est vltima dispositio, acceptat Deus; Thren. 4. sciptura loquitur: *Qui cum affectu peccati orat, opponit sibi nubem ne transeat oratio.* sicut enim nubes solis radios impediunt, ne ad nos vsq; penetrent, etiamsi fenestræ aperiantur: sic peccatum diuinæ gratiæ obstaculum est, etiamsi per orationem cordis fenestra aperitur. Quomodò enim peccator audebit suum creatorem nominare Patrem, cum præcepta eius transgrediendo, per peccatum desinit esse filius Dei? Nam si discipulus Christi esse non potuit, nisi fecisset ea quæ Christus præceperat: multò minus filius esse potest, cœlestem dishonorando Patrem. In oratione nomen DEI sanctificatur; peccator verò quomodò illud sanctificari volet, qui peccando Deum blasphemat. ad Rom. 2. *Nomen Dei per vos* (improbos) *blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.* Oranti aduenit regnum Dei, impio quomodò adueniet? in quo Christus per gratiam non regnat. Rom. 8. *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro.* Orans vult sibi secundùm diuinam voluntatem fieri, peccator quomodò audebit Deum alloqui, vt eius voluntas fiat? qui ambulans post concupiscentias suas, & deserens voluntatem Domini Dei sui, suam in omnibus voluntatẽ facit. Docent Naturalistæ causam secundã subordinari causæ primæ: S. Aug. l. 5. de Genesi. *Pater meus vsq; modo operatur.* ac proindè causa prima, cum secunda, simultaneo concursu ad producendos effectus concurrit. Proinde cum homo sit causa secunda, debet subordinari Deo, tanquàm causæ Primæ, vt cum simultaneo eius concursu per gratiam ea quæ spectant ad salutem, impetrare possit. In Nomine IESV petimus, dum panem quotidianum à Patre æterno postulamus. Impius quomodò audebit rogare panem quotidianum, cùm ipse toties pauperi esurienti proprium erogare nolit. Reijcit enim Deus à se tales, qui non miserentur egenorum Matth. 25. *Discedite maledicti: Esuriui enim, & non dedistis mihi.* Petere aliquid in nomine Iesu, est petere sibi dimitti peccata: at impius quomodò postulabit à Deo, *dimitte nobis peccata nostra*: si ipse offensam conceptam in alios fouet. Nam Deus præcipiens Matth. 22. diligendos esse proximos sicut nos ipsos, significare voluit, non qualitatem, sed similitudinem; proximus etiam est inimicus, vt notat D. Augustinus, libro I. de doctrina Christiana cap. 23. 26. & 30. docens: nomine proximi intelligi omnẽ capacem beatitudinis supernaturalis. Petere in Nomine IESV aliquid, est petere ne inducamur in tentationem: impius quomodò hoc postulabit, cùm vltro se in occasiones malas ingerat? congerendo diuitias; de quibus I. Timoth. 6. dicitur. (*qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli.* impius vltro sibi tentationes accersit, lites persequendo, in quibus est contentio; honores ambiendo, in quibus est superbia; simultates exercendo, in quibus est maleuolentia. Petere denique in Nomine Iesu, est petere liberari à malo; impius quomodò hoc postulabit? quotidiè perpetrando malum culpæ, & merendo malum pænæ. Idcircò oratio impij non tantùm nihil impetrat; sed etiam illi contradicit. Psal. 140. dicitur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: incensum in turibulo positum, nisi ei ignis admoueatur; odorem non effundit: oratio ex ore hominis prolata, nisi ardor charitatis in corde eam accendat, non habet apud Deum odorem suauitatis. De-

Margin: Leuit. 27. — Thren. 4. — Rom. 2. — Rom. 8. — Matth. 25 — S. August. — I. Tim. 6 — Psal. 140

us enim nonnisi voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit. Lapis quidam dioscorides plurimas legitur in se habere virtutes: si tamen in ore hominis mortui includatur, omnes amittit; sic oratio, gemma multarum virtutum est pretiosissima, sed quoties in ore peccatoris Deo mortui reponitur, omnes deperdit. Impijs enim petentibus Deus respondet; *vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi* (id est, cupiditates, auaritiæ, Luxuriæ) *surgant & opitulentur, & liberent te, in die afflictionis tuæ Ieremiæ 2.*

Tertia conditio, vt oratio sit proficua: vt scilicet cum affectu & attentione fiat. Sic cùm Moyses oraret contra Amalecitas, vincebat Israël, quamdiu Moyses in summa attentione leuabat manus; at dùm eas paululum remisisset, superabat Amalec. Quia verò manus Moyses erant graues, ita, vt diu illas in alto tenere non posset, Aaron & Hur sustentabant eas, ab vtraq; parte. Exodi 17. sic planè cor omnis hominis graue est; cùm in summa attentione & humilitate leuatur ad dominum, vincit diabolum: sed cum ad terrena deprimitur, vincitur à diabolo. idcircò ne vacillet cor nostrum, quod infirmitatis suæ pondere facilè in ima deprimitur, duplici spiritu, gratiâ Christi scilicet præueniente & cooperante subleuari debet. Hic Spiritus Christi, gratia præueniens consensum nostrũ, eundemq; excitans & illustrans, vt liberè velimus ea, quæ salutem concernunt, fortiter hominem retrahit à peccato. Augustinus lib. 50. Homiliarum, homilia 33. *Si adulter non fuisti, hoc tibi dicit Dominus Deus tuus, regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non committeres, suasor defuit, & vt ille deesset, ego feci: locus & tempus defuit, & vt hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit tempus & Locus, vt non consentires, ego terrui.* sine Pallio Eliæ Iordanem Elizeus transire non potuit, sine hoc gratuito Christi spiritu, afflante salubriter mentem hominis, homo non potest salutiferè operari. *Deus* inquit S. Augustinus lib. ad Simplicianum, *vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. quòd autem voluerimus, solus præstat,* hoc est; posse bene agere, & semper beatè viuere. Probant Theologi gratiam cooperantem entitatiuè esse tum concursum Dei actualem; tum Christum vt hominem, deducuntq; id ex Tridentino sess. 6. c. 16. *Ipse* inquit *Iesus Christus, tanquàm caput in membra, & tanquàm vitis in palmites, in ipsos iustificatos influit. quæ virtus bona eorũ opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur.*

Quisquis igitur petere aliquid vult in nomine Christi, duplicem istum spiritum postulare debet. Præuenientem scilicet gratiam, quæ omnia pericula amoueat, ne homo in illa corruat: & cooperantem, ne in bonis operibus quæ agit, desistat, vtrumq; hunc spiritum homo facilè assequetur, si Deum semper præ oculis habere conabitur. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Memorat, quòd Alexandro Regi sacrificanti, cùm vnus ex pueris turibulum teneret, in eius brachium carbo ardens delapsus erat, quo ita vrebatur, vt adusti corporis odor ad circumstantium nares peruenerit; is tamen brachium immobile tenuit, dolorem silentio premens, ne edito gemitu sacrificium Alexandri impediret. Sic ô homo quotiescunq; oras Deum, te eidem sacrificare puta: sacrificium enim Deo cor contritum & humiliatum inquit Psalmista; ac proinde licet vehementissimæ instant tentationes, corpus tuum adurentes, ne tuum sacrificium quod Deo exhibes, impedias; à Deo cor tuum auertere noli. scutum enim homini firmissimum, est oratio.

Docent Theologi, quòd in statu naturæ lapsæ, ad vincendas tentationes tàm singulas in indiuiduo; quàm omnes in specie, necessaria sit gratia per Christum. idque ideo, quia in nobis ad vincendas tentationes, datur impotentia moralis, seu debilitas radicaliter proueniens ex originali, quæ inclinat voluntatem ad sensibilia, contra præscriptum rationis. Gratiam verò hanc quæ nos fortificat, per solam

Margin: Hierem. 2. — Exodi 17. — S. August. — Trident. Concil. — Valerius maxim.

S. August.

ſolam orationem aſſequimur. Auguſtinus in Pſal. 85. *Si amator Dei eſſe vis, ſinceriſſimis medullis, caſtiſq; ſuſpirijs ipsũ deprecare, illi flagra, illi inbia.* Oratio homini apud Deum magnam confi-

S. Chryſ.

dentiam & audaciam conciliat: Chryſoſthomus hom. 24. in Matthæũ. *Ab hominibus* inquit *cùm aliquid expoſcis, & moleſtus omninò & oneroſus videris: Deum verò quando id non facis, offendis: & vt amplius tibi indignetur, accendis.* vt iuſtitiam ſerues in omnibus, diuinâ ſapientiâ opus eſt, hanc per orationem aſſequeris. D. Chryſoſthomus: *Quemadmodùm* inquit *qui cum ſapientibus viris colloqui ſolent, propter aſſiduam conſuetudinem breui ſic tranſmutantur, vt illorum prudentiam referant: ſic qui Deo per orationem ſua vota deferunt, quanta ſapientiâ, quantâ virtute, quantâ bonitate, quantâ morum æquitate eos repleri neceſſe eſt?* Fuit illiteratus Antonius E-

S. Auguſt.

remita, teſte D. Auguſtino, in Prologo lib. 1. de doctrina Chriſtiana, fuit illiteratus S. Martinus teſte Seuero

Seuerus Sulpici⁹.

Sulpicio lib. 2. de vita S. Martini, fuit illiteratus, S. Bernardus, vt in eius vitæ 1. parte refert author: ij tamen magis oratione; quàm lectione ita profecerunt, vt ſacras literas intelligerent. Oratio conſolatur in aduerſis:

S. Chryſ.

Chryſoſth. hom. 5. de incomprehenſibili natura: *Si* inquit *cum domino illo cõmuni ægritudines animi tui communicaueris, conſolationem atq; remedium capies.*

Oſtendi iam tria requiri, vt homo in nomine Ieſu quidquid petierit, impetret. Primò, vt ea tantùm petamus, quæ ad ſalutem conducunt, aut ad Dei gloriam; id eſt, non tantùm æterna; ſed etiam temporanea, ſine quibus homo eſſe non poteſt; ita tamen, vt & temporaneis, non ad mundi oſtentationem, ſed ad Dei honorem & animæ ſalutem vtamur. Secundò, vt homo exiſtat in gratia: id eſt; vt ea homo ſemper perficere cupiat, quæ Deo placita ſunt, mentem ſuam eidem ſubordinando. Tertiò, vt homo attentè oret. Oſtendi inſuper per talem orationem impetrari duplicem Spiritum Dei, gratiam ſcilicet præuenientem, quæ hominem excitat ad ſurgendum à peccatis, ſi lapſus eſt; & diuino lumine illuſtrat, ne poſt tenebras malitiæ abeat; atq; gratiam cooperantem, quæ animum hominis Deo per gratiam coniunctum, in vera Dei filiatione & amicitia conſeruat. Oſtendi denique orationem in nomine Ieſu eſſe ſcutum, ad vincendas tentationes; eſſe propagatiuam charitatis diuinæ; eſſe cœleſtis ſapientiæ ad iuſtè beateq; viuendum impetratiuam. Nunc iam tanto Chriſti amore erecti, & fiduciâ magnâ confirmati, quia eo auxiliante, quidquid in nomine eius petierimus, aſſequemur: dùm nos tàm benignè ad quærenda cœleſtia auxilia vocat, obſequamur vocanti: dùm nos ad ſpe firmã inuitat, accedamus proni, dùm ſe nobis cum omni promiſſione offert, ne reſpuamus miſericordem.

EADEM
DOMINICA,
CONCIO QVARTA.

Petite & accipietis. *Ioannis 16.*

Quòd Deus noſtras orationes non ſemper exaudiat, id procedit partim ex nobis, partim ex Chriſto.

HVcuſq; eius opinionis fui, Deum liberaliter, & vltrò omnia hominibus offerre, cùm ad ſimilem liberalitatis modum ipſemet nos hortetur. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10. Matth. 10. Quia ſic dandum eſt, quomodò deſideramus accipere libenter, ore placido, ſine ſpei tormento, ſine hæſitationis martyrio. Nam ingratum eſt beneficium, quod adeò inter manus dantis hæret, vt illud non tàm acceptum dixeris; quàm extractum. Pulchrè monet Seneca lib. 2. de benefi- Seneca. cijs cap. 1. *Gratiſſima* inquit *ſunt beneficia parata, facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. Optimum eſt, antecedere deſiderium cuiuſquè, proximum ſequi: illud melius, occupare antequàm rogemur.* Addit diſertus Stoicus: *Non tulit gratis, qui cùm rogaſſet, accepit.* Imò cariſſimè emit: nulla namq; res cariùs conſtat, quàm prolixis precibus empta. Et tamen

Chriſtus Dominus hodiè proteſtatur, ſe non aliter ſua erogaturum beneficia, niſi humiliter petentibus: *Petite, & accipietis.* cùm citatus Seneca c. 2. pronunciet, *moleſtum eſſe verbum, & oneroſum, ac demiſſo vultu dicendum, rogo.* Ingenuus quippè homo rubore rogaturus ſuffunditur, nec ſemel lubentiùs patitur calamitatis miſeriam; quàm ſi dimiſſis oculis, ruboreq; perfuſus, impetrauerit gratiam. Adeò, vt qui hoc tormentum non remittit, liberalitatem ſuam minimè cumulare cenſeatur. Audite ſtoicum proximè

Ioſue 15.

citatum: *Cùm homini probo ad rogandum os concurrat, & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum.* Hinc primi parentes diuinitatem affectarunt, videntes Deum nullo indigere, omniaq; iucundiſſimè dilargiri, ne fortè aliquando ad rogandum accedere neceſſitate compellerentur, cogerenturq; aliquid ab alio precibus obtinere. O quàm non ſemel homines arctantur verbo iſto *rogo*, quàm illo affictantur *indigeo*. refugiunt animitùs petere, vti ingenuitatis probrum; geſtiunt autem dare, velut magnitudinis argumentum. Neque ſolùm ab extraneis, verùm etiam a ſanguine coniunctiſſimis petere, rubor eſt. ſumite certum iſtius veritatis experimentum ex Othonielo & Axa: cùm enim matrimonium celebraſſent, & à Calebo Axæ parente in dotem fundum non adeò florentem, & fæcundum accepiſſent, campiſq; latioribus indigerent, illorum quiſque hoc onus deſiderauit committere alteri, & moleſtiam petitionis iniungere. *Cùm pergerent ſimul, ſuaſa eſt à viro ſuo, vt peteret à patre ſuo agrum, ſuſpirauitq; vt ſedebat in aſino.* In quo loco Hebræorum Rabbini Axam viro ſuo petitionẽ ſuaſiſſe teſtantur: *Cùm* inquiunt *veniret ipſa, incitauerat illum ad petendum.* Videte inter ingenuam vxorem & virum quaſi decorum certamen, dùm quiſque petitionis moleſtiam conatur depellere, & verecundiam reijcere. *Quia Axa*, ait Maſius, *verecundia quadam muliebri, & ſimul parentis reuerentia dotem aliam ipſa petere non audebat, virum incitauerat.* Dominandi vtilitas petitionem ſuadebat, ſed vterque coniux animitus detrectabat: ita moleſtum eſt ingenuis petere, ita acerbum, vt etiam ipſum patrem rogare abnuant. Verum non retrahat nos iſta eru-

Ab hominibus moleſtũ eſt aliquid petere, à Deo iucundũ.

beſcentia ab humili petitione, quia beniginiſſimus Deus pronus eſt ad benefaciendum. Fateor moleſtum eſſe ab hominibus petere aliquid, quia homines dùm liberalitatis gloriam auidiùs quærunt, certiùs non ſemel amittunt: benefaciunt enim plerumque non ad beneficiarij medelam; ſed ad tumoris vaniſſimi pompam. At verò Deus vota noſtra præuenit, & ad vnum humile verbum, plus quàm petere audemus, præſtat. Quod ſufficienter docuit Chriſtus, hunc orandi modum præſcribens Apoſtolis: *Adueniat regnum tuum.* Ad aulas Principum ſæcularium multi ætatem, & ampla patrimonia conſumunt, non raro tamen ne vllam dignitatem tam ſumptuoſis & diuturnis obſequijs mereri poſſunt. At verò Chriſtus citò nos docuit orare, quia citò vult poſtulata dare. Sic cenſet Sedulius lib. 2. cap. 15. *Piiſſimus* inquit Sedulius. *Iudex* citò vult rogari, quia citò vult annuere ſupplicanti. Illud tamen vnicum me afficit, quòd cùm Deus ita promptum & benignum ſe nobis exhibeat, vt paucis orari velit, ſanctus Iacobus in ſua epiſtola cap. 3. dicere audeat: *Petitis, & non accipitis*: num certè aliud præco clamat, aliud Iudex pronuntiat, aut duo contradictoria ſimul vera eſſe poſſunt? nihilominùs ego vt hanc difficultatem reſoluam, oſtendere conabor, vnde proueniat, quòd licet multa à Domino Deo poſtulemus, non omnia tamen aſſequamur.

Quid requiritur, vt homo quod petit à Deo obtineat.

Quare non ſemper vota noſtra proſperantur, dùm aliquid à Domino Deo petimus, duas cauſas reperio. Primam ex parte noſtri, idque dupliciter: inprimis, quia qui vult exaudiri à Domino Deo in ſuis orationibus, neceſſe eſt, vt ex forti & robuſto viro fiat decrepitus ſenex; ex venuſta & agili fœmina imbellis anus. Quid enim gibboſus mendicus facit, vt eleemoſynam impetret,

impetret, manum exporrigit, vocifera-
A tur, viles & laceras vestes ostendit, &
sic facilè ad commiserationem præte-
reuntes homines flectit. Qui ergo se
pauperem & mendicum in oculis Dei
non confitetur, eius oratio exaudiri
nō solet. Hoc docuit Christ⁹ illis ver-
bis : *Si quid petieritis patrem in nomine*
Ioan. 16. *meo dabit vobis.* Ioan. 16. Et quomo-
dò gratiam & alia dona cœlestia à Pa-
tre æterno petere debemus in nomine
Christi ? Respondet D. Augustinus,
firmiter assentiendo his omnibus, quæ
ab Ecclesia sancta ad credendum pro-
ponuntur. Hinc Ariani, & omnes lu-
mine fidei orthodoxæ orbati, non pe-
tunt in nomine Christi, quia aliter sen-
tiunt ; quàm sit sentiendum de filio
Dei. Sic proclamat D. Augustinus :
S. August. *Non sperent* inquit *Ariani quia aliter*
quàm sit opus sentiunt de filio Dei. Com-
Author Imperfect. probat Author Imperfectus loquens :
Vbi nunc estis diffidentes, & blasphe-
mi ? Christus honorat Patrem suum,
quando dicit : *si quid petieritis Patrem*
in nomine meo dabit vobis ; & cur illi
æqualitatem cum patre, ac veram di-
uinitatem denegatis ; cur creaturam
corruptibilem, & non Deum esse dici-
tis ? an certè ignoratis, quia Pater in
filio, & filius in Patre honoratur ? san-
S.Vincen. ctus autem Vincentius considerans,
quomodò petere debeamus in nomi-
ne Christi, dicit : *Tunc petimus in nomi-*
ne Domini, quando petimus ea, quæ ad sa-
lutem sunt pertinentia.

Recurrite paulisper ad sacram Scri-
pturam, & facilè aduertetis, quia qui
non petit tanquàm pauper & egenus
in nomine Christi, nihil accipit. Affli-
ctus vehementer D. Paulus conque-
2.Cor. 12. rebatur 2. Corint. 12. *Datus est mihi*
stimulus carnis angelus Sathanæ, qui me
colaphizet : ita vt siue orandum, siue
prædicandum, siue quidpiam aliud fa-
ciendum erat, Paulus grauiter infesta-
retur. Obstupefacti Corinthij ex sum-
ma commiseratione quærebant, quid
esset, quòd cùm Paulus fuerit vas ele-
ctionis, & Doctor gentium à Christo
constitutus, tamen à sathana colaphi-
zaretur. Et licet Paulus toties in ge-
nua prouolutus rogabat Christum, vt

A ab illa infestatione liberaretur. *Pro-* S. Paulus cur à Sathana colaphizari permissus.
pter quod Dominum rogaui, vt discederet
à me : minimè exauditus est, Quod
ideo aliqui factum putant, vt Paulus
in prædicanda Euangelij veritate, in-
ter barbaras gentes, & efferatos illos
Antiquitatis tyrannos, magis confor-
taretur, quod videntur indicare verba,
quæ Christus Paulo oranti respondit ?
Sufficit tibi gratia mea. Sic olim pro-
cesserat Deus cum Iacobo, aduersus
hostiles fratris incursus illum instru-
ens. Timebat Iacob fratris hostilem
B animum, & ecce sic timenti apparuit
vir, cum illo manus conferens, illum-
que vehementer exagitans, ac tandem
percutiens in femore. Cur sic homi-
nem timentem luctando comprimi &
percuti Deus permisit ? an certè vt
illum timidiorem redderet ? Imò ideò
vt vult Theodoretus luctando com-
pressit, & percussit hominem, vt illum
fortiorem & fidentiorem aduersus ho-
stes redderet : quia fidelium victoriæ
maximè in infirmitate fiunt. Percus-
sus itaq; est, & colaphizatus Aposto-
C lus, non vt timidior, sed vt audacior,
& potentior in dies redderetur. Nam
infirmitates pro Deo, non meticulo-
sum, sed audentiorem & potentiorem
ad reportandas victorias hominem
faciunt, teste S. Anselmo in citatum
scripturæ locum : *Tunc* inquit, *vincit* S. August.
Christianus, cùm perire putatur. Cùm
sub doloribus, sub calumnijs, sub fa-
me, & siti, & paupertate videtur infir-
mari, imò & perire Christianus, tunc
victorijs apparet illustrior, & clarior,
iuxta illud Psal. 105. *Dixit, vt disper-* Psal. 105.
D *deret eos, si non Moyses electus eius stetis-*
set in confractione in conspectu eius. Vt
auerteret iram eius. Itaq; vt ministros
diuinæ iræ auerteret Moyses, seseque
opponeret irarum telis, & victor
existeret, *stetit in confractione.* con-
triuit se, humiliauit se, deiecit se, vt
hostiles incursus auerteret. Chaldæus
citata verba legit : *Nisi Moyses electus* Chaldæ⁹.
eius surrexisset, & sese roborasset. Ecce
à latina versione Moyses dicitur stetisse
in confractione ; à Chaldæo autem di-
citur stetisse in robore : ibi dicitur
se contriuisse, se deiecisse ; hic au-
tem

tem dicitur se roborasse. Et quid com-
mune habet deiectio ac confractio
cum robore ? certè hoc, quia nun-
quàm fidelis magis roboratur, vt ho-
stiles iras auertat, vt gloriosas de ma-
lo, imò de Deo ipso reportet victori-
as, quam dùm humiliatur, infirmatur,
conteritur. Hæc est mens Ruperti li-
Rupertus. bro 4. in Exodum cap. 25. *Per nimi-*
am humilitatem significat Moysen Deum
tenuisse, dicendo in confractione, confractio
namq; nimia cordis humilitas est, quæ so-
la coram omnipotente Deo, & Domino v-
niuersæ fortitudinis principe res fortis est,
& valida, ita vt illa laborante, quasi bra-
chium suum ad percutiendum Deus exten-
dere non valeat, regina virtutum vincen-
te pro sua reuerentia.

Confractio proinde & humilitas
cordis, validissimum & inexpugnabi-
lem reddit hominem, vt facilè de quo-
rumuis hostium incursu triumphet,
imò & Deum ipsum vincat. Agnouit
hoc perbellè ipsa incarnata sapientia,
quæ ventura in mundi arenam ad de-
bellandas contrarias potestates, non
alia sumpsit arma, præter deiectiones,
præter infirmitates. Zachariæ 3. *Et o-*
Zach. 3. *stendit mihi Dominus Iesum sacerdotem*
magnum, stantem coram Angelo Domini,
& Sathan stabat à dextris eius, vt aduer-
saretur ei. En vobis duellum stupen-
dum, hinc Iesus, illinc diabolus. Et
qualia sumpsit Iesus arma aduersus
diabolum ? audite Prophetam : *Et Ie-*
sus erat indutus vestibus sordidis. Diuus
S. Ambr. autem Ambr. serm. 5. in Psalm. 118.
dicit : *Habebat vestimenta sordida, sum-*
psit vestimenta nostra ; pro nobis sumpsit
carnis infirmitatem, pro nobis esuriuit,
vapulauit, crucifixus & mortuus est. Ex-
pendite in quo bello fuerit, & qualem
induerit loricam, seu panopliam ; in
bello fuit aduersùs diabolum, & v-
num hoc assumpsit, nimirum sordi-
dum vestimentum, hoc est abiectio-
nem, confractionem infirmitatem, qua
famesceret, qua vapularet, qua mor-
tuus caderet. Deus bone, vt in are-
nam descenderet, sordidissimam indu-
it infirmitatem ? Quid infirmitati sor-
didæ, cum splendenti ferro militari ?
Profecto ferrea sunt arma, & poten-

A tissima, quæ ab infirmitate veniunt
aduersùs diabolum. Sic docet S. Ber-
nardus serm. 4. in Natiuit. *Agnosco cer-* S. Bernar.
tè agnosco Iesum magnum sacerdotem, sor-
didis opertum vestibus, dùm altercaretur
cum diabolo. Exemplum dedit nobis, vt
nos eadem faciamus. Vtilior siquidem in
conflictu lorica ferrea, quàm stola linea.
Quasi rationem hanc, cur Dominus
præliaturus cum diabolo, ad sordida
vestimenta, ad abiectionem, & infir-
mitatem confugerit, vellet reddere :
quia quod est lorica ferrea respectu
B stolarum linearum, hoc est abiectio,
infirmitas, & confractio respectu alia-
rum virtutum moraliū, vt triumphus
de diabolo agatur, vt & nos pariter in
prælio cum diabolo confugiamus ad
abiectionem, tanquàm ad ferrea & va-
lidissima arma, si volumus victoriam
reportare.

Sed verius, & ad nostrum proposi-
tum accommodatius alij censent, ideò
hanc afflictionem permissam fuisse à
Deo, vt illo stimulo carnis & concu-
piscentiæ per diaboli malitiam excita-
C to, admoneretur Paulus, se non An-
gelum, sed hominem ac proinde pec-
cabilem esse. Ita resoluit D. Hjero-
nymus epist. 25. ad Paulam de obitu
Blesillæ : *Hic monitor* ait, *Paulo datus* S. Hieron.
est ad premendam superbiam, vti in curru
triumphali triumphanti datur monitor
suggerens, hominem te esse memento. At
quomodò eum spiritus Sathanæ cola-
phizabat ? nunquid tentationi suc-
cumbebat Paulus ? nunquid saltem ve-
nialiter decidebat ? minimè sanè, Dei
eum protegente gratià, vt rectè Remi-
D gius in hunc locum obseruat. Vnde
ergò eum colaphizabat ? equidem,
quia peccatum subrepebat in men-
tem, licet ipso inuito, & contradi-
cente. Hinc talem subreptionem, ta-
lem punctionem, etsi à diabolo, adeò
infandam æstimabat Paulus, vt quasi
rubore totus suffusus, ad instar eius,
qui colaphum recipit, non ictum non
percussionem nominauit, sed cola-
phum reputans se confusum, pudore
affectum, verecundatum, contra Chri-
stum, contra Deum, contra suum be-
befactorem, à quo tanta & talia acce-
perat,

perat, ſaltem peccatum concepiſſe, & in mentem peccatum ſubripuiſſe. Sic profectò, ſic quilibet animatus deberet eſſe Chriſtianus, vt non ſolùm peccatum erubeſcat, ſed etiam de peccato cogitare, etſi inuitus, quia Deus eius Princeps, quia Deus legem illi dedit, quia Deus eum gubernat, quia ſicut Moyſes loquitur, *iudicia illi dedit, & ſacrificia.*

Illud tamen pleroſque mouet, cur Deus orantem Paulum non exaudiuit, vt illum ſtimulum carnis ab illo auferret? Reſpondet Haymo, quia illa infirmitas erat quaſi frænum, proinde valde proficua Paulo; ego autem exiſtimo, quia Paulus non petijt in nomine Ieſu: nomen enim iſtud Ieſus eſt græcum idemque valet, quod apud Latinos *Saluator*. Non petijt ergo in nomine Saluatoris, quia petijt contra ſalutem animæ ſuæ: poterat enim Paulus in ſuperbiam erigi, qui præcellebat præ alijs ſcientià, qui erat vas electionis, & Doctor gentium à Chriſto conſtitutus. Vnde V. Beda infert:

Beda.

Si hac infirmitate Paulus caruiſſet, certè ſanctus non fuiſſet. Ne itaq; Paulus excideret ab æterna ſalute, illo ſtimulo ab omni elatione ad humilitatem retrahebatur, vt nõ auderet petere quidquam niſi in nomine Ieſu, niſi ad ſalutem proficuum. Paucinè ſunt his temporibus tales, qui dùm ingentibus premuntur doloribus, lecto affixi gemunt, ſuſpirant, orant, ſacrificia fieri curant, vota ad miraculoſas imagines offerunt, vt ſanitatem impetrent. Et cur Deus non annuit, cur de lecto ſurgere non iubet, ſicut illum quondam, qui triginta octo annis in ſua infirmitate ad piſcinam probaticam decumbebat. Sanè, quia non petunt in nomine Domini: nam quamdiu ægritudine detinentur, Deum timent virtutem colunt; ſed vbi conualuerint, mox ad prauam conſuetudinem reuertuntur, homines innocentes infeſtant, famam alienam mordaci lingua denigrant, comeſſationibus die noctuq; vacant. Quid ergo Chriſtus, non vult tales exaudire, quia non petunt in nomine eius, quia ſanitatem ad peſſimè viuendum deſiderant, vt laxatis in omne vitiorum genus habenis, Deum grauiter offendant.

Deus non ſemper homines orãtes exaudit, quia nõ petunt in nomine Domini.

Paucine ſunt adeò imprudentes parentes, quibus vbi naſcitur filius, ſtatim Deum importunis precibus moleſtant, vt ſit velut mellifluus Bernardus, aut ſuauis Chryſoſthomus, aut ſubtilis Auguſtinus; Deus tamen quaſi non audiens, vota illorum irrita relinquit. Quid cauſæ? vtiq; rem bonam petunt: ſapientiam enim à Domino Deo poſtulare, eſt opus pium, & à S. Iacobo maximè hominibus commendatum. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Imò nil apud Deum ſapientiâ præſtantius, ita vt teſte Nazianz. in Apolog. etſi infinitis alijs nominibus, impenſiùs tamen ſapientiæ nomine delectetur. *Sapientia*, ait ille, *quæ* omnia regit, complexuq; ſuo, quidquid vſq; laudabile eſt, & præclarum tenet, adeò, vt ipſe quoq; Deus, quamuis permultis nominibus vocetur; hoc tamen nomine impenſius, quam vllis alijs delectetur. Nec immeritò: nam quoties ſapiens perficitur quis, toties veluti illa diuina, ac indicibilis de ſapientiæ æternæ parturitione lætitia in Deo renouatur, cùm, ſi ita loqui fas eſt, toties illa reparturitur, ac reconcipitur vt ſic dicam, quoties homo ſapiens producitur. Quod eleganter obſeruauit S. Athanaſius lib. 3. contra Arrianos propè finem ſuper illa verba Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, quæ ipſe cum LXX. ſic legit: *creauit me.* Affirmans diuinam ſapientiam incarnatam ideo aſſerere à Deo ſe creatam, quatenùs ad inſtar illius in hominibus ſapientia creatur, eam vocem vſurpans, quam vſurpare debebant ipſi, ſapientiamq; Deum creaturis indidiſſe, vt dignæ inter opera Dei cenſerentur, quaſi indignæ, ſine illa, addit ille: *Cæterùm vt res non ſolùm conditæ eſſent, ſed & benè conditæ eſſent, placuit Deo, vt ſuâ ipſius ſapientiâ ſe creaturis accommodaret, quo formula aliqua, ſpecieſq; ſaltem imaginis ſuæ,* omnibus rebus tum publicè, tum priuatim

Iacobi 1.

Gregorius Nazianz.

S. Athan.

Prouer. 8.

priuatim inſeri poſſit. vt illa eo modo ſcitæ, *ſapienteſq; effectæ dignæ videri poſſent, quæ opera Dei cenſerentur.*

Quid præclarius dici potuit? Deus ſummus non ſolùm res intendit creare, ſed benè creare, vt exinde etiam homo intelligat, quòd non ſolùm operari, ſed bene operari teneatur; vt autem hoc efficeret, ſapientiam rebus accommodauit, quia cum ſcitæ ſapienteſq; efficiuntur, ad aliqualem Dei imaginem aſſurgentes, dignæ Dei manibus ob hoc fiunt. Vnde ſicut homo ex mente ſimilitudinem cum Dei obtinet verbo, ſic ex ſapientia cum eius ſapientia. Hinc vlterius pergens citatus Athanaſius, ſic ait: *Vt enim filij Dei, quod verbum ſiue ratio ſit, noſtra ratio ſimulacbrum exiſtimandum eſt; ita etiam eiuſdem, quod ſapientia ſit ipſius, hæc noſtra ſapientia imago quædam exiſtimari debet, in qua vim ſciendi, ſentiendiq; adepti capaces efficimur creatricis ſapientiæ, & per eam cognoſcere ſapientiæ patrem. Quia igitur iſtiuſmodi figura ſapientiæ, & in nobis, & in omnibus operibus inſerta eſt, non iniuria, ea quæ vera eſt ſapientia, & architectrix rerum, quæ ad idæam ſuam congruunt, ſibi ipſi imputans inter loquendum hunc verborum modum concepit, Dominus creauit me: quæ enim noſtra ſapientia loqueretur, ea Dominus tanquàm propria ſibi ſuis verbis vſurpat, non enim creatur creatrix, ſed propter imaginem ſuis rebus creatis ingenitam ipſa ſe creari dicit.* Acutiſſimè reuera: creatrix ſapientia non creatur, participata creatur; ſed dicit ſe creari, quatenùs ad ſui ſimilitudinem creaturæ per ſapientiam aſſurgunt, earum vſurpans vocem, quia ſuæ, ex quo fit, vt quoties aliquis ſapiens fit, toties de nouo reproducitur increatrix ſapientia, & de nouo ſummum illud gaudium, diuiniſſimæ illius ad intra productionis, quatenùs per creatam ſapientiam in homine refricatur, vt ſic loquar, & rudi noſtro modo intelligendi renouatur æternum, infinitum, indicibile illud gaudium, quòd in ſua produxit filium æternitate ſanctiſſimus genitor. Ex quo fit, vt impoſſibile ſit, vt homines ſapientes Deus non diligat, ſummoq; in pretio non habeat, vt potè creaturas expreſſiſſimam ſuam imaginem retinentes, ac in dies gaudia ei renouantes.

Idem.

Deus proinde, licet parentes ſuis filijs ſapientiam à Deo poſtulent, preces eorum non exaudit: quia non petunt in nomine Ieſu, qui eſt increata ſapientia. Vel enim ideo hoc affectant, vt filij eorum, ſapientes hominibus videantur, quod eſt odibile apud Deum. Quemadmodùm fatetur patientiſſimus Iob cap. 19. dicens: *Conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum ſapientem.* Ergonè ſapientia adeò res infauſta viſa eſt Iobo, vt nollet eam in ſuis amicis reperiri? nequaquam: ſed quia videbat, quòd non niſi apud ſemetipſos videri volebant ſapientes; tales autem inſipientes apud Deum reputantur, teſte D. Gregorio: *Quid eſt* ait, *quòd eos ad ſapientiam vocat, & tamen optat, ne illos ſapientes inueniat, niſi quòd ad veram ſapientiam venire non poſſunt, qui falſæ ſuæ ſapientiæ fiducia decipiuntur.* Hoc eſt, qui putant ſe ſapientes, cùm in rei veritate non ſint; & ideò ad veram ſapientiam peruenire nequeant, vt argutè Seneca de tranquillitate: *Multi* ait *ad ſapientiam perueniſſent, niſi putaſſent perueniſſe.* Non ſic proceſſit Chriſtus in mundo, qui licet omnia ſciret, licet in illo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ continerentur; ita tamen ſe gerebat in oculis hominum, quaſi ignoraret aliqua, cùm prorſus nihil illum lateret. Hinc Matth. 13. Apoſtolis diem iudicij ſcire cupientibus reſpondit: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius, niſi Pater.* Ergone poſſibile erat, vt Filius iudicij diem ignoraret, cuius certa notitia in Patre erat? Abſit, hoc enim impoſſibile, cùm Pater ſit in Filio, & Filius in Patre; cur tamen hòc dixit: Equidem ex mente D. Ambroſij lib. 5. de fide cap. 7. ex beneuolentia erga ſuos voluit potiùs ſimulare ignorantiam; quàm gratiam negare. Ita deuote reſoluit S. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 7. aiens: *Mauult Dominus nimio in diſcipulos amore propenſus videri ignorare,*

Deus homines ſapiẽtes nõ poteſt nõ diligere.

S. Greg.

Matth. 13.

S. Ambr.

S. Ambr.

ignorare, quod nouerat ; quàm negare, pluſquàm amat noſtram vilitatem inſtruere, quàm ſuam potentiam demonſtrare. Per hoc inſtruens diſcipulos, ne de ſe alta præſumentes, ſe omnia putarent ſcire, ſeq; ſapientiores æſtimare.

Quihonores ambiunt, á Chriſto degenerant.

Vel certè, quia parentes plerumq; filijs ſapientiam optant, vt hoc modo faciliùs ad dignitates & prælaturas promoueantur, & ideo minimè exaudiri merentur, cùm hoc ſit vanitatis & ambitionis indubitatum ſignum. Nam qui honores, & prælaturas exambit, à Chriſto degenerat, & diabolo approximat, qui ideo cælo deturbatus eſt, quòd ſuperbiâ ſcientiæ elatus ſtultè de ſe præſumpſerit, ſibiq; ſapiens viſus, Dei ſapientiam non recognouerit. Ezech. 28. *Perdidit te o Cherub protegens de medio lapidum ignitorum.* Cur cherub & non Seraph ? cùm probabilius & verius ſit, Luciferum de Seraphico; quàm de Cherubico ordine fuiſſe ? Reſpondet Carthuſianus ſuper Dionyſij Areopagitæ caput 10. cœleſtis Hierach. art. 5. *Vt inſinuetur, quid fuerit ei incitamentum ambitionis, & lapſus ; quod fuit excellentia ſuæ ſcientiæ, non diuini amoris.* Hinc ſciolus, dùm ſibi ſuam appropriaret ſcientiam, ſibique ſapiens videretur, eam perdidit, & ex Cherub in diabolum verſus, inde ſummam lucratus eſt ignominiam, vnde ſummum ſperabat decorem. Quod eleganter perſtringit B. Bernardus ſerm. 74. in Cantica. Vbi ſuper illa verba, *perdidiſti in decore tuo ſapientiam,* ita diſcurrit. *Nolo decorem, qui mihi ſapientiam tollat, quæris quis ille tàm noxius decor ? tuus ; planiùs audi, priuatus, proprius, non culpamus donum, ſed vſum, & nî fallor, vnus Angeli animæq; decor (ipſa ſapientia) eſt, ſed perdidit eam cùm fecit ſuam, vt non ſit aliud in decore ſuo, quàm in ſua ſapientia perdidiſſe ſapientiam, proprietas in cauſa eſt, quòd ſibi ſapiens fuit, quòd non deberet gloriam Deo.* Qui ergo ſapientiam poſtulat, vt ſibi & hominibus ſapiens videatur, atq; hinc faciliùs ad honores euehi poſſit. non petit, in nomine Domini, nec exaudiri meretur.

S. Bernar.

Præterea non ſemper noſtræ orationes exaudiuntur, quia petimus non petentes, ſed quia potiùs Deo illudentes. Hoc colligo ex Theophylacto, qui cõſiderãs illa verba: *Petite, & accipietis,* & admiratus, quare Chriſtus nõ dixit, *petetis, & accipietis,* ſed petite & accipietis Reſpondet, quia nos De⁹ vult cõtinuò petere. Nos igitur quia cito deſiſtimus ab orando, idcirco nõ exaudimur. Sic reſoluit S. Vincentius ſuper illa verba : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* : in quibus miram emphaſim, & maximam continuationem ac coniunctionem Chriſtus incluſit. *Hæc verba* inquit *deſignat, vt ſemper ſit continuatio de die in diem, & ſeptimanæ in ſeptimanam.* Quod cùm non obſeruemus ideo vota noſtra in caſſum abeunt. Pulchrè hoc petitionis penicillo adumbrauit S. Lucas capite 11. vbi introducit hominem improuiſo hoſpite aduentante, amicum, vt panes peteret, adeuntem nocturno tempore : *Ibit ad illum media nocte, & dicet illi : Amice commoda mihi tres panes.* Amicus deintùs varias excuſationis cauſas prætendit, temporiſque importunitatem allegat. Coãctus eſt amicus iterare preces, importunis pulſare votis, & quodammodò improbitatis notam ſubire, vt ab amico poſſet impetrare. *Propter improbitatem eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Parabola hæc immenſam Dei miſericordiam nobis præ oculis ſiſtit, quæ nobis pulſantibus porrigit panes, non ideò quòd ſimus amici, ſed ſi in oratione perſeuerauerimus, ſi enim viderit nos continuò pulſantes, ſaltem propter importunitatem gratiam ſuam non denegabit.

Theoph.

S. Vincen.

Lucæ. 11.

Agnouit hanc veritatem ſponſa cæleſtis, quæ pertæſa ob abſentiam ſponſi, & moræ impatiens ſurrexit nocte de lectulo ad illum quærendum : *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Cantic. 3. Miratur vehementer S. Thomas à villa noua, vnde tanta audacia ſponſæ, vt vicos, & plateas obambulare noctu non vereatur, cùm plurimi qui per noctes diſcurrũt mortem oppetant, vulnera ſubeant, veſtibus

Cantic. 3.

ſtibus ſpoliati nudi reuertantur, & ſi mulieres fuerint, facilè iacturam caſtitatis incurrant. Ergo domi potiùs ſedendum fœminis ; quàm de nocte quærendus ſponſus. Nec aliter euenit : vix enim domo egreſſa, incidit in cuſtodes ciuitatis. *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem ;* prudenter tamen ſibi conſuluit, quia noluit morari cum vigilibus, & cuſtodibus ; noluit cum illis longiores miſcere ſermones, vt de ſponſo inueniendo acceptis clarioribus ſignis informaretur. Sed poſt factum vnicum verbum, in tranſitu ſciſcitando de ſponſo inueniendo, ſtatim ab illis tranſijt. Quippè nouerat optimè non diu cum famulis commorandum eſſe, vt ingenioſè monet Gillibertus Abbas ſerm: in Cantica : *Bonum eſt* inquit, *vt ſis ad quærendum ſedulus, non tamen aſſiduus. Nam & ſponſa non tàm ex ſtudio, quàm occaſione cuſtodes interrogat : Num quem diligit anima mea, vidiſtis ? & id in tranſitu. Trahebat enim illam vlterius amor dilecti, nec vacuum eſſe ſinebat ex otio conferre cum illis. Currebat in cordis ſui hauſto forſan de ſponſi vicinio ſpiritu, & ideo minus intendebat in his, qui benedicebant ore, tendens ad illum, qui benedicebat in ſpiritu.* Nihil melius, vt oſtendatur, quàm cautè, & quàm in tranſitu conueniendi ſint etiam ſpirituales viri à fœminis : vt non ſint aſſiduæ illorum conuerſationi, non longos ſermones cum illis texant, cito eos dimittant : quia talis mora periculoſa.

Gillibertus Abbas.

Fœminæ à vitijs ſpiritualib⁹ raro viſitandæ.

Introſpicite infirmam illam fœminam, ſanginis fluxu diuexatam, quæ videns prætereuntem Ieſum ; *Acceſſit retrò, & tetigiſſe fimbriã veſtimenti eius.* Et obſtupeſcite audaciam fœminæ, quæ non contenta videre Ieſum, vt Zachæus : non verbi imperium expectare, vt centurio ; ſed & manibus tangere auſa eſt : cùm tamen eiuſmodi turpitudine affectæ mulieres, lege prohiberentur tangere quemquam, ne illum ſuo contactu polluerent. Ne miremini : abſtinuiſſet profectò illa mulier à conuictu virorum, refugiſſet approximari viris, quos ſciret poſſe aliqua immunditia maculari. At verò quæ viros alios cautiſſima fugebat vnum Ieſum deſiderabat tangere, quem fidei oculis nouerat intaminabilem Dei filium. Audite Tertullianum lib. 4. in Marcion. F*ides* ait *huius fuit primò, quâ Deum ſuum confidebat, miſericordiam malle, quàm ſacrificium, quâ eum Deum certa erat operarî in Chriſto, qua ſic eum tetigit, non vt hominem ſanctum, nec vt Prophetam : quem contaminabilem pro humana ſubſtantia ſciret, ſed vt ipſum Deum, quem nullâ ſpurcitiâ pollui poſſe præſumpſerat.* Optimum ſanè fœminis conſilium, non morari cum viris licet ſanctiſſimis, licet Prophetis : quia tales Deum non inueniunt, ſed ſeipſas contaminant.

Lucæ 8.

Tertull.

Referens Scriptura ſacra ſtructuram templi Hieroſolymitani, dicit 3. Reg. 6. *Et ædificauit ſuper parietes templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi, & oraculi.* Hoc eſt, quòd per circuitum templi tria tabulata exædificauerit Salomon, memor illius, quod Deus præceperat Moyſi de opere tabernaculi loquens Exodi 26. *Facies & tabulas ſtantes tabernaculi.* Vbi Gloſſa Interlinearis iſtas tabulas vocat *ſanctos exemplo & doctrina Eccleſiam munientes.* Oſtendens, quod qui Deum facilem reddere vult, de omni ordine, & ſtatu præſtantes perſonas, quaſi in tabulis depictas habeat per circuitum neceſſe eſt, eaſq; mente circumeat, notans illarum, & æmulans virtutes : hoc enim modo in omni pietate ſciat ſe facilè profecturum. Sic faciebat pijſſimus Rex Iſraëlitarum Dauid Pſal. 36. *Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei hoſtiam iubilationis.* quæ verba pulchrè elucidat D. Gregorius homil. 17. in Ezechielem. *Ecce* ait, *vt immolaret iubilationis hoſtiam, circuibat, quia niſi animam huc, illucq; ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipſe vſq; ad iubilationis ſacrificium non perueniret.* Idcirco Dauid per circuitum ibat, præſtantiſſimorum hominum vitas quaſi in tabulis pictas mente notans, quibus ſic accendebatur vt dignus fieret, qui Deo gratum & iucundum offerret ſacrificium. Talis debet eſſe circuitus animæ

3. Reg. 6.

Exodi 26.

Pſal. 26.

S. Greg.

animæ Christum habituræ: hunc spectabat cœlestis sponsa, cuius nomine
Philo. ait Philo super cap. 3. Cant. *Surgam, & circuibo in ciuitate, Studiosè quæram in ciuitate, hoc est in Ecclesia in Scripturis sacris, in sanctorum vitis, & exemplis, quomodò rectè ambulare ad te debeam, & quomodò hucusq; vixerim, & ambulauerim.* O quàm fructuosus circuitus! sint vobis tabulæ per circuitum, quibus sanctorum vitæ inscriptæ sint, has circuite, has notate, has æmulemini, & non fallat, quia Deum in vobis tanquàm in templo habebitis, & omnia impetrabitis.

Alteram causam, cur vota nostra non semper prosperentur, nec deprecationes nostræ exaudiantur, video esse ex parte Christi Domini. Quod inde conijcio, quia Christus ita procliuis est ad benefaciendum, vt nulla re magis delectari videatur, quàm dùm videt se ab aliquo rogari. Hæ sunt eius deliciæ, hæ voluptates, & iucunditates ineffabiles. Clamabat post Christum, aut veriùs humiliter orabat Chananitidis mulier: *Iesu Fili Dauid, miserere mei, & non respondit ei verbum.* Quid causæ? equidem sicut dùm fluidè insignem oratorem perorantem audimus, nemo verbum profert, sed vnusquisque attonitus hæret; talis fuit tunc attentio inter Christum, & illam mulierem. Orabat illa melliflua prorsus oratione, ideo Christus non respondit ei verbum, quia fuit attonitus auditor, miram ex illa oratione voluptatem capiens. Vix in cœlesti throno consederat agnus ille pro nobis occisus, & statim omnes Angeli ceciderunt in facies suas, cantantes lætum canticum:
Apocal. 7. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo, Deo nostro in sæcula sæculorum.* Illis autem canentibus:
Apoc. 8. *Factum est silentium in cælo, quasi media hora.* Quis hoc silentium indixit? profectò vox Agni de throno, quem omnes in summo silentio audiebant, illoq; silente silebant. Addit vlterius scriptura: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus ascensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Quia ergo tunc orabant homines feruenter in terra, supplicabāt, suasq; deprecationes per manus Angelorum transmittebant ante conspectum Dei, ideò factum erat silentium in cælo; quoniam Agnus Dei mirum in modum illis orationibus oblectabatur hominum sanctè in terra degentium. Hinc S. Augustinus dicit: *Auscultat cœlum orationes sanctorum,* per cælum, Deum ipsum intelligens, silent Angeli, silet & ipse Deus, quia nihil attentiùs spectat; quàm fidelium humiles & perseuerantes orationes. S. August.

Præterea, Christus per hoc, quòd non statim votis nostris annuat, vult nos instruere, vt gratias illas, & dona, quæ nobis tardiùs confert sciamus magni æstimare. Vehementi passione tentatus Dauid succubuit, & in duo grauissima peccata, adulterij pariter atque homicidij prolapsus, seueram Dei vindictam pertimescens, clamabat: *Domine ne in ira tua arguas me, nec in furore tuo corripias me.* Ps. 6. Pergitque vlteriùs: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Hoc est firmamentum animæ meæ, aut fortitudo: hæc enim ossa propter suam soliditatem significant. Psal. 6. Dicebat ergo pia illa anima, fortitudinem suam esse turbatam, cùm ossa nominaret: neq; enim possibile est, quod anima habeat ossa, quæ videmus in corpore. Et ideò protinùs addidit: *Et anima mea turbata est valde:* ne quod ossa appellauit, corporis intelligerentur. Cumque videret Deum veniam differre, in lachrymas fusus ingemuit: *Et tu Domine vsquequo?* quasi diceret: quousq; pateris me in peccato hærere, & gratia tuâ orbatum esse? quousq; dissimulas me hominem fragilitati obnoxium à te exulare? quousq; non subuenis. vt à vinculis diaboli eripiar? quousque dissipari opus tuum, maculâ peccati tuam imaginem denigrari, tuam tibi creaturam deleri permittis? Veni,

veni,

veni, vt innoues animam meam, & corruptilem naturam in cœlestem commutes substantiam.

Miratur S. Augustinus cum Glossa Interlineari, vnde illum tanta turbatio inuasit, vt quasi moræ impatiens diuinam misericordiam imploraret, ingemiscens: *Vsquequo?* id est, quid restat, quin sanes; cùm tamen optimè sciret, quia cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Et re-
S. August. spondet S. Doctor: *Vt Deus ostenderet, in quanta mala animam suam præcipitauerat, ideo facta est dilatio:* nam illo Dauidis peccato omnes subditi grauiter scandalizati erant, ideo facta est dilatio. Hinc S. Gregorius pœnitentem
S. Gregor. Dauidem Introducens, sic ait: *Ecce in conspectu boni medici & curare volentis assisto,* vulnera detego, dolores augeo, lachrymas effundo, lachrymis stratum meum rigo, cur igitur dissimulas? vultis scire, quare hoc Deus fecit, propterea, quia omnis curatio non citò acquisita, meliùs seruatur. Quod enim facilè sanatur, non multùm cauetur; ex difficultate autem sanationis, sequitur diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tanquàm crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur, *Et tu Domine vsquequò.* Sed tanquàm bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit. Vtq; simul cognoscamus, quanta pœna impijs præparetur, qui se nolunt conuertere ad Deum, si tantam difficultatem conuertentes
1. Petri 4. patiuntur, iuxta illud: *Si iustus vix saluus erit, peccator & impius vbi parebunt.*

Audistis iam Catholici, qvare Deus non semper nos orantes exaudiat, nec postulatis, & supplicationibus nostris annuat, id procedere tum ex parte nostri idque dupliciter, primò, quia non petimus in nomine Christi, secundò, quia oscitanter petimus quasi non petendo. Tum ex parte Christi itidem dupliciter. Primò, quia non potest sufficienter delectari nostris orationibus, quando ex puro & humili corde procedunt Deinde, vt cùm sua beneficia nobis elargienda differt, cum maiori præparatione, ac deuotionis affectu illa suscipiamus, memores quia quod rarum carum, res vltroneæ vilescunt. Si ergo vultis, vt Deus vestras supplicationes non repellat, petite in nomine Christi, & Deo differente gratiam, augete magis supplicationes, constanter in pio erga Deum affectu permanendo.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVINTA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan. 16.*

Inuocationem sanctorum non esse contra Scripturam sacram, neque contra honorem Christi, nec eos ignorare nostras necessitates deducitur.

Discipulos de suo discessu mœstissimos hac potissimùm ratione solabatur Dominus, quòd orandi munus velut sui vicarium, quoad omnia vitæ munia rectè gerenda in consiliū adhiberent, ipsis relinqueret. Nam cùm illis proposita imagine parturientis mulieris, iam ob partus dolores tristissimæ, iam de prole suscepta summa hilaritate perfusæ, vtrumq; & præsentis, & futuræ vitæ statum sic indicasset: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium. & vos igitur nunc tristitiā habebitis, iterum autem videbo vos.* Ioan. 16. Statimq; alteram vitam, omnis scientiæ, gaudijq; plenissimam futuram asseruisset, vt præsentis subinde molestias deliniret, & ad illos fortiter sustinendos animum inderet, subiunxit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Super quæ verba Maldonatus eruditè discurrit inquiens: Maldonat. *Nunc redit ad primum statum, quem quia parturientium doloribus comparauerat, consolatur eos, dicens: se in medijs etiam illis doloribus non defuturum, corpore quidem absentem; virtute verò præsentem futurum esse: nihil enim eos in nomine ipsius à Patre petituros, quod facilè non sint impetraturi.* Vbi ad oculum videmus, orationem pro Christo, siue pro eius præsentia substitui,

ſubſtitui, & tanquàm vicariam. hic in terris vices gerere; vt quemadmodùm Chriſtus ſiue in proſperis, ſiuè in aduerſis Aduocatus Patronus, ſcutum, requies, & ſolatium noſtrum eſt; ita pariter ex oratione hæc omnia nobis pròueniant. Vt præclarè innuit Gregorius Nyſſenus lib. de oratione Dominica orat. 1. in hunc modum ſcribens: *Oratio reorum, & cauſam dicentium Patrona, noxium ac vinctorum relaxatio, atq; ſoluto; fatigatorum requies, mœrentium conſolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium animi ſolatium.* Et certè quid non euincit apud Deum humilis oratio, quæ inuictas ab omnipotentia quodammodo vires mutuatur, audet temeritate felici, & aſſequitur fortunatè. Dicam amplius, etiam ipſi Deo vim infert deuota oratio, ſed gratam. *Coimus in cœtum,* dicebat olim Tertullianus in apologetico capite 39. *& congregationem, vt Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes: hæc vis Deo grata eſt.* Quod ſi adhuc ſanctorum patrocinia acceſſerint, tantò efficacior redditur oratio: quia his pro noſtra indignitate interuenientibus Deus nihil negare ſolet. *Audite* Caſſiodorum 11. Variar. 2. *Supplicandum* inquit *nobis eſt, Beatiſſimi Patres, vt lætitiam quam per vos Deo largiente percepimus, cuſtodiri nobis veſtris orationibus ſentiamus: quis enim dubitet proſperitatem noſtram veſtris meritis ampliandam, quando honorem adipiſcimur, qui à Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona percipimus dum talia non agamus. Eccleſiaſticis ſiquidem ieiunijs fames eſt excluſa popularis, decoris lachrymis triſtitia fœda diſceſſit, & per ſanctos viros acceleratum eſt, ne traheretur diutiùs, quod grauabat.* Non ſemel diuina inardeſcit ira: quia in homines indignationem ſufflamat cauſa; ſed quaſi vim paſſa reprimitur, & iuſtis precationibus prohibetur. Vnde D. Cyrillus Alexandrinus in Amós Prophetam num. 61. dicit: *Vehementer ſanctis opus eſt: ſeruant enim vrbes, & regiones clade impendente liberant: iram Dei quantumuis feruentem vitæ claritudine retundentes, & impetus eius iracundiæ incurſantes, nos quaſi retrahentes.* Sanctorum itaq; orationes pro muro ſunt, & quod appetebat periculum, orationis fugat remedium. Propter quod S. Chryſoſth. hom. 5. de imcomprehenſibili Dei natura, orationem portum ſecurum appellat: *Aptiſſima* inquit *arma oratio eſt, theſaurus certè perpetuus, diuitiæ inexhauſtæ, portus quietus, occaſio tranquilitatis, deniq; auctor, parens, fons, & radix bonorũ omnium, & innumerabilium oratio eſt.* Licet enim Deus ex ſe immediatè ſit generoſus, & ſummè beneficus, oratione tamen & precibus ſanctorum vincit noſtra deſideria pulſatus, & gaudet, ſi loquj fas eſt, inquietari, ac precibus quodammodò impelli. Verùm cùm ad aures meas hiſce diebus fama peruenerit, Hæreticos mordicùs contra nos inſurgere, quaſi ſine vllo Scripturæ ſacræ fundamento, ſanctos ad orandum pro nobis inuocemus, cùm Chriſtus in ſuo duntaxat nomine orandum eſſe iubeat. Imò quòd & ipſi Chriſto grauem inferamus iniuriam, quaſi ſolus non ſufficiat, qui pro nobis Patrem oret. Cùm enim ille ſemper exaudiatur pro ſua reuerentia; non eſt opus alijs precatoribus, ne videamur iniuriam irrogare orationi Chriſti, tanquàm minùs efficaci. Ideo ad vindicandam iſtam calumniam, oſtendam hodiè, nos habere ſufficiens fundamentum in Scriptura ſacra ad inuocandos ſanctos, neq; per hoc vllam iniuriam Chriſto inferri: ad extremùm, quòd ſancti in cœlo ſciant, & videant noſtras neceſſitates.

Gregorius Nyſſenus. — Tertull. — Caſſiod. — S. Cyrill. Alexandr. — S. Chryſ.

Fateor argumenta Hæreticorum primo intuitu magno niti fundamento videri, dùm allegant ex hodierno Euangelio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: ſi enim in nomine Chriſti poſſumus omnia à Patre æterno impetrare, quid opus erit confugere ad ſanctos? verùm ſciant quod Eccleſia ſancta, diuino afflata ſpiritu, non ob id doceat ſanctos eſſe inuocandos, quaſi eorum interceſſione Deus indigeat, qui per ſe preces noſtras exaudit, per ſe miſericors, & pater miſericordiarum eſt: ſed vt intelli-

Ioan. 16.

gamus,

gamus, Deum qui in cæteris rebus externis, quas poſſet per ſe præſtare, cauſis ſecundis vtitur, etiam in rebus ſpiritualibus adhibere eaſdem. Poſſet ille quidem pauperem in neceſſitatibus per ſe ſubleuare, infirmum curare, hoſtes debellare, mentem erudire; nihilominùs vult in his vti operâ hominũ, vel Angelorum, vt nimirum pauperes implorent auxilium ditiorum, infirmi medicorum, & indocti ab eruditis inſtituantur. Poſſet ſine cibo & potu genus humanum conſeruare, & propagare, aut ſine cura ac labore nobis de neceſſarijs vitæ proſpicere? vult tamen vt in ſudore vultus veſcamur pane noſtro, vtq; agricolæ agros excolant, aratro ſulcent, ſemina mandent, alioſq; non leues labores ſuſcipiant. Sic poterat Deus Eliphan Themanitem orantem exaudire, & tamen placuit hoc facere per interceſſionem iuſti Iob. *Ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem meam ſuſcipiam, vt non imputetur vobis ſtultitia.* Vnde ſicut Deus, qui per ſe omnia præſtare poteſt, & tamen quæ ſtatuit per cauſas ſecundas efficere, ſi illæ cauſæ non adhibeantur, non efficiet; ita quæ ſanctorum precibus ſtatuit largiri, ſine interuentu illorum non largietur, etiam ſi ipſemet homo roget, & vehementiſſimè vrgeat. Quis hoc non agnoſcit vel ex ipſis miraculis ſanitatum, ſimilibuſque donis atque beneficijs, quæ precibus ſanctorum ſupra vires naturæ conſequimur.

Iob. 42.

Quæſtio celeberrima inter Doctores, & Scripturæ ſacræ interpretes agitatur, vbinam ſint oſſa Adæ Protoparentis humani generis. Cum enim Adam in monte caluariæ ſepultus fuerit, vbi Chriſtus Dominus crucifixus eſt, vt docet Origenes tract. 35. in Matth. S. Athanaſius ſerm. de paſſione & cruce S. Epiphanius Hæreſi 46. Chryſoſt. hom. 48. in Ioannem, Ambroſius lib. 5. epla 16. totq; ſanctorum Patrum authoritas & conſenſus, cui contradicere nefas eſt. Nam vt dicit Magnus Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 29. *Veneranda ſunt vetuſta dogmata, quòd ob antiquitatem, ſeu canitiem quandam habeant quiddam reuerendum.* Cuius rei optimam congruentiam affert præfatus Baſilius, quia nempè decuit, *vt in quo loco corruptio, ſiue mors hominum initium cœpit, illic vita regni ſuum ſumeret exordinm: & quemadmodùm mors inualuit in Adam; ita & in Chriſti morte inefficax redderetur, & peſſum iret.* Alteram tradit S. Auguſt. ſerm. 71. de tempore, vbi ſic habet: *Et verò fratres, nõ incongruè creditur, quia ibi erectus, ſit medicus, vbi iacebat ægrotus, & dignum erat, vt vbi occiderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia, & ſanguis ille pretioſus, etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dùm dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur.* Egregiè profectò: medicus erat Chriſtus, Adam infirmus: acceſſit ergo ad infirmi domum medicus, & ibi erexit ſalutis vexillum, vbi ſuum mors erexerat trophæum. Plurimi itaquè affirmant, oſſa Adæ poſt diluuium, in illo ſepulchro reperta non fuiſſe: & quidem Moyſes Barcepha, vniuerſali diluuio illa perijſſe cenſet. Verùm, minus veritati id conſonum eſſe videtur. Credibilius igitur eſt, quòd Nóè tempore diluuij oſſa eius in arcam ſecum acceperit, vt illi contra inundantes aquas præſidio eſſent. Bone Deus, Adam qui adeo grauiter Deum offendit, vt omnes ſuos poſteros illo peccato inficeret, Adam, qui poſt exolutum naturæ debitum non rectè in cælum perrexit, ſed in limbis ſubterraneis tot millibus annorũ detentus fuit, id priuilegij habuit, vt eius oſſa ad vitandum naufragium, & mortis periculum plurimum valerent. Quid ad hæc Oſores fidei Catholicæ? ſi Nóèmo licuit reliquijs Adæ tantum cultum exhibere, & in illis quærere patrocinium, in extremo periculi, nobis non licebit venerari ſindonem, quo corpus Ieſu inuolutum fuit, aut ſpinas, quibus ſacratiſſimum eius caput fuit confoſſum, ex quibus recurrente anniuerſaria Chriſti paſſionis die tres albi flores enaſcuntur, & poſt occaſum ſolis eodem die euaneſcunt. Non licebit reliquias ſanctorum colere,

Adam vbi ſepultus. — S. Baſilius. — S. Auguſt.

quas

quas tanquàm asyla quædam Deus hominibus in Ecclesia sancta reliquit.

Sed progrediamur vlterius. Dum Vandali in Africa aduersus Catholicos sæuirent, Gaudiosus Episcopus illinc profugiens, Neapolim Campaniæ vrbem peruenit, ampullam sanguinis S. Stephani secum deferens. Hæc asseruatur illa in æde S. Gaudiosi, & quoties super altare ponitur, dùm missa dicitur, sanguis ille concretus, post tanta temporis spatia, liquescit cunctis aspicientibus, atque agitatur; mox considet peracta missa, & concrescit velut in lapidem. Illud verò planè admiratione dignissimum est, quòd cùm olim annis singulis tertia Augusti id fieri consueuerit; ipso etiam anno, quo authoritate sanctissimæ memoriæ Gregorij Papæ XIII. restitutum est Romanum Calendarium, ad formam reductionis anni, non vt olim decem post dies, sed eadem ipsa festa die, idem sanguis visus est ebulisse, sicque annis sequentibus. Adeo mirandi sanguinis mentio impellit, ne sanguinem quoque prætereamus Ianuarij Martyris, Episcopi Beneuentani, Neapoli pro Christi fide capite mulctati, Et licet diuersis templis condita sint caput, & sanguis eius ampullà conclusus; tamen quo die per vrbem solemniter feruntur, sanguis, qui in pilam indurruit, vbi in caput incidit, mirum dictu, statim liquescit totus, non aliter, quàm tum, cùm primùm ex Martyris cæso capite deflueret. Postquàm autem à capite disiungitur, in sphæricam formam prout ante erat durescit. Accidit circa annum 512. vt Vsuiius mons hiatum ingentem ederet, inde spiritus quidam ater adeo eruperat, vt lucem solis caligine tenebrisq; inuolueret. Boabat strepitu ita horrendo, vt vicina loca tremore concuteret; tantusq; inde cinis effundebatur, vt prouincias quoq; transmarinas obrueret. Fluebant ex illo quasi quidam sulphurei amnes, & arena impetu fermente more fluminis decurrebat, quà plena camporum vsq; ad arborum cacumina tumescebant, & virescentia omnia protinus arescebant. Perterrefacti Neapolitani cùm iam prorsus de sua conseruatione desperarent, vltimum sibi excidium imminere arbitrati, tunc sacerdos quidam festino cursu ad Ecclesiam accurrens, acceptâ sacri huius sanguinis ampullâ, fumantem Vesuuium signauit, & extemplò ignis extinctus est. Vbi sunt igitur, qui negant audiri preces nostras à sanctis? quando & sanguis ipse exanimis quadammodò videtur audire.

Sanguis B. Stephani in ampulla singulis annis ad missæ sacrificium liquescit.

Quando Absolon impius in parentem, & in ipsam naturam crudelis, simulata sua affabilitate Procerum Israëliticorum animos sibi conciliauerat, quorum auxilio regnum inuaderet, & pulso Patre violenter occuparet, perrexit in Hebron. *Vadam* inquit, *& reddam vota, quæ voui Domino in Hebron.* 2. Reg 15. Miratur Lyranus, quare Absalon non Hierosolymæ potius sua vota Domino reddere voluit, cum hoc commodiùs præstare potuisset, vt pote in minori distantia; Hebron autem à Hierusalem distabat miliaribus sexdecim. Et respondet quia locus ille sanctus reputabatur, eò quòd Patriarchæ principales ibi sepulti fuerint cum coniugibus, videlicet Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, vt habetur Genes. 23. Absalon itaq; in hunc modum secum discurrebat, quando ego in Hebron vota mea offeram Domino, isti Patriarchæ sancti interuenient pro me, procidet Abraham in faciem suam ante thronum Dei, & sic eius precibus facilè ad regni solium promouebor. Si ergo adhuc in veteri lege solebant homines reuereri monumenta sanctorum, quare hisce temporibus hæretica prauitas nobis audet insultare, quòd sepulchra nouæ legis adeamus, quòd ad patrocinandum nobis inuocemus. Licuit Absaloni ad locum Patriarcharum sepulchris clarum confugere, & quomodò temerè audent effutire, à nobis sanctorum inuocationes sine fundamento Scripturæ sacræ fieri?

2. Reg. 15.

Absalon cur non alibi nisi in Hebron vota Dño reddere voluit.

Et certè, quòd hanc piam consuetudinem ex ordinatione Spiritus sancti Ecclesia sancta introduxerit, fatetur regius

Psal. 120.

regius Vates Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Inquirite obsecro, quidnam Propheta Domini intellexerit per istos montes, num forsan in montem Synai oculos leuauit? vbi Deus Optimus Maximus legem digitis suis scriptam Moysi tradidit. Non ergo forte montes Gelboë, vbi Saul & Ionathas in gladio hostili ceciderunt quibus eam ob causam omnia mala imprecabatur, vt nec ros, nec pluuia super illos descenderet. Minimè: quod enim auxilium montes terreni illi afferre potuissent? vtique temporibus Gregorij Neocesareæ Ponti Episcopi mons, qui ædificationem Ecclesiæ impediebat, vix illo orante, & signo crucis tanquàm vicaria Dei potestate vtente, loco cessit; verùm vt aliquod auxilium ferre possit, vsq; ad hæc nostra tempora auditum non est. Euthymius itaq; per istos montes, intelligit cælos, in quos rex Dauid oculos suos leuauit ad Deū pro bono statu populi Israël de Babylonica captiuitate reuersi, ne iterum in manus hostium traderetur. S. verò August. Beda, & Incognitus, intelligunt tùm Deum ipsum, ob summam eius dignitatem, & maiestatem inaccessam: tum sanctos qui Psal. 124. dicuntur montes in circuitu eius, hoc est Dei, cui proximè adstant. *Sicut enim,* ait Incognitus, *in rebus mundanis, si vult aliquid quispiam obtinere, quærit familiarem Domini; sic in spiritualibus si volumus aliquid obtinere, debemus intercessorem quærere, quales sunt electi Dei, de quibus dicitur vos amici mei estis.*

Incognit.

Neq; sanè Aduersarios fidei nostræ moueat, quòd in eadem Psalmo statim verba sequentia addat Propheta: *Auxiliū meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.* Quasi per hoc videatur ostendere, quòd frustra ad Patriarchas, & alios viros sanctos veteris testamenti confugerit, patrocinium quærens: quia omne auxilium à solo Deo procedit. Errant enim, & toto cœlo errant: fatemur equidem omne auxilium à solo Deo quæri oportere, & dari solere, vt ingeniosè resoluit Euthymius inquiens: *Proprium enim Dei est, vt omnium creator dicatur, cùm ipse solus sit, qui possit creare; & nos igitur si animi oculos in cælum leuauerimus, eosq; à terrenis rebus omnibus dimouerimus, diuinum simili modo consequemur auxilium.* comprobatquè S. Basilius in dictum Psalmum: *Si enim cælum* ait, *& terram ipse fecit, & inter alienos & barbaros opem ferre, ac manum porrigere potest: & enim si omnia elementa solo verbo produxit, multò magis nos à barbaris liberare potest.* Cæterùm quòd sancti etiam ministerialiter ad opitulandum nobis nō concurrant, hoc nunquàm in Scriptura sacra habetur. Proinde, quando dicit Propheta: *Auxilium meum à Domino,* hunc sensum facit: Auxilium meum à Domino, *& non ab idolis, quæ nullam habent virtutem; nec ab Angelis sanctis nisi ministerialiter tantùm; quia non sunt creatores cæli & terræ,* sicut exponit Glossa ordinaria. Proinde dicit hoc non contemnendo sanctos qui sunt ministri Dei, sed ostendendò hoc auxilium à solo Deo principaliter expectandum esse, licet plerumq; interuentu sanctorum tanquam amicorum & familiarium Dei obtineatur.

Euthym.

S. Basili.

Glossa Moralis.

Et si parua esse videntur, quæ ad cōprobandam veritatem attuli, scrutemini adhuc profundiùs Scripturam sacram. Intumuerat superbiâ impius ille Rabsaces exercitus Regis Assyriorum ductor: cùm enim victor in vno prælio esset, tanquàm victor in omnibus gloriabatur. Nam Samaria à se captâ, capiendam pariter à se existimauit etiam Iudæam; debellatisq; iniquis regibus, à se pariter vincendum censuit & iustum Ezechiam: profligatis falsis gentium idolis, Deum quoq; optimum maximum Hebræorū, non dubitauit, à se pari facilitate profligandum. *Quis est ait, ex omnibus Dijs, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Hierusalem de manu mea.* O insaniam plusquam brutalem! insanis mihi crede superbissime dux insanis. Demus, quia vicisti falsos Deos, & cultricem eorum Samariam subegisti; at contra Deum non falsum; sed verum, non fictum, sed factorem sæculo-

Isaiæ 36.

ſæculorum, & opificem vniuerſitatis, vt loquitur D. Cyrillus Alexandr. quomodò audes ſuperbire, & victoriam canere ante pugnam. *Barbarizat mente Rabſaces*, ait præfatus Cyrillus, *& verbis contra Deum inſoleſcit*. Nec immeritò: qui enim ita argumentabatur: Deos Ethnicorum profligaui, ergo & Deum Hebræorum profligabo, non ſyllogiſabat, ſed barbarizabat, præſertim, cùm illos alios Deos, non appellaſſet Dominos, ſed ſolum Deum Hebræorum: *vt eruat Dominus Hieruſalem de manu mea*. Non potuit eſſe maior arrogantia, quàm velle Dominari illi Deo, quem omnium dominum fatebatur.

Cyrillus Alexandr.

Quid ergo pius Rez Ezechias, preſſus vndiq; & illo innumerabili Aſſyriorum territus exercitu, miſit ad Iſaiam Prophetam, inuocans eum ad orandum Deum. *Et factum eſt, cùm audiſſet rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & obuolutus eſt ſacco, & intrauit in domum Domini. Et miſit ad Iſaiam filium Amos prophetam, & dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: quia venerunt filij vſq; ad partum, & virtus non eſt pariendi. Leua ergo orationem pro reliquis, quæ reperte ſunt.* Mirantur Doctores, quid opus erat mittere ad Iſaiam, nonne ſufficiebat, vt ſolus rex cum populo Deum oraret? Et reſpondent: Deum propitium habere oportebat, ideo miſit ad Iſaiam prophetam, quia ſciebat illum mediatorem eſſe inter Deum & homines. Conſiderate quid factum, ſuccurrit Iſaias in auxilium poſtulanti regi, precibus ſuis Deum placando, & eius nomine reſpondendo nuntijs regis: *Hæc dicit Dominus: ne timeas à facie verborum, quæ audiſti.* Orauit & ipſe pius rex Ezechias, cum lacrymis clamans ad Dominum: *Inclina Domine, & audi: Aperi Domine oculos tuos, & vide, verè enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum. Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius, & cognoſcant omnia regna terræ, quia tu es Dominus ſolus.* Necdum ſatis ſed affuit illico ante thronum Dei anima Dauidis vitâ functi, ſua pariter deprecatione vim orationis augens. Et ecce ſtatim interuenientibus tot ſanctis interceſſoribus, placatus Deus omne malum auertit, reſpondens per Prophetam. *Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum, non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. Et protegam ciuitatem iſtã, vt ſaluem eam propter me & propter Dauid ſeruum meum.* En ſtupendam protectionem, Deus propter orationes ſanctorum, non ſolum vrbem Hieruſalem cum rege & populo ſaluauit, verùm etiam exercitum hoſtium eadem nocte miniſterio Angeli penitus deleuit. *Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinq; millia. Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum.* Videant ergo iam Hæretici, non ſolùm in nouo teſtamento, ſed etiam in veteri, ex diuina ordinatione obſeruatam fuiſſe piam conſuetudinem in neceſſitatibus ad ſanctos confugere, eorumque patrocinia implorare.

Iſaiæ 37.

Ibidem.

Ibidem.

Neq; eludat quempiam illa ratio, quia ſancti in cælis ſuorum laborum & meritorum perfectiſſimam atque pleniſſimam mercedem receperunt: ergo nihil ipſis amplius vel pro ſe, vel pro alijs debetur, & conſequenter ipſi orationibus non impetrant quidpiam viuentibus. Reſpondetur enim concedendo ſanctos in cælis ſufficiens præmium percepiſſe, proinde illos nec ſibi, nec nobis quidquam mereri. Cæterùm, quia in præmio antecedentium meritorum continentur magna amicitia & familiaritas cum Deo; omnis autem amicus habet ius petendi, & impetrandi ab amico, inde fit, vt etiamſi nihil amplius mereantur, rogent tamen pro nobis: & pars præmij ipſorum eſt, ne repulſam patiantur, ſed quod petunt, exorent; rogare autem non eſt mereri.

Quòd verò iniuria Chriſto per hoc fieri dicatur, quia ſanctos inuocamus, quaſi alios mediatores aſſumendo; cùm tamen vnus ſit mediator Dei & hominum, vt docet Apoſtolus 1. ad Timot. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.* Hoc quàm alienum ſit à veritate, videat quicunq; ſano ſenſu pollet. Fatemur nos Chriſtum vnum, & ſolum proprie eſſe mediatorem, idq; potiſſimùm noui teſtamenti, vt S. Paulus expreſsè docet Hebr. 8. *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt.* Et Hebr. 9. *Et ideo noui teſtamenti mediator eſt.* Quia videlicet Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, & ſemetipſum dedit in redemptionem pro omnibus. Hac igitur ratione & nomine, nullus tàm in cælo, quàm in terra, ſine maxima blaſphemia ac iniuria, & inſuper abnegatione Chriſti, cogitari, nedum credi, aut appellari poteſt mediator: quia nullus erat, qui nos proprio ſanguine, & mortis ſupplicio redimeret, Deoq; reconciliaret proprijs meritis, niſi ſolus & vnicus Chriſtus Ieſus. Alio tamen ſenſu & nomine mediator, etiam ex hominibus dici, & licitè appellari poteſt, qui vel Dei placita ad populum, vel populi neceſſitatem & voluntatem, ſeu petionem ad Deum refert, ſuaq; interceſſione commendat. Sic Moyſes ſequeſter & Mediator inter Deum, & populum Iſraëliticum, expreſsè in ſacra Scriptura ab ipſomet Spiritu ſancto nuncupatur. Deutor. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos, in tempore illo.* Et Pſal. 150. *Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos.* Sic Ieremias Mediatorem ſe inter Deum & populum fuiſſe interceſſione ſua, ſatis apertè teſtatur cap. 18. *Recordare, quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis* Imò addit S. Paulus Hebr. 5. quòd omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituatur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, ſitq; quaſi mediator inter Deum & homines, ſicut fuit Aaron iuſſu Moyſis thymiama offerens, & ſtans inter viuos & mortuos, pro populo, quem magna ex parte ignis atq; incendium deuorabat, qui deprecatus eſt & impetrauit, vt Deo placato, grauis illa vindicta ceſſaret, vt habetur Num. 16. Sicut ergo nulla fit iniuria Chriſto, quod Angeli orationes hominũ Deo offerant; ita pariter quando ſancti noſtras deprecationes Deo præſentant.

1. Tim. 2.

Hebr. 8. & 9.

Chriſtus quomodo ſolus mediator.

Deutor. 5.

Pſal. 150.

Hier. 18.

Negare profectò Hæretici non poſſunt, quòd Angeli orationes hominum Deo offerant, niſi forſan Scripturam ſacram ſe penitus ignorare fateri velint. Audiant quæſo Angelum Tobiæ poſt cæcitatem illuminato loquentem: *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos. Ego obtuli orationem tuam Domino.* Ecce Angelus palam fatetur, ſe orationem Tobiæ Deo obtuliſſe. Additq; vlteriùs: *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te, & nunc miſit me Deus, vt curem te.* Pro Deum immortalem, eò quòd iuſtus erat, & ſanctus Tobias, dicitur neceſſariò data illi afflictio, & tentatio. Quis hoc credat, iuſto & ſancto deberi neceſſariò afflictiones? vtiq; iuſtitiæ, & ſanctitati præmium neceſſariò debetur; afflictio autem non præmium, ſed pœna eſt. Quomodò ergo debetur neceſſario afflictio ſanctitati, & non potiùs præmium? Nodum ſoluit Angelus illis verbis: *Et nunc miſit me Deus, vt curem te.* Non dicit, quòd neceſſariò euenerit tentatio ſola; ſed tentatio, & liberatio; quando autem afflictio venit cum adeo ſplendido fine, iure meritò pro præmio virtutis datur. Sic cenſet S. Cyprianus lib. de mortalitate loquens: *Raphaël Angelus Tobiæ oranti ſemper, & ſemper operanti teſtis fuit dicens: Quando orabas tu, & Sara, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectu claritatis Dei. Et cùm ſepelires tu mortuos ſimpliciter, & quia non es cunctatus exurgere, & relinquere prandium tuum, ſed abijſti, & condidiſti mortuum, miſſus ſum tentare te, & iterum me miſit Deus curare te.* Expendite verba hæc: *Quia non es cunctatus.* Ecce pro tanto

Tobiæ 12.

Ibidem.

tanto virtutis merito, datus eſt Tobiæ A Angelus, qui eum tentaret, & liberaret, qui affligeret & ſaluaret: afflictio enim cum exitu glorioſo, & ſalutari, benè pro merito virtutis datur. Sic tres Hebræi pueri ob neglectum cultum ſtatuæ regis Babyloniorum coniecti erant in ardentem fornacem. Dani. 3. Daniel 3. *Viri autem hi tres, id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati.* Immiſſi erant in fornacem, ſed ex qua egrederentur illæſi; fornax autem cum tam glorioſo exitu, non pœna, ſed Dei dignatio ſuos honorans erat. Ait Zeno ſerm. 7. de tribus pueris: Zeno. *Illò præcipitantur inſontes; & ibidem propter quem præcipitantur inueniunt. Deniq́; excipiuntur non flammâ, ſed rore, Dei dignitate, non pœna.*

Bonus Iacob à paterna domo exulans, & ſolus ſuper lapidem incubans, vidit ſcalam, & in ſcala Deum apparentem ſibi: S. Hier. *Viditq́; in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoquè Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam; & Dominum innixum ſcalæ.* Et quid attulit C hæc apparitio Dei Iacobo? An apparuit Deus peregrino ſuo, vt illũ à laboribus faceret quieſcere? Vt iuberet quietum eſſe in materna domo, & laborũ moleſtias fugere? Abſit: imò eo ipſo, quòd Deus ſcalæ innixus apparuerit Iacobo, non exiguos illi labores ſubeundos indicauit. Ita exponit D. Hieronymus epiſtola ad Iulianum aiens: *Vidit ſcalam de terra vſq́; ad cælum, & aſcendentes per eam Angelos, & deſcendentes, & deſuper innitentem Dominum, vt laſſis manum porrigeret, vt aſcendentes* D *ſuo ad laborem prouocaret aſpectu.* Quæ verba clarè oſtendunt, cur ſeſe conſpiciendum dederit, non equidem, vt otium ſuaderet, & negligentiã, ſed vt ad laborem impelleret. Fallitur ergo qui diuinas apparitiones non putat ſtimulos, quibus ad maximos labores ſit illi currendum, Hinc Stephanus dicebat Actorum 5. Actor. 5. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eijcientes eum* A *extra ciuitatem lapidabant.* Videte quo fine euenerit apparitio Dei, & apertio cælorum Stephano. Dei Filius ſe illi oſtendit, & ſtatim raptus eſt ab hoſtibus extra ciuitatem protractus, ibiq́; multis lapidum nimbis impetitus. Quia nimirum ad talia certamina vocant diuinæ apparitiones. Ait D. Hilarius Arelat. ſerm. de S. Stephano: S. Hilar. *Ecce video cælos apertos. Iuſtè incunctanter offert ſanguinem ſuum, qui præ oculis habet regem ſuum ſimul, & brachium ſuum, & filium hominis à dextris virtutis* B *Dei. Vides quòd expectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis? Dignè patentibus cæli portis comparatur cælum, & bella deſudant.* Quid elegantius? patentibus cœleſtibus bella deſudant: quia Deus non ſe aperit ſuis, quin & bella vocet, & labores, & ſudores, longaq́; certamina intimet.

Non mediocris tamen difficultas eſt, quidnam per iſtam ſcalam ſignificetur. S. Gregorius vult ſignificari Euangeliſtas & alios prædicatores. Sic enim lib. 1. epiſt: 24. dicit: S. Greg. *Prædicatores ſignat, qui non ſolùm caput Eccleſiæ, id eſt Chriſtũ contemplando appetunt, ſed ad membra illius miſerando deſcendunt, quod Angeli aſcendentes, deſcendenteſq́; demonſtrant.* Aſcendebant itaq́; Euangeliſtæ, prædicando euangelium, & cum populo orando: quia ſcalæ iſtius latera ſunt lectio, & oratio deuota: gradus autem pœnitentiæ opera, per quæ aſcenditur in cælum, iuxta illud Matthæi 3. Matth. 3. *Pænitentiam* agite: *appropinquauit enim regnum cælorum.* Lyranus per Lyranus. iſtam ſcalam intelligit Virginem Mariam: *Iſta* ait *ſcala quæ ex multis gradibus conſtituitur, ſignificabat gradus generationum, per quos Chriſtus ſecundum carnem deſcendit ab Abraham, vſq́; ad Virginem Mariam quæ ipſum peperit.* Per Angelos verò aſcendentes intelligit fidem, & per deſcendentes myſterium incarnationis reuelatum, ſic loquens; *Per Angelos Dei deſcendentes, intelligendum eſt, quòd myſterium Incarnationis de voluntate Dei fuit hominibus reuelatum. Primò Patriarchis, & poſtea Prophetis clariùs, & poſtea miniſtris noui teſtamenti clariſſimè. Per Angelos aſcendentes intelligitur*

telligitur fides, & deuotio ſanctorum, in A *quolibet ſtatu prædicto.* Et quoniam ſoli Angeli aſcendentes, & deſcendentes tenebant ſcalam cælum pertingentẽ, ad quid ea fuit oſtenſa Iacobo? vtiq́; ille Angelus non erat, ſed terrenus puluis; cur ergo illi oſtenſa ſcala cæli, ſolis plana ſpiritibus? D. Zeno l. 2. ſerm. 8. cenſet ideo, quia & homines & Angeli ad eundem terminum col- D. Zeno. limant, ſcilicet ad claram Dei viſionem. *Dubium* inquit *non eſt, vnum eſſe iter aërij culminis Angelis lucis, & hominibus iuſtis.* Tandem Gloſſa moralis An- B gelos per illã ſcalam aſcendiſſe putat, vt Religioſorum merita Domino offerrent, id eſt, hominum Deum timentium, illumq́; in neceſſitatibus inuocantium. Si ergo Angeli minimè dishonorant Deum, dùm ei hominũ poſtulata offerunt, & quomodò ſancti Chriſto iniuriam poſſunt inferre, dùm illi noſtra vota præſentant, dum officium hoc obſequentiſſimè exequuntur.

Vrgent adhuc Hæretici, quod ſancti in cælis non videant hominum neceſſitates. Sed errant vehementer, ſan- C cti enim, cum Chriſto in cælis æuum degentes, non ignorant, quæ à viuentibus in terra geruntur. Quod inprimis ex eo conſtat: quia Angeli in cælis Lucæ 15. dùm gaudent *ſuper vno peccatore pænitentiam agente magis, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis.* Sciunt quid in mundo agatur, idque non ſolùm foris, ſed intus etiam in corde peccatoris, in quo eſt vera pœnitentia, & dolor de peccatis. Sed ſancti in cælis ſunt *ſicut Angeli Dei,* vt loquitur Chriſtus Matth. 23. hoc eſt, ſunt eiuſdem D gloriæ & beatitudinis, ergo non ignorant, quæ apud nos geruntur. Præterea, Patres antiqui, & Patriarchæ, licet ante Chriſti aduentum in limbo detinerentur; poterant tamen noſſe, quæ fiebant in terra. Sic Abraham non ignorabat diuitem illum Epulonem recepiſſe bona in vita ſua, & Lazarum ſimiliter mala. Sic enim illum Ibidẽ 16. allocutus eſt: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Et quomodò ſancti, qui nunc adſtant Deo, maiorique gloria fruun- A tur, hæc ignorare poſſunt. Similiter plerique in inferno ex damnatis non ignorant, quæ ad ipſorum maiorem damnationem à viuentibus in mundo fiunt: diues epulo nouerat fratres ad ſui imitationem perditè viuere, & ideo clamabat ad Abrahamum: Ibidem. *Rogo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq́; fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Ergo multò magis ſancti in cælis cognoſcunt, quæ à viuentibus in mundo geruntur ad maiorem B ſuam gloriam. Deinde, nonnulli adhuc inter viuos degentes, abſentia, & futura, imò & occulta cordis ſecreta nouerant: hinc Eliſeus ſeruo ſuo Gieſi 4. Reg. 4. dicebat: 4. Reg. 4. *Nonne cor meum in præſenti erat, quando deſcendit homo de curru ſuo in occurſum tuum.* Et Samuel Sauli locutus eſt: 1. Reg. 9. *Omnia quæ ſunt in corde tuo, dicam tibi, & de aſinis Patris tui, quos perdidiſti.* Petrus abſens ſciebat Ananiam & Saphiram fraudaſſe de pretio agri. Actor. 5. *Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus ho-* C *mini ſed Deo.* Ad extremum Prophetæ futura & præcognouerunt, & prædixerunt. Si ergo hæc gratia facta eſt viuentibus, & mortuis, cur ſanctis ſempiterno æuo iam fruentibus, eiuſq́; gloriam intuentibus denegatur?

Sancti itaq́; in cælis non ſolùm viuentium neceſſitates ſciunt, ſed etiam maiori, quàm dum inter mortales degerent, charitate Deum pro illorum ſalute deprecantur. Quis hoc ex Scripturæ ſacræ tot euidentibus locis manifeſtè non cognoſcet? Frequenter D enim Angeli, quibus ſancti in cælis à Chriſto ſimiles futuri dicuntur, precati Deum pro populo Iſraëlitico nobis commemorantur. Sic Zachariæ 1. inducitur, Angelus in hunc modum De- Zach. 1. um obſecrans: *Domine exercituum, vſquequò tu non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iſte iam ſeptuageſimus annus eſt.* Quæ oratio ita placuit Deo, vt ſubitò Angelo roganti annueret; quemadmodùm indicant verba ſequentia: *Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba conſolatoria.* Similiter Dani. 10.

Michaël

Michaël vnus de Principibus primis dicitur veniſſe in adiutorium Angelo agenti apud Deum cauſas populi Iſraëlitici contra Principem Perſarum. Daniel 10. *Et ecce Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Præterea. Apoc. 15. in Apoc. 15. Seniores, qui à numero duodecim Patriarcharũ, & duodecim Apoſtolorum ſanctos vtriuſque teſtamenti referunt, narrantur *cecidiſſe coram Agno, habentes ſinguli cytharas, & Phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Offerunt igitur Angeli Deo preces Eclesiæ proſtrati in terram, hoc eſt, precibus ſuis noſtras preces iuuantes, & Deo recommendantes.

Nec minora eadem ſacra pagina de ſanctis recenſet: nam lib. 2. Machab. cap. 15. Onias Sacerdos multis annis poſt exolutum naturæ debitum, apparens Iudæ Machabæo, de Ieremia 2. Mach. 15 Propheta ſibi aſtante dicebat: *Hic eſt fratrum amator & populi Iſraël: hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate.* Vbi ſtatim Ieremias porrecto Iudæ gladio, ita eum allocutus eſt: *Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deÿcies aduerſarios populi mei Iſraël.* Ne verò phantaſtica illa apparitio videretur alicui, veritatem docuit euentus: Nam Iudas poſtridie Nicanorem, & triginta quinq; millia hominum profligauit. Ex quo loco Origenes hom. 3. in Cantica ſanctorum inuocationem deducit, ita ſcribens: Origenes. *Sed & omnes Sancti, qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & iuuare eos precibus ſuis, atq; interuentu ſuo apud Deum, non erit inconueniens. Scriptum namquè eſt in Machabæorum libris ita: Hic eſt Hieremias Propheta Dei, qui ſemper orat pro populo. Sed & ad Apoſtolos hæc dici non videbitur alienum: per hos enim omnis Eccleſia Dei, vel anima quærens Deum, introducitur in domum vini, & aromatibus, atq; odoribus repletur, & componitur in melius.* Idem facit Oecumenius, vſus 2. Petri 1. illis verbis Petri Apoſtoli: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis,* A vbi docet pleroſq; ſanctos viros poſt mortem quoq; horum, qui hic ſunt, recordari, ac pro viuentibus intercedere.

Et certè ſi viui probi pro viuis Deum orant, quemadmodùm D Paulus in varijs epiſtolis, pro illis Eccleſijs, ad quas ſcribebat, ſe feciſſe commemorat Rom. 1. *Teſtis* enim mihi eſt Deus, Rom. 1. *cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filÿ eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Et Philippen. 1. *Semper in cunctis orationi-* Philip. 1. B *bus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens.* Et Coloſſen. 1. Coloſſ. 1. *Ideo & nos, ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali.* Quod ipſum faciebant in veteri teſtamento Moyſes, Elias, Daniel, Ieremias. Quomodò ſancti noui teſtamenti in cælis Deo aſſiſtentes pro noſtris neceſſitatibus interuenire non debent. Vrget hoc argumentum potenter Diuus Hieron. contra Vigilantium, ſic C diſcurrens. *Si igitur Apoſtoli & Marty-* S. Hieron. *res adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, orant pro cæteris: quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum à Deo veniam impetrauit, & Stephanus imitator Domini ſui, & primus martyr in Chriſto pro perſecutoribus deprecatus eſt: & poſtquam cum Chriſto eſſe cæperint, minus valebũt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas: & poſtquam eſſe cæperit cum Chriſto, tunc ora* D *clauſurus eſt? & pro his qui in toto orbe ad ſuum Euangelium crediderunt, mutire non poterit.*

Illud tamen diſſidentes nobiſcum in fide forſitan maximè mouet, quomodò ſancti in cælis à nobis abſentes, & longiſſimè diſtantes, in rerum noſtrarum notitiam venire poſſint. Quod vt facilè intelligant, tribus modis fieri potèſt. Primò, quia licet animæ ſanctæ defunctorum naturaliter per ſe nec adſint nobis, nec noſtra, cõtemplentur; dono tamen beatitudinis & gloriæ, non ſolùm de cælis noſtra

Sãcti quomodo cognoſcunt noſtras neceſſitates.

ſtra intueri poſſunt, ſed diuino etiam A permiſſu, quandoq; nobis adeſſe. Si enim conceſſum fuit B. Stephano ex Synagoga Chriſtum in cælis videre, Actor. 7. vt habetur Actor. 7. *Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Si permiſſum D. Paulo in tertio cælo diuinam eſſentiam contemplari, quod erit inconueniens, ſi fatebimur ſanctos è cælis videre opera noſtra in terris; quemadmodùm vident pœnas damnatorum in inferno. Cum enim nulla corporis mole præpediantur, ideo non impediuntur, etiam locorum diſtantiâ, nec corporibus interiectis, quominus preces noſtras audiant, actiones intueantur, adeoq; in cordibus noſtris & cogitationibus illa videant, quæ ipſis volumus manifeſta fieri. Quemadmodùm enim ſine externa voce aut ſenſibili ſigno, Angeli tum ſibi mutuò, tum animabus loquuntur, & viciſſim ab illis audiuntur; ita homines, ſola voluntate ſua ſpiritibus tam bonis, quàm malis, interna deſideria & cogitationes aperire poſſunt, ab illiſq; intelligi: non obſtante corpore, quo veſtiuntur, vel quauis loci intercapedine, etiamſi magna, nolentium tamen cogitatio, aut mens, ſoli Deo patet.

Secundò, quia ſancti in cælis cognoſcunt, quæ apud nos in terris geruntur, internuntijs Angelis, & ijs, qui ex hac vita migrant, vt docet ſanctus Auguſtinus de cura pro mortuis S. Auguſt. agenda cap. 15. illis verbis: *Proinde fatendum eſt, neſcire quidem mortuos quid hic agatur, ſed dùm hic agitur, poſtea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, qui ſinuntur etiam iſta meminiſſe, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Poſſunt & ab Angelis, qui rebus quæ aguntur hic, præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod vnumquemq; illorum audire debere iudicat, cui cuncta ſubiecta ſunt.* Et D. Gregorius homil. 6. in Euangelia, qui docet Ioannem Baptiſtam fuiſſe præcurſorem Chriſti ad inferos, ſanctiſq; Patribus S. Greg. annuntiaſſe Chriſti aduentum. *Quem* A *enim* inquit ille *præcurrens mundo nuntiauerat, hunc moriendo, & ad inferos deſcendendo præcurrebat.* Similiter Iacob Patriarcha Angelos vidit aſcendentes, & deſcendentes ſcalam illam in cælum vſq; protenſam: aſcendentes quidem preces noſtras offerendo; deſcendentes vero ad fauorem nobis diuinum impertiendum. quod Raphaël Angelus ſe feciſſe Iuniori Tobiæ, teſtatus eſt Tobiæ 12.

Tertiò, tandem ſancti in cælis ſciunt quid apud nos in terris agatur ex B diuina reuelatione. Quemadmodùm enim Rex quiſpiam, ſi de aſſidentis ſibi amici magno commodo, vel eximio aliquo bono, per literas certior factus eſſet, non pateretur amicum hoc iure amicitiæ celandum eſſe, cuius ſciret gaudium his nouis vehementer augeri poſſe. Ita pariter Deus, qui ſanctorum ſuorum perfectum gaudium deſiderat, nil eorum ipſos celat, quæ aliquomodo vel augere id, vel perficere poſſunt. Eiuſmodi autem ſunt orationes noſtræ, quæ ad ipſos à C nobis effunduntur, & quæcunquè in ipſorum gloriam a nobis ſuſcipiuntur. Hinc mirabatur Eliſeus ſibi occultatam mortem filij Sunamitidis, matriſq; triſtitiam. *Anima eius* inquit *in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* 4. Reg. 4. Diuerſo 4. Reg. 4. tamen modo viuentibus abſentia reuelantur, quam ſanctis, qui æternâ gloriâ fruuntur: viuentibus enim nota fiunt occulta inſpiratione; ſanctis autem contemplatione diuinæ eſſentiæ, in qua veluti in ſpeculo res omnes D & ab illis videntur, & ſunt longè perfectiùs, quam in ſemetipſis exiſtant. Vnde Dominus Moyſi exhibiturus eſſentiam ſuam contemplandam dicebat: *Ego oſtendam tibi omne bonum.* hoc Exodi 18. eſt, quidquid aliquo modo nomen & rationem boni habere poteſt, id omne in mea eſſentia, quam es viſurus, oſtendam tibi. Omnia enim eminentiſſimo modo in Deo continentur, vt docet S. Ioannes illis verbis: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: quaſi dicere Ioann. 1. vellet, creatura omnis in Deo eſt, non quidem vt in ſe mortua, ſine ſenſu, materia-

materialis, corporea, imperfecta, ſèd vita, id eſt viuens, immaterialis, perfectiſſima. Proinde ſancti in cælis Deum ſibi præſentem intuentes, vident in illo tanquam in ſpeculo, quæ apud nos aguntur. Hæc eſt mens D. Gregorij, qui de animabus ſanctis ita loquitur. S. Greg. *Quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris ſit aliquid, quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt.*

Vidimus ergo iam Scripturæ ſacræ documentis ſanctorum inuocationem comprobatam eſſe, neq; per hoc vllam Christo iniuriam fieri, nec ſanctos in cælis neceſſitates noſtras ignorare, igitur ſi quid apud Deum volumus impetrare, his ſuffragantibus orationes noſtras ad Dei maieſtatem dirigamus, & dubio procul quidquid petierimus à Patre æterno, obtinebimus.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

CONCIO PRIMA.

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neq; me. *Ioan. 16.*

Gentiliſmus & Iudaiſmus cum hæreſi perpetua interregna in Chriſtianitate excitat.

INterregna omnia periculorum eſſe fomenta, grauiſſimorumq; diſcriminum cauſas, & regnorum exilia, quis inficiabitur? vbi enim Rex deeſt, ibi Reſpub. extremè periclitatur: nulla tunc legum obſeruatio, nulla ſecuritas pacis publicæ, nulla magiſtratuum reuerentia, ſed quiſq; ſui Iuris eſſe cupit. imperare potius; quam parere, opprimere bona publica, non defendere: & hoſtem patriæ magis; quàm ciuem ſeſe gerere volens. Regem noſtrum Chriſtum Dominum nuper triumphantem in cælos aſcendiſſe vidimus, cuius regimini quia nondum Spiritus ſanctus ſucceſſit, grauè Interregnum patitur S. Eccleſia, adeò vt qui præſentem eius ſtatum bello nauali aſſimilare vellet, ne digitum puto aberraret à veritate. Vndiq; enim horribilis fit hoſtium concurſus, quorum ira eò iam erumpit, vt ſit immedicabilis. Et certè imaginetur hic quiſpiàm violento turbine in vaſto æquore circumagi claſſem, caliginemq; denſam è nubibus A incumbere, quæ adeo rerum viſibilium obſcurat ſpecies, vt nulla ſit amicorum & hoſtium diſcretio: propterea, quòd ob confuſionem ſymbola militaria ſint ignota. Cogitet etiam mare intumeſcere, atquè ab imo ſubleuatum fluctibus ſidera ipſa concutere, rapido Aquilone è nubibus deorſum erumpente, & horribilem excitante procellam. Præterea, conſideret ventis vndequaq; ruentibus totam claſſem inter ſeſe cum fragore collidi, atq; in ipſo conflictu alios quiB dem veluti ſui proditores ad ipſam deſperationem transfugere, alios cogi vt pariter & ſcaphas impellant à ventis actas, & occurrant irrumpentibus, ſeſeq; mutuò præ ſeditione trucident: quam ſeditionem partim iam ad extremum prouecta inuidia, partim quæ ſingulis adeſt, vincendi cupiditas excitat. Deniq; circumſpiciat confuſum quendam & indiſcretum clamorem, per vniuerſum mare reſonantem, partim è ventorum ſtrepitu, partim è colliſione nauium, partim ex impetu a-

quarum feruentium, partim ex vociferatione præliantium, vt neq; naucleri, neq; gubernatoris vocem audire liceat, ſed prodigioſam quandam mixturam confuſionemq; incredibilium malorum, dùm ob omnem vitæ ſpem ereptam prorsùs non timent peccare. Ab hac tandem imagine ad ipſum iam Eccleſiæ Chriſtianæ typum tranſeat, & eius tempeſtatem omni procellâ maris atrociorem eſſe cognoſcet. Bellorum certè plena ſunt omnia, voluuntur vniuerſa atq; quaſſantur, & triſtis quædam ac mæſta caligo occupat Eccleſiam: dùm apud aduerſarios in Dei coniuratos Eccleſiam, vana gloria præfertur publicæ vtilitati, quibus præſens temporariaq; voluptas prior ac potior eſt, præmijs in poſterum repoſitis. Deniq; acerbus quidam clamor perpetuis tumultibus totam fermè Eccleſiam implet, per exceſſus ac defectus rectum pietatis dogma ſubuertentibus. Dùm alij ad Iudaiſmum, alij in diuerſas hæreſes abeunt, quos nec diuinitùs inſpirata ſcriptura conciliare poteſt, nec Apoſtolicæ traditiones, ſed vnicus omnibus amicitiæ finis eſt, ad gratiam loqui. Ac proinde principiũ tantæ confuſionis & Interregni in Chriſti Eccleſia, vobis oſtendam, tum quibus illa armis vti debet in pugnando declarabo.

Bellũ Iudaiſmus, & Gentiliſmus cum Chriſtianiſmo inſtaurat: & licet ambo inter ſe hoſtiliter diſſideant, vtriq; tamen Chriſtianitati infenſi eſſe volunt. planè quemadmodùm olim Ægyptij & Aſſyrij ſibi per omnia diſcordes, mutuis tamen odijs Iſraëlem perſequebantur: talis & nunc pugna, cõtra rectæ fidei confeſſionem ex concurſu hoſtium inter ſe diſſidentium excitatur. Fit non verbo tantum & fraude, ſed ferro & gladio fidelium perſecutio. Quod deplorat D. Greg. lib. 33. S. Greg. Moralium in cap. 29. Iob. *Quale illud perſecutionis tempus apparebit, quando ad peruertendam fidelium pietatem, alij verbis ſæuient, alij gladijs. Quis enim etiam infirmus iſtius Leuiathan dentes nõ deſpiceret, ſi non eos per circuitum poteſtatum ſæcularium terror muniret.* Et quidem A bellum hoc non ex alio fonte promanauit, niſi ex ignorantia Dei: hæc ſola cauſa eſt omnium peccatorum in mundo: ideo enim improbi perſequuntur bonos, ex rectis fiunt ſcelerati, ex Catholicis Hæretici, ex fidelibus perfidi quia Deum ignorant, quia diuinarum veritatem rerum cæco mentis inſpiciunt oculo, quam nonniſi perſpicaciſſima & aquilæ pupilla ſimilis contemplari poteſt. Nam quemadmodùm qui magnitudinem ſolis ſimulquè pulchritudinem & radiorum B ſymetriam, & lucis ſplendorem admiratur, quò diligentiùs intuetur, eò magis oculorum acie debilitatus abſcedit. ſic profectò qui altiſſima Deitatis arcana ſcrutari deſiderat, niſi humilitas in obſequium fidei voluntatem captiuet, ſimile quidpiam patietur. Nam & eruditæ ſapientum menti DEVS ſemper cognitu difficillimus erat: adeò, vt nec Angelorum linguæ, nec Archangelorum cum omni rationali natura congregatæ, vel minimam ſummæ & inC comprehenſæ diuinitatis partem ſatis congruè proſequi, nedum toti explicandæ pares eſſe poterant. Et certè tranſeat quiſpiam contemplatione acutâ cælorum pulchrè diſtinctas ordinationes, & terræ ornatus, ſupra æthera mentis oculos attollat, ſiderumquè curſus mirandamq; naturam prætereat, & quantos omnibus vſus præbeant, quomodoq; inter ſe iungantur ac diſtent, mirabili quadam ac perpetua ratione omnia mẽte ſublimior deſpiciat. Inſuper ſupra cælum aſcendat, D & animo pulcherrima quæ ibi adſunt ſpeculetur, cœleſtes exercitus, Angelorum Choros, Præſulatus Archangelorum, gloriam Dominationum, ſedes Thronorum, virtutes, Principatus, Poteſtates, ſingulaq; percurrendo creata. Mentem deniq; amore diuino incenſus, altiùs illis attollat, ac omnium conditricem naturam diuinam intueatur, ſtabilem, immobilem, nihil in ſe alienum retinentem, potentiam habentem ineffabilem, magnitudinem incircumſcriptam, pulchritudinem inenarrabilem, hic primum ſubti-

A ſubtilis hominum ſpeculatio deficiet, quia inacceſſa lux deitatis oculis mortalium ferri nequit. Quid igitur? ergone iam in tanta Dei cognoſcendi obſcuritate, Deum ignorare debemus? abſit hoc à cordibus fidelium: væ enim illis quibus dictum eſt Pſal. 81. *Neſcierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant.* Etenim & incomprehenſum intellectu humano Deum, pijs & ei dicatis animabus facilè manifeſtabit Spiritus ſanctus, qui omnibus abundè ſuam largitur gratiam. Hic ſolus omnes ad cognitionem Dei illuminat. Prophetas inſpirat, legiſlatores ſapientes reddit, ſacerdotes ſacris inſtituit, regibus fortitudinem addit, perficit iuſtos, ornat modeſtos, gratiam ſanitatum operatur, mortuos viuificat, ſoluit compeditos, degeneres in filios per generationem ſupernam adoptat. Si telonarium deprehendat credentem Euangeliſtam conſtituit: ſi piſcatorem inueniat, Theologum reddit: ſi perſecutorem pœnitentem, gentium Apoſtolum, præconem fidei, vas electionis declarat. Sed ceſſauit iam in mundo inſpirante hoc diuino Fauonio inuincibilis DEI ignorantia, nec vllus reperitur, qui ſaltem confuſam Dei non habeat notitiam. Verùm grauior multò mentes hominum inuaſit cæcitas, irrepſitq; iàm craſſa & affectata ignorantia, ex ſumma malitia, ex pertinacia ortum trahens: dum quiſq; ſibi interpres eſſe vult, nec ad mentem Eccleſiæ & Doctorum ſanctorum, ſed ad ſuæ libidinis ſatietatem diuina vult trahere verba, apud quos cùm tantopere diuina authoritas vileſcat, vt virtus & pietas in contemptum veniant; hinc perpetuum in Chriſti Eccleſia agitur bellum, ſummaq; perſecutio. Sæuit Gentiliſmus poſt Chriſti aſcenſionem, quia Regem à Dei Eccleſia abeſſe putat, iamq; in cædem Chriſtianorum inaudita excogitat, innocentum membra plagis horrendis vulneribuſq; ſauciat, deprædatur patriam, incendit vicos, fructum diripit, & Deum, quem in ſua excæcatus ſuperbia non agnoſcit, plurimos abnegare iubet. Magna certè crudelitas, ſumma barbaries, inaudita immanitas. Inſurgit Iudaiſmus, Chriſtum non agnoſcens, iamq; vt pietatem Chriſtianam penitùs auferat, ſeſe Heroum aulis inſinuat, potentes ſuis ferre rationibus in ſui ſocietatem trahit, mercaturas omnes exercet, Chriſtianum ſanguinem, ſibi cum villis & oppidis locatum ebibit, & regna Catholiciſſima in ſummam redigit paupertatem, vt inopum manus, vix iam in ſui ſuſtentationem quotidianis laboribus ſibi

Pſal. 81.

B ſufficiant. Iudaiſmus ſanè totam iam occupauit Poloniam, vt pauci ſint, qui Chriſtum & eius leges agnoſcant; ſed auaritiam magis, quàm æquitatem, & nummos potiùs, quàm Deum venerentur. Sed quid excæcatum incuſo Iudaiſmum, & deſtitutum fidei lumine gentiliſmum? cùm & in gremio regni noſtri his vtriſq; maiores reperiantur hoſtes, in varias hæreſum formas abeuntes: à quibus ſemper maiora & grauiora patitur Chriſtianitas; quàm ab ipſo Gentiliſmo. Cùm hoſtes iſti,

C cùm ſint occulti, caueri difficilè poſſint. Fidem enim non ſub nomine perfidiæ, vt olim Paganiſmus; ſed ſub fidei vocabulo impugnant. vt inquit Ambroſius in Comment. ad Tit. 3. *Per verba legis legem impugnant, & fidem ſine fide prætendunt.* Et D. Hilar. in lib. ad Conſtan. de ijſdem inquit. *Amicos ſe oſtendunt, & hoſtes ſunt: ſocios ſe dicunt, & capitale bellum gerunt: ſponſæ voces vſurpant, & Meretrices ſunt: Chriſtũ loquuntur, Euangeliũ ſonant, verbum Dei crepant, ſed lupi ſunt in veſtitu*

S. Ambr.

S. Hilar.

D *ouium.* Ideoquè peior eſt Hæreticus gentili, magis nocens infidelis pagano, quia cùm Scripturam ſacram cognoſcat eius tamen auſteritatem ferre recuſcans, leges diuinas ſibi ad impudenter viuendum laxat. Quod ſapienter edixit Auguſti in Pſal, 39. ſcribens: *Perſecutor paganus aperte ſæuit vt Leo, Hæreticus inſidiatur vt Draco: ille cogit negare Chriſtum, iſte docet: ille infert violentias, iſte inſidias: aduersùs illum opus eſt patientiâ, aduersùs hunc ſummâ vigilantiâ.* Nec immeritò S Auguſtinus Hæreticum Draconem vocat,

S. Auguſt.

fert

Draco 7. capitum dùm hominem mordet, corp⁹ ei⁹ in mille partes diſrumpitur.

A fert enim Plinius in Africa reperiri Draconem ſeptem capitum, adeo immanem & veneficum, vt ſi aliquem mordeat, totum eius ſanguinem adeo commouet, vt per mille partes corpus diſrumpatur. Conſiderate an non hæreſis ſit hæc tremenda beſtia ſeptem capitum.

Inuidia 7. capita habet.

Primum illius caput eſt Inuidia, per quam in mundo omne malum regnare cæpit, Hæc enim origo homicidij: nam quid cauſæ? quòd Cain Abelem fratrem ſuum innocentem occiderit: an quia prodigium conſpexit, cùm ignis è cælo in eius victimam deſcenderet? Minime: An vt ipſe ſolus paternæ hæreditati ſuccederet? neq; hoc: ſed quòd videret? quòd oblatio ſua non eſſet accepta Deo, Abelis verò gratiſſima ecce: inuidia. Quam exaggerat D. Ioan. 1. Ioan. 3. *Cain* inquit, *occidit Abel, quia opera eius erant maligna, fratris autem eius iuſta.* Quid hominem è paradiſi felicitate eiecit? certè inuidia: per quam mors oppreſſit omnem hominem, Sapientiæ 2. *Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum.* Quid excitauit Schiſmata? Inuidia: quæ cùm ſit contraria charitati, vnitatem cum publico Chriſti Eccleſiæ paſtore, habere noluit. agnouit certè ſapiens incurabile virus inuidiæ, dicens: Prouerb. 23. *Ne comedas cum homine inuido, & ne conſideres cibos eius, quoniam in ſimilitudinem arioli æſtimat, comede & bibe dicet tibi, & mens eius non eſt tecum.* Sed iam hoc venenoſi Draconis, Hæreſeos caput, inuidia, multorum Chriſtianorum corda occupauit, cùm tamen mortalium animis nihil pernicioſiùs contingat. Nam ſicut viperæ abrupto matris ventre naſcuntur; ſic inuidia concipientem ſe ánimam corrodit. Et quid eſt aliud inuidia, niſi dolor de proximi proſperitate, ac felici rerum ſucceſſu conceptus? Paucine ſunt eiuſmodi etiam inter Chriſtianos, quorum oculi ſecundis proximi ſucceſſib⁹ rumpuntur. Abundat proximi ager, domus bònis omnibus repletvr, ex voto deniq; eueniunt omnia, in roſa & viola viuenti. Cuncta hæc triſtitiæ doloriſq; occaſionẽ inuido præbent. Fortis eſt aliquis, alius formâ elegans, alius eloquentiâ, alius animi prudentiâ clarus, alius in diuitijs liberalis facultates pauperibus diſtribuit, laudem ex hominibus in ijs quibus benignè facit, maximam refert: hæc omnia maligni feriunt animum. cumq; moliri nihil audeat, aut poſſit, ſimulat gaudium, & ſecum tacitè rumpitur: coram hilaritatem præfert, intus verò ab inuidiæ malo perditur: aliter ſuo morbo mederi non poteſt, niſi cui inuidet,

1. Ioan. 3.

Sapien. 2.

Prou. 23.

B ruentem fortè aſpiciat. Hic tandem finis odij, dùm miſerum ex beato, infelicem ex æmulo videt. Tunc demùm fædus cum eo iungit, amicus efficitur, quando lachrymantem viderit, aut ſuos querentem caſus, libentiuſquè lugentem miſeratur & plorat; quàm gaudenti collætetur aut applaudat. Quid igitur faciendum, vt hanc animi peſtem ex animis noſtris extirpemus? certè non aliud, quàm vt nihil in rebus humanis magnum, aut ſupra naturam exiſtimemus: non poten-

C tiam, non gloriam, non opes, non corporis habitudinẽ proſperam: quia non in rebus fluxis bonum nobis conſtituendum eſt, cum ad ſupernorum & verorum bonorum participationẽ vocati ſimus.

Secundùm caput huius venenoſæ belluæ, ſcilicet Hæreſeos Deum ignorantis, eſt Auaritia, quæ hominem à regno cælorum excludit, vt docet Apoſtolus Epheſ. 5. inquiens: *Hoc enim ſcitate, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idololatria,*

Ephes. 5.

D *non habet hæreditatem in regno Dei & Chriſti.* Et quid cauſæ eſt, cur auaritiam vocat Apoſtolus Idololatriam? hæc certè: Quia quemadmodùm Idololatria Dei honorificentiam vſurpat, & eandem vendicat creaturæ, cùm in nomine diuinitatis, quod ſoli conditori competit, participem illi aſſerit eius facturam; ita huic exæquata eſt auaritia, quæ ſimiliter ea quæ Dei ſunt, ſibi vſurpat, & recondit aurum, vt quæ vſibus omnium communiter Deus conceſſit, id auaritia deneget, omnia congregans apud ſe; ne alij ijs vtan-

tur,

tur, ac proinde verè comparatur idolatriæ. quia multos lædit, & creatori inimica eſt: dum Deus vult ac iubet de ijs quæ creauit ſubueniri pauperibus; auaritia verò contradicit. S. Auguſt. Hinc D. Auguſt. dicit: *Inſatiabilis eſt Auaritia, patri non parcit; nec Matrem cognoſcit, fratri non obtemperat, amico fidem non ſeruat, inuadit bona viduæ, & rapit rem pupilli, teſtimonium falſum profert, occupat res mortui, quaſi non eſſet ipſe moriens, deterior feris, quæ parcunt, quando fuerint ſaturatæ.* Ecquis non agnoſcet auaritiam eſſe caput Draco- B nis illius, maledictæ hæreſeos? ſiquidem in illa omnes mundi peccatorum turpitudines inueniuntur. Nam inprimis auaritia eſt illicita animæ proditio: ſiquidem deficit ab æquitate Dei, & animam ſuam hoſti, vt eius fiduciarius cliens conſtituatur, tradit. Eſt Apoſtaſia ſpiritualis: ſiquidem homo per auaritiam deſerit Deum, & tranſit ad inimicum eius diabolum. Eſt ſpirituale adulterium: quia per auaritiam anima Deo deſponſata fidem violat, & cum creaturis fornicatur, C quas inordinato amore diligit. Eſt ſpirituale furtum, quia cùm homo Deo omnibus modis ſit obſtrictus, & debitor, per auaritiam ſubtrahit ſe diuino cultui, & ſeruit creaturis: quod Dei eſt furatur, & dat alteri. Non fuit peſſimum hoc vitium apud antiquos, idcircò nulla etiam rerum caritas erat: ſed nunc quod dolendum eſt, tranſtulit ſe etiam in corda Chriſtianorum, & rerum nimis pretia ſubleuauit, ne pauperes viuant, cùm eorum tenuitas emendo non ſit. Nec D mirum: quia poſt Chriſti aſcenſionem Interregnum putat eſſe in Chriſti Eccleſia, proinde non vult iuſtas rerum taxationes moderari. Non hoc ſuadet Chriſtianis Apoſtolus Ephes. 5. Ephes. 5. *Auaritia* inquit *nec nominetur in cordibus veſtris.* Et certè turpe eſt Dei ſeruum, auaritiæ cupiditatibus abripi: nam quid hæc omnia adeò cupide & ſollicitè congregata proderunt homini? dicit enim Iſidorus lib. 2. cap. 41. S. Iſidor. *Inopes naſcimur in hanc publicam mundi lucem, inopes quoq; receſſuri ſumus de*

A *hac vita*: Si proinde bona mundi huius peritura credimus, cur peritura tanto amore cupimus? ſuccendatur proinde hæc criminum radix, & non pullulabunt cæteræ ſoboles peccatorum, eradicetur inuidia, & auferetur à nobis ſæuiens ira Dei.

Tertium, caput Hæreſeos Deum ignorantis, eſt Luxuria: quæ ſacrilegum Lutherum ad impugnandam veram Chriſti præſentiam in Sacratiſſimo Sacramento incitauit, hæc blaſphemum Arrium ad negandam vnigeni- B to cum Patre æqualitatè impulit: hæc ſpurciſſimum Eunomium ſtimulauit, vt Spiritum ſanctum creaturam eſſe diceret. Nec mirum certè eſt: quòd luxuria tot errores in orbe diſſeminauerit? quia multiplici vitiorum comitatu armata eſt, vt dicit D. Bernardus: Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum, ingluuio ventris libidine coitus molitiæ, veſtium, oris ſoporiſquè reſolutione. Trahitur equis duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantiâ, præſides eius ſunt igna- C uia, torpor; & infida ſecuritas. Ecce quàm periculoſum in Eccleſia Chriſti facit Interregnum ignara Dei luxuria? omnem ætatem corrumpit, omnem ſenſum confundit, omnem ordinem ſoluit, omnem gradum peruertit, inuadit Iuuenes, occupat ſenes, inuoluit mares, & fæminas ſuperat, prudentes æquè ac ſimplices in conſortium ſui trahit, ſericum non timet, cilicium non curat, laſciuit in plumis, infeſtat in paleis, & nulli vnquam præſtat requiem. Quid inuictum ar- D mis Annibalem ſuperauit? Luxuria ſuis eum illecebris amplexa vincendum Romano militi dedit, dùm adeò vigilantiſſimum ducem, dapibus largis, abundanti vino & vnguentorum fragrantiâ ad ſomnium & delicias euocauit. Certè ſi quod aliud, hoc maximè in hac vrbe viget hucuſq; vitium. Locauit impudenter in omnibus plateis ſua tentoria luxuriæ exceſſus, Fæminæ laſciuæ Dei timoris oblitæ, ignis æterni minas nihil pendentes; abiecto ſeruitutis Chriſti iugo, capita honeſtis operta velaminibus impudice rete-

cè retegentes, Deum & eius Angelos A deſpicientes, ad marium aſpectus impudicè diffuſæ comas, tunicarum luxum oſtentantes, pedib⁹ ſuperbè gradientes, ac oculo inſoleſcenti, riſu laſciuo, ad ſaltationem inſanientes, iuuentutis intemperantiam in ſe prouocantes, & feſtos dies profanant, & honeſtiſſima etiam loca omnium probrorum officinas reddunt. aërem meretricijs cantibus, terram verò venereis actibus contaminant. Et cur hæc in ipſa regni totius ſede tolerantur? cauſa eſt in promptu: Quia ignoran- B tia Dei Interregnum excitauit: proinde non eſt, qui inuigilet. Sed deterge tandem aliquando oculos miſera luxuriantium cæcitas, & ſaltem illius diei recordare, in qua & cæli aperientur, & Iudex ſeuerus in nube deſcendens apparebit, & tuba Archangeli horrenda, & reſurrectio mortuorum, & iuſtum iudicium, & cuiuſq; retributio digna pro ijs, quæ geſſit.

Quartum venenoſi Draconis hæreſeos caput, eſt ſuperbia: quæ adeò deteſtabilis eſt, vt Deus ipſe contra illam C Iacobi 4. bellum gerat: Iacobi 4. *Deus ſuperbis reſiſtit.* Quid hoc venenoſum ſerpentis caput in animis hominum non efficit? propter ſuperbiam homo dùm temporanea appeteret, æterna perdidit. Debebat enim in gloria apud Deum perpetuò manere, & ſublimitatem habuiſſet non fictam; ſed veram: ſiquidem fuiſſet potentiâ Dei ſublimis, ſapientiâ diuina præclarus, æterna vita illiuſq; bonis ſeſe oblectans, & alacris, & ecce vt primum vanæ elationis tumor diuinæ gloriæ deſideri- D um mutauit in homine, mortales omnes è ſupremo perpetuæ felicitatis gradu detruſit. Hæc etiam in proprij ſanguinis contemptum inordinatè inclinat: Val. Max. teſtatur enim Valer. Max: libro 9. cap. 5. de Alexandro, quòd ille faſtidio Philippi ſubreptus, Iouem Hammonem patrem ſibi adſciuerit; tædio morum & cultus Macædonici, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit: ſpreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus eſt, nec fuit illi pudori filium ciuem, hominem diſſimulare.

A Paucine reperiuntur, & nunc inter Catholicos, qui hoc draconis caput induant, & Deum ignorantem gentiliſmum in Alexandro imitantur. Non vnus certè faſtidio Dei, tenebrabrum Principem, ſibi aſſociare vult. Non vnus Chriſtianæ pietatis pertæſus, habitum impudicè viuendi aſſumit. Non vnus ſpreta humilitatis perfectione, ipſi Deo æquari, & paria cum illo ſentire vult. Sed quid teipſum extollis miſer homo, cum tibi nihil relictum ſit, de quo meritò gloriari poſſis: ſed omnis B tua gloriatio, & ſpes, in ſolo Deo ſita eſt, vt omnia tua mortifices, & futuram in Chriſto vitam quæras: cuius quicquid nunc habes, donum eſt. Graue proinde nocumentum affert ſuperbia, quæ in ipſo ſtatim exordio, aut mentem hominis proſternit, aut nouiſſimè de virtutibus deijcit, cum ſit ruina omnium virtutum.

Quintum caput venenoſi draconis Hæreſeos ſcilicet, eſt Acedia: quæ ſicut acetum dentibus, & fumus oculis nocet; ſic illa animæ fideli; dum te- C pidè, heſitanter, iniucundè & infructuosè officium ſibi a Deo commiſſum peragit. cur autem homines in ijs rebus quæ Deum concernunt, negligentius ſe gerant: cauſa eſt, quia non rapiuntur ſpe præmij a Deo ſibi parati, ideoquè homo acedia obrutus, ſemper in perpetua egeſtate erit, Prouerb. 21. *Ignis aſperſus flammeſcit, piger verò licet modis diuerſis admoneatur incitetur, ſtimuletur non facilè tamen accenditur.* Et Prouerb. 29. *ſicut oſtium vertitur in cardine, ita piger in lectulo* D *ſuo.* atq; hoc grauiſſimum vitium non poteſt ſuperari, niſi riſiſtendo vehementer, & per piam ac ſalubrem cogitationem, tollendo incentiuum peccati; nam quantò magis cogitamus de bonis ſpiritualibus, tantò magis nobis placentia redduntur, ex quo ceſſat acedia. Mirabile eſt, quòd cum cætera mortalia peccata fugiendo ſuperentur, vt docet S. Th. 2. 2. quæſt. 35. art. 1. ad 4. ſola acedia vinci non poteſt, niſi reſiſtendo: non alia puto de cauſa, niſi quia acedia eſt veluti potentiſſimus quidam hoſtis, quem ſi fugias,

Prou. 21

Ibidē 29.

Acedia 9. bellatorib⁹ armatu.

fugias, facilè peribis : ſi reſiſtas, citiùs vinces : ſic acedia armata eſt ſex bellatoribus, vt docet D. Gregorius 31. Moral. ſcilicet malitiâ, rancore, puſillanimitate, deſperatione, torpore circa præcepta, euagatione mentis circa illicita : ideoquè vt quis euitet acediam, his omnibus ſtrenuè reſiſtendum eſt : nam dicit Propheta
Ierem. 41. Ierem. 41. *Maledictus qui opus Dei facit negligenter.*

Sextum huius venenoſi Draconis qui nobis Dei notitiam adimit, caput eſt ira : Vbi enim mens ſuccenditur furore, ibi Dei obliuio augetur : vbi creſcit iracundia, ibi proximi amor è corde eradicatur. Hinc dicitur Eccleſia-
Eccles. 28. ſtici 28. *Memorare timoris Domini, & non iraſcaris proximo.* Nam ira ſeparat nos à cælo, charitas vero coniungit Deo ? ira ſæuam & perturbatam parit conſcientiam, dilectio iucundam & amænam viam in patriam dirigit. Pulchrè hoc figurabat antiquitas, hominem iratum delineans ſub pedibus radios ſolis habentem, & lucem calcantem. Per quod ſignificare voluit, nihil eſſe quod non audeat iratus : nam nec Deum, nec iuſtitiam, nec pænam, nec honorem quidquam expaueſcit. Sed omnia calcat, & lucem pariter ac tenebras commiſcet. vnde D. Gregorius lib. 6. Moral. iracundum hominem in hunc modum deſcribit : *Iræ tuæ ſtimulis cor accenſum palpitat, corpus tremit, lingua ſe impedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti : ore quidem clamorem format, ſed intus quid loquatur ignorat.* ſed vos Catholici, ne vos incendium furoris occupet, doctrinam Apoſt. ad
Coloſſ. 3. Coloſſ. 3. ſequimini, vbi ait : *deponitè iram, indignationem, malitiam, & blaſphemiam.*

Vltimum tandem venenoſi ſerpentis, ſcilicet Hæreſeos caput eſt, Gula : quæ ſummè Deo abominabilis eſt, cùm nihil pernicioſius eſſe poſſit, quàm vt animus ſeruiat eſcæ & ventri ; cum vitam mortalium Deus limitibus abſtinentiæ & temperantiæ circumſcripſerit, legem ponens
Deut. 6. Deut. 6. *Cùm comederis & ſaturatus fueris, caue diligenter, ne obliuiſcaris Domini Dei tui.* Et certè miſerum Chriſtianorum oculis ſpectaculum, dum vir ætate florens, corpore robuſtus, obeundis in exercitu laboribus aptus, aliorum ſubſidio domum reportatur : nec erigere ſeipſum valens, nec proprijs incedere pedibus. Et qui terrori hoſtibus fuerat, ridiculus in foro pueris videtur, occaſionemquè vt ab omnibus contemnatur præbet. ſinè ferro vulneratus, ſine hoſtibus enectus. Gula proinde rationis interitus, fortitudinis pernicies, ſenectus immatura, mors momentanea.
Gulæ effectus.
Magnum profectò in animis hominum interregnum excitat gula, & quaſi gentium idola efficit, dùm oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt. Et quis hæc machinatur ? Quis tantorum cauſa malorum : quis inſaniæ huius pharmacum nobis propinauit. Tu ipſe ô homo hoc prælium commiſiſti : dùm pulcherrimam iuuentutem ; ætatis florem nimio vino abſumis. Irrepſit iam in noſtram Poloniam hoc incurabile venenum, vbi cum putantur iam eſſe benè poti, tunc primum bibere incipiunt ; potantq; pecudum more, vt ex fonte perenni, aquas ſcaturigentes, accumbentibus adminiſtrante : nouumq; genus menſuræ aſſumunt, vt per poculorum æqualitatem inter eos nulla ſit inuidia, ne alius alium bibendo circumueniat, aut defraudet. Non decet hæc Draconis inſatiabilis gula hominem Chriſtianum, cui inclamat Propheta : *Væ ſurgentibus mane, & ſicerā potantibus, & in vino perdurantibus vſq; ad veſperam, & diem in ebrietate conſumentibus, & nullū tempus adconſiderandam Dei ſapientiam & opera manuum eius dignoſcenda interponentibus.* hac de cauſa permittit Deus calamitates, bella, & terræ ſterilitates : quia plus eſcis carnalibus incumbimus, quàm diuino obſequio : plus guloſis compotationibus, quam Dei honori, quia videt nos in pace in omnia declinare vitia : idcirco per acerbas oppreſſiones vult virtutem in nobis probare, vt tandem aliquando de via iniquitatis ad illum redeamus. Quod

S. Cypr. pulchrè elucidat Cyprianus ſerm. 5. de lapſis. *Dominus* inquit *probari ſuam familiam voluit, & quia traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem & penè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit, ſtudebant augendo patrimonio ſinguli, non in ſacerdotibus religio deuota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in manibus diſciplina.* Quod comprobar D. Auguſt. de doctrina fidei. Epiſt. 105. *Hæreticorum* inquit *impietudine vt ſcripturas vigilantius perſcrutemur, vnde ne ouili Chriſti noceant, illis poſſit occurri ; tanquàm de ſomno ignauiæ noſtra excitatur ignauia.* Ecce igitur habetis Interregnum, quod & gentilium fortitudinem in vos excitat, & Iudæorum cæcitate vos circumuenire vult, & Hæreticorum deprauationibus arrumpere ſatagit. Quid igitur in tanta confuſione, & rerum omnium diſcrimine faciendum eſt vobis ? non aliud certè, niſi nouum Regem Spiritum ſanctum à Chriſto vobis mitti poſtuletis, hic enim & Paganiſmum ignorantem Deum, & Iudaiſmum perſonam Chriſti non agnoſcentem, & Arrianiſmum, atq; blaſphemas hæreſes, Spiritui ſancto Deitatem non attribuentes conteret, voſq; omnes quos poſt ſuam aſcenſionem permiſit affligi Chriſtus, ſi draconem illum venenoſum, hæreſim ſcilicet, & omnem infidelitatem atq; illius ſeptem capita, Inuidiam, Auaritiam, Luxuriam, Superbiam, Acediam, Iram, & Gulam fugeritis ; iterùm ſolabitur, & in optata pace ac tranquillitate, conſeruabit.

EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem nequè me.

Ioannis 16.

Deus tum per viam negationis, tum per viam affirmationis cognoſcitur, quem homines malè operando ignorant.

QVæſtio celebris agitatur inter Politicos, quidnam homini mortalem hanc vitam agenti maximè ſit neceſſarium ? Diuitias aliqui opinantur, quia dùm homo omnibus abundat, & nihil ſibi deficere ſentit, diuinā quandam felicitatē præſeferre videtur, cui ſoli proprium eſt, ſuperabundare in omnibus, & nullius vnquam rei egentem eſſe. Vnde opes ab omnibus amantur, potiſſimùm verò à paupere, iuxta illud Exodi 23. n. 6. *Non declinabis in iudicium pauperis,* in Hebræo autem legitur. *In iudicium cupidi.* Quia vt notat Oleaſter, *qui omnibus caret, omnia concupiſcit,* proinde venia dignus eſt.
Exodi 23.
Oleaſter.
Verùm opes non eſſe homini vſquequaq; neceſſarias, quia hominem non beatum, ſed miſerum faciunt, conſtat ex facto Regis Nidæ, cui opes poſtulanti, cum dij libenter annuerent, vt omnia quæcunq; attigiſſet in aurum verteretur, tandem in ſumma illa auri copia, cum omnia alimenta in aurum mutata ſuſtentationi deeſſent, iterum poſtulare compulus, vt ab illis opibus liberaretur, panem auro vtiliorem eſſe agnoſcens, ſine quo etiam opulentiſſimus viuere nequit. Tum quoq; Deus ipſe euidenter oſtendit diuitias non eſſe bonas, præcipiens illas à Iudicibus & Reipub. adminiſtratoribus odio haberi. Exodi 18. n. 21. *Prouide* inquit *de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt auaritiam.* quia vt egregiè docet Caietanus. *Quamuis ſufficiat homini non eſſe auarum, non ſufficit tamen Principi aut Iudici, ſed oportet tàm alienum eſſe ab auaritia, vt oderit ipſam.* Si autem diuitiæ eſſent homini neceſſariæ, nequaquam Principibus aut Iudicibus à Deo prohiberi poſſent.
Exodi 18.
Caietan.
Alij ergo putant delicias terrenas homini ſummè neceſſarias eſſe, quaſi tota hominis vita ſit temporanea, vt hic tantùm benè haberè cupiant, & in futura vita nullam ſpectent iucunditatem. Sed iſti minimè æternitatem animæ ſuæ perpendunt, nec diuina conſilia audiunt, quæ culpant profanas delicias, primùm ex eo, quia magna ex parte venenatæ ſunt, vt docet Propheta Pſal. 140. n. 5. *Oleum* inquit *peccatoris non impinguet caput meum.* ſeu vt legitur in Hebræo, *Oleum veneni non frangat.*
Pſal. 140.

frangat caput meum. In quibus verbis execratur delicias profanas, quia debilitant animos iuſtorum, & quaſi venena propinata interficiunt, molles reddunt homines & eneruatos, vt docet D. Chryſoſt. tom. 5. homil. quòd nemo læditur niſi à ſemetipſo : *Qui* inquit *in delicijs & in luxuria vitam ducunt, reſoluta quidem corpora & omni cerâ molliora circumferunt, atq; agmine quodam infirmitatum repleta, & ex eis vita ſemper, ſed medicis & medicamentis, ſenſus autem ipſi tardi, graues, obtuſi, & quodam modo iam ſepulti.* Nonnulli honores homini neceſſarios eſſe autumant, quaſi hæc ſit maxima beatitudo, dùm omnes hominem venerantur. Cæterùm ſcopum tetigit Ariſtoteles, qui hoc ſingulare homini neceſſarium eſſe iudicauit, ſcilicet cognitionem ſummi & perfectiſſimi boni, Dei ipſius præpotentis ; nam ignorantia de Deo omnium malorum eſt incitamentum, cognitio autem ſupremi numinis, eſt progreſſus ad veram felicitatem, & interminatæ beatitudinis augmentum. Hoc Deus in prima hominis creatione exprimere voluit, quando hominem formauit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quæ ſimilitudo nõ in corpore conſiſtit, quia Deus corporis expers eſt : Non in Anima præcisè, quia Deus ſpiritus puriſſimus, anima autem ipſis etiã Angelis inferior : ſed in rationalitate hominis, dùm homo Deum ſpeculatur & cognoſcit, tunc enim intentionaliter fit Deo ſimilis, quia illum in ſuo intellectu efficit, iuxta illud Philoſophi: *Intelligens fit ipſum intelligibile.* Conſideremus ergo num & nos cognoſcamus Deum, num certè ignoremus.

S. Chryſ.

Similitudo hominis ad Deum in quo cõſtat.

Deum pro modulo creati intellectus cognoſcendi, duplicem nobis viam demonſtrauit Antiquiſſimus ille Philoſophorum Dionyſius Areopagita de Angel. Hier. & S. Thomas 1. parte quæſt. 3. primo viam negationis, vt ſcilicet ſi Deum volumus agnoſcere, priùs quid diuinæ naturæ non conueniat, contemplemur. ſicq; creaturas aufugiendo, ad diuinam perueniamus notititiam. Nam vbi ſagaciſſimo mentis intuitu trutinaueris, Deum non eſſe cælum, non Solem, non Lunam, non Angelum, non Seraphim, aut Cherubim, neque quidpiam aliud creatum, optimè inferes Deum eſſe aliud præſtantiſſimum bonum, hæc omnia longè tranſcendens. Hunc certè modum naturæ diuinæ contemplandæ optimum eſſe, ipſe Deus approbauit Exodi 24. vbi cum Moyſes Deum allocuturus montem aſcendiſſet, Dominus nebula verticem montis cooperuit, in cuius caliginem Moyſes ingreſſus eſt, vt melius Dei voluntatem agnoſceret. Quem modum in diuiniſſimi entis contemplatione ſeruauit quoq; Elias, qui Deo ante ipſum tranſeunte, vt eum agnoſcere poſſet, pallij ſui velamine proprios oculos cooperuit. Et quid obſecro cauſæ ? quòd & Moyſes & Elias a creaturarum intuitione ſeſe ſubtraxerint ? vt Deum meliùs contemplarentur. Quid inquam cauſæ, quòd Moyſes nebulæ, Elias pallij velamine oculos ſuos ad Deum accedendo operuerit ? niſi vt oſtenderent perſpicaciores multo eſſe oculos, ad Dei cognitionem, dùm à creaturarum intuitu remouentur, teſte S. Dionyſio : *Ad hanc* inquit *lucidam caliginem accedentes oramus, vbi & non videre, & non ſcire; eſt Deum qui eſt ſuper omnia, ex omnium ablatione celebrare.* Nam quemadmodùm Sapiens ſtatuarius, volens pulchram imaginem ex lignea materia affabrè facere, non eam conficit aliquid ei addens, ſed potiùs amplius & amplius ab ea detrahens, quo fit, vt aliquid ſemper ab illa demendo pulchram faciem congruamq; membrorum compaginem cõfingat. ita planè ſimili artificij genere vtens S. Dionyſius Areopagita, volens perfectam Dei idæam mente ſuâ conficere, non aliquid ei addiderat, quia nihil in creaturis quod imperfectione careret, reperiebat : cùm omnes ex potentia & actu, ex genere & differentia compoſitas varijſq; mutationibus obnoxias intueretur. vnde non aliter Dei idæam ſibi effingebat ; quàm omnes creaturarum perfectiones longè ab eo propulſans ac remouens, & hoc eſt vt ipſe dixit : *Deum qui eſt ſuper omnia, ex omnium ablatione celebrare.* Aberrauit ab hac diuinæ naturæ cognitione antiquitas miſera, gentilitatis caligine obcæcata, quia, non aufugiebat creaturas, ſed diuinum illis attribuebat cultum : pietatem cum blaſphemia, Religionem cum idololatria, virtutem cum vitio, ſanctitatem cum maledictione confundens, dùm Solem pro Numine, Lunam pro Deorum genitrice, ſtellas pro Angelis, mortalem pro æterno, dæmonem pro Deo adoraret. Proinde ignorabat miſera mundi conditorem, cùm in pluralitate Numinum, vnum & verum aſſequi non poſſet Deum. Verùm neq; Chriſtiana multitudo ab hoc turpiſſimo lapſu vſquequaq; immunis eſt. Et in hoc enim ſacro cætu plurimi ſunt, qui Deum viâ negationis cognoſcere volunt, nam Deum per viam negationis cognoſcere, eſt auertere ſe à creatura, & ad ſolum Deum totam dirigere mentem. In pietate verò Catholica tranſuerſum ordinem conſpicio, vt plures ſe à creatore auertant, ad creaturas autem conuertantur, Equidem indubitatum axioma apud Theologos, hominem tamdiu peccare non poſſe, quamdiu corde ſuo Deo vnitus eſt. Sed vbi à Deo diuiſus ad creaturam animum applicat, infallibiliter errat & delinquit, cùm teſte Auguſtino peccatum nihil ſit aliud, quàm auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam : quoniam tunc homo plus appretiat modicam voluptatem & exiguam pulchritudinem creaturæ ; quàm immenſam DEI bonitatem. Propter quam prauam & diſordinatam diuinæ bonitatis conſiderationem, ſtultitiæ vocabulo peccator venit apud Deum. Deut. 32. n. 6. *Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens.* quaſi diceret ſacer textus : quare ita temerè miſer homo in diuinæ naturæ contemplatione procedis ? vt prius te ad creaturam conferas, cuius deprauatione faſcinatus; Deum quem priùs cognoſcere debueras, ignoras : & peccaminosè operando ita ſtulteſcis, vt bruteſcere etiam videaris, iuxta Regis & prophetæ Dei oraculum Pſ. 48. num. 13. *Homo* inquit *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* quæ verba conſiderans D. Bernard. ſerm de primordijs, medijs, & nouiſſimis noſtris, in hunc modum peccatorem alloquitur : *Erubeſce* inquit, *quòd pro conſortio Angelorum, conſortium ſortitus es peccatorum : non modo in neceſſitatibus corporis, ſed etiam in affectibus cordis. Cùm iumentis partiris partem terræ, qui panem Angelicum faſtidiſti. In corpore manet humanæ animæ ſimilitudo, in anima verò beſtiali ſimiltudine mutata eſt ſimilitudo Dei. Annon confunderis ? ſurſum caput habere, qui ſurſum cor non habes, corpore rectus ſtare, qui corde repis in terra.* Vbi manifeſtè demonſtrat D. Bernard. hominem ſuo peccato efficere, vt forma humana deformitatem induat belluinam. Vt proinde quemadmodùm de bellua rectè aſſeritur, quòd illa non cognoſcat ſuum conditorem, vt pote rationis expers ; ita de peccatore meritò cocludi poſſit, quòd ille non cognoſcat ; ſed potius ignoret Deum ſuum, vanitati creaturæ immerſus & excæcatus. Agnouit ſummum iſtud ignorantiæ de Deo detrimentum ex peccato in hominem dimanare, dilectus Deo Rex Dauid, qui inter alia beneficia, quæ à diuina miſericordia ſperabat, illud ſingulariter petijt, vt de laqueo venantium liberaretur Pſal. 90. n. 3. *Ipſe* inquit, *liberabit me de laqueo venantium.* quaſi diceret : Dominus ab excelſis dexteram porrigens præſeruauit me à larua peccati, ne propter iniquitatem commiſſam in belluam degenerem. Nam ſicut laquei non hominibus, ſed belluis præparantur, ita æternæ damnationis laqueus ſoli tantùm peccatori, qui nihilo tunc differt à bellua præparatus eſt. de quo S. Dauid eripi poſtulat. Miratur Diuus Beruard. hanc ſtupendam metamorphoſim, quomodò peccatum in belluinam formam hominem tranſmutare valeat, ſerm. 3. in Pſal. 90. diſcurſum hunc promouens. *Ergone* inquit

S. Dionyſ. S. Thom.

S. Dionyſ.

Deut. 23.

Pſal. 48.

S. Bernar.

Pſal. 90.

S. Bernar.

inquit *beſtiæ ſumus nos? Beſtiæ prorsùs: Quia homo cum in honore eſſet, & non intellexit, cōparatus eſt iumentis inſipientibus, beſtiæ profectò ſunt homines.* Quid ſuperbis ô homo, quid te ſciolum iactas! vide quia beſtia factus es, cui venandæ laquei præparantur. Non potuit iam Catholici miſerabilior ſors & conditio in Chriſtianitatem cadere, quam vt homines in hoc ſacro cætu viuentes, in beſtias abeant, & periculis pateant beſtiarum. Et tamen pauci ſunt, qui dolendum hunc lapſum vitare velint, ſed liberiùs indulgent voluptatibus carnis, delicias proni ſequuntur, ſcelera augent, expectantes forſan vt iuſtus & ſeuerus aliquando Deus, illos velut arrogantem olim Nabuchodonoſor in belluas conuertat, qui tunc primum, quando ſub apparenti ſpecie bouis prato oberraret, & fæno duntaxat paſceretur, ingemuit ſuam recognoſcens culpam. Verùm certus ſit homo, quód per quodlibet peccatum mortale, conſcientia illius formam belluinam efficit. Immò quid peccatorem belluam voco? infeliciorem illum, & peiorem eſſe ipſis beſtijs manifeſtè deducit S. Bernard. ſermone 35. in Canticis ex triplici fundamento. Primùm ex eo, quia peccator non ſecus ad vſum rerum terrenarum & voluptatum propendet, quàm bellua; *Sciat* inquit *anima rationalis, pecudes habere ſocios in perferendis bonis terræ non autem in perferendis tormentis gehennæ.* quaſi peccatorem in hac vita cum belluis æqualem eſſe reputet; ſed in futuro multò infeliciorem: bellua enim propter hoc, quòd turpiter operetur, nullas ſuſtinebit pænas, cùm non habeat rationem, quæ illam diriget. At verò homo pro peccaminoſo actu non effugiet tormenta, quia regulam ipſi poſuit Deus, intellectum, bonum & malum diſcernentem, quē dùm ſequi recuſat, ſupplicia meretur. Secundò, deducit D. Bernard. peccatorem eſſe ipſâ belluâ peiorem, quia cùm ſit ratione præditus, contra tamen rationis inſtinctum multa facit. *Videtur* inquit *ipſis beſtijs beſtialior ratione vigens, ratione non viuens.* Tertio, peiorem eſſe belluâ peccatorem probat ex eo, quia iura naturæ tranſgreditur, quòd nullum animantium facit, *Solum hoc animal* (nempe homo peccator addit Bernardus) *conuerſatione degeneri iura naturæ tranſgreditur.* Hinc in tota ſcriptura non reperitur locus, vbi Deus peccatorem hominem appellet, ſed potiùs nomine abiectiſſimarum quarumuis belluarum, vt docet Chryſoſt. hom. 23. in Genes. *Cùm* inquit *in malum declinant homines, & ſerui fiunt irrationalium affectionum, diuina ſcriptura imponit illis beſtiarum nomina.* Nam Iſaiæ 56. n. 10. impudicè viuentes, appellat *canes* ob impudicitiam Ierem. 5. n. 8. delicijs carnis & illicitis deditos voluptatibus ob libidinem, equos nominat. Eos, qui non proſpiciunt, quid illos futurum maneat, nec conſiderant malum peccati in quo ſopiti ſunt, vocat ob ſtupiditatem & ruditatem aſinos Pſ. 48. & 56. *Nolite* inquit *fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Auaros quoquè ob rapacitatem & habendi auiditatem, vocat *leones*. Oſeæ 13. num. 7. & 8. Hypocritas & non ſincerè cum proximo ſuo viuentes, ob fraudulentiam appellat *aſpides*, quaſi non magis aſpidis virus noceat homini, quàm fraus & dolus mali amici. Deniq; ob malitiam & iracundiam incoërcibilē *ſerpentes & viperas*, nominat Pſ. 139. n. 4. totq; alia peccantium affectionibus ſeruientia nomina imponit peruersè agentibus, vt vel ſic tandem confuſi, ad ſuam aliquando redeant nobilitatem, & ſuo generi confæderentur. Ecce quanta infelicitas vnius hominis in peccatum lapſi, vt non tantùm iumentis comparetur, ſed etiam poſtponatur. Deterior eſt homo peccans belluâ: Nam beſtiæ ſaluti ſuæ conſulere ſtudent, peccator verò obliuiſcitur. *Miluus* (inquit Propheta Ierem. 8. n. 7.) *in cælo cognouit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autē meus non cognouit iudicium Domini.* Qua de re Tertull. lib de Pœnit. c. 12. ſic diſcurrit: *Mutæ quidem* inquit *animæ & irrationabiles, medicinas ſibi diuinitùs attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagittâ transfixus, vt ferrum de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia; Peccator ſciens reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſim præteribit illam.* & quare tàm eſt ignauus homo in procuranda ſua ſalute? certè ideo, quia non cognoſcit Deum ſuum, ſed obcæcatus ad creaturæ amorem diuertitur. Ecce quantum homines peccando à ratione exulant, vt Deum ipſum ignorent, propter quod meritò belluis deteriores reputentur à ſcriptura. Percurre enim ſingulas peccatorum ſpecies, & facile hanc veritatem deprehendes. Nam viro imprimis crudeli ac ſanguinario, quæ belluarum peior ac temulentior cogitari poteſt? vnus ſiquidem Cain ne diuinis quidem perſuaſionibus flecti potuit, qui fratri ſuo necem machinaretur. Geneſis 4. num. 6. Quod expendens D. Chryſoſt. hom. 19. in Genes. *Tàm efferus* inquit *& pecuinus eſt homo qui in peccatum declinat. Nam ſicut magnum & venerabile eſt, rationale hoc animal, quando in virtutis viam contendit; ita quando in malum declinat, truculentarum beſtiarum imitatur crudelitátem.* Satis hoc expreſſit Deus Gen. 9. vbi ait: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu omnium beſtiarum & de manu hominis.* Vbi ſanguinum effuſores vocat belluas, quaſi potentes & indomitas, propter ſceleris enormitatem & facti horrorem, neq; in hac vita, homines dùm peccant, belluinam in ſe formam effingunt, verùm etiam in gehennâ perpetuò hanc efformatam ſimilitudinem conſeruabunt. vt docet Propheta Pſal. 4. numer. 15. *Sicut oues* inquit *in inferno poſiti ſunt.* Vbi damnatos non appellat oues propter manſuetudinem, nam ſæuiſſimi & ſibi & alijs exiſtunt, ſed propter vilitatem: quia peccator non ſecus, quàm brutum moritur. Quemadmodùm docet Diuus Chryſoſt. in eundem Pſalmum. *Mors igitur peccatoris* inquit *vilis eſt & contemnenda, ſicut bruta vixerunt, ſicut bruta pereunt.*

Alterum adhuc modum cognoſcendi Deum porrexit nobis Dionyſius, ſcilicet per viam affirmationis: quem etiam modum præſcripſit nobis Diuus Paulus Rom. 1. *Inuiſibilia* inquit *Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* affirmatio autem de DEO, eſt ex creaturarum attenta conſideratione, innumeras perfectiones creatori attribuere: quia tamen illæ in creaturis non aliter reperiuntur, quàm multis imperfectionum næuis permixtæ, hàc induſtria vti debet homo, quòd ſicut artifex ad ignem fornacis fundens aurum, terræ aut plumbo permixtum, mundum inde extrahit illud, vt vas conficiat; ita mens humana, præſcindens, diuidens ac ſeparans aurum perfectionum, quod in creaturis intuetur, ab omnibus imperfectionibus, quibus permixtæ ſunt, eas tandem emundatas Deo Opt. Max: attribuat. v. g. obſeruat Homo in creaturis pulchritudinem, prudentiam, ac videns hæc in illis eſſe accidentia, quod imperfectionem importat; hanc intelligentiæ acumine remouens ab illis, reliquum quod perfectionis eſt, Deo adſcribat, cognoſcendo quod Deus ſit infinitè potens, infinitè ſapiens, infinitè bonus, infinitè miſericors, infinitè diues, infinita deniq; omnium perfectionum abyſſus, Hac ratione Deum cognoſcere ſatagebat D. Auguſt. lib. Confeſſ. & Soliloquior. *Deum* inquit *meum quæro, quæro quandam lucem ſuper omnem lucem, quandam ſapientiam ſuper omnem ſapientiam.* At nunc deficit hæc ſciendi cupido in animis fidelium: plus enim tenebras amant, quàm lucem: & ignorantiam, quàm ſapitiam: quando quoties aliqua tribulatio illis obuenit, Deum ſeueritatis culpant, & vix non authorem mali ſtatuunt, altercando cum Domino, *Quare Domine via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus qui iniq; agunt, boni autem perpetuis premuntur calamitatibus.* Quaſi iam non liceat Deo bonum affligere, immò ſi pater peruerſum filium

Marginalia: S. Chryſ. — Iſaiæ 56. — Pſal. 48. — Oſeæ 13. — Pſal. 139. — Ierem. 8. — Tertull. — Genes. 4. — S. Chryſ. — Genes. 9. — Pſal. 4. — S. Chryſ. — Rom. 1. — S. Auguſt.

lium vt plurimum deſpicit, & iure hæreditario priuat; obſequentem autem caſtigat, magis illum ad virtutem erudiens : ſic planè cæleſtis ille Pater hominem impudenter peccantem & iura violantem, reijcit à ſe, & quaſi oblitus eius, per hæc terrenarum voluptatum amæna prata, atq; blandientis fortunæ ſinum patitur illum per fas & nefas vagari. At verò pietatis amantē ſæpiùs exacerbat, quo illum perfectius expoliat, & æternis delicijs per incircumſcripta interualla guſtandis magis aptificet. Proinde moleſtum eſt Deo, quia homo ſit immemor illius, quando nec Deo fidem, nec proximo amicitiam, nec pauperi commiſerationem ſeruat. Quod condolendo inculcat Saluator in hodierno Euangelio S. Auguſt. *Hæc* ait *facient vobis quia non nouerunt Patrem neq; me* Quaſi diceret, tota diſſenſionis cauſa eſt, cur à fide Orthodoxa alieni perſequantur Eccleſiam Chriſti, & eius gregem. Quia non nouerunt Patrem neq; filium eius vnigenitum Ieſum Chriſtum. Nam primus omnis Hæreſeos fons & origo Eunomius, ignobilitate magis, quàm pietate illuſtris, negauit Dei filium eſſe Patri æqualem exiſtimans illum eſſe non vnicum, ſed miltiplicem. Quod probat ex ipſius Chriſti verbis, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum de ſeipſo verba faceret, & deitatis in homines affectum atq; Incarnationis gratiam ſuper aperiret, portam ſeipſum, viam, panem, vitem, paſtorem, lucem, nominauit. Lux autem, vitis, via, paſtor, diuerſa & multa ſignificant. Sed perfunctoriè veritatem inueſtigauit, & grauiter deceptus eſt. Nam Chriſtus Dominus non propterea ſibi hæc multa nomina tribuit, quaſi ſit multiuocus quidam, ſed cùm vnus ſit ſubſtantialiter, vna ſubſtantia ſimplex, & non compoſita, ad faciliorem hominum captum aliter atq; aliter ſeipſum voluit nominare, vt ex diuerſis ſuis appellationibꝰ non naturæ ſuæ diuerſitatem, ſed potiùs actiones quas circa hominum ſalutem procurandam ſuſtinet, facilius quiſpiam perpenderet. A Quando enim ſeipſum lucē nominat, partim inacceſſibilem diuinæ gloriæ maieſtatē hoc nomine ſignificat, partim quod ſplendore cognitionis ſuæ, eos qui animi oculos a macula culpæ purgauerunt, illuminat. Quando verò vitem ſe eſſe dicit, hoc potiſſimum inculcat quòd omnes qui in eo per fidem radices egerunt, & gratiæ dono & felici bonorum operum fructu enutriat ; cùm ſe panem eſſe dicit, immenſum beneficium ſuum erga genus humanum declarat, quod B rationali animæ ſit cibus idoneus, retine atq; conſtitutionem ipſius ſemper a ſeipſo, quod defluxum eſt reſtituens; neq; ad irrationalem dimittens ſubduci infirmitatem, & ita ſi quis ſingula nominum pertractabit, multiplices & varias rationes inueniet, quamuis vnum ſecundùm ſubſtantiam in omnibus ſubijciatur.

Neſcit ergo impia Hæreſis Dei filium, quia cum ſuo iniquo auctore Eunomio genituram & facturam eſſe prædicat. confirmans id B. Petri voce C qui in Actis Apoſtolorum clarè dicit· *Sciat omnis domus Iſraël quod Dominum ipſum & Chriſtum Deus fecit, quem vos crucifixiſtis*. Sed & hunc locum peruersè intelligit Eunomius ; ibi enim Apoſtolus diſertè loquitur non de diuinitate Chriſti Domini, ſed de eius humanitate, quæ meritò dicitur facta eſſe à Deo, quia ſolius diuiniſſimi ſpiritus operâ concepta, & in vtero virginis formata eſt, ita locum hunc exponit D. Baſilius lib. 2. contra Eunomium. S. Baſili. *Apoſtoli* inquit *ſenſus non tradit,* D *eam filij ſubſiſtentiam, quæ ante ſæcula fuit : non enim de ſubſtantia ipſa Dei verbi, quod in principio erat apud Deum, ſed de eo qui ſeipſum exinaniuit in ſerui forma, & factus conformis huic corpori humanitatis noſtræ, & crucifixus eſt ex infirmitate, perſpicuè differit.* In hanc peſſimam de æterno Dei filio opinionem plurimi paſſim labuntur etiam Catholicorum, per viam affirmationis minimè illum agnoſcere volentes. Nam ſi verus Catholicus es, attribuere debes Dei filio, quòd ſit miſericors, bonus, tuæ ſalutis ſtudioſus auctor :

ctor : quæ ſi reipſa non exerces, minimè Deo concedis. Nam ſicut rem aliquam cognoſcendò concipere illam non valemus, niſi eius imaginem in nobis efformando ; ſic quando contemplamur Deum, nequaquam illum mente attingimus, niſi eius attributa veris operibus in nobis depingamus. Proinde ſi iuſtum credis eſſe Deum, ſed iuſtitiam non ſeruas, Deum ignoras : ſi bonum & miſericordem eſſe ſentis, ſed ad miſerendum alijs durus es, Dei filium non agnoſcis : quia de Deo omnia credentem, ſed non facientem ea, deſerit Deus Præclarum in comprobationem huius veritatis exemplum allegat Mallonius : ſentit ille in quodam monaſterio fuiſſe duos fratres indiſſolubili amicitiæ vinculo inter ſe annexos, quorum vni Da, alteri Dabitur nomina inerant. Frater Da cum penes illum monaſterij eius adminiſtratio eſſet, omnibus ad portam venientibus egenis multas erogabat eleemoſynas, ad victus neceſſitatem pertinentes : & ecce quia diuinam miſericordiam non tantum credebat, ſed reipſa exercebat, ita DEVS benedixit, vt nihil penitus deeſſet illi Monaſterio :quia Dominus in manus pauperum diſtributas eleemoſynas, compenſabat ampliſſimis benefactorum muneribus, ſucceſſit poſtmodùm alius gubernator, & quia erat tenacior, cæpit in dies minuere portiones antea pauperibus diſtribui ſolitas. Immò cum frater Da ſuaderet, id eſſe contra diuinum præceptum, expulit illum ex monaſterio, prodigum & bonorum ſpiritualium diſſipatorem illum eſſe aſſerens. ſeceſſit frater Da, fidus quoquè Achates dabitur ſecutus eſt illum. Et ecce in dies cæpit paupertas creſcere in Monaſterio, adeò vt ad ſummam quoq; inediam & inopiam ventum eſſet. Tandem ſummæ deuotionis religioſus quidam, cæpit Deum orare, quid cauſæ eſſet, quòd ſuorum ſeruorum oblitus eſſet. Cui reſpondit Deus, *quia* inquit *non cognoſcitis Deum Patrem & Filium eius*. Miratur venerandus ſenex, alloquiturquè Deum, A vtiq; Domine eodem modo te laudamus nunc, ſicut antea, & nocte & die non ceſſamus, laudes tuas decantare. Reſpondit DEVS, nequaquam ſic. Nam antea & ore & opere benedixiſtis me, nunc autem ore quidem glorificatis, ſed opere non. Quia ceſſauit in vobis miſericordia. Quamdiu habuiſtis inter vos fratrem Da, tamdiu vobis dabatur, ſed poſtquam expuliſtis da, etiam dabitur non eſt. Ceſſaſtis benefacere, idcircò ab omnibus deſerti eſtis benefactoribus. B Fratres Catholici mei germani, & mutuò ſeſe reſpicientes, ſunt da, & dabitur. Da, eſt homo quilibet miſericordiæ opera faciens . dabitur, eſt Chriſtus Ieſus in centuplo homini in nomine ſuo modicum datum compenſans. Non eſt ergo minuenda miſericordia : date libenter, & dabitur vobis. Nam apud homines quidem vſura illicita eſt, ſed cum Deo fæneratio ſancta. das obolum in nomine Ieſu petenti pauperi, tibi Chriſtus reſtituit groſſum, ſed pretij magni, quia talem, vt ſufficiat & C corpori tuo in nutrimentum, & animæ in gratiæ augmentum.

Sed ceſſant in dies & miſericordiæ, & bona opera omnia : & quare hæc contraria voluntati diuinæ facimus ? Reſpondet Saluator, *quia non nouerunt Patrem neq; me*. Nam ſi homo noſſet Patrem æternum, memor quòd iſta omnia quæ habet Dei ſunt, libenter petenti in nomine Dei ſaltim buccellam panis concederet : ſi noſſet Dei filium, potiùs pietati, quàm vitijs vacaret, & ſua bona non in ebritatem aut luxum, D ſed in res licitas & honeſtas conuerteret. Verùm abuſus iſte bonorum operum, & diſordinatio, non aliunde in orbem Chriſtianorum irrepſit, niſi ex neglecta diuinarum ſcripturarum notitia. Quamdiu enim vigebat illa ſacroſancta conſuetudo, vt Catholici non tantum in Eccleſia verba Dei libenter audirent, ſed etiam domi aliquid de Deo legi curarent, tamdiu erat ſancta conuerſatio, mores omnium inculpati, confeſſio verecunda, & tota vitæ actio laudabilis. at vbi & verbi diuini audiendi tædium inuaſit Catholicos

tholicos, omnia in pessum cæperunt ire; & societas fraudulenta irrepsit, & in confessibus obscæna colloquia, & in moribus leuitas, & in cunctis rebus omnia vituperanda. Et quare: quia non est regula quæ dirigat hominem. Nec pater æternus præ oculis adest hominibus, nec Christus in memoria hæret, nec Scriptura sacra ad palatum venit; cùm tamē nihil melius rectificare hominē possit, quàm Scripturæ sacræ familiaritas. Hanc enim
Cantic. 4. ob causam illam Christus commendauit Ecclesiæ suæ. Cant. 4. n. 11. *Fauus*
Philo Carpathius. inquit *distillās labia tua*, vbi Philo Carpathius: *Fauus* inquit *est diuina scriptura: vt enim in fauo mel & cera latent, quorum altero pascimur, altero lumen accendimus: sic in literis sacris suauissimus cibus animi, & lumen mentis insunt.* Vbi Deus, & sapientiam, & sanctimoniam ex Scriptura sacra pollicetur homini, sapientiam: quia nemo sapientior est, quam qui in sacris literis exercetur: sicut nemo indoctior, quam qui ab illis peregrinatur, de sanctitate quoquè, quòd eam Scriptura sacra homini conferat, nemini dubium esse potest, quia dicit Propheta Psal. 72. n. 17. *Labor* inquit *est*
Psal. 22.
Lyranus. *ante me, donec intrem in sanctuarium Dei*, vbi Lyranus per *sanctuarium Dei*, intelligit Scripturam sacram, ex qua tanquam ex sanctuario, omnimoda sanctitas in hominem redundat. Hoc voluit exprimere Moyses Exodi 38. n. 8. fecerat labrum æneum, & illud posuerat ante sanctuarium: addit autem sacer textus, illud labrum fuisse factū de speculis mulierum, innuens nō minore diligentia debere Christianum hominem semper se suosq; mores ad diuinæ scripturæ regulas componere; quam mulieres se ad specula componunt, & comunt, vt sicut illæ ex speculi intuitu munditiem sibi parant; sic homines ex diuinæ scripturarum intellectione sanctitatem sibi comparent.

Audiuimus igitur Dei filium incusantem hominum temeritatem, quòd malè operando illum non cognoscant, & quoniam duplicem considerauimus notitiam de Deo, aliam per viam negationis, aliam per viam affirmationis: idcircò & nos, & viam negationis arripiamus, & viam affirmationis. Deo non tantùm omnes perfectiones adscribendo; sed etiam pro modulo nostro faciendo, vt sic & fide & opere iustificari mereamur.

EADEM DOMINICA,

CONCIO TERTIA.

Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me. *Joann. 16.*

Testimonium Spiritus sancti est verum, quia est verus Deus, æterna veritas & infinita bonitas.

Magna Quæstio & subtilis discursus est inter mundi Philosophos, vt perfectè cognoscere possint veritatem, & sagaci oculo mentis penetrare, in quonam eius essentia & proprietas consistat. Hinc perpetuæ inter illos disceptationes de rebus naturalibus, eâ solùm intentione, vt possint aliquando in vnanimem conuenire sententiam, & in illa omnes suorum conceptuum subtilitates fundare. Causam forrasse dubitationis istius de cognoscenda veritate excitauit Iudæorum ille infelix Iudex, Pilatus: cùm eo tempore, quo ipsam veritatem æternam, id est, Filium Dei vnigenitum, Christum Iesum, in peruerso tribunali suo adurabat, inquiens: *Dic si tu es Filius Dei*, cùm inquam non expectato respon so, & non audito testimonio, donec innocenter traditus Dominus noster, fateretur quæsitam suæ diuinitatis veritatem, ex prætorio abijt. cùm non aliter veritatem de Filio Dei, quàm à Deo homine discere potuerit: testimonium enim Domini, omni hominum documento præstantius. Exorta fuit magna dissensio inquit sacra pagina 3. Regum 18. inter Eliam Prophetam, & cultores Baal, de cognoscenda diui-

nitatis

nitatis veritate. Dirimi controuersia tanta non potuit humano testimonio, cuinam Deo sacrificium ab homine offerri deberet. Immò seducta infelix illa Iesabel, falso testimonio à suis idololatris, clamantibus illis, soli Baal omnia holocausta immolanda esse, affirmante verò Prophetà Eliâ. vnum tantùm esse Deum verum, cui quia est creator omnium & conseruator, in recompensationem diuinæ eius omnipotentiæ, & immensæ clementiæ, homo seruire & sacrificare debet. Omnes Dei prophetas interfici iussit: sed postquàm Elias adductus erat ad Achab, omnem eius populum in suis errantem testimonijs arguere cæpit, inquiens: *vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal sequimini illum.* Ego inquit remansi Propheta Domini solus, prophetæ autem Baal 450. sunt. Eligant igitur illi bouem vnum, & in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: quod & ego faciam, innocent illi nomina Deorum suorum, & ego inuocabo nomen Dei mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait, optima propositio. Tulerunt igitur bouem, & inuocabant Baal de mane vsq; ad meridiem dicentes: *Baal exaudi nos*, & non erat vox. ædificauit quoq; Elias de 12. lapidibus altare Domino, iuxta numerum tribuum filiorum Iacob: cumq; iam tempus esset, vt offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, ostende hodie, quia tu es Deus Israël, & exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus. Extemplò cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, & puluerem quoquè, & aquam; quod cùm vidisset populus, cecidit in faciem suam, dicens: *Dominus ipse est Deus*, semper igitur Deus per sua testimonia solet se creaturis manifestare. Manifestauit se per Natiuitatem, per miracula, per Crucem S. sed nondùm eum mundus cognouit, licet in mundo erat. Vltimum igitur ad comprobandam suam diuinitatem testem, hodiè adducit spiritum veritatis: qui quomodò Christum manifestabit, dicam.

Diuinus Psaltes scrutator Dei arcanorum, cōsiderans quonam modo ad diuinam cognitionem homo peruenire posset, & quomodò Incarnatum eius Filium Christum, mortali indutum carne, & cruci appensum, pro vero Deo agnoscere valeat. Rem planè humano intellectu imperceptibilem videns, cùm homo qui totus teste Philosopho in cognoscendo à phantasmatibus dependet, propter obstantem corporis vmbram, nequeat res spirituales & à sensibus remotas penetrare suo ingenio; antequàm de aduentu Messiæ in hunc mundū scribere inciperet. vehementi cogitatione commotus, cum Isaia propheta cæpit exclamare. *Quis credat auditui nostro.* Psal. 92. quod tu sis Deus im- Psal. 92.
mortalis, quòd sis creator rerū omnium. Non humanis opus est hic virib*, non mortalium eò poterit aspirare intellectus, vt tàm altissima diuinitatis tuæ arcana cognoscere valeat; sed opus est cœlesti lumine, quo adiutus homo, ex aspectu rerum creatarum, ad te suum Creatorem cognoscendum deueniat. *In lumine tuo videbimus* Psal. 35.
lumen. Psal. 35. Non aliter te Dominè homo potest cognoscere, qui es æuiterna lux Patris, nisi per cœleste lumen: quod tu ad cor hominum ex tua immensa liberalitate demittis. Tua sola *charitas* vt inquit D. Ioannes in Apoc. 22. *Illuminat nos.* Homo enim Apoc. 22.
in hac terrestri caligine viuens, est instar noctuæ, quæ inter deserti antra commorans, Solem intueri nequit: homo quoq; irretorto oculo diuinitatis fulgorem ferre non potest, donec lumine Spiritus S. adiuuetur. hoc lumen tria beneficia confert homini e- S. Thom.
leuat intellectum humanum ad cognoscendum Deum, vt docet S. Thomas ar. 1. ad 6. *Lumen* inquit *Spiritus sancti necessarium est ad hoc, quòd intellectus fiat potens ad intelligendum Deum.* & 2. 2. Quæst. 175. art. 3. ad 2. *diuina* inquit *potentia ab intellectu creato*

Zzz non

non poteſt videri, niſi per lumen gloriæ, per quod intellectus vnitur, diuinæ Eſſentiæ ſicut formæ intelligibili. Hoc lumen roborat intellectum, cum eodem concurrendo ad efficiendam Dei viſionem S. Thomas art. 2. ad 5. & 2. *Requiritur* inquit *lumen diuinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum, dans virtutem intelligendi, augens facultatem cognoſcendi.* Confert tertium beneficium, quia obiectum à ſenſibus remotiſſimum, ſcilicet Deum, noſtro ingenio manifeſtat. planè vt quemadmodùm paries ſinè albedine non poſſit fieri albus, ſic Deus ſine lumine manifeſtatus. Hic igitur diuiniſſimus Spiritus ſancti radius, manifeſtauit inprimis Chriſti diuinitatem homini, dùm in corde Dauidis inſtar ignis ardentis cæpit animum eius charitate ſua erga Deum accendere Pſal. 142.
Pſal. 142.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Illuxit lumen hoc in cordibus Apoſtolorum, ita vt quorum oculi dubitatione obcæcati erant, aperirentur tunc, cùm varijs linguis cœperunt loqui. Lumen hoc, Dei Filium toti
Actor. 2.
mundo manifeſtauit, Actor. 2. *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* adeò, vt quicunq; ab hoc lumine illuſtratus eſt, Chriſtum ſemel cognitum ampliùs deſerere nolit, ſed illũ firmiter in ſuſcepta fide teneat. S. Auguſt. lib. contra Epiſt. fundamenti. cap. 4.
S. Auguſt.
Præter ſapientiam multa ſunt alia quæ me in gremio Eccleſiæ Catholicæ iuſtiſſimè tenent. Tenet conſenſus populorum atquè gentium, tenet authoritas miraculorum, tenet ab ipſa Petri Apoſtoli ſede vſq; ad præſentem Epiſcopatum legitima ſucceſſio ſacerdotum, tenet ipſum nomen Catholicum. Illuſtratæ ſunt ab hoc diuiniſſimo S. Spiritus lumine omnes mundi tenebræ, ſublatæ incredulitates è cordibus hominum, & in errore hærens intellectus mortalium, in credenda Chriſti diuinitate ſolidatus. Quærunt hic Theologi cauſam, quare ipſa veritas & ſapientia increata, non aliter potuit manifeſtari creaturæ; niſi per Spiritum S. ſiquidem obiectum fidei, eſt ipſa veritas prima in dicendo, ac proinde quemadmodùm color eſt ratio videndi & ſe, & alia à ſe ; ſic veritas prima eſt ratio credendi & alia à ſe, & ſibi. tunc ratio videtur eſſe hæc, quia licet ipſa veritas teſtimonijs probari non poſſit, certiſſimorũ enim probatio nulla datur; tamen quoties veritas ſub obſcuris terminis ponitur, toties in prima & euidentiſſima principia reſolui debet. prima autem principia ſunt illa, quæ ſunt prima in methodo compoſitiua, conſtituunturq; ſcibilia in eſſe ſcibilium, & vltima in methodo Reſolutiua, vt docet Philoſophus in Analyticis. Iam verò quia Chriſtus licet eſſet veritas eſſentialis, quia tamen fuit ſub obſcuro termino poſita, ſcilicet ſub corpore humano, vt cognoſceretur, per primum principium probari debuit. Primum autem principium in methodo compoſitiua conſtituens ſcibile hoc, fuit Spiritus S. ipſius enim operâ veritas illa falli & fallere neſciens, obſcuro hoc termino, ſcilicet carne humana inuoluta eſt : quia Chriſtus natus eſſe dicitur de Spiritu ſancto. deinde idem Spiritus S. debuit eſſe vltimum in reſolutione principium, ſcilicet ; vt homo per hoc credat Chriſtum eſſe verum Deum, quia à Spiritu ſancto in ſuo intellectu illuminatus eſt : ſicut enim Deus non creat quicquam vt Deus, ſed vt omnipotens; ſic veracitas de Chriſto vt Deo, cuius effectus eſt facere res infallibiliter credibiles, licet fundabatur in Chriſti diuinitate, tanquàm in ſua radice ;tamen effectus eius non tribuitur Deo vt Deus, ſed vt verax in dicendo. ac proinde cùm veritas in dicendo apud homines maximè in manifeſtatione conſiſtit, idcircò & Chriſti diuinitatem humanus intellectus, non aliter cognoſcere potuit, quàm per manifeſtam Spiritus ſancti veritatem : id eſt; per illuminationem. Fuit igitur diuiniſſimus Spiritus de Chriſti humanitate veraciſſimus teſtis, quia eſt Deus, cui falli, & fallere non competit.

Quærunt hic Theologi, an Deus ſaltem per alium poſſit teſtari falſum, quod Priſcilianiſtæ, conãtur oſtendere ex Iſaiæ. cap. 38. vbi Propheta Domini

mini iuſſu Dei cõminatus eſt Ezechiæ
Iſaiæ 38.
mortem, dicens: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non viues.* Quod tamen non euenit, quia dicit ſcriptura, fleuit Ezechias fletu magno, & Dominus exaudiens eum reſpondit per Iſaiam.
Iſaiæ 3.
Audiui orationem tuam, & vidi lachymas tuas, ecce adijciam ſuper dies tuos 15. annos. Similiter Ionæ 3. Propheta iuſſu Dei clamauit in Niniue : *Adhuc 40. dies, & Niniue ſubuertetur,* quod tamen non euenit. Nam & Rex, & omnis populus induti ſaccis, cùm ieiunijs & fletu cæperunt Deum orare. Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Sed communiter reſpondent Doctores, Deum nunquàm falſum teſtatum eſſe per ſe, ſiue per alium, immò neq; poſſe iſta facere. Priſcilianiſtæ verò decepti ſunt non intelligentes ſcripturas. tres enim regulæ aſſignantur à Theologis ad intelligendam ſcripturam. Primò, quoties Deus per ſuos miniſtros mala euentura populo prædicit, tunc iſta prædictio cùm ſit comminatoria, accipienda eſt ſub conditione, id eſt ; niſi te emendaueris, niſi oraueris. Similiter, quoties Deus promittit alicui felicitatem temporalem, ſub conditione intelligi debet, niſi peccata impedierint. Secundò, quoties Deus dicitur aliquid mali alicui præcipere. Vt 3. Reg. 22. Deus præcepit diabolo, vt
2. Reg. 12.
deciperet Achab, *Decipies & præualebis, egredere, & fac citò.* tunc iuxta hebraiſmum præcipere idem eſt, quòd permittere aliquid, quod præter ſuam intentionem alterius malitia interueniente, nouit euenturum. Tertia regula, quando Iacob diuina permiſſione finxit ſe eſſe Eſau primogenitum Iſaaci, tunc iſta fictio accipienda eſt in ſenſu tropico, hoc eſt ; quia deſtinatione Dei & iure, Iacob non Eſau primogenituræ ſucceſſor erat. Proinde in iſta fictione non eſt mentitus Iacob : Illum enim verè Deus conſtituerat primogenitum, cùm conſulenti ſe Rebeccæ, dùm in vtero eius collidebantur paruuli, reſpondit Deus : *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, ſed maior ſeruiet minori.* Proinde abſq; vllo mendacio patri dicere potuit : *Ego ſum primogenitus tuus.* Quod comprobat Diuus Chryſoſth. in cap. 24. Luc. *Scias* in-
S. Chryſ.
quit *quòd ſuperna gratia fuerit cooperata in hoc, vt iuſtus deciperetur.* Quod fatetur ipſemet Iſaac dicens : *Venit frater tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam,* & in Chaldaica paraphraſi legitur, *venit Sapienter,* id eſt; Dei conſilio, manifeſtum igitur eſt, Chriſti diuinitatem ab humano intellectu nullatenùs cognoſci potuiſſe, etiam per maxima miracula, nonne totum vetus teſtamentum diuinitatem Chriſti loquebatur ? *Huic teſtimonium præbent omnes prophetæ.* Nonne permouere potuit mundum, vt Chriſtum crediſſet Dei Filium, illud miraculum, cum ad naſcentem IESVM Reges ex diuerſis regionibus ſtella duceret, vt munera naſcenti homini offerrent, & eundem Deum cognoſcentes, adorarent. nonne ipſe Sol, apertum diuinitatis Chriſti documentum exhibuit ? cùm moriente IESV per tres horas lumen ſuum mundo negauit, cùm petræ præ dolore rumperentur. Sed non fuerunt tantæ efficaciæ miracula etiam admiranda, vt homines edocerent, quomodò Chriſtum hominem, Deum ſimul crederent. Vehementi Spiritus ſancti impetu opus erat, qui in tenebris errorum detentum hominis intellectum illuſtraret, hoc poſtulabat D. Pſaltes :
Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. Pſal. 50. *& Spiritu principali confirma me.* Pſal. 50.
Vnde meritò gloriabatur Iſaias Propheta, quòd cœleſte Spiritus S. lumen in corde ſuo accenſum ſentiret, inquiens : *Spiritus Domini ſuper me.* Pſal. 61.
Pſal. 61.

Iacob Patriarcha mæſtus fuiſſe perhibetur, cùm illi nuntiatum eſſet, Ioſephum natu minimum à fera peſſima deuoratum eſſe. Sed poſtquam filij eius preſſi fame in Ægyptum ſe contulerunt, afferendi causâ frumenti ; ibiquè reconciliati ſunt Ioſepho ; quem Iſmaëlitis vendiderant,

rant, redeuntes cum magnis muneribus nuntiauerunt Patri, *Filius* inquiunt *tuus Ioseph viuit, & Princeps super omnem populū à Pharaone constitutus est.* Seniculus Pater, fabulas esse putabat, cum omninò à fera pessima deuoratum fuisse credens: sed postquam munera pretiosa sibi allata vidit, tanquàm certissimis quibusdam testimonijs credidit. Sic planè quamdiu Christus præsens erat in mundo, mundus eum non cognouit, quamdiu admiranda patrauit miracula, mortuos resuscitando, cæcos illuminando, surdis auditum, claudis gressum restituendo: mundus verba quidem docentis Christi audiuit; sed sensum illorum quasi fabulas concipiebat. Sed postquàm thesaurum inappretiabilem in mundum mittit, scilicet spiritum veritatis, qui de illo testimonium perhibeat, iam omnis incredulitas in firmam transmutatur fidem. Quemcunquè enim fortunatissimus iste diuinæ lucis radius tetigerit, in cuius animo æterni amoris hicce ignis accensus fuerit, licet esset instar adamantis inflexibilis, licet esset caucasi instar durissimus, ad potentem Spiritus S. flammam, & Pharaonicum cor emollitur, & tanquàm cera diuinæ vocationi obedit. Vnde Apostolus 1. Corint. 3. inquit: *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui spiritum dat intelligentiæ.* quasi diceret; nos inquit Apostoli, quos Deus ad suum ministerium delegit, quos in testimonium suæ diuinitatis mundo exposuit, inquiens: *& vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* licet id toti mundo testati sumus, *in omnem terram exiuit sonus eorum.* Etenim sanctus Petrus vera Christi Ecclesiæ petra, hoc testimonium exhibuit in Bithynia, Gallacia, & Romæ S. Ioannes in vniuersa Asia. S. Paulus in Antyochia, Cappadocia, & Cypro. Iacobus maior in vniuersa Hispania. Minor in tota Palæstina. S. Thomas in India, & in subterraneis partibus, & tamen licet adeò laborauerunt Christi Apostoli in prædicanda Christi diuinitate, sine operâ Spiritus sancti fructum referre non potuerunt, quousq; Spiritus sanctus non descendit ad cor eorum, varijs eosdem linguis & donis replens, confortando eos, ne à tam arduo opere incepto desisterent. *Nolite* inquiens *cogitare quomodò aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid respondeatis.*

1. Cor. 3.

Et quoniam in veraci teste tria requiruntur ad perhibendum testimonium: primò, vt omne vafrum reijciatur ab illo 1. Ioann. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & testamur & annuntiamus vobis.* & 1. Ioan. 2. *Quis est mendax, nisi qui negat, quia Iesus est Christus.* Secundò, vt constanter veritatem profiteatur: nunquàm testimonium suum immutaturus. Tertiò, vt sit immunis ab omni culpa 2. Petri 1. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & omnes detractiones, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Idcircò cùm solus Spiritus S. istas habeat proprietates, quia & testimonium eius est verum, cum & ipse sit Deus, nulli mutationi obnoxius. est in testimonio suo constans, & inuariabilis: quia est æterna veritas, sapientia suâ omnia infinitè cognoscens. Est absq; vlla reprehensione: quia infinita bonitas, & Charitas essentialis, ille solus verum de Christi diuinitate testimonium perhibere potuit. Hic virtutem meritorum eius ostendit, cùm eo tempore, quando Christus in Iordane baptisatus est, in specie columbæ visibiliter super eum apparuit. Hic futuram gloriam & cælestem dulcedinem mundo declarauit, cùm in monte Thabor facies Christi sicut sol resplenderet, vestimenta autem eius facta essent alba sicut nix. Hic docuit, quomodò in Christo homine mundi redemptorem; quomodò in assumpto ad diuinitatem corpore omnium creatorem cognoscere possimus. Hic deniq; suâ charitate corda nostra inflammans, palam fecit, quomodò Deum amare debeamus. ac proinde cùm sine eius testimonio, nec Christi humanitas cogno-

1. Ioan. 1.
1. Ioan. 2.
2. Petri 1.

sci

sci possit, nec homo ad verum DEI cultum pertrahi, hodie feruenti ore, & sincero corde postulemus, vt in cordibus nostris quam citiùs, & feruentiùs illucescat. *Attendite igitur feliciter, benè facientes, huic lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec elucescat dies, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* 2. Petri 1. id est; donec terrenæ huic vmbræ, diuina illa visio clara succedat.

EADEM DOMINICA, CONCIO QVARTA.

Absquè Synagogis facient vos *Ioannis 16.*

Infortunium, maximam esse felicitatem declaratur.

NOn hæc est felicitas Auditores, nasci ex illustri prosapia, in palatijs magnatum educari, in aulis magnorum Heroum crescere, in palatijs Regum & Principum commorari, & longam seriem auorum, & proauorum numerare. Quia inconstans fortuna facilè splendorem generis obnubilat, magnoq; sumptu & labore depicta in parietibus maiorum stemmata edax rerum tempus corrodit, ac vetustate consumit. Non hæc est felicitas, amplissima imperia gubernare, possidere regna, sceptra & diademata tenere: quia & Regum potentia exiguis circumscripta est terminis, inestq; Principum coronis suum pondus deorsum prægrauans, & Imperatorum sceptra vix aliquid, aut prorsùs nihil à seruili ferro differunt. Hinc meritò dicebat Antigonus, *Scias imperium nostrum præclaram esse seruitutem.* Non hæc est fælicitas, magnis honoribus ornari, senatorias dignitates adipisci, aut sellas curules occupare: quia ignita fulmina elatos montes petunt, & eminentes crebrò feriunt libanos, vt præclarè docet Seneca his verbis: *Quæ fortuna tulit in altum, ruitura tulit.* Non hæc est felicitas omnibus ad placitum frui delicijs, & more Cleopatræ inæstimabiles vniones delicatis miscere vinis: quia hæc est mera vanitas, & vanitatum vanitas. Quippè mundi istius voluptates, citiùs quam rosa sole adusta euanescunt, velociusq; ad occasum properant; quam sagitta ex arcu Persico missa, aut nauis in mari vehementi ventorum commotione propulsa. *Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquàm nuntius percurrens, & tanquàm nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus; aut tanquàm nauis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem: commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum itineris illius: aut tanquàm sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius; sic & nos nati continuò desiuimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.* inquit Salomon. Non hæc est felicitas compedibus stringere captiuos, aut ferreis includere caueis, implere auro cistas, horrea frumentis, domum omni opulentia, quia furtiua hostium irruptio, vel quispiam repentinus casus in momento hæc omnia absumere solet. *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis,* dicit Scriptura sacra. Non hæc est felicitas multam doctrinam habere, & subtili discursu cælos ipsos penetrare: quia ambitionem redolet, & ad præcipitium hominem ducit, teste Apostolo: *Scientia inflat.* 1. Corint. 8. Sed hæc est vera felicitas, quam mundus infortunium vocat, & miseriam, quod in hodierna concione ad oculum demonstrabo.

Antigon.
Seneca.
Sapien. 5.
1. Cor. 8.

Quod ipsum infortunium sit summa fortuna, & infelix casus omnimoda felicitas, facilè quilibet vel ex hoc ipso conijcere potest, quòd omnes felicitates quæcunq; haberi possunt, de ipsa oriantur infelicitate, iuxta illud proclamatum inter Philosophos axioma:

axioma: vnumquodq; ex ſuo contrario fit. Homines iſtius mundi felicitatem ponunt in ſcientia, diuitijs, honoribus, voluptatibus; alij verò in ſolo Deo, qui tanquàm ſummum & infinitum bonum, omnia bona in ſe eminentiſſimo modo continet. Omnes iſtæ enumeratæ felicitates ex ipſa infelicitate fluunt, proinde ipſa infelicitas, meritò fons, & origo felicitatis dici meretur. Percurrite ſingula, & veritatem hanc deprehendetis. Et inprimis quantum ad ſcientiam attinet, numeroſa turba ſecuta fuerat Chriſtum in deſertum: ibi cibatis cœleſti doctrina eduliorum terreſtrium auolàrat memoria: ſic animi ciborum dulcedine ſuſpendebantur allecti, vt neceſſitatum corporis penè omnes obliti non recordarentur. Verùm prouidentiſſimus Dominus qui doctrina cœleſti audientes pauit, velut inexhauſtus benignitatis fons, & pabulum terreſtre iiſdem eſurientibus prouidit. Panes quinq; accepit, ſubleuatiſq; in cœlum oculis, omnibus largiſſimè eſt impertitus: *Accepit Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.*

Ioann. 6.

Panis quomodo in manibus Chriſti creſcebat.

Stupor erat tantum opus Chriſti ſpectare, augebatur panis in manibus Chriſti, non per laborem agricolæ, non per quotidianam in excolendo agro culturam, ſed ipſa oculorum, ac manuum eius in cœlos eleuatione.

Inquirunt pia meditatione ſancti Patres, ad quid omnium Dominus oculos ad cœlum veluti emendicato auxilio ſuſtulerit, & gratias egerit: qui panes facit de ſpicis erumpere, quid mirum ſi de panibus fecerit procreari? Ergo ſi à ſe recipit, non eſt, cur gratias agat; & qui diuinitatis ornatur potentiâ, non eſt, cur miſericordiâ deuenuſtetur precariâ. Cæterùm licet Chriſtus à ſe fecerit, alienum non mutuatus auxilium, voluit benefaciendi nobis præbere exemplum. Niſi enim oculos leuaſſet in cælum, Iudæus qui criminationis ſemper eſt amans, quòd Patri ſe æqualem faceret, diuinitatiſq; omnipotentiam ſibi arrogaret, criminaretur, vergeretque in datoris iniuriam panum miraculo-

Chriſtus cur oculos & manus in cælum leuauit.

A ſam præbuiſſe copiam. Ita ergo ſe Chriſtus in hoc miraculo prudenter geſſit, vt amplum largiretur beneficium, & captioſum euitaret detrimentum. Hæc eſt mens Baſilij Seleucienſis orat. 23. *Dominus* inquit, *accipiens panes, aſpiciens in cælum benedixit: nunquid velut indigus abundãtiam poſtulat? nunquid oculorum elatione de cælo acerſit auxilium? nunquid aliunde mutuatur beneficentiæ poteſtatem? non equidem, ſed Iudæorum calumniam opprimere occupat: B ſemper enim Iudæus amans eſt criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat.* En, quàm prudenter & ſibi & illis conſuluit Chriſtus; de oculorum eleuatione inimicorum arcet calumnias, & de manuum prodigio indigentium leuat miſerias. Addit citatus Baſilius: *Ne ex miraculi magnitudine calumniandi caperent occaſionem, quòd ſe per ambitionem Patre ſuperiorem oſtenderet, neue quòd Patri parem ſe faceret, ſuetam rurſus calumniam excogitarent, Iudæorum loquacitati eripiens occaſionem, ſublatis in cælum oculis C Patri hoc præclarè factum acceptum refert.* Dum itaq; ageret gratias, imminentia propulſauit pericula; dum panes multiplicaret, fameſcentium auertit tormenta, nè proprium verteretur in probrum, quod erat alienæ neceſſitatis remedium. Hic inquiramus, an etiam Apoſtoli videntes panem in manibus Chriſti ita miraculosè creſcentem, vt quinque panes pro quinque millibus virorum, exceptis pueris & mulieribus exſaturandis ſufficerent, imò & ſuis fragmentis reſi- D duis duodecim cophinos implerent, cognouerint eum tunc pro vero Deo? Minimè: dicit enim Euangeliſta: *Non enim cognouerunt de panibus eum: etenim obcæcatum erat cor eorum.* Marci 6. Poſtea dimiſſa turba conſcendit nauiculam cum diſcipulis, vix aliquantum receſſerunt à littore, obdormiuit Ieſus, quo dormiente furentes venti, & rabida tempeſtas nauigantes inuaſit, atque in maximum periculum traxit. *Nauigantibus illis obdormiuit Ieſus? & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur.*

Baſilius Seleucienſ.

Marci 6.

Lucæ 8.

tur. Vbi Chriſtus de ſomno ſuſcitatus, ſurgens imperauit ventis, & mari, facta eſt tranquillitas, & depulſis nubibus ſerenum reſplenduit cælum. Tunc primùm diſcipuli illius diuinitatem agnouerunt, mirari ſatis non valentes diuinam eius omnipotentiam, cui etiam inanimata elementa obediunt. Quid obſecro cauſæ, videntes diſcipuli prius Chriſti miraculum de quinq; panibus factum, minimè eum pro vero Deo agnouerunt; ſed vt loquuntur ſancti Patres, ſtupebant magis intra ſe, non enim cognouerunt eum de panibus, quia obcæcatum erat cor eorum. In mari autem iactati fluctibus, Deum agnouerunt, ab eo ſolo cuius omnipotentiæ, vniuerſæ creaturæ ſubſunt, de tantis periculis eripi poſtulantes. *Domine ſalua nos, quia perimus.* Equidem non mirum: In deſerto enim felices erant, affluebant delicijs, panem de manibus Chriſti accipiebant, quo ad ſatietatem reficerentur, & ideo nihil de eius diuinitate cogitabant: nam copia panis Dei obliuionem inducit. At verò in mari maximum infortunium paſſi ſunt, dum nauicula operiretur fluctibus, & ad ima maris prægrauata deſcenderet, vbi mors omnium terribiliſſima à fronte & à tergo inſtabat, idcircò tanto periculo edocti, Chriſtum eſſe verum Deum agnouere. Audite Theophylactum in citatum ſcripturæ locum ita diſcurrentem: *Ideò Chriſtus permiſit eos tentari, vt qui à panibus eum non cognouerunt, à mari notitiam perciperent, & vtilitatem Dei.* Ecce habetis quanta felicitas ex infortunio, vt tunc maximè Deus agnoſcatur.

Theoph.

Nabuchodonoſor ille rex, qui nec dormiendo vanitatem ſopiebat, animo depinxerat imaginem, nec diſtulit, quæ interiori delineauerat phantaſia, exteriore cumulatiùs perficere induſtria. Statuam igitur conſtruxit arte & metallis operoſiſſimam, & licet ſenſibus carenti, artificumq; ſtudioſa operiſitate conflatæ, diuinos cultus & frequentia thura inſanus iuſſit offerri. Vbi vicina fornax flammis

A horrendum quid ebullientibus plures ſacrilego regis mandato obedire coëgit: quia plus vitam maluerunt tegere; quàm veritatem amare ſoli tres Hebræorum pueri, conditionales regis minas deridentes, flammas ob veræ religionis tutelam potiùs animosè pati elegerunt: quia ſuam religionem obnixa deuotione cuſtodiebant; corporis autem ſalutem pro veri Numinis amore deſpexerant. Rex barbarus & ſacrilegus indignatione ſuadente, nimia crudelitate pueros in- B nocentes flammis tradi imperauit comburendos. Obſtupeſcite admirandum incendium, & ſpectaculum Deo dignum: in ignis fornacem, aut potius fluuium coniecti, per flammas pedibus illæſis ambulantes, & ſuauiſſimâ aurâ, blandoq; zephyro perfruentes, hymnum Deo concinebant ſecuriſſimi. Quippè ignium globuli fidei virtutem reueriti pueris contra naturam adulabantur: quia vt dicit ſcriptura Danielis 3. *Angelus Domini deſcendit, & excuſſit flammam ignis de C fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neq; contriſtauit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* Porrò illa verba: *quaſi ventum roris flantem,* Græcè leguntur, *ſicut aërem roſcidum leuiter ſibilantem;* vt non ſolùm ignis impetum extinxerint, ſed pro ignis ardore eos tangente blandiſſimam roris auram, qua interiùs mirè reficerentur, haurirent; ad eum modum, quo de ſeipſo innumeris calamitatibus afflicto dicebat Doctor Gentium 2. Co- D rint. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Mira profectò res, opacitas erat tunc intùs in fornace, incendium foris; intus à pueris hymnus canebatur, foris vlulatus audiebatur. O magna potentia DEI, incenſores incendio concremati ſunt, & qui incenſi ſunt, incendio ſuo ſuperſtites, triumphantes in camino ambulabant. Quod vbi barbaro regi nunciatum eſſet, rei nouitate permotus, de ſolio ſurrexit, vt fornacem proſpectaret. Vix autem inſpexit, exclamauit impius: *Ecce video*

Daniel. 3.

4. Cor. 2.

Daniel. 3.

te video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti, ſimilis Filio Dei. Auget admirationem ſacramentum in hoc miraculo abſconditum. Antea ſæua æmulorum inuidia Danielem rapidis leonibus ſtatim deuorandum obiecerat, ne tamen truculentæ beſtiæ, ei quidpiam nocerent, deſcendit Angelus, qui rictus ferocium animalium concluderet, & exacutos vngues frænaret ; *Deus meus* inquit, *miſit Angelum ſuum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Daniel 6. Ad trium autem puerorum in fornace obambulantium auxilium, non Angelus ſubmiſſus, ſed ipſemet Angelorum Dominus deſcendit : *& ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Exiſtimo, quia numerus actionum inuexit diſcrimen : vnus Daniel leonibus tantummodò obiectus erat ; æſtuanti autem fornaci congregatio multorum tradita eſt. Quia Daniel in lacu licet inter egregios præcipuus, & dignitate præ alijs honoratus, ſed tamen ſingularis erat ; in fornace autem tres fide & pietate inter ſe vniti : ideò vbi honorabilis cõmunitatis forma conſpiciebatur, excĕlletioris honoris prærogatiua meruit decorari. Et tamen barbarus rex ita erat obcæcatus, vt in tàm manifeſto miraculo licet Dei Filium cum ambulantibus pueris ſpectaret, cuius omnipotentiâ ignis fuit impeditus, ne vreret, ſolam ei diuinitatis ſimilitudinem, non ipſam diuinitatem tribuere auſus fuerit.

Daniel. 6.

Nabuchodonoſor cũ brutis coæquatus.

Videamus quid poſtea factum ſit : poſtquàm Nabuchodonoſoris ſuperbia, & humanæ vanitatis limites ſupergreſſa iactantia, eò temeritatis proceſſerat, vt inter Numina indigitari cõtenderet, loquens : *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Hæc dicens mirando portento in brutum commutatus apparuit. à regnoq; eiectus, & coactus cum feris ambulare, herbis viuere, in quo miſer ſeptennium conſumpſit. Brutum igitur montibus deerrabat humana ſpecie prorsùs obliterata, & oculis aſpicientium deleta. Quid tunc ? in tanta calamitate Deum verum ſuum Dominum recognouit. *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſæcula laudaui, & glorificaui.* Ecce quamdiu Nabuchodonoſor in regali ſolio ſedens omni proſperitate, & ſecuritate fruebatur, Deum non agnoſcebat ; quia multorum cõſiliariorum & ſapientum prauis ſuaſionibus dementabatur, & licet Daniel veræ fidei ſacramentum, Deiq; præpotentis timorem, ac ſupra omnes reges, & mundi Principes ſupremum dominatum ei toties inculcaret ; nihil tamen propter aſſentatorum multitudinem effecit. At vbi brutis annumeratus eſt, tunc primùm ad eam rediit perfectionem, vt occulta myſteria agnoſceret, Dei potentiam, cui nulla creatura reſiſtere valet, palam profiteretur, benediceret, ac prædicaret.

Daniel 4.

Nabuchodonoſorẽ infelicitas docuit rectè ſentire de Deo.

Ediſſerite quæſo, vnde tanta intelligentia Nabuchodonoſori euenit, vt qui antea in ſolio Deo æquari voluerit, poſtea inter iumenta fæno victitans, eius inacceſſæ maieſtatis ſeipſum humillimè ſubmitteret, veniam precatus. Equidem fatebimini, quia vexatio dedit intellectum, quem ſuperbiſſimus potentiæ faſtus abſtulerat, vel ad minus denſis vanitatis tenebris obcæcauerat. Audite Theodoretum in perſona ipſius mirè diſcurrentem : *Ille* inquit, *ego, qui tanta arrogantia olim dixeram : quis eſt Deus, qui eruat vos de manu mea ? qui ſomniaueram fore, vt in cælum aſcenderem, & ſuper aſtra ponerem thronum meum : experientia doctus didici quid deceat, meam ſeruitutẽ agnoui, idcircò in cælũ oculos meos ſuſtuli ; cùm enim experientia didicerit, quid homo, quid Deus ; altiſſimum & viuentem appellat, propriamq; tenuitatem agnoſcit.* In infirmitate itaq; omnia magna attribuebat Deo, ſeque nihil pendebat, & quaſi nihil vnquam fuerit, æſtimabat. Quia nimirum infirma docent humanas mentes, quam non ſit hominis, ſed Dei, quod magna in lucem procedant. Hoc conſiderans Dauid rex dicebat Pſ. 118. *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Et vnde humiliatio in bonum cedit, niſi quia nos perducit ad bonorum authorem Deum. Ait Nazianz. Orat. 17. *Prudenter illi faciunt, qui calamitatibus erudiuntur, Dauidicum illud in ore habent : Bonum mihi quia humiliaſti me : quod videlicet ea res iuſtificationum Dei cognitionem pariat. Qui quidem ob dolorem ſeſe magis Deo adiungunt, ac beneficiorum omnium authorem per afflictionem ſibi conciliant.* Ergo non eſt maior felicitas, quàm infortunium, quàm calamitas, quàm afflictio : quoniam hæc facit in infirmitatis noſtræ cognitionẽ nos venire, & Deo authori bonorum omnium per pœnitentiam humiliari.

Theodor.

Pſal. 118.

Nazian.

Perpendite quantum profuit afflictió Nabuchodonoſori, vt ſe Deo humiliaret, & arctam pœnitentiam agens priſtinæ ſpeciei humanæ, ac throno reſtitui mereretur, Septennis enim illa abſtinentia, dùm fœno victitaret, in hominem eum reſculpſit, quem vſque ad brutorum cenſum ciborum copia deiecerat, Intulerat tumoris culpa bruti ſpeciem, aquilæ, aut leonis, vel bouis figuram ; at dùm in afflictione pœniteret, ita prorsùs dedecoris illius ignominia eſt abraſa, vt antiqua forma eſſet reddita. Qui enim illum aſpiciebant, licet ſolio agnoſcerent non exiguo tempore caruiſſe, ſuſpicari tamen non poterant humanam faciem mutaſſe. Hic mihi in memoriam reuoco illud Tertull. lib. de pœnitentia cap. 2. *Pœnitentiam* inquit *deſtinabat purgandis mentibus præpoſitam, vbi quidquid error vetus inquinaſſet, quidquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, & radens, & foras abijciens mundam pectoris domum ſuperuenturo Spiritui ſancto paret, quo ſe ille cum cœleſtibus donis libens inferat.* Euerrit certè, eraſit, pœnitentia in Nabuchodonoſore, quidquid culpa intulerat. Addit citatus Tertullianus cap. 12. *Babylonium regem in regna reſtituit, diù enim pœnitentiam Domino, immolârat.* Quippè antiquo ſplendori ita eſt reſtitutus, vt aſpicientibus nullatenus interceptus videretur.

Tertull.

Et ſi parum adhuc vobis videtur, aduertite infortunium, calamitatem, & afflictionem vel ex hoc ipſo pro ſumma felicitate reputari debere, quia eſt fons omnium voluptatum, atq; honorum, quod ſic concipite. Sanctiſſimus Apoſtolus Petrus ab Herode comprehenſus, in tenebroſum carcere detruſus, & vinctus inter milites ſtans profundè dormiebat, cui Angelus adſtans ita eum percuſſit, vt excitaretur. *Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoq; latere Petri excitauit eum dicens : ſurge velociter.* Ponderate percuſſum Petrum, an certè ad eum excitandum non ſufficiebat illum tangere ? cùm & in veteri teſtamento ſolo tactu excitatos Dei prophetas per Angelos legamus. Dormiebat Elias, vt tamen eum Angelus excitaret, ſolùm tetigit. 3. Reg. 19. *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi ſurge, comede.* Cur igitur Elias non niſi tactus ; Petrus verò percuſſus, num aliquid Petrus minus agebat ? minimè equidem, ſed eruditione indigebat, nimirum tunc ſecundùm Eccleſiæ ſtatum non fuiſſe tempus dormiendi ; ſed velociter diſcurrendi per terras, per regna, per prouincias, per inſulas, per orbem, quod Eliæ non erat neceſſarium, qui tantùm ad comedendum excitabatur. Et licet D. Chryſoſthomus homil. 26. in Acta. tom. 5. iſtam percuſſionem ad animi ſecuritatem Petri Apoſtoli referat, inquiens : *Vide Petrum dormientem, nequaquam in mentis agone conſtitutum, illa nocte qua producendus erat, vt occideretur, dormiebat, totam cauſam proiecerat in Deum, & ita grauiter dormiebat, vt latus eius percuteret Angelus, & diceret, ſurge velociter.* Verius tamen cenſeo, id propterea factum, quia Petri opera neceſſaria tunc erant Eccleſiæ, eius doctrina, eius vita : non erat quippè tempus ita profunde dormiendi, & ideò Angelus eum liberans, ſimulq; inſtruens, non ſolùm tetigit, ſed etiam percuſſit, dicens ; *Surge velociter.* Quare *velociter* ? nunquid Angelus

Actor. 12.

3. Reg. 19.

S. Chryſ.

Petrus dormiens cur ab Angelo percuſſus.

gelus Domini aliquid timebat suum opus impediturum? nil minus: nam vt dicit Oecumenius: *Non trepidantis est, sed suadentis, ne cunctetur.* Ergo per hoc instruere eum volebat Angelus, ac præmonere, tempus non fuisse dormiendi; sed velociter discurrendi, altè prædicandi, non somniandi; proinde non solùm tetigit, sed etiam percussit.

Oecum.

Atque hinc facilè animaduertite, quanta consolatio, quantus honor ex afflictione in Petrum Apostolum redundauerit. Appropinquabat iam propè ineuitabilis mors, cudebantur crudelia decreta, exquisitissima parabantur tormenta; Petrus tamen quasi nullo tangeretur mœrore, nulla moueretur perturbatione, profundè dormiebat. S. Hilarius dicit: *Quia nunquàm sancti dulcius requiescunt, quàm, cùm laboribus fatigantur.* Dormiebat Petrus, quia sciebat, nusquam afflictis consolatores Angelos defuturos. Vnde S. Chrysosthomus serm. 8. in Epistol. D. Pauli ad Ephesios ponderans Petrum ab Angelo in carcere visitatum, & de somno excitatum, dicit, quòd si sibi optio daretur, vtrum Angelus excitans, an Petrus vellet esse excitatus, seu vtrum Angelus percutiens, an Petrus percussus, personam potiùs Petri eligeret, relictâ Angelicâ, *Hic si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis, vis esse Angelus Petrum soluens, an Petrus seruatus, Petrus vtique maluissem esse, propter quem & Angelus descendit.* En quantam Angelis sanctis debemus reuerentiam, qui etiam in maximis afflictionibus ad consolandum nos de cælo descendunt: quia tota eorum natura ad amorem erga nos, & benefaciendum nobis composita est, adeò vt hac sola ratione conuictus Angelicus Doctor affirmet, Angelos in purgatorio non affligere animas hominum: quia non est credendum ita terribiliter eos torquere posse conciues suos.

S. Hilari.

S. Chrys.

Angeli in purgatorio nō affligunt animas.

Illud tamen miror, quòd Angelus Domini, eductum de carcere Petrum, & se extra ciuitatem iam sequentem deseruerit: *Et exiens sequebatur eum: Et exeuntes processerunt vicum vnum, & continuò discessit ab eo.* Ergone tam breuem consolationem Angelus Petro attulit, vt se illi vix benè experigefacto, & quasi adhuc somnianti, subtraheret? Ne credite Angelum ab eo localiter discessisse: cùm enim ille custos fuerit Petri, ei à primo natiuitatis puncto assignatus, vt censet Gerson Parisiensis in hunc locum, nō deseruit Petrum, sed illi etiam tunc inuisibiliter affuit, solùm externo habitu, & lumine, sub quo priùs apparuerat, ab illo separatus. Quod si scitari volueris: quoniam Angelus tunc inuisibiliter Petro aderat, & illum vbique comitabatur, cur antea in carcere non etiam inuisibiliter affuit, & catenas sustulit, eumque impulit, vt exiret? cur maluit in carcere cum tāto lumine visibiliter apparere, vt vinctū solueret, & solutum duceret; postea verò hæc externa despiciens, in solis inuisibilibus auxilijs præstandis durare? scito, post eductionem de carcere, cùm iam Petrus esset suis vicinus, inter quos latere posset, & ita facilè defendi, vt tam grauia pericula non instarent, meritò Angelum ab exhibendis externis, & visibilibus auxilijs discessisse. At verò cùm esset in carcere duabus catenis constrictus, & inter milites positus, vt posset securius ad mortem reseruari, ideò sub multo lumine Angelus apparuit, vt euidentissimè atque apertissimè posset Petrus experiri fraternum auxilium sui Angeli. Ita D. Chrysosthomus hom. 26. in Acta fatur: *Ea sanè quæ in carcere gesta sunt, magis mirabilia erant, hoc autem iam humanius: recedit enim Angelus, cùm nihil prohiberet.* Quid melius dici potuit? quando carcer, quando milites, quando catenæ Petri exitum prohibebant, & auxiliatoris aditum, accessit visibilis, & refulgens Angelus. Nam frequenter in magnis periculis, apertissimè Angelorum auxilium adesse solet. Vbi verò nec carcer, nec milites, nec catenæ prohibentes erant, sed res humaniùs agebatur, recessit Angelus non à custodia Petri, sed à tam visibili apparatu. Mene-

Actor. 12.

S. Chrys.

Meretur adhuc ex tertio capite calamitas, afflictio, & infortunium nomine felicitatis intitulari, quia hominem cum Deo indissolubili nexu copulat, qui est fons omnis felicitatis. Cuius veritatis testis est cœlestis spōsa Cant. 5. affluebat illa omnibus delicijs atque voluptatibus: Amaltheæ cornu omni copia refertum in domo eius permanebat, reficiebatur delicatis cibis atque potibus, vt ipsamet fatur. *Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.* Septuaginta legunt? *Manducaui panem meum cum melle meo.* Quid in pane, nisi abundantia & copia bonorum omnium intelligitur? At quale est mel, quo ista copia, & abundantia ita temperatur, vt dulcis, & suauis appareat? Equidem austeritas vitæ, & omnimoda diuinorum præceptorum obseruantia, de qua bonorum temporalium vsus dulcis, & maximè suauis promanat. Vnde dicit S. Gregorius Nyssenus homil. 10. in Cant. *Panis lætitiæ est beneficentia, conditus melle præcepti:* nam quoties ad beneficum vsum temporalium adiungimus præceptorum obseruantiam, mel addimus, ex quo mirifica suauitas & dulcedo stillat. Hinc creato Adamo, & in exuperanti bonorum paradisi copia constituto, præceptum statim à Deo legitur impositum, Genes. 2. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Et cur Dominus Deus tantam bonorum segetem præcepti onere grauauit? cur non magis omni præcepto liberum permisit hominem paradisi vbertati? vultis scire? Addidit præceptum, vt bonorum vbertas in paradisi suauitate & gloria seruaretur. Ait ibidem Hugo Victorinus: *Ecce dat præceptum, per quod si seruaret homo, paradisum custodiret. Præceptum datum, vt per meritum obedientiæ gloriosius obtineret bonum.* En quanti momenti est obseruantia præceptorum Dei, vt si in paradiso seruata fuisset, tota paradisi dulcedo integra mansisset homini, imò suauior, & gloriosior illa possessio fuisset.

Cant. 5.

S. Greg. Nyssenus.

Genes. 2.

Hugo Victorinus.

Necdum satis sponsam ex obseruantia præceptorum tantam hausisse bonorum affluentiam, vt omnia illi ex animi sententia euenirent. Sed insuper in sumptuoso & molli lecto dulces capiebat somnos, adeò vt illis suis delicijs sponsum cœlestem traheret, qui veniens dormientem vocabat sponsam, blanditijs alliciebat, vtque ad aperiendum ostium exurgeret, rogabat. *Aperi mihi soror mea sponsa, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. Blandissimis tamen vocibus excitata mille excusationis causas opposuit, exuisse tunicam, lauisse pedes: *expoliaui me inquit tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos:* Et quid arduum erat ostium aperire, cùm & sponsi postulatio, & ipsa compassio id exigeret. Res sane facilis requirebatur, sed de somni ignauia, de obediendi pigritia, veluti difficultatis plena detrectabatur: adeoque morosis gressib9 perrexit sponsa, vt sponsus maluerit noctium sustinere incommoda, quàm inurbanæ sponsæ lenta expectare vestigia. *At ille declinauerat, atque transierat.* Mox pertæsa celeriter surrexit sponsum cum lachrymis quæsitura: *Quæram, quem diligit anima mea.* Quid causæ? pulsanti ostium antea, & blandè roganti apperire noluit: quem tamen postea anxiè per vicos & plateas discurrens quæsiuit: imò etiam nuditatem & vulnera patienter tulit: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatē: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Ecce antea vocata vt apperiret, paucos gressus ponere renuit, quæ postea non vocata, nuditatem plagasque tulit, & ciuitatis vicos peragrauit. Vtique durius erat amittere pallium, quam corpori circumiecisse ornamentum; laboriosius per ciuitatis vicos noctis caliginibus impeditam excurrere, quam domus ostiolum reserare. Cur ergo si de trectauit facilia, amplexa est duriora? Duas potissimùm causas innuit sacer textus.

Cant. 5.

Primam, quia dùm sponsus pulsaret, eius adurgebatur præcepto: *Aperi mihi*

mihi ſoror mea ; poſt diſceſſum verò ſponſi voluntatis mouebatur arbitrio, & quamuis fuerint hæc dificillima, vt dulciſſima tamen deuorauit ; illa verò quæ profectò facillima, vt mille implexa difficultatibus renuit. Ita docet D. Gregorius ſuper hunc locum. *Ad votum ſuum hoc, quod inuocat, non occurrit : reſtat ergo, vt in ſe reuertens ſe cognoſcat, & per ſcripturas ſanctas dilectum ſuum magis ac magis illo guſtu adiuta perquirat : & hoc eſt, quod ſequitur. Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem.* Sponſus antea vocabat, modò nec ad ſponſæ votum reſpondere volebat ; verùm dùm ipſa inquirendi ſtimulatur voto, nullo deterretur damno. O quàm prompta quæſiuit, quando voluit ; quàm lenta, quando debuit. Lex excuſationis differebatur, præceptum extrahebatur ; ſed voluntatis implebatur arbitrium, & arbitrij non differebatur votum. Facilè fuit ſpoliari pallio, plagis grauiter concuti, nocte per vicos ciuitatis diſcurrere, quando conſuluit arbitrium ; difficilè autem lotis pedibus de lectulo ſurgere, aſſumere veſtimenta, quando vrgebat præceptum. Vt hinc manifeſtè conſtet, propriam vniuſcuiuſq; voluntatem ardua quæuis, leuia & mellita facere, vt ſic promptiùs obtemperemus propriæ voluntatis conſilio ; quàm legis, aut naturæ præcepto.

Alteram cauſam inſinuat idem ſacer textus, quia ſponſa nõ alio tempore quæſiuit ſponſum, niſi nocturno ; Cant. 3. *Per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Inquirite quid nox ſignificet, nonne infortunia, tribulationes, perſecutiones, & quaſuis anxietates ? ſic enim exponit D. Ambr. in Pſal. 118. ſerm. 7. propè finem, vbi verba hæc, S. Ambr. *quæſiui per noctes,* ita explicat : *In perſecutionibus & aduerſis, in tribulationibus & laboribus duris.* Tempore igitur felicitatis Deus ſe vltro hominibus offert, frequenter ad cor pulſat, aperi ſibi in domicilium animæ poſtulat, ſed homines proſperis rerum ſucceſſibus ineſcati, Dei obliuiſcuntur, nec quidquam de illo cogitant ; in tribulatione autem difficilem ſe præbet, & ideo ſolicitè quæritur orando, lachrymando, deprecando. Sic docet D. Ambroſius : *Dies* inquit *eſt, quibus adeſt Chriſtus : nox eſt quibus ſe denegat.* Ergo quamdiu ſponſa, id eſt anima fidelis in proſperis erat, delicijs affluebat, minimè ſponſum quærebat ; ſed poſtquam tribulationibus vexari cæpit, tunc primùm anxiè ſponſum ſine mora quæſiuit. Hoc nobis obijci meritò poteſt his temporibus, quando in proſperis & ſecundis verſamur, tunc Chriſto minimè adhæremus, nec vllas gratias agimus. Quòd ſi nos perſecutor exagitet, ſi aliqua procella perturbet, ſi filius moriatur, tunc primum in illo dolore, in illa nocte, in illa deſtitutione, ad Deùm confugimus. Si pellimur in exilium, tunc primùm meminimus Domini Dei noſtri, quaſi charitatem patriæ interdictæ Deo præferamus. Si alicuius diuitis oppreſſi potentiâ amittimus proprias facultates, non habemus, quo nos ſuſtenſtare valeamus, tunc primùm Deum inuocamus, vt nos ſua beneficentia adiuuet, ne ſcilicet nox egeſtatis abducat à deuotionis affectu. Ergo tribulatio, perſecutiones, infortunia, pro maxima felicitate reputari debent, quia nos Deo coniungunt.

Mortuus erat Lazarus in iuuentutis flore, cùm venuſtiorem ætas valida explicaret pompam, & diuturniorem promitteret vitam : adeò fragili vita noſtra pendet filo, vt vel in ipſo ortu occidat : adeò caducis innitimur, vt dùm nobis ſtare videmur, ſubitò velut aquæ dilabámur.. Mœſtæ ſorores pias lachrymas fundebant, Dominum deprecabantur, varijſq; obſequijs obſtrictum pulſabant affectu, & ad commiſerationem lachrymarum mouebant ſingultu : *Domine frater noſter mortuus eſt.* Ioan. 11. Miſertus Chriſtus quatriduanum Lazarum verbo ſuo omnipotenti reſuſcitauit, ita cum mortuo, ac cum viuo differens : *Lazare veni foras.* Mox Lazarus de ſubterranea ſpecu ſe prorumpens circumſtantibus apparuit, ſed cum mira cerimonia : *Prodÿt, qui fuerat mortuus, ligatus manus,*

& pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat ligata. Et quidem quòd facies eius ſudario ligata eſſet, non mirum, quia in profundo terræ depoſitus mundum non videbat : ſi enim perpetuas mundi iſtius viciſſitudines ſpectaſſet, graueſq; tribulationes, & calamitates, maluiſſet in ſinu Abrahæ æternùm quieſcere, quàm ad vitam mortalem tantis ærumnis obnoxiam reuerti. Sed illud admiratione non vacat, quòd ligatus manus & pedes inſtitis prodierit. Quid tunc ? Dominus vincula iuſſit diſſolui, & ſepulchrales faſcias auferri, quo poſſet longius abire : *Soluite eum, & ſinite abire,* o ſtupor ! o prodigium !

Quando Chriſtus viduæ filium tactu, voceq; exſuſcitauit, vt dolorem matris in gaudium verteret, nullam mentionem de ſolutione ligaminum fecit, ſed tantùm vt ſurgeret, voce imperauit : *Reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Ecce hìc non iuſſit ſepulchrales faſcias abſcindi, nec vitâ donatum adoleſcentem à feretro longiùs recedere. Si igitur puero lethi ſigna auferri non mandauit, quid neceſſum erat, vt Lazarus & ſepulchra deſereret, & à ſepulchro longiùs abiret ? ſed benè eſt, quòd ſepulchrales faſcias adſtantes Lazaro ſoluant, quòd funeſtis illis integumentis denudent, quia hoc ſororum lachrymæ à Domino impetrârunt, vt palam fiat, poſſe defunctos fidelium precibus adiuuari. Pedes habebat Lazarus, vt ad Dominum inuolaret ; oculos, vt videret ; ſed non valebat ligatura conſtrictus, & ſudario retardatus. Verùm, dùm ob ſororum lachrymas vinculum ſolutum eſſet, & velamen oculorum ablatum, tunc Lazarus Chriſtum liberis luminibus aſpicere, & veſtigijs expeditis excurrere poterat. Ait Zeno Veronenſis ſermone de Lazaro : Zeno Veronenſis. *Quia ipſe ſororum fletibus mouebatur, lachrymis Filij ſui Saluatoris noſtri inter ipſos cælos Pater flectebatur.* Viuebat iam Lazarus ; ſed adhuc tecta facie, manibus, pedibuſquè conſtrictus ad vocantem Dominum properare nequibat : ad documenta virtutum ipſe, qui fuerat mortuus, manibus & pedibus vinctus erat ; vt verò eum Chriſtus ſolui iuſſit, manus ſacerdotalis vinculis liberauit. Impediebant vincula ; non tamen talia erant, quæ reſolui, & relaxari non poſſent : ergo dùm ſorores preces, & lachrymas funderent, Chirſtus ad commiſerationem mouebatur, & ad eius imperium reſeratum eſt ſepulchrum ablatum impedimentum. Diſtabat à ſororibus Lazarus ; poterat tamen precibus earum iuuari, & ad feciſſimam Dei viſionem diſruptis repagulis reuocari.

Ad quid neceſſum erat, Lazaro imperare, vt à ſepulchro longiùs abiret, cum hoc in adoleſcente reſuſcitato factum non legamus : imò magis opportunum videbatur, Lazarum ad clariorem miraculi conteſtationem penes ſepulchrum ſubſiſtere. O ſapientiam immortalem ! In Lazaro plenam Dominus reſurrectionis formam nitebatur oſtendere : ideò iuſſit abſolutum ſepulchralibus faſcijs abire ; at verò viduæ filius nondum omnem mortis caliginem excuſſerat, dum feretrò inſideret : cùm enim mortis non tranſiliret confinia, adhuc ſuſtinebat & mortis probra. Ergo quia in Lazaro plena debebat reſurrectionis forma micare, oportebat eum à ſepulchro longè recedere. Vterq; fateor ad Domini vocem reſurrexit ; ſed alter duntaxat normam reſurrectionis perfectæ docuit. Lazarus quippè & ſepulchri excuſſit teuebras vitæ redditus, & ab omni ſepulchri degit vicinitate remotus. Vt præclarè innuit Chryſologus ſerm. 63. Chryſol. *Circa Lazarum quod geritur, totũ ſingulare eſt, cuius mors, cuius reſurrectio commune nihil habet cum prædictis ; quem circa & vis tota mortis impleta eſt, & forma reſurrectionis plenæ reſplendet.* Ecce diſcrimen viduæ filij à Chriſto reſuſcitati, & Lazari : filius viduæ quia nondum lethi totaliter ſignis exutus erat, dùm feretro adhuc inſideret, ideo ſolùm non eſt iuſſus. At verò Lazarus, quia dùm ſepulchrum deſereret, dùm lethi non circumferret ſigna, dùm á ſepulchrò longa degeret diſtantiâ, verè à culpa reſurgentis

gentis futuris exhibuit normam, proinde neceſſe erat, vt mortis ligaturis iam abſolutus longiùs abiret, vt ſic plena reſurrectionis luce reſplenderet.

Myſterium tamen in hiſce ſepulchralibus faſcijs quibus ligatus prodijt Lazarus, ad noſtram inſtructionem valdè neceſarium latet. Quoties enim ſoluti miſerijs, & in omni proſperitate ſecuri vitam ducimus Dei obliuiſcimur; dum autem calamitates nos inuadunt, infortunia premunt, tunc ad Deum confugimus, tunc orationes & preces fundimus, præterita errata corrigimus, & vitam in melius comutamus. Quoniam igitur ex rebus aduerſis, & infortunatis caſibus omnis felicitas promanat, noſquè firmiſſime coniungit cum Deo per propriam & Dei ipſius cognitionem; ideo quidquid ſiniſtri nobis euenerit, æquo animo ſuſtineamus, Deum humiliter placando, & pijs orationibus inceſſanter in ſubſidium euocando.

EADEM DOMINICA,

CONCIO QVINTA.

Abſq; Synagogis facient vos.

Ioannis. 16.

Chriſtus valedicendo Apoſtolis pro maxima conſolatione futuras tribulationes prædixit.

DVriuſculè aliquantum vt video Chriſtus Dominus cum ſuis Apoſtolis procedebat: cùm enim poſt triumphalem ſuam reſurrectionem cælos conſcenſurus valediceret Apoſtolis, vbi lætum aliquid, & ad retinendam ſui memoriam iucundum eis dicendum erat: & ecce ille futuras tribulationes, inter quas eiectio de Synagoga reputabatur maxima; quemadmodùm apud nos eiectio de Eccleſia per excommunicationem, cœpit illis prædicere:
Ioan. 10. *Abſq; Synagogis facient vos.* Hoc eſt Iudæi eijcient vos de Synagogis ſuis, ne veram fidem, ſine qua nemo ſaluari poteſt prædicare poſſitis: non enim futurus erat alius populus Dei, niſi Iſràèl, ſi Chriſtum recepiſſet, nec eſſet alia eccleſia Chriſti, nec alia Synagoga Iſràèl. Sed quia iſte populus ſemper duræ ceruicis exiſtens, voluit eſſe ſine Chriſto, ideò volentes conſtituere ſuam iuſtitiam, expellunt eos, & ſummo odio perſequuntur, qui nunquàm volunt eſſe ſine Chriſto, iuſtitiæ eius ſubiecti. Rem itaq; ſuis Apoſtolis Chriſtus in vltima valedictione plenam amaritudinis propoſuit: *Abſquè Synagogis facient vos.* Quaſi diceret: non qualicunq; tormento vos affligent, ſed morte, quæ eſt vltimum omnium terribilium in præſenti vita. Quod magis adhuc paulò inferiùs expreſſit Chriſtus diſcipulis ſuis loquens. *Venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſq; in propria? & me ſolum relinquatis: ſed non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Et nonne tu ipſe Domine in cruce querebaris te derelictum à Patre, voce illa valida clamans Pſalmo 21. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* quomodo nunc dicere potes, te neq; in illis tenebroſis horis fuiſſe ſine Patris aſſiſtentia? Audite Rupertum ingenioſè id enucleantem; *Tantillum* inquit *dereliquiſſe me videbitur: quia ſilebit: ſed non longè faciet auxilium ſuum à me: eruet enim à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam, à mortuis me ſuſcitans; & ex inde palam ego faciam, quòd non reliquerit me ſolum Pater: quia narrabo nomen eius fratribus meis.* Expendite, quomodò dicat ſe oſtenſurum, quòd non fuerit derelictus à Patre: nimirùm ex eo, quòd fratribus ſuis hominibus bona Patris narrauerit. Non equidem poterat eſſe ſine Patre, qui totum ſe pro hominibus dedit, quorum ſalus à Patre procurata & diſpoſita erat. Igitur nec Apoſtolos à Chriſto derelictos fuiſſe poſſumus opinari ex eo, quia Chriſtus varijs eos afflictionibus vexari permiſit: imò hinc certiſſimum ſumere debemus argumentum, eos tantò arctiùs cum Chriſto fuiſſe colligatos, quantò audaciùs ſacram eius paſſionem hominibus annuntiabant. Ait enim Origenes. *Anima quandocunq; ſe ſociauerit verbo Dei, non dubitet ſe habere mox inimicitias.* Et paulò inferiùs addit: *Sciant, quòd qui amicitiam iniuerint cum Ieſu, ſe inimicitias tolerare oportere.* Vno verbo loquendo, nunquàm vir probus ſine afflictione, innocens ſine vexatione, iuſtus ſine contemptu, fidelis Dei ſeruus ſine perſecutione. Vir deſideriorum Dei erat Daniel, apud Babylonios Monarchas in magno pretio, Regi Nabuchodonoſori & Dario ſummè placuit; & quidem huic præcipue fuit chariſſimus. Quid tamen inde ſubſecutum? ſanè maxima afflictio, & perſecutio vſq; ad mortem: *Tunc rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum.* Daniel 6. Quia nimirum Principes mundiales raró non ducunt ſuos in perditionem. Iacebat inter leones bonus Daniel omni ope amiciſſimi Regis deſtitutus; ſed Deus, qui ſolus ducit in ſalutem, ſeruum ſuum non deſeruit. *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Videte, quid Daniel à Regis fauoribus habuit, & quid à Deo. Mutabilis regius fauor illum ad leones famelicos diſcerpendũ deduxit; Deus autẽ ad ſalutem. Quod ſapienter ponderat Clemens Alexandrinus lib. 2. ſtromat. cap. 9. inquiens: *In antrum feris plenum adduxit Danielem Rex Babyloniorum; ipſum autem eduxit illæſum Rex vniuerſorum, qui eſt fidelis Dominus.* Conſiderent hoc, qui toto conatu adhæreſcunt vanis Principum vmbris, & ſeriò aduertant, quo tandem deducunt mundi Principes amantiſſimos aſſeclas ſuos. En in antrum feris plenum adduxit Danielem Rex amicus, nec alius felicior exitus expectandus eſt de Principibus mundi. Solus Deus fidelis Dominus eſt, qui nunquam ſuos non deducit in ſalutem. Quis patientior Iobo, qui tamen vt virtus, & conſtantia eius, tanquàm per ignem probaretur, nudus in ſterquilinio iacebat, teſtâ ſaniem radens? Quis virtutibus clarior Phocione? qui tamen ab Athenienſibus in carcere cicutam bibere coactus eſt. Quis Catone grauior, & boni publici amantior? qui tamen Patriam, quam ab hoſtibus defenſam ſeruauit, pro hoſte inuenit, dum ab ingrata plebe Romana publicè per forum traheretur in terram proiectus. Quis ſanctior Ioanne Baptiſta; & tamen ab Herode in fœtidum carcerem detruſus erat: quia virtus nunquàm æmulo caret. Licet igitur Chriſtus Dominus aſperiùs ſuos Apoſtolos in hac ſua valedictione tractaſſe videatur, oſtendam nihilominùs nihil iucundius ab illo dici potuiſſe; quàm cùm futuram de Synagogis eiectionem diſcipulis prædiceret.

Non facilè forſan quiſpiam aſſentiretur, iucundum fuiſſe Apoſtolis audire à Chriſto futurãm ipſorum de Synagogis eiectionẽ: quis enim æquo animo fert, dùm propria domo cedere iubetur. Moleſtum erat Protoparenti noſtro Adamo de paradiſo eijci, quem velut paternam domum inhabitabat. Adeò, vt Deus cum quadam violentia illum ex paradiſo excluſiſsè dicatur, Gen. 3. *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, eiecitq; Adam.* Vbi verbum illud *eiecit*, primos parentes inuitos, & reluctantes exijſſe indicat. Quia vt dicit Seneca epiſt. 54. *Nunquàm eijcitur ſapiens, quia eijci eſt, inde expelli, vnde inuitus recedas.* Sed quare illos pœnitentià functos, peccatumq; ſuum vberrimè deflentes, non ſolùm Deus emiſit; ſed etiam eiecit? Profectò vt ab arboris noxiè amatæ conſpectu omninò arcerentur: nam ab ea rurſùs viſa nouum ſubinde diſcrimen, atq; periculum timendum foret. Vt ingenioſè obſeruat S. Ioannes Climacus de fuga inanis vitæ, gradu 3. *Solent* ait *diu ſopita vitia reuiuiſcere. Eua à paradiſo inuita exulat. Rurſùs enim ad concupiſcendum inobedientiæ lignum pertracta fuiſſet.* Quod ſpectans prouerbiali locutione fatus eſt Nazian. orat. de ſeipſo: *Carbones ipſi moleſtiam nobis inferunt, etiamſi flammam ipſam effugerimus.* Quoniam ineſt carboni ſopita vis ignis, quæ facillimè excitatur, & reuiuiſcit. *Nam qui laborant à vitijs deſinere, & eorum, quæ impiè geſſerunt, obliuiſci volunt, in-* contiuo

Marginal notes: Pſal. 21. — Rupertus. — Origenes. — Daniel 6. — Clemens Alexand. — Genes. 3. — Seneca. — S. Clim. — Nazian.

contiuo tamen conſuetudinis ægrè deſinentis agitantur, dicit S. Hilarius in Pſalmo 136. Cuius veritatis pulchram figuram habemus 1. Mach. 1. nimirum ignem illum ab Hebræis ſacerdotibus defoſſum in alto puteo, & à loci aſſuetudine in aquam craſſam conuerſum; poſt plura verò ſæcula fulgenti ſoli expoſitus illico vehementer accenſus erat. *Vtq; hoc factum eſt, & tempus affuit, quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus; ita vt omnes mirarentur.* Equidem hoc tàm illuſtre portentum ſeſe quotidiè noſtris oculis ingerit: quot enim viros vidimus, qui ad reſiſtendum tentationi fortes videbantur, quot nouimus eiuſmodi, qui poſt repudij libellum profano amori miſſum, iterum ad priſtinam conſuetudinem rediere; vt meritò dicere poſſimus, animi ignem conuerſum iam fuiſſe in aquam craſſam, ad primum tamen orientis ſolis conſpectum, extinctum cinerem exarſiſſe, & ex craſſa illa aqua magnam flammam erupiſſe. Hinc illud de leuiatan, hoc eſt de dæmone prolatum: *Halitus eius prunas ardere facit.* hoc eſt, quòd eos, qui cupiditatibus incenſi temerario auſu in peccandi occaſiones ſe conijciunt, facili negotio, & leui flatu dæmon in peccata deijciat, atq; protrahat.

1. Mach. 1.

Iob. 41.

Non potuit quidquam magis afficere celebrem illam fœminam Agar, quæ Abrahami domum incalebat, vt famula exhibens illi miniſterium, dùm inſtante Sara ignominiosè eijceretur. Ludebat Iſmàël cum fratre ſuo Iſaac, & puerorum more iocabatur, quod videns Sara, ſtatim eiectionis ſententiam fulminauit. *Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Et licet Abrahamus ad ſpeciem improbauerit conſilium: imò durum Saræ ſugillauerit ingenium, dicente ſacra pagina: *Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo.* Cùm tamen Saræ conſilium exequi detractaret, quòd forſan non benè animatam in alienum filium putaſſet, Deus ipſe conſenſum imperauit: *Cui dixit Deus: non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua. Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Iſmàël igitur cum matre Numine ſententiam confirmante eiectus eſt, & in deſerto ſiti ardentiſſima diſcruciatus: *Creuit, & moratus eſt in ſolitudine, factuſq; eſt iuuenis ſagittarius.* En, quam dura ſors, coactus eſt habitare deſerta, qui paterna, olim habitauerat tabernacula! Quænam autem prolixi adeo exilij fuerit culpa, ſcrutantur profundè interpretes. Vtiq; poſt Iſaacum Iacob exſtitit, qui plures filios ex ancillis ſuſceperat; nec tamen vllus illorum exhæredatus eſt, ſed ſinguli cum liberarum filijs paternam hereditatem adierunt. Si ergo apud nepotem filij ancillarum cum liberarum filijs ex æquo ſuccedebant in bona paterna, cur apud auum tàm malè habebat filius ancillæ? Nunquid apud Abrahamum vilitas originis, officiebat filio ancillæ? Equidem non hoc: nam & in vili, & in nobili natiuitate inuenti ſunt, qui probarentur.

Genes. 21.

Alij itaq; hoc reijciunt in peruerſos Iſmàëlis mores, quód nimirum Iſaaco illuſerit, eumq; deriſerit. Sic cenſet Caietanus inquiens: *Non numeratur in textu Hebræo Iſaac; ſed interpres addidit: nec narratum Iſmael ludens cum Iſaac; ſed faciens irrideri: hoc eſt efficiens, vt pueri coætanei Iſaac ludentes cum eo irriſionem aliquam facerent ipſi Iſaac.* Quidnam autem in Iſaaco irriſerit, non conueniunt interpretes. Lyppomanus putat irriſiſſè grande conuiuium in Iſaaci ablactatione apparatum: *Impatienter* inquit, *fert Sara ludentem Iſmaelem, vel quòd irriſerit grande conuiuium Patris in ablactatione paruuli Iſaac.* Oppiparum igitur conuiuium ſuis obmurmurationibus obſcurauerat Iſmàël, aut ſanè coætaneos Iſaaci pueros, vt ei illuderent, induxit; aut deceptiunculas aliquas concinnauit. Quod licet ad ſpeciem leue cenſeretur pecccatum, longum tamen promeruit diuinâ ſententiâ exilium: vt hinc addiſcamus, quàm diſtricta olim

Iſmaël cur exheredatus & paterna domo eiectus.
Caietan.

Lyppom.

Dei noſtri etiam erga leues ad ſpeciem actiones fuerit ſententia, & quàm grandi illas puniuerit multa, vt ſic à leuibus quoq; abſtinere ſtudeamus erratis, ſi ardentiſſimis purgatorij pœnis nolumus cruciari.

Alij putant Saram ideò Agar famulatum repudiaſſe, & dedignatam fuiſſe miniſterium, quòd nimiùm ſuperba, & præſumptuoſa Agar in domo Abrahæ tumeſceret, vaniſſimeq; ſuperbiens eoſdem prauos & ſeruiles mores, filium ſuum Iſmâëlem edoceret. Vnde citata ſcripturæ verba ita exponit Lyppomanus: *Eijce eam ſuperbam, & præſumptuoſam cum filio deriſore.* Sed quid intererat ſuperbè tumuiſſe ancillam, ſi munus inſeruiendi debitè implebat? Quid intererat ancillam non adeo concinnis moribus vixiſsè, quandoquidem & ſtatus conditio ſeruiles mores facilè excuſare ſolet? Nam multa permittuntur ſeruis, quæ non ſuſtinentur in filijs: ergo ſeruam licet vltra conditionem ſuperbientem facilè Sara potuit ſuſtinere, dùm illa ſeruitutis officia impleret. Verumenimuerò videte; in Abrahami domo ſeruitus plus conſtabat probis moribns; quàm miniſterijs ſeruilibus: volebat Agar & famulæ nobilitari titulis, & ſuperbiæ ſimul fœdari contagijs; at prudentiſſima Sara, è domo illam eiecit, quam vitijs obſcuram videbat. Quia Abrahæ ſeruis non conueniebat ſuperbiæ tumoribus denigrari, aut indecoris præſumptionis maculis infici: ergo licet Agar ſeruire exambiret; Sara tamen prudenter eam repudiauit. Nam Abrahami ſeruis congruebat morum comitas, & actionum honeſtarum concinnitas; Agar autem externis tantummodò miniſterijs ſolertem adhibebat curam, ſed intus cum filio virtutibus deſtituta erat. Hanc ſententiam comprobat S. Aug: tract. 12. in Ioan. ita ſcribens: *Ne quis fortè dicat, ſed iſte in hæreſi natus eſt, & iſte in Schiſmate natus eſt, amputata ſunt omnia. Inuenimus enim natum de ancilla exhæredatum*, & natum de libera heredem. Rurſùs inuenimus natum de libera exheredatum, natum de ancilla heredem. *Natus de ancilla exheredatus Iſmaël, natus de libera hæres Iſaac. Natus de libera exheredatus Eſau, nati de ancillis heredes filij Iacob.* Non igitur ex nobilitate natiuitatis hereditas, aut ex ignobilitate exheredatio, ſed ex diuerſitate morum, ac virtutum. Pergit ibidem Auguſtinus. *Si* inquit *propterea exheredatus, quia de ancilla natus eſt; nulli ancillarum filij admitterentur ad hereditatem, Filij Iacob admiſſi ſunt, ad hereditatem: Iſmaël autem non quia de ancilla natus exheredatus; ſed quia ſuperbus matri, ſuperbus in filium matris. Non ergo illum viſcera ancillæ eiecerunt foras, ſed ceruix ſeruilis.* Quid elegantius? non materna vilitas offeciſſet Iſmàëli, ſi virtus non defuiſſet. Eiectus eſt, quia vanus, quia ſuperbus, quia ſeruilibus moribus fœdus; non quia ab ancilla traxit genus, quoniam multi ancillarum filij Iacobææ domui ſplendorem addiderunt. Illud tamen mihi verius eſſe videtur, huius eiectionis iuſtam in Iſmàële præceſſiſſe culpam, ſcilicet inuidiam, quâ laborabat contra Iſaacum, dum illi primogenituræ gloriam præripere ambitiosè moliretur. Sciebat Iſmàël factam fuiſſe Abrahæ promiſſionem, vocandũ in Iſaac ſemen, & futurum celebre nomen, atteſtante Diuo Paulo ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dixit & ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno.* Sciebat Iſaacum domui Abrahæ heredem datum, ſciebat Dei Filium carnem humanam ex ſemine eius aſſumpturum: hinc origo odij ac inuidiæ. Inuidit Iſaaco ſacrificij lignis prægrauari, ſacris illis vinculis conſtringi, ác in progenitorum Chriſti Domini cenſum referri. Imò non tàm dolendum, ſi hoc vltimum inuidiſſet, quod omnium maximum erat: quia facilè eum pietas excuſaſſet, quod & ipſe in numero Chriſti progenitorum cuperet haberi, cum hac felicitate nulla maior cogitari poſſit. Sed inde meritò culpandus: quia non curabat Chriſti Domini parentis auferre gloriam; verùm ſolam paternæ hereditatis

Agar ob ſuperbiam diſplicuit Saræ.

S. Auguſt.

Ad Gal. 2.

tis ambiebat ſummam. Itaq; Iſaac & Abrahami diuitiarum natus erat heres, & Chriſti Domini futurus parens: ex his autem prærogatiuis Iſmáël ſolùm inuidebat heredis iuri, non futuri parentis laudi. Quod ergo ad diuitiarum copiam, quod ad honoris excellentiam, quod ad ius primogenituræ ſpectabat, hoc ab Iſmáële ardenter exambiebatur; quod verò ad diuinæ prolis honorem, quod ad Domini parentis gloriam pertinebat, id contemnebatur. Nam cæci homines ſolùm diſcruciantur, ſi quis humanis fortunatus refulgeat, non ſi virtutibus excultus reſplendeat. Ait S. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis:

S. Hier. *Aduerſum Iſaac quaſi maioris ætatis loco ſibi primogenita vendicauerit, quod Sara audiens non tulerit.* Quaſi diceret: Diuitias hereditatis diſcupiebat, virtutes autem parui æſtimabat: non contendebat generationi Chriſti Domini inſeri; ſed tantùm Abrahami diuitiarum heres haberi. Proinde arduum illi erat cum de domo paterna eijceretur, arduum & matri, dùm in ſolitudine oberrans filium præ nimia ſiti areſcentem & prorsùs morientem ſpectaret.

Hoc vnicum maximè affecit illum hominem impolitum, qui ad nuptias, quas cœleſtis Rex filio ſuo apparauerat, ſine decenti habitu venire non erubuit, dùm ex iucundo conſeſſu eijceretur, Rege eum obiurgante:

Galfridus. *Amice quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem.* Ita, vt ſtatim præ pudore obmuteſceret? *At ille obmuit*, addit ſacer textus. Et cur quæſo obmutuit? vtiquè firmam ſatis opponere potuit rationem, nimirum, quia Rex miſerat ſeruos ſuos, vt quoſcunq; inueniſſet viros, compellerent ad nuptias venire. Qui iuſſa Regis exequentes, *congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbendium.* Si ergo omnes vocâtunt, ſi ad exitus viarum egreſſi ſunt, ſi bonis, & malis, ac quibuſcùnq; obuijs nuptias inſinuarunt, quid mali ille fecit mandato obtemperans? Si enim ex ſe, ſi ſponte ſe ingeſſiſſet, facilè poterat obmuteſcere; at verò quia vocatus, imò & compulſus venit, cur pro ſe non ſtetit, ſed præfocatus nihil reſpondit? ſanè obmutuit, quia tunc, quando ei Rex inſinuauit, quòd veſtem non haberet nuptialem, illud animaduertit, & tanto ſuffuſus eſt pudore, tantoq; verecundiæ onere, ſe ita inter ſplendentes conuiuas ſordidatum aſpiciens, vt quaſi extra ſe raptus, nec vocem, nec verbum protulerit excuſationis, ſed præfocatus obmutuit.

Quid tum? audite quid ſubiungat ſacer textus: *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Et quam ob cauſam tantam iram, tantaq; ſupplicia commeruit? Num quod veſtem nuptialem non habuerit? non equidem: quippè, etſi inurbanus, & delicto obnoxius; amicus tamen & ſocius à Rege vocabatur, quaſi bonus Princeps mali, inurbaniq; conuiuæ amicitiam, & ſocietatem ambiret. Quare ergo in tenebras exteriores miſſus eſt? opinor, quòd Rege eum non ſecus, ac Dauidem criminis arguente, vt ille ſic admonitus peccatum fateretur, atq; illud tàm efficax & ſalutare verbum proferret, *Peccaui*: ipſe præ malo pudore ſermonem compreſſerit, noxiumq; linguæ iniecerit frænum. Ob prauum ergo pudorem, quòd peccati confeſſionem recuſauerit, ita immiſericorditer punitus eſt. Pulchrè ad rem præſentem Galfridus in allegorijt Gotfridi Tilmani adnotat:

Matt. 22. *Conſideranda* inquit *eſt diligentius huius Regis & maieſtas etiam incomprehenſibilis, & dignatio amabilis, & indignatio valde terribilis. Maieſtas, quâ penetrat omnia, vniuerſa diſcernit. Dignatio, quâ ante iudicium ad pœnitentiam prouocat, dùm miſericorditer conuenit, quem reum inuenit. Indignatio, quâ eundem tacentem tenebris addicit, & ſupplicijs.* O hominem vecordem, & ſtultum, qui fumum ignominiæ fugiens, in tenebras exteriores, & ignem æternum proiectus eſt.

Illud tamen ſatis mirari nequeo, quomo-

quomodò iſte Rex inter nuptiarum feſta tàm ſeuerum decreuit ſupplicium? quomodò non expectauit, donec finiretur nuptiarum conuiuium, vt hominem miſerum percuteret? quomodò maluit funeſta hominis nece fœdare ſolennem nuptiarum diem? ſed reſpondet S. Chryſoſth.

S. Chryſ. hom. 9. in Ioan. *Hoc pacto & nuptias, & conuiuas honorat, cùm temerarios & impudentes expellit; aliter reliquos inuitatos offenderet.* Conſuluit profectò honori conuiuarum cæterorum, & nuptiarum, dum ibi reprehenderet, & eijceret ſordidum conuiuam: neq; paſſus eſt tantam nuptiarum gloriam impudentis hominis veſtitu turpari. Quoniam minus toleranda ſunt crimina in his, qui ad magnalia admittuntur. Vt hinc addiſcamus, quanta puritate, & ſanctitate diuinæ feſtiuitati homo adeſſe debeat: ſi enim impurus acceſſerit, magis offenſionem, quàm gratiam reportabit. Egregiè

S. Maxim. hoc tangit S. Maximus ſerm. in vigilia Natiuitatis, ita ſcribens: *Dùm enim vult officioſius eſſe, iniurioſus exiſtit, ſicut ille in Euangelio, qui in cœtu ſanctorum inuitatus ad nuptias venire auſus eſt, veſtem non habens nuptialem, & cùm alius niteret iuſtitiâ, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus deformi horrore ſordebat, & quantò plus ſimul diſcumbentium beatorum candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus diſplicuiſſe forſitan, ſi in conſortium iuſtorum minimè ſe dediſſet.* Quid elegantius dici potuit? ad ſanctorum ſplendorem magis illius eluceſcebat deformitas, quæ non adeò ſe prodidiſſet, ſi non inter candidatos, ſed inter ſordidatos extitiſſet.

Ergo quò ſanctitas eminentior, quò ſplendor maior, eò magis apparet improbitas. Si igitur ille homo non veſtitus veſte nuptiali ita obmutuit, ſi ita obſtupuit, contra ſanctos, & in medio eorum ſe aſpiciens, quomodò non obmuteſcet, quomodò nō obſtupeſcet, immundus peccator, qui non è regione ſanctorum, ſed ſanctiſſimi ipſius Dei, ſe aſpiciet coram illa præfulgida ac mundiſſima ſanctitate, quam Deus ad eius confuſionem coram illo ſtatuet, ex cuius certè præſentia plus oneris ſuſtinebit, quam ex ipſis inferni pœnis. Hinc illa Prophetæ lamentatio:

Iſaiæ 6. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.* Vbi omnes expoſitores vnanimiter conueniunt in hoc, pollutionem Iſaiæ vix venialem fuiſſe; & tamen licet leuiſſima, adeò ingemuit, adeò indoluit, vt væ ſibi ominaretur, quaſi fœdiſſimum ſe reputans. Inueſtigate oro, vnde tantus Prophetæ horror obortus fuit? Equidem indè: quia coram tremenda illa maieſtate conſtiterat, vt fatetur ipſemet: *Et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* En ratio maximi doloris, & vehementis gemitus.

Origenes. Ait Origenes homil. 4. in cap. 6. Iſaiæ. *Incipio autem me noſſe, quia miſer ſum, quando video viſionem, cùm ante viſionem non ſe miſerum dicebat.* Sic profectò ſic, nunc quia non iuxta Deum ſunt peccatores, quando non ſe Deus illis ſtatuit, ac contraponit, ſe non abhorrent, quia quantum ſint ſordidi ac deſpicabiles, non attendunt; ſed quando videbunt, & cognoſcent, qualis, quantuſq; ſit Deus, tunc primùm ita ſe horribiles inuenient, vt præ ſtupore obmuteſcant, ac præfocentur.

Si igitur moleſtum eſt, paterna domo expelli, hereditate priuari, ex ſplendidis nuptijs expelli, quomodo iucundum eſſe poteſt Apoſtolis Chriſti verbum: *Abſq; ſynagogis facient vos*, Cæterùm inſiſtendo propoſitioni, palam facio, audacter pronuntio, quòd Chriſtus non potuerit magis conſolari Apoſtolos, quàm dùm eis futuras tribulationes prædiceret. Colligo id ex D. Chryſoſthomo, qui ſcribens in illa verba:

S. Chryſ. *In mundo preſſuram habetis*, dicit: *Quaſi magnum bonum illis relinquens.* Quando enim Dei Filius varias tribulationes, quas in nos immiſſurus eſt, nobis denuntiat, rem optimam & nobis multùm proficuam facit, quaſi magnum bonum nobis relinquens. Philoſophi triplex bonum

num assignant, videlicet delectabile, honestum, & vtile. Dùm itaq; Christus Apostolis denuntiaret, quantam in mundo pressuram habituri erant, magnum illis bonum relinquebat, quia pati pro Christo est bonum delectabile, honestum, & vtile. Quantum ad primum, quòd nimirùm pati, & tribulationes pro Christi nomine sustinere, sit bonum delectabile, sic deduco. Tria sunt, quibus oculi corporei mirificè recreantur, nimirùm decurrentibus fontium aquis, tersis speculis, & amænitate hortorum, ac pratorum viriditate, vnde comuniter dicere solemus: *Fons, speculum, gramen, faciunt oculis leuamen.* Quod si inquirere voluerimus, quid etiam purissimos Dei oculos recreet, hoc non est aliud nisi voluntaria paupertas, & tribulatio patienter tolerata. De paupertate testatur Rex, & Propheta Dauid Psalmo 10. *Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius iuterrogant filios hominum.* Hæc certè oculórum Dei in egenum respectio, singularem quandam benignissimi Numinis erga eum curam, & accuratam omninò prouidentiam declarat, quâ egestate oppressum quodammodò in oculis suis ferre videatur. Ne quis ergo iustum opibus atq; armis destitutum, egenum putet: ne opulentiâ potentiâq; viduatum, esse inopiæ obnoxium, & diuitum violentiæ imbecillè expositum arbitretur, oculi Dei in pauperem respiciunt. Nam tunc iustus spontè pauper satis opulentus ac tutus est in paupertatis asylo, quando ei diuina prouidentia præsto auxiliaris adest. Vnde citata Psalmi verba in Hebræo textu leguntur: *Oculi eius in pauperē abscondunt se.* Quasi medullitùs scrutetur, examinet, ac penetret Deus, quid huiusmodi pauperi desit, quid opis, quid subsidij aut auxilij tempestiuè impendatur pauperi, ne quid eorum, quæ non habet, & habere negligit, illi vnquam desit. Hinc nomen istud pauper in Hebræo auctore Genebrardo, significat exercitum? quia dùm diuites ac potentes oculos insidiosè coniiciunt in pauperes, vt illos vi opprimant, non inermes, & omni præsidio carentes impugnant; sed in eis validum exercitum virtutibus instructum, armatumquè in acie offendunt. Vnde S. Hieronymus vertit: *Oculi eius in robustos respiciunt.* S. autem Chrysosthomus & Eusebius vertunt: *Oculi eius respiciuut orbem terræ.* Ac si pauper iustus, qui res mundiales contemnit, toti mundo adæquetur. *Quod de paupere iusto Patres exponunt, qui toti mundo propter Deum renuntiauit,* addit Corderius. Quid huiusmodi pauperi deesse potest, qui tanquàm nullius rei mundialis indigus, à se omnia cum Petro abdicauit? Benè toti mundo adæquatur, quasi totum mundum possideat, qui totum à se mundum abiecit, quasi nulla re mundi omninò indigeret.

Psalm. 10. — S. Hieron. — Chrysost. — Eusebius.

At cur Deus oculis pauperem inspicere; palpebris verò homines malos, superbos, id est diuites interrogare dicitur? quid per palpebras denotatur? S. Bruno Scripturas sacras intelligit, ex hac ratione, quòd vt ipse loquitur: *Ad modum palpebrarum modò clauduntur, vt malos excæcent, modò aperiuntur, vt bonos illuminent.* Hanc expositionem sequitur D. Augustinus in Psal. 10. vbi verba illa, Dominus interrogat iustum, & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, ita exponit: *Odit sanas scripturæ sententias.* Nazian. verò orat. de pauperum amore, per palpebras intelligit minimam seu secundariam in diuites Dei inspectionem; sicut per oculos intelligit primam Dei inspectionem in pauperes. Ait ille: *Et oculi eius in pauperem respiciunt, quod quidem palpebris melius est, & efficacius; palpebræ autem eius explorant filios hominum, id est minor, vt ita dicam, & secundaria inspectio.* Tandem Gregorius lib. 13. Moral. cap. 7. magis appositè ad præsens institutum per palpebras Dei iudicia intelligit, eiusq; diuinam iustitiam, quando nos flagellat. *Palpebrarum* inquit *nomine diuina iudicia designantur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur: Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Oculis ergo tanquam pater respicit

Scripturæ sacræ cur Dei palpebræ dicuntur. — S. Bruno. — S. August. — Gregor. Nazian. — Gregor.

respicit pauperem, palpebris tanquàm iudex interrogat impios, hoc est diiudicat eos opprimentes, vt sic quàm securus in sua paupertate pauper, quàm timidus in sua potentia diues extare possit, intelligatur. Vnde rectè D. Chrysosth. hom. final. in Matt. paupertatem benè munitam esse pronuntiat: *At non paupertas, ait, hæc enim regia est, non subiecta furibus, sed benè munita.* Rectè equidem paupertas bene munita dicitur: quia Dei oculi in pauperes, hoc est eius particularis prouidentia, de diuitibus eos vindicans, vnde eo ipso, quo isti in pauperes insurgunt, Deum ad eorum interrogationem prouocant, quo fit, vt ipsamet pauperum oppressio sit eorum protectio, & ideo proteguntur, quia opprimuntur. Hinc dicebat S. Paulus ad Timoth. 2. *In prima defensione nemo mihi affuit.* In quibus verbis Pauli tribulationes & persecutiones pro defensione intelligens S. Ambrosius ita dicit: *Pressuram, & tribulationes sibi illatas, defensionem suam nuncupat: passio enim Christianis vita est, & persecutio defensio.* Vnde hoc? ex eo certè, quia tunc à Deo respiciuntur, dùm oppugnantur, vt habetur Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Si ergo tanti valet apud Deum paupertas, vt oculi eius in pauperem se abscondant, quis non fatebitur eam bonum delectabile dici promereri.

Ad Tim. 2. — S. August.

Alterum est, quo oculi Dei mirificè recreantur, tribulatio patienter tolerata: ait S. Chrysosth. *Nullum spectaculum Deo gratius esse potest, quàm dum videt virum cum aduersa fortuna colluctantem.* Hoc autem ideo fit, quia qui persecutionem, & tribulationem patienter sustinet, idem corpus cum Christo efficitur, quo spectaculo nullum iucundius oculis Dei. Dum cruci appensus Dominus videret matrem, ostendens illi Ioannem, qui simul iuxta crucem erat, dixit matri dulcissimæ: *Mulier ecce filius tuus*; deinde discipulo: *Ecce mater tua.* Quibus verbis Ioannes ostenditur filius Mariæ, quasi ipse Iesus esset, vel eius vterinus frater. Et vnde Ioannes ita pro Iesu, vel quasi frater eius, vel quasi Iesus ipse esset, Virgini commendatus est? Sanè, quia simul erat cum Iesu in passione. Ait Theophylactus ibidem: *Iam papè quomodò obseruat discipulum fratrem suum illum faciens? vsq; adeo bonum est manere apud patientem Christum; nam in fraternitatem eius ducit.* Proinde qui patitur cum Iesu eiusq; laboris fit particeps, etiam eius fit consanguineus, eiusdem generis, eiusdemq; sanguinis cum illo, quo quid iucundius, quid delectabilius esse potest? Delectantur oculi Dei tribulationibus hominis iusti, & semper illi præsto adsunt. Scribit enim Baronius anno post Christum 304. de Martyre Theodoro, qui tempore quodam ex animi sententia quiescens, vidit in somno cælum sagittas in caput suum mittere, audiuitq; vocem sibi dicentem à Christo: *Esto bonæ spei Theodore, ego tecum sum.* Expergefactus cœpit cogitare, quid inusitatum illud somnium portenderet: & ecce summo diluculo à satellitibus Imperatoris captus, & dura fame per quinquè dies cruciatus est, affixus postea cruci, conuocatiq; pueri, qui eum sagittis impetentes, ad maiorem tribulationem ipsi illuderent. Mox vbi cælum conspexit, vidit Angelum in àere se his verbis consolantem, *Theodore* hodiè illud somnium impletur, & Christus cuius tunc vocem audiuisti, præsto tibi adest. En, quantam delectationem capit Christus ex tribulationibus iustorum, vt illis præsens assistat: quia nullum spectaculum Deo gratius esse potest, quàm dum videt virum cum aduersa fortuna colluctantem.

S. Chrys. — Ioan. 19. — Theophyl. — Baronius.

Hinc meritò dicebat S. Paulus. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Ergo flagella, vibices, & plagæ Pauli corpori inflictæ, regius illi torques, & summæ dignitatis insigne erat, in quo merito gloriabatur. 2. ad Corint. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in angustijs pro Christo.* Quia optimè sciebat

Ad Gal. 6. — 2. Cor. 12.

ſciebat oculis diuinis nullum gratius ſpectaculum eſſe. Quod perpendens D. Chryſoſthomus hom. 9. in cap. 4. ad Epheſios, auguſtiorem, & magnificentiorem ſibi eſſe Pauli catenam, quàm regiam pompam atq; ornamenta meritó affirmat.

S. Chryſ.

Magna inquit *eſt vis catenæ Pauli, ſufficit pro omnibus hoc ſpectaculum, Paulum videre vinctum, & educi è carcere, videre vinctum, & intus ſedentem: quia voluptate non eſt hoc maius; quo pretio rem non æſtimauerim? Non videtis Reges, & conſules curru geſtari, & aurum geſtare, & ſatellites omnia habentes aurea: aureas lanceas, aureos clypeos, equos aureis ornatos ephippijs. Quantum eſt hoc ſpectaculum illo iucundius? Mallem ſemel videre Paulum è carcere exeuntem cum vinctis, quàm millies illos deductos cum illa ſatellitum ſtipantium caterua.* Magiſq; adhuc tom. 1. hom. 5. de patientia Iob rem hanc auget, ipſiſmet paradiſi gaudijs & honoribus Pauli vincula longè anteferens, vbi in hunc modum loquitur: *Non eum ſic dico beatum, quòd tertium vſq; ad cælum, & in paradiſum raptus eſt; quemadmodùm quòd in vincula coniectus ſit: non enim beatum dico, quòd audierit arcana verba, quemadmodùm quòd vincula ſuſtinuerit; etenim hæc illis longè maiora; eligibilius namq; mihi eſt malle pati pro Chriſto; quàm honorari pro Chriſto.* Nec longè abeſt authoritas S. Hieronymi, qui in titulo Epiſtolæ ad Philem. Vbi dùm Paulus non Apoſtolum, ſed vinctum Chriſti ſe nominat, dicit maioris ſupercilij id eſſe, quàm Apoſtolatus mentionem facere. Pati igitur pro Chriſto eſt bonum delectabile: quia nullum ſpectaculum Deo gratius.

Accipite in vlterius documentum patientiſſimum Iobum, & conſiderate. quantum amorem illi Deus exhibuit, cùm ipſemet eum publicè coram filijs hominum, aſſiſtente etiam inuido dæmone canonizaret:

Iob. 1.

Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? In catena autem Græca legitur: *Homo irreprehenſibilis, iuſtus, verus, pius, abſtinens ab omni re mala.* Tam ſublimi elogio dæmon ita obuiam iuit. *Nonquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum.* Quaſi diceret: non eſt is verus Dei timor, non eſt verus amor, nec enim te propter te, ſed propter tua colit, vt terrena in eum bona conferas, & collocata conſerues. occultiſſimam nimirum animi intentionem ſubulæ oculis penetrante, vt quæ exteriùs pulchra videbantur, ex internis maculis, quas ſuſpicabatur corrumperet. Vt ingenioſè aduertit Olympiodorus in catena Græca inquiens:

Olymp.

Animaduerte improbitatem, cùm ea, quæ dicta erant, inceſſere non poſſet, animi ſententiam inſectatur, & ad ea, quæ latent, ſe idcirco refert, quia quæ aperta, & explorata ſunt, illi elabuntur. Cognoſcite diaboli artes, cognoſcite ingenium, vt hinc noueritis, eſſe quidem humanæ infirmitatis, ex primis, ac leuibus indicijs aduerſùs proximum temerè, ac curioſè decernere, dubiaquè in deteriorem partem interpretari; at verò quæ bona apparent ſubulæ oculis velle introſpicere, vt ex occulta animi intentione damnentur; ſolius dæmonis, eiuſq; filiorum animum, & ingeniũ eſſe. Noluit dæmon occulta quæ non videbat, ex externis rectè factis, quæ illi nota erant, bona fore conijcere. atq; interpretari; ſed externa hæc bona, ex occultis, quæ ignorabat, condemnare præſumpſit.

Hinc fortiter inſtitit, vt illi & in bona temporanea, & in ipſum Iobum plena concederetur facultas, Deo reſpondens:

Iob. 2.

Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi. Fecit & hoc Deus, & tantum virum, tàm ſanctum, adeò ſibi placentem non dubitauit tradere in manus ſatanæ dicens: *Ecce in manu tua eſt, verùm tamen animam illius ſalua.* Bone Deus, cur tàm crudeli exploratori permittis virum tantum? cur non potiùs renuis manibus diaboli Iobum tractari? ſufficientem vt video iſtius rei præmiſerat

rat cauſam Deus in illis verbis: *Homo irreprehenſibilis, pius, verus.* Sicut ergo verus erat Iob in vijs ſuis bonis, veraſq; animi virtutes habebat; ita crudeliſſimi inſpectoris non refugiebat in illo Deus oculos, nec manus. Quia ſimulata tantùm & vana metuunt tangi; quæ autem ſolidé vera ſunt, non refugiunt à crudeliſſimis inſpectoribus, probatoribuſuè tractari. Imó addit S. Chryſoſt. quòd poſtquam Iob omni ſubſtantia & filijs orbatus eſſet, etiam à propria vxore irrideri, & ab amicis iacentem in ſterquilinio non ſine vehementi afflictione corripi Deus permiſerit.

S. Chryſ.

Et cum finem inquit, *tentationum oblaturus erat, tunc moleſtiora permiſit.* Et quam ob cauſam? certè propter maiorem ſuam delectationem, vt oculos ſuos delicatiùs reficeret, quibus nullum gratius ſpectaculum, quàm virum iuſtum tribulationes æquo animo ſufferentem ſpectare.

Pati pro Chriſto eſt bonum honeſtum, quia talis paſſio veram Chriſti imaginem in homine delineat, iuxta doctrinam S. Pauli 1. Corint. 6.

1. Cor. 6.

Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Rationem verbis proxime antecedentibus expreſſit Apoſtolus, dicens: *Empti enim eſtis pretio magno*: vrgens, vt non noſtro arbitratu viuamus, ſed per omnia ſeruitutis obſequia, omnem Deo honorem exhibeamus, cùm hoc pretij magnitudo, quo homo emptus eſt, à nobis requirat.

Homo ex pretij magnitudine quo emptus eſt obligatur ad obſequia Dei.

Primaſius.

Quod Primaſius doctè perſtringit: *Si* inquit *homo à ſeruo paruà pecuniâ comparatus continuum ſeruitium quærit: quanto magis ille, qui plus pro nobis quod daret non habuit, quam ſemetipſum.* Quando itaq; dicit Paulus: *Portate Deum in corpore veſtro,* non ſolùm ad externa opera, & officia reſpexit, quaſi de diuina ſeruitute eadem dici poſſint, quæ de humana eruditè protulit Seneca lib. 3. de beneficijs cap. 20.

Seneca.

Errat inquit, *ſi quis ſeruitutem exiſtimat in totum hominem deſcendere: pars melior eius excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt & adſcripta dominis, mens quidem ſui iuris, quæ adeò libera, & vaga eſt, vt ne ab hoc quidem carcere, cui incluſa eſt, teneri queat, quominus impetu ſuo vtatur; & ingentia agat, & in infinitum comes cœleſtibus exeat. Corpus itaq; eſt, quod domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit, interior illa pars mancipio dari non poteſt.* Sed etiam & interna mentis obſequia comprehendit. Vnde Græcè, & Syriacè citata Apoſtoli verba leguntur ſic: *In corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro*: vt appareat, non ſolum exterius ſtigma, ſed etiam interius à ſeruis Dei exigi, vt ſic omne corporis & animi obſequium, alijs dominis denegatum, vni Deo exhibendum putent. Quocirca ex his Pauli verbis S. Cyprianus lib. de diſciplina, & habitu mulierum ſic argumentatur:

S. Cypr.

Glorificemus & portemus Deum puro, & mundo corpore, & obſeruatione meliore, & qui per ſanguinem Chriſti Domini noſtri redempti ſumus, per omnia ſeruitutis obſequia redemptionis imperio pareamus; demuſq; operam, ne quid immundum, & profanatum templo Dei inferatur, ne offenſus ſedem quam inhabitat, derelinquat. Ergo ſeruitus Dei in totum hominem deſcendit, nullaq; eius pars excepta eſt.

Quod ſi noſſe deſideratis, qualiter depicta ſit imago Chriſti, audite Iſaiam, qui de Deo ſuſtinente peccatorum opprobria ita loquitur:

Iſaiæ. 53.

Vidimus eum, & non erat aſpectus, deſiderauimus eum: deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus. Vatablus autem legit:

Vatablu.

erat vt is, à quo abſconderet quis faciem. Per quod oſtendit talem Chriſtum extitiſſe in paſſione, ita deformem, plagatum, diſruptum, ſanguine, liuoribus, ſputis, ſanie deformatum, vt talem incuteret horrorē, qualem oculi ſuſtinere non poſſent humani. Vnde Chriſtus Marianæ mulieri ſanctiſſimæ ac præclariſſimæ quodam tempore crucem ſuſtinendo apparens, cùm illa ſummè exoptaſſet, veram eius figuram, ac imaginem ad viuum expreſſam habere, idq; Domino iubente cuidam pictori deman

demandaret, cuius manum ipſe Dominus directurum ſe promiſerat, ita egregia, ita formoſa depicta imago euaſit, vt nihil amplius vltra æſtimari poſſet. Et licet liuoribus facies onuſta fuerit, viuida tamen nimiumquè pulchra apparuit. Cumq; ſancta hæc fœmina cum Domino expoſtularet, quomodò cùm totus eſſet in cruce liuidus, tàm venuſta eius imago depicta prodierit, reſpondit Dominus:

Laurentius de Apóte ſapientiam Salo. monis tomo 2.

ideò non permitto me vti tunc extabam depingi, ac efformari: nam horrorem incuterem, non deuotionem. Premite dictum, & expaueſcite, ac quàm veriſſimum ſit illud Prophetæ: *Vidimus eum; & non erat ei aſpectus*, intelligite, ita, vt ipſemet Chriſtus Dominus de hoc iſpo admiratus, protulerit ſe non hominem, ſed vermem exiguum tempore paſſionis fuiſſe.

Pſal. 21.

Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Pſal. 21. Non quòd humanam exuerit naturam, ſed quòd vermiculi quodammodò ſuperinduerit vilitatem. Vnde ſi Chriſti deformitatem in paſſione, abiectionemquè aliquomodò indagare volumus, conſideremus id eo fine factum, vt inde tota pulchritudo in ſponſam eius Eccleſiam redundaret.. Pulchrè id S. Bernardus ſerm. 28. in Cantica ediſſerit. *Specioſus forma præ filijs hominum illuminandis obſcuratur in paſſione, turpatur in cruce, pallet in morte, ex toto non eſt ei ſpecies neq; decor, vt ſibi ſpecioſam atq; decoram acquirat ſponſam Eccleſiam ſine macula, & ſine ruga.*

At, ſi audiamus Dauidem, longè aliter nobis depingit ipſum Dominum:

Pſal. 44.

quippè Pſal. 44. ait: *Specioſus forma præ filijs hominum: diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Quid eſt hoc? Iſaias vocat eum deformem, deſpectum; Dauid autem vocat ſpecioſum, & illuſtrem forma præ filijs hominum. Et quomodo ſimul potuit eſſe deſpectus, ac ſpecioſus; inſpectabilis, & illuſtris? Attendite, dùm ſuffigeretur in cruce, dùm tacens pateretur, dùm impias blaſphemantium ſuſtineret voces, dùm manus furentium violentas ſentiret, quaſi inaſpectabilis, & deformis erat. At verò dùm à facie eius terra moueretur, & ſol obſcuraretur, dùm tenebræ peccatores opprimerent, inde non parum decoris ac ſpeciei Deo patienti obueniebat. Ait S. Hieronymus in Iſaiam:

S. Hier.

Deſpectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce factus pro nobis maledictus, Inclytus autem erat, & decorus aſpectu, quando ad paſſionem eius terra tremuit, ſaxa dirupta ſunt, & fugiente ſole æternam noctem elementa timuerunt. Dùm ergo ſub tenebrarum, & terræ motus verbere rebelles erant, magnum ſibi decorem & ſpeciem Dominus adſcribebat. Dicebat Iſaias cap. 53.

Iſaiæ 53.

Aſcendit ſicut virgultum coram eo, radix de terra ſitienti; non eſt ſpecies ei, neq; decor. Dauid autem Pſal. 44. clamabat: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, ſpecie tua, & pulchritudine intende proſperè.* Et quoniam ei ſpecies, nec decor erat, iuxta Iſaiam, quomodò potuit accinctus gladio ſpecioſus & pulcher venire? quomodò iuxta Dauidem potuit proſperè procedere? Rationem tacite inſinuauit Regius Vates illis verbis; *Accingere gladio tuo potentiſſime.* Gladius igitur. quo Chriſtus perimit rebelles, eſt pulchritudo & maximus decor ipſius. Sic cenſet Tertull. lib. 3. in Marcionem;

Tertull.

Non eſt ſpecies eius, neq; gloria, ſed ſpecies eius inhonorata; deficiens citra omnes homines. Nam etſi tempeſtiuus decore apud Dauidem citra filios hominum, ſed ſtatu gratiæ ſpiritualis, cùm accingitur enſe, qui verè ſpecies, & decor, & gloria ipſius eſt. Negauerit licet natura Saluatori ſuo ſpeciem, ac decorē; tamen gladius eius interimens peccatores, magnā illi conferebat gloriam, & honorem, ac decorem. Non enim poteſt non illuſtris & glorioſus apparere apud omnes, dùm plectit ſontes: qui apud plurimos ignoratur, dùm eos tolerat. Audite Tertullianum lib. de patientia: *Diuina* inquit *diſpoſitio* delegat Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum, ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium, opera manuum ſuarum adorantes, no-

men, familiam ipſius perſequentes, luxuriam, auaritiam quotidie inſoleſcentem, vt ſibi ſua patientia detrahat: *plures enim hominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* Patientia igitur Dei, & tolerantia in impijs non perdendis per tot ſæcula faciebat, ne à pluribus crederetur Deus eſſe. Non credebatur antea verus eſſe Deus, quia longo tempore diſſimulabat enormia hominum ſcelera, ſed quando iratus vbiquè in rebelles cernitur, pro verò Deo creditur, & adoratur.

Vultis adhuc noſſe qualia ſint veſtimenta Chriſti, audite Iſaiam quomodò illa deſcribat cap. 63.

Iſaiæ 63.

Quare ergo rubrum eſt indumentum tuū, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari. Et cur Chriſtus Dominus cum triumphali pompa cælos conſcendens, non candida, ſed rubra veſtimenta aſſumpſit? Quid neceſſum erat inter tot glorias, cruentas in corpore ſuo plagas oſtendere, & veſtimenta ſanguine conſperſa vt dicit Iſaias cap. 9.

Ibidem 9.

Veſtimentum eius miſtum ſanguine. Cauſam nonnulli aſſignant: quia tunc veniebat Dominus deſerens ab illo tempore, & fugiens dilectum quondam, & amicum ſibi populum Iudaicum; vbi autem amicus ſemel acceptus deſeritur, ac conculcationi datur, neceſſe habet, qui hoc facit, euidentiſſimas præſe ferre cauſas, ne id temere agere videatur. Eruditè hoc tangit D. Cyrillus Alexandrinus in Ezegeſi ad Acatium, quæ habetur in concilio Epheſino, tom. 6. c. 16.

S. Cyrillus Alexandr.

Ad cælum inquit, *vnigenitus Dei vna cum carne ſibi vnita rediјt, eratq; hoc nouum in cælo ſpectaculum. Obſtupuit enim ſanctorum Angelorum multitudo, cum Regem gloriæ in forma humana cerneret.* Quærebat ergo cœleſtis illa multitudo, quid ſibi vellent cruenta illa veſtimenta, quid liuida in manibus & pedibus ſtigmata, Zachariæ 13.

Zach.

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum. Quibus ille viciſſim reſpondit: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Alia verſio legit: *in domo dilecti populi mei.* Pergitquè vlterius citatus Cyrillus Alexandr. *Quemadmodùm Thomæ non abſq; ſingulari Dei diſpenſatione hæſitanti poſt ſuā ex mortuis reſurrectionem manus, & in manibus clauorum figuram oſtendit, iuſſitq; etiam lateris vulnus palpare; ita & in cælo conſtitutus ſanctis Angelis planum fecit, iure merito; ex ipſorum amicitia prolapſum, eiectumq; eſſe dilectum Iſraëlem.* Vbi per illa verba: *ita & in cælis conſtitutus*, innuere voluit ſanctus Doctor, quod Chriſtus etiam in cælis acceptarum iniuriarum notas ſeruet, monſtrans Angelis euidentiſſimas cauſas deſerendi antiquum illum amicum, hoc eſt, populum Iſraeliticum, quem antea prorsùs in ſuo ſinu fouebat.

Cæterùm verius mihi videtur, Chriſtum ideo rubra veſtimenta adhibuiſſe ad triumphalem ſuam aſcenſionem, vt oſtenderet, quanta pro redimendo genere humano fecerit, ad vltimam vſquè ſanguinis guttam in cruce fundens, in cuius rei euidentiſſimum documentum rubra geſtare voluit veſtimenta. Hinc dicebat ipſemet:

Iſaiæ 63.

Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Profectò ſolus fuit in arena Chriſtus, ſolus & deſolatus relictus erat, diſcipulis aufugientibus. Quid inde? An quia ſolus, ideò oppreſſus eſt? imò ſolus ſic omnes hoſtes ſuos calcauit, vt calcari vuæ ſolent in torculari. Ait Diuus Chryſoſth. in Pſal. 44.

S. Chryſ.

Torcular dicit calcaui ſolus, & oſtendens victoriæ facilitatem, & quod nullum habuerit, qui ei opem ferret ſed ipſe ſibi ipſi ſuffecerit. Solus ergo Chriſtus, & ſine auxiliatore creato, mundiales poteſtates conculcauit, & tu Catholice cùm ſis pretioſo eius ſanguine redemptus, licet ſolus & deſolatus ſis, timebis hoſtes? imò ſolus conculcabis mundum & infernum. Et ſi ad extrema infortunia deueneris, lætaberis in Chriſto, ipſius amore omnia iſta perferendo: hoc enim eſt veram imaginem Chriſti portare.

Cùm aliquando D. Paulus ad ſe laudandum cogeretur, licet vrgente neceſſitate, adhuc nihilominùs auda-

2.Cor.11. Idem qui supra. Ioël 1. S.Gregor.

cem se & insipientem appellabat. *In quo* ait, *quis audet*, (*in insipientia dico*) *audeo & ego: Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego: ministri Christi sunt*, (*vt minùs sapiens dico*) *plus ego*. 2. Corint. 11. super quæ verba D. Chrysosthomus hom. 73. ad populum. *Cùm* inquit, *propter Pseudoapostolorum fraudem sua narrare cogeretur, adeo fuit ipsi molestum, & graue, vt id appellaret audaciam. Considera roligiosi animam, non tantum audaciam; verùm & insipientiam rem vocat, nos quoq; docens, non in cassum absq; necessitate, & cogente nemine, gesta nostra iactare*. Nec immeritò: vt enim arbores decorticatæ faciliùs exarescunt, quàm dùm suis corticibus integuntur; ita virtutes euulgatæ citiùs, quam occultatæ euanescunt. Hinc est illud Iöel 1. *Ficum meam decorticauit*. Quod literaliter intelligitur de Synagoga, quam Deus multorum hominũ interuentu paulatim arefecit. Allegoricè de Ecclesia, quam Hæretici externis Sacramentorum præsidijs spoliare conantur. Moraliter verò de anima iusti, quæ cùm suas virtutes pandit, & superbè iactat, exarescit, teste D. Gregorio lib. 8. Moral. c. 10. dicit: *Facta arrogantium humanis oculis ostensa, vnde placere appetunt, inde siccantur*. Comprobatquè Origenes hom. de Elcana, vbi monet nos non solùm in malis, sed & in bonis periclitari. Si enim diuinæ adsint reuelationes, pullulat superbia: si fiant signa, & prodigia, exoritur arrogantia: si iustitia, continentia, cæteræq; virtutes exerceantur, inanis ostentatio consurgit, ex qua ille bonorum operum thesaurus facilè dissipatur. Veram ergo Christi imaginem portabat D. Paulus, quia pro Christo omnia sustinebat, vt habetur 2. Corint. 11. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum in mortibus frequenter*. Perpendite verberationes, lapidationes, naufragia, pericula, insidias, ieiunia. paupertatem, vigilias, & innumera alia incommoda, quibus in singulos dies pro Christi Domini gloria obruebatur, quo nihil honorificentius esse potest.

Daniel 3. S. Chrys. S. Ambr.

Tertiò demùm pati pro Christo est vtile: nam quem Deus affligit, cum summe diligit, & honorat. Reflectite oculos in illos tres pueros Hebræorũ in fornacem coniectos, & plusquam admirabile factum obstupescite. Viri illi qui pueros in fornacem miserant, non contenti extrema illorum sorte, ex furore, rabie, ac vindictæ odio: *Non cessebant succendere fornacem, naphta, & stuppa, & pice. & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem*. At quid inde subsecutum? *erupit flamma, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis*. Vbi duo consideranda occurrunt: Primum, ante ignis eruptionem adnotasse scripturam flammæ effusionem super fornacem, ad hoc, vt eruptio ignis non naturalis, sed violenta videretur ab Angelo facta, qui excussit ignem, à pueris abegit, remouit ad latera fornacis, extraq; impulit, & ibi Chaldæos tortores incensoresquè succendit. Quod considerans S. Chrysosthomus tomo 8. hom. de tribus pueris ita loquitùr. *Et diffundebatur flamma super fornacem, ò Dei potentia clarius luce monstrata, & furatur pastus alienos incendium: nam consumpsit, quos propè inuenit, quia ieiunat in suis*. Quid admirabilius? vis igni inferebatur, dùm vrere suos non illi permitteretur; quid ergo? vim vi repellens vt ita loquar, foras abactus alienos deuorauit, dùm ieiunaret in suis.

Alterum, eodem prorsùs igne Chaldæos perijsse, quo pueros occidere intentabant, vt per hoc omnibus innotesceret, pueros in flammis derelictos, in fornace calamitatis inclusos, Deum ipsum defendere. Ignis igitur mortis instrumentum pueros lambebat, Dei virtute eos protegente, dum tortores vreret, & incenderet. Ait D. Ambrosius lib. 6. in Lucam c. 2. *Cantauerunt Hebræi; cùm vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, & intùs extraq; ardentibus omnibus, solos tamen innoxius ignis lamberet, nec adureret*. En quomodo ignis pueris factus


S. Zeno. Daniel. 3.

factus est ros, eorum vestigia non vrens, sed humectans, vnde in fornace ros, extra ignis, occidens eos, qui illum ad aliorum mortem accenderant, mutato officio, vt præclarè docet S. Zeno Veron. Episcopus sermone 8. de tribus pueris, inquiens. *In caminum missi, vt submersi sunt, statim inuisibili rore incendia temperantur, mors refugiens mutat officium, incensores cremantur, incensis hymnum canentibus flamma blanditur, melioratur vita supplicio. Rex non inuideret pueris, si eos non præcepisset ardere*. Ex quibus verbis hoc potissimùm elicitur, maleuolorum persecutionem non deteriorare, sed meliorare hominum innocentum vitam, dùm paratum supplicium eis non fit instrumentum mortis, sed gloriæ; ita vt Reges ad sui stuporem trahant. *Tunc* iuquit sacra pagina, *Nabuchodonosor Rex obstupuit, & surrexit properè*. O mira tribulationis ad exultationem potentia! pueri extra fornacem in dignitate, ac palatio regaliter viuentes, cum Daniele simul ad regimen & imperium eleuati, ad solium trahebantur Regis, & de solio ad fornacem, ad mortem, ad cremationem, ad incendium; at verò in fornace, hoc est in tribulatione, ad se ipsimet attrahebant Regem, qui celeriter de solio surgens, & quasi inuidens ad ipsos accurrit. Quid aliud talia portenta nobis insinuant, nisi quod de amicitia Regum ad fornacem; de fornace verò ad gloriam procedatur. Vtilis igitur est tribulatio pro Domino Deo patienter tolerata, quia non solùm à Deo, sed etiam ab hominibus meretur honorari.

Christus itaquè non potuit melius valedicere Apostolis, quàm futuras eis denuntiando tribulationes, quas pro nomine eius passuri erant, quoniam pati aliquid pro diuino honore, est bonum delectabile, honestum, & vtile. Quocirca & nos, quidquid aduersi euenerit, æquo animo sustineamus, vt gaudium illud cœleste, honorem gloriæ æternæ, & vtilitatem salutis consequi mereamur.



F I N I S.



INDEX LOCORVM
SACRAE SCRIPTVRÆ,
Quæ in hac parte elucidantur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litera locum columnæ indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.



I N D E X

RERVM ET VERBORVM.

F I N I S.



ERRATA CORRIGE.

Pagina	col.	locus		col.
11.	2	B	Dessipationes	dissipationes.
13.	2	C	expugandum	expugnandum.
14.	1	B	in conspetu	in conspectu.
15.	2	B	extrema	extremas.
18.	2	A	iudicem	iudicium.
18.	2	A	iustus	iustis.
21.	1	B	cædio	tædio.
22.	1	A	venturus	venturum.
63.	2	A	exirpetis	extirpetis.
75.	2	A	adiucentur	adiudicentur.
79.	2	B	feciebant	faciebant.
79.	2	B	diret	daret.
110.	1	A	inuitarem	inuitantem.
124.	2	B	exis	flexis.
140.	1	B	vxorem amore	vxoris amore.
141.	1	C	homini morali	homini mortali.
142.	2	D	magus	magnus.
143.	1	C	scientiam	sententiam.
148.	2	A	sibi & inopia	siti & inopia.
152.	2	D	alloquendi	alloquendo.
161.	1	C	erit	venit.
141.	1	B	inconprehensibilis	incomprehensibilis.
170.	2	A	videbat	videat.
173.	1	A	ambiat	ambigens.
175.	2	A	defossis	defessus.
176.	2	D	infante	infantes.
179.	1	D	iram	iam.
179.	2	B	beatorum mentium	beatarum mentium.
182.	2	C	Humerum	Homerus.
185.	1	A	suadebetur	suadebatur.
195.	2	A	& certè	nec certè.
196.	2	D	mentem	mente.
202.	2	D	vbortis	obortis.
205.	2	C	illorum	illarum.
220.	2	B	sæculorum	Angelorum.
221.	2	D	illas insecutus	illos insecutus.
221.	2	C	saicetatem	satietatem.
226.	2	A	perfunntur	perfruuntur.
231.	2	A	stillas in potes	stellas si potes.
234.	1	C	ex paret	ex parte.
245.	1	C	nomina	numina.
247.	1	D	postestatem.	potestatem.
251.	2	D	cortiter	communiter.
254.	1	D	equidem	equitem.
266.	2	A	caligiosus	caliginosus.
269.	2	A	in hominem	ita hominem.
270.	2	A	resistere	resistite.
271.	1	A	horribili metu	horribili motu.
271.	2	A	turent	ruerent.
271.	2	C	manescit	inanescit.
279.	1	D	desciptas	descriptas.
280.	2	D	Leuithan	Leuiathan.
304.	1	D	mino aitifio	miro artificio.
306.	2	C	felicitam	felicitas.
311.	2	B	inrretiti	irretiti.
438.	1	B	adiudicamur	adiudicemur.
438.	1	D	hic enim	hoc enim.
438.	2	D	& ex illo	vt ex illo.
440.	1	B	Deum in	in Deum.
440.	2	C	relauatur	releuatur.
441.	1	D	homia	homilia.
443.	2	D	institiam	iustitiam.
461.	2	A	Chldaicus	Chaldaicus.
454.	2	D	pariùs	parciùs.
489.	2	D	vbi est ingenium	vti est ingenium.
317.	1	C	tergas	terga.
317.	1	C	hostili terror	hostilis terror.
322.	2	A	simulcaio	simulatio.
324.	1	B	confessionem	confusionem.
324.	1	D	beneficum	veneficum.
326.	2	D	regi	rei.
355.	2	C	fauendum cor	fouendum cor.
356.	2	D	vt prouide	vt proinde.
367.	1	D	volent	vellent.
374.	2	D	intoerant	introeant.
396.	1	B	criminato	criminatio.
500.	2	A	obstineat	obtineat.
501.	2	D	permentibus	prementibus.
507.	2	D	feteor	fateor.
533.	2	B	Nidæ	Midæ.
533.	2	D	compulus	compulsus.
546.	2	D	occolationem	occasionem.
547.	1	D	opensitate	operositate.
550.	2	A	experigefacto	expergefacto.
550.	2	A	assignattus	assignatus.
553.	2	D	solum nō est iussus,	solui non est iussus.
556.	1	C	incalebat	incolebat.



